HOFMANN, Caspar 1572-1648

10/52

CASPARI HOFMANNI,

MED. D. ET IN ACAD. ALTORFINA PROF. QUONDAM
PRIM. AC CELEBERR.

DE

MEDICAMENTIS OFFICINALIBUS,

TAM SIMPLICIBUS, QUAM COMPOSITIS

LIBRI DUO.

Opus omnibus tum Artis Medicæ Cultoribus, tum Herbariis, Pharmacopoeis, Chirurgis, aliiſque cum primis utile ac neceſſarium.

QUIBUS ACCESSERUNT, QUASI PARALIPOMENA,

REMEDIA MEDICINALIA,

Quæ vel ex Animalibus, vel ex Mineralibus petuntur.

Editio Noviſſima Priori Auctior & Emendatior.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GEORGIUM WISHOFF, 1738.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PER-ILL. ET EXCELL. VIRO,

DOMINO

DN. GUIDONI PATINO,

BELLOVACO,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI,

Dom. & amico ſuaviſſimo.

S. P. D.

NOn dubito, omnibus ſeculis concertationes fuiſſe inter Juridicos & Medicos, uter eſſet præſtantior? Non dubito pariter, ſemper fuiſſe utrinque tam ineptos quosdam, ut ne ſciverint quidem formare ſtatum controverſiæ. Noſtro tempore quid fiat, notum eſt. Antiquitùs quid factum ſit, erui ego dudum ex Ariſtotelis loco quamvis corrupto. Cùm enim ratum eſſet àpud illos quoque illud, δύσκολα τὰ καλὰ, quidam ita decernebant, *Utra profeſſio difficilior, eadem etiam excellentior.* Conſultus ſuper hac re divinus Ariſtoteles, ut pacatam redderet utramque partem,

re-

reſpondit, ut ego quidem intelligo, περὶ ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν, οὐ χαλεπὸν ξυνιέναι· ἀλλὰ πῶς πραττόμενα καὶ νεμόμενα, τὰ δίκαια. τοῦτο γὰρ πλέον ἔργον, ἢ τὰ ὑγιεινὰ εἰδέναι. Et explicans, Κἀκεῖ μὲν ἔλαιον, καὶ μέλι, καὶ οἶνον, καὶ ἐλλέβορον, καὶ καῦσιν καὶ τομὴν εἰδέναι ῥᾴδιον· ἀλλὰ πῶς δεῖ νεῖμαι πρὸς ὑγίειαν, καὶ τίνι καὶ πότε, τοσοῦτόν ἐστιν ἔργον, ὅσον δίκαιον εἶναι. Hoc ut plures intelligant, ita παραφράζω. O bene compoſitum par juvenum, tu quidem Legum Candidate, tu autem artis Apollineæ, vultis ſcire à me, uter ſit præſtantior? Uterque altero. *Ut enim difficile non eſt leges ſcire: ita minimè omnium difficile eſt ſcire, quid ſit oleum, quid mel, quid vinum, quid helleborus*, &c. Ruſus, *quam difficile eſt Juſtitiam adminiſtrare, hoc eſt, ſcire quid faciendum ſit, quid tribuendum huic, illi: ita ſcire, cui vinum, verbi gratia, ſit præſcribendum? quo tempore? qua quantitate? non minus difficile eſt, quàm juſtum eſſe.* Ut enim in Legum ſcientia ſubſiſtere non oportet, ſed aſcendere ad πολιτικὴν, niſi malis vocare νομοθετικήν: ita in Medicina non eſt ſatis noſſe materiam medicam, ſed ſimul τεχνωγῆναι oportet, ut quidam è Præceptoribus Galeni loquebatur. Id verò, ſat ſcio, tam difficile erit Tibi in tua arte, quam Mihi in mea. Et hactenus quidem comparationem inſtituo: eos verò, qui ulterius aſcendunt, meo more *MONEO!* Ad Te converſus, mi *GUIDO PATINE*, ſcire cupio, quid ſentias? Annon adumbratio Medicinæ, facta à me, quantum per *Aberratores* licuit, ſit evaſura moles ſatis magna, ſi addantur addenda, hoc eſt, ea, quæ perfectum Medicum facere poſſunt? Rurſus, ſi materiam medicam in unum faſcem compingam, annon æquè vaſtum opus alterum ſit proditurum? Ita puto, ſi quidem verum eſt, quod quidam fatentur, abſcondi ibi, quicquid ſub Sole eſt? Feci & hoc, cum bono DEO, adeoque

Lib. V. Ethic. ad Nicom. cap. 9.

σκια-

σκιαγραφίαν Operis heic præ manu fero, hoc ſolum denique omnibus precibus contendens à Te, videas, *An ſufficere poſſit inſtituendo juveni in noſtra arte?* Hac in re ſi habuero te ὁμόψηφον audebo obloqui Legulejis illis, qui ſibi ipſos triumphos decernunt, non ſine pipulo noſtrorum. Neſcio, an huc ierit *SPIGELIUS* olim noſter, *in Iſagoge ad rem Herbariam, Patavii* 1606. 4. Si ivit, falſus eſt. Aliam & contrariam viam calcavit, licet Methodum vocet, *MARANTA*, *Venetiis*, 1569. 4. Quicquid ſit, tacentibus pleriſque omnibus Practicis, volui ego pauperculus Scholaſticus duo præſtare. Alterum, exponere τοῖς νεοφύτοις utilia: alterum, in gratiam τῶν χαριέντων, dicere pauca, quæ ipſos non dedeceant. *EVENTUM COMMITTO DEO.* Tu bene Vale, ſuaviſſime amicorum, & bene age.

Tuus ex animo,

CASPAR HOFMANNUS.

IN MATERIAS OFFICINALES
PRÆFATIO.

CUM annis abhinc 37. Lector, ad vitam hanc Academicam vocarer, hoc in primis me ſolicitum habuit, quo modo rectè conſulerem rationibus diſcentium. Et ut *de Botanicis ſolis* loquar, privatim quidem exercui illos in ſylvis & campis noſtris, ut familiares eſſent illis plantæ, *Officinales* præcipuè: publicè autem & poſt lectiones ſingulas, oſtendi illis eaſdem, ne contingeret, quod magni nominis Medicis juxtà & Pharmacopœis contigiſſe memineram. Duravit id ſtudium, quamdiu ſedi in cathedra Botanica: at poſtquam illa tradita fuit Cl. Jungermanno, ad alia me converti, quæ nota ſunt. Illis quoque ſic ſatis excultis, & in aliam faciem transformatis, cùm præter opinionem vitam mihi prorogaret Deus Opt. Max. cœpi cogitationes inſtituere de pertexendo opere Pharmaceutico. Quod cum, benedicente Deo, feliciter ſuccederet, natum eſt mihi hoc, quod vides, *Syſtema*, in quo muſteis Doctoribus & Pharmacopolis oſtendo *ex Pinace Illuſt. D.* Bauhini, quas ex numero tantum non infinito plantas colligere, & pro ægris miſerabilibus ſervare debeant, ne pro ſanis & ad morbum præſentem pertinentibus, dubia & incerta, alioquin etiam periculoſa adhibeant. Quo in cenſu cùm habeam Chymica pleraque; & verò non nuper publicè accuſatus ſim inſaniæ non proletariæ, qui me quoque inclinem in parietem hunc caducum: volui hoc facto bonis ſapientibuſque ob oculos ponere, quanta mihi injuria fiat.
Nota. Equidem diſertè dico, *Principia quidem Chymica eſſe commentitia, modos autem præparandi tam eſſe varios, ut non poſſint idem præciſè agere in omnibus individuis.* Jamque etiam diſtinguo inter ſubjectum duplex, vegetabile, & minerale, quorum illud quodammodo recipio, hoc totum damno. Recipio aquas & oleo ſtillatitia, ſed uſu moderato. Jam enim & mulieribus innotuit, aquas quidem
Cenſura medicamentorum chymicorum chymieorum mineralium. ſtillatitias propter ἐμπύρευμα, quod pleræque omnes habent, ventriculis quibuſdam ſenſilibibus adeo eſſe adverſas, ut poſt uſum illarum manifeſtam perceperint læſionem, vel ventriculi ſolius, & appenſorum inteſtinorum, vel hepatis, lienis, renum. Olea ſtillatitia, quæ ferè *eſſentias* vocant, tam apertè inimica ſunt, ventriculo quidem membranaceo, abſumendo humidum illius radicale: hepati autem, aliiſque viſceribus ſanguineis, inflammando, aut, ut diſtinctius loquar, φλόγωσιν excitando, ut quidam ſitim perpetuam ſibi accerſiverint, quidam cachexiam bilioſam, quidam hydropem calidum. Ne longè abeam, Spiritus vini noſtras ſive ex fæcibus factus, ſive ex tritico, ſpeltave, ſive ex baccis juniperi, tam eſt infeſtus hepati, ut duorum, triumve menſium ſpatio, colliquatione introducta, hydropem fecerit, quæ omnibus funeſtafuit. Visexempla? Odioſa ſunt. Sufficiat igitur Baccii auctoritas, ex opere *de Vinis* alibi à me producta. Idem faciunt eſſentiæ herbarum calidarum, meliſſæ, abſinthii, fumariæ, ariſtolochiæ, &c. Hinc fit, ut in quibuſdam non quieſcat Natura,

uſ-

uſquedum per vomitum rejecerit. Ut ad mineralia veniam, oleum vitrioli quid facit, etiam paucarum guttarum? Subſidit in fundo vaſis, poſt fortiſſimam etiam concuſſionem: & in ventriculo non fiat idem? Ubi factum eſt, annon ſubitò noxa quoque? Dic tu mihi, qui dubitas, unde in quibuſdam fato functis viſus fuit ventriculus, aut totus quaſi corroſus, aut niger? Et quid miraris? Inſpice ſeorſim ſeptem Chymicorum opera, & invenies, vim, violentiamque ignis implere utramque paginam. Ita loquor: Moderatus quidem ignis gignit, quod teſtantur vel ſolæ fornaces Ægyptiæ: at immoderatus citra controverſiam corrumpit. Corrumpit autem modò in hoc, modò in illud, quod prout fortuitum accipit ab iſtis βαναύσις nomen, ita fortuitum habet uſum. Ex vegetabilibus prodeunt ferè liquores cauſtici, quibus nuſpiam tuto utaris, niſi materiæ alicui ſolidæ per partes minimas ita involvantur, ut coire amplius non poſſint. Ex mineralibus nunquam quidquam indemne exſiſtit. Qui corrigere volunt vegetabilibus alexipharmacis, verbi gratia Theriaca, laterem lavant. Nulla enim proportio eſt inter illa, nec vegetabile ullum domare poſſit vel Antimonium, vel hydrargyrum, vel Arſenicum, vel tale aliquid. Qui confugere ſolent ad ſublimationes, præcipitationes, reverberationes, cohobationes, amalgamationes, eſſentificationes, & neſcio quas alias machinas monſtrificas, tam nihil efficiunt in domanda Stygia illorum malitia, ut jam quidam ex illo ſodalitio ad deſperationem acti, ultro faſſi ſint, *Fruſtra tentari omnia.* Inter hos Fabricius noſter Hildanus *in Ep. ad Doring.* & ex eo Sennertus, *l. Inſt. part.* 3. *ſect.* 3. *c.* 18. *Mercurium vitæ* ipſis dictum, *Mercurium mortis & vitæ æternæ* vocat. Eodem jure *Crocum metallorum.* qui ex Antimonio fit, *Crocum diabolorum* jure appelles. Interim audias laudes tantùm non angelicas, *Univerſales eſſe Medicinas, à ſordibus terrenis ita purgatas, ut jam nihil illis commune ſit cum fæcibus elementorum, cum corruptibili & mortali, uno verbo, corpora mataphyſica, cæleſtia, ætherea, contra omnes deploratiſſimos morbos. cito, tuto, jucunde ex fundamento curandos.* Sed jam me deficit ſpiritus! In his fere regnat Antimonium, ſexcentis præparationibus ita vexatum miraculum, ut deſint illis verba, quibus pro dignitate ornent. Atque ut ſinguli de ſuo ſecreto magnificis elenchis ebuccinant, nocturæ ipſi ad argenti, aurique aucupia nati: ita etiam fere noctu vagantur, ſecreto ditiorum ædes ingrediuntur, omnia tentant, donec ſuccedat aliquid, robori naturæ debitum potius, quàm virtuti medicamenti infamis, nec illud diu duraturum. Sed quò me provehit rei indignitas; Exemplo me abſolvam. Qualis erat *Panacea Amwaldina*? Immortalis SCHERII judicio. VENENUM, quod tamen ille medicamentum *Aſtrale* vocabat. Interim, dicis curatus illo fuit LAURENTIUS RHODOMANNUS in morbo ancipiti, in quo cura Galenicorum fruſtranea diu fuit! Non negat hoc Scherbius, ſed fortuitum fuiſſe ſucceſſum ait, ut fere in *Thermis* ſit & *Acidulis*, præſertim ſi indiſtinctè uſurpentur. Et per Hygièam, quei fieri poteſt per rerum naturam, ut unum medicamentum omnes curet morbos? Sed ubi nunc eſt *Periit cum Opifice ſuo, & unà cum illis agri infiniti.* Simile fatum experiantur omnes Crollii, Quercetani, Turneiſeri, Paracelſi, Lullii, Beguini, & totalii nebulones de turba ciniflonum, quos hîc enumerere labor ſit nimi-

De venenis iſtis Mercurio & Antimonio vide poſt hac ſententiam Authoris, in Paralipomenis, cap. 86. & 90.

mius. Ut fiat, operæ pretium fuerat requirere magiſtratus officium, ut domentur flagitioſa, adeoque immenſa licentia tot carnificum impune graſſantium in vitas & fortunas hominum afflictorum. Ego verò rogo Te, quiſquis es, bonæ mentis vel Medicus, vel Pharmaceuta, vel Chirurgus, confide poſt DEUM conſcientiæ tuæ, quæ per Hippocratem, præcipit tibi, *Morbis non obeſſe, ſi prodeſſe non poſſis.*

Ex Altorphio in Norico, XIV. Kalend. Maii.
Anno M. DC. XLIV.

APPROBATIO DOCTORUM.

NOs ſubſignati Doctores Medici in ſaluberrima Facultate Medica Pariſienſi, teſtamur nos legiſſe libros *de Medicamentis Officinalibus* &c. eruditiſſimi Viri CASPARI HOFMANNI, Medici primi nominis, in Academia Altorfina Norica Profeſſoris, non ſine voluptate & fructu: opus polymitum & palmarium, tam ingentis ſpiritus quàm ſubacti judicii, ad amplificandam & illuſtrandam Medicæ rei ſupellectilem inter cætera comparatum. Maximè autem Reipublicæ literariæ intereſſe profitemur, ut publici juris fiat; & quod unius eſt hominis monimentum, ad multorum uſum perveniat. In ejus rei fidem hoc teſtimonium noſtra manu ſubſignavimus. Lutetiæ Pariſiorum Kal. Auguſti, Anno M. DC. XLVI.

RENATUS MOREAU Doctor Medicus Pariſienſis, & Profeſſor Regius.

GUIDO PATIN, Doctor Medicus Pariſienſis.

CATA-

CATALOGUS PURGANTIUM
LIBRI PRIMI.

PLANTÆ.	PARS USUALIS.
AGARICUS.	*Fungus Larici adnatus.*
Aloë.	*Succus plantæ ſic dictæ.*
Aſarum, ſeu Aſara bacara.	*Radix.*
Bryonia, cujus ſpecies Mechoaca.	*Radix utriuſque.*
Cartamus, ſeu Cnicus.	*Semen.*
Caſſia purgatrix	*Pulpa interior filiquarum, etiam ſiliquæ ipſæ*
Cataputia. *Vide* Eſula.	*conditæ, ut & flos conditus. Semen.*
Cherua, ſeu Ricinus.	
Colocynthis.	*Medulla, fructus, alicubi etiam ſemen.*
Coccognidium. *Vide* Laureola.	
Cucumis aſininus.	*Succus è fructu expreſſus, Elaterium.*
Cyclaminus.	*Radix.*
Diagridium. *Vide* Scammonium.	
Ebulus. *Vide* Sambucus.	
Epithymus.	*Cuſcuta thymi.*
Eſula.	*Radix vel cortex ejus, vel medulla ejuſdem.*
Euphorbium.	*Succus.*
Frangula.	*Cort. arb. int. luteus.*
Fumaria.	*Planta cum floribus.*
Gratiola.	*Planta modò integra, modò folia. modò flores.*
Helleborus albus & niger.	*Radiculæ utriuſque.*
Hermodactylus.	*Bulbus.*
Iris triplex, Flor. Illyrica, noſtra.	*Radix.*
Laureola.	*Cort. ext.*
Lupulus.	*Aſparagi & flos.*
Manna.	*Ros, an ſuccus arb. quarundam?*
Mechoaca. *Vide* Bryonia.	
Mezereon. *Vide* Laureola.	
Myrobolani Arabum.	*Fructus.*
Opopanax.	*Gummi Panacis Herculei.*
Polypodium.	*Radix.*
Prunus hortenſis.	*Fructus, qui Prunum.*
Sylveſtris.	*Flos, & pulpa fructus.*
Pſyllium.	*Semen & mucago ipſius.*
Rha Barb. & Pont.	*Radix.*
Roſæ Ulmenſes.	*Folia exungulata.*
	Flos peculiariter dictus.
Sylv. ſeu Cynosbatus.	*Calix floris.*
	Pulpa fructus.
Sagapenum.	*Gummi plantæ ſic dictæ.*
Sambucus & Ebulus.	*Fructus utriuſque & Cort. rad. utriuſque.*
Sarcocolla.	*Gummi incognitum.*
Scammonium.	*Succus rad. qui correctus Diagridium dicitur.*
Sebeſten.	*Fructus.*
Sena.	*Folia.* Alicubi *folliculi.*
Soldanella.	*Folia.*
Spina cervina.	*Fructus.*

PLANTÆ.	PARS USUALIS.
Tamar-Indi.	*Fructus.*
Tutbith.	*Cortex.*
Viola Martia.	*Flos, ſemen & folia, quæ Violariæ dicuntur.*

Finis Catalogi Libri primi.

CATALOGUS ALTERANTIUM
LIBRI SECUNDI.

A.

ABIES. *Reſina.*
Abrotonum, mas & fem. *Coma.*
Abſinth. Pont. ſeu Rom. & Vulg. *Modò coma, modò flores ſoli.*
Acacia Germ. *Pulpa prunorum ſylveſtr. quorum & ſtos expetitur.*
Ægyptia. *Pulpa Acaciæ veræ, cujus etiam Gummi uſurpatur.*
Acorus verus.
pſeud. Acorus. *Radix utriuſque.*
Acetoſa &
Acetoſella. *Succus, è quo Syr.*
Aconitum. *Radix.*
Adiantum. *Tota planta.*
Agnus caſtus, ſeu Vitex. *Fol. & ſem.*
Agrimonia. *Herba.*
Alcanna, ſeu Lig. Germ. *Flores.*
ſeu Lig. Æg. quod Cyprus. *Folia.*
Alſine, quæ & Aur. muris, & Piloſ. *Tota planta.*
Althæa & Alcea. *Totæ plantæ.*
Alchimilla, ſeu Sanicula major. *Herba.*
Aleluja, ſeu Lujula. *Herba.*
Allium vulg. & Victorialis d. *Rad. utriuſque.*
Ammi. *Semen.*
Ammoniacum. *Gummi.*
Amomum. *Sem.*
Amygdalus. *Fructus.*
Anacardi. *Fructus.*
Anagallis arvenſis & aq. *Herba utraque.*
Anchuſa. *Rad.*
Anethum. *Herba flos, ſem.*
Angelica. *Rad. & ſem.*
Anaïmo. *Gummi.*
Aniſum. *Sem.*
Anonis ſeu Reſta bovis. *Herba & rad.*
Anſerina ſeu Potentilla. *Herba.*
Anthemis. *Vide* Chamæmelum.
Anthophylli. *Vide* Charyophylli.
Apium, quod eſt Helioſ. Dioſc. *Rad. ſem. ſuccus.*
Hortenſe, ſeu Petroſ. vulg. *Herba ſem. rad.*
Peregrinum, quod eſt Maced. vet. *Sem.*
Aquilegia. *Sem.*
Ariſtolochia longa & rotunda, utraque vera. *Rad.*
Rotunda adulterina, quæ & Rad. cava. *Rad.*
Arnogloſſum. *Vide* Plantago.
Artemiſia. *Herba.*
Arum, ſeu Luph. planum & criſpum, quod hoc eſt Dracunculus major Matth. *Rad.*
Aſpalathus. *Lignum.*
Arundo vulg. *Rad.*
Saccharina. *Succus plantæ, qui Saccharum.*
Aſparagus. *Rad. & ſem.*
Aſphodelus. *Rad.*
Aſplenium, ſeu Ceterach. *Herba.*
Aſa dulcis ſeu Benzoin fætida. *Gum.*
Atriplex. *Herba & ſem.*
Avena. *Sem.*

B.

BAlauſtrium, eſt *Flos mali gran. ſylv.*
Balſamum. *Succus plantæ ſuæ qui Opobalſamum.* Ita *Carpobalſ.* & *Xylobalſ.*
Balſamita. *Vide* Mentha balſ.
Bardana. *Vide* Lappa major.
Baſilicum ſeu Ocymum triplex. Vulg. Citratum & Caryoph. *Semina.*
Baucia, Paſt. tenuif. ſpecies. *Semen.*
Bdellium. *Gum.*

Be-

CATALOGUS ALTERANTIUM LIBRI SECUNDI.

Bedeguar, Cardui ſpecies. *Rad.*
Behen album & nigrum. *Rad.*
Ben, ſeu Glans unguentaria. *Fructus.*
Beta nigra (Sicla & Cicla) alba & rubra. *Fol. & rad.*
Betonica. *Herba cum flore.*
Biſtorta. *Rad.*
Blitum. *Herba.*
Bombax ſeu Goſſipium. *Sem.*
Borrago & Bugloſſum. *Herbæ flores rad.*
Branca urſina, ſeu Oſtrutium. *Herba.*
Brunella. *Herba cum flore.*
Braſſica. *Fol. & ſem.*
Bugula. *Herba cum flore.*
Burſa paſtoris. *Herba.*
Buxus. *Lignum.*

C.

Calamintha. *Herba.*
Calendula ſeu Caltha. *Flos.*
Calamus odoratus. *Herba.*
Capparis. *Flos & cortex rad.*
Caprifolium ſeu Matriſylva. *Folia.*
Caranna. *Gum.*
Cardopatium, ſeu Carlina. *Rad.*
Capillus-Ven. *Herba.*
Cardamomum majus, minus, medium. *Semina.*
Card. bened. *Herba & ſem.*
Mariæ. *Herba.*
Carum vel Carui. *Sem.*
Caryophylli. *Fructus.*
Caryophyllus, ſeu Herba tunica. *Flos.*
Caryophyllata. *Rad.*
Caſſia, deterius Cinnamomum. *Cortex.*
Caſtanea. *Fructus cum cort. int.*
Cauda equina, ſeu Equiſ. *Herba.*
Cæpa. *Rad. & Sam.*
Centaurium majus. *Rad.*
minus. *Herba.*
Centinodia ſeu Polygonum. *Herba.*
Cetrach. eſt Aſplenum.
Ceraſa. *Fructus, & Gum.*
Chæref. ſeu Ceref. *Herba.*
Chamæciſſus ſeu Hed. ter. *Herba.*
Chamædrys ſeu Triſſago. *Herba.*
Chamæm. duplex, Noſtrum & Rom. *Flos.*
Chamelæa & Thymelæa, quarum locum habent folia quidem *Laureolæ*: fructus autem baccæ ejuſdem, cum nomine *Coccognidii.*
Chamæpitys ſeu iva arthritica, ſeu Ajuga. *Herba.*
Cheiri fl. Leucoii lutei.
Chelidonium majus. *Herba.*
minus. *Rad.*
Chermes eſt *Coccus baphica* Dioſcor. exilice.
China. *Rad.*
Chryſanthemum. *Flos.*
Cicerbita ſeu Sonchus. *Herba.*
Cicer. *Sem.*
Cichorium. *Herba, flos, rad.*
Cicuta. *Herba, ſem. rad.*
Cinnamomum. *Cortex.*
Ciſtus, unde *Hypociſtis* & *Ladanum.*
Cochlearia. *Herba.*
Colophonia. *Gum.*
Conſolida major. *Rad.*
minor, media & regia. *Herba.*
Saracenica. *Folia.*
Corallina. *Ipſa planta.*
Coriandrum. *Sem.*
Corrigiola eſt *Centinodia* ſeu Polyg.
Corylus, ſeu Avelana. *Nux.*
Coſtus. *Rad.*
Cotula fœtida. *Herba.*
Craſſula major.
minor. *Herba.*
Chrithmum ſeu Crethmum. *Rad.*
Crocus. *Floris ſtamina.*
Cubebæ. *Sem.*
Cucumis, Melo, Pepo, Citrullus, Cucurbita. *Semina omnium.*
Cuminum Rom. ſeu Orientale.
ruſt. ſeu ſylv. *Semen.*
Cupreſſus. *Nux.*
Cucurma. *Rad.*
Cuſcuta. *Herba.*
Cydonia. *Poma cum ſem.*
Cynogloſſum. *Rad.*
Cyperus longus & rotundus. *Rad. utriusque.*

D.

Daphnoides eſt Laureola.
Daucus duplex, Cret. & noſter, & ſylv. *Sem. utriuſque.*
Dictamnus duplex, Creticus. *Herba.*
albus, quæ *Fraxinella. Cort. Rad.*
Doronicum. *Rad.*

E.

Elemi. *Gum.*
Empetron eſt Centinodia.
Endivia. *Fol. rad. ſem.*
Enula ſeu Helenium. *Rad.*
Eruca & Sinapi. *Sem. utriuſque.*

Ervum, ſeu Orobus. *Sem.*
Erythrodanum eſt Rubia tinct.
Eupat. Dioſc. Agrimonia,
Meſ. eſt Ageratum Dioſc. *Herba.*
Avic. eſt Cannabina aq.
Euphraſia. *Herba.*

F.

FAba. *Sem.*
Ficus, & Caricæ. *Fructus.*
Filipendula. *Rad.*
Filix mas, femina, & Oſmunda dicta. *Rad. omnium.*
Fœniculum vulg. dulce, Barb. & Italium. *Semina.*
Fœnugræcum. *Sem.*
Folium eſt Malobatrum dictum.
Fragaria. *Herba & Fructus.*
Fraxinus. *Sem. quod lingua avis dicitur.*
Fuſti ſunt pediculi Caryophyll.

G.

GAlanga major & minor. *Rad.*
Galbanum. *Gum.*
Galega ſeu *Ruta capraria.* *Herba.*
Galion. *Herba.*
Galla, quercus excrementum.
Gallitrichon eſt *Hormini* ſpecies.
Geranium triplex, *Rob. Columb. Batrach. Herbæ.*
Glycyrrhiza. *Rad. & ſuccus.*
Gramen. *Rad.*
Grana Paradiſi ſunt *Cardam majus.*
Granatum, ſubint. *Pomum.*
Guajacum, quod ſimpliciter *Lignum* dicimus.
Gum. Arab. eſt *Acacia Ægypt.*

H

HArmel. Vide *Ruta.*
Hedera. *Fol. & Gum.*
Helenium eſt *Enula* dicta.
Heliotropium. *Succus in Tornefole.*
Hemerocallis ſeu Martagon. *Rad.*
Hepatica aurea,
ſtellaris ſeu Matriſ. *Herbæ.*
petræa ſeu Lichen.
Herba paris. *Fol. cum baccâ.*
tunica, ſeu Caryophylli flos. *Flos.*
Trinitatis. *Herba cum flore.*
Herniaria. *Tota.*
Hirundinaria ſeu Vincetoxicum. *Herba.*
Hordeum. *Granium ipſum.*
Horminum, cujus ſpecies hort. *Sclarea dicitur*, ſylv. quæ *Gallitrichum.* *Herbæ.*

Hypericum ſeu *Perforata.* *Herba.*
Hyoſcyamus albus & niger. *Herbæ & ſem.*
Hyſſopus. *Herba.*

I.

JAcea eſt Herba Trin.
Ilex dat nobis *Chermes* ſeu *Coccum baphicam.*
Jaſminum. *Flos.*
Imperatoria. *Rad.*
Intybus eſt Endivia.
Jujubæ. *Baccæ.*
Juniperus. *Lignum. gum. baccæ.*

L.

LAcca. *Gum.*
Lactuca. *Fol. ſem. ſuccus.*
Ladanum, ex *Ciſto* gummi.
Lapatum acutum. *Herba. rad. ſem.*
Lappa major eſt *Bardana.*
minor eſt *Xantium.* *Herbæ.*
Larix. *Reſina.*
Lavendula duplex. *Flos utriuſque.*
Laurus. *Baccæ, & fol.*
Laureola eſt Mezereon. *Folia & fructus.*
Lentiſcus. *Germ. quod Maſtix.*
Lens. *Sem.*
Leucoium ſunt Cheiri. *Flos.*
Leviſt ſeu Liguſt. *Herba, ſem. rad.*
Lichen eſt *Hepatica petræa.* *Herba.*
Lichuſtrum eſt *Alcanna Germ.* *Flos. rad.*
Lignum aloës ſeu *Agallochum.*
Braſilium, cujus ſpecies *Bugia.*
Lilium album. *Rad. & flos.*
aureum eſt *Hemerocallis*, & *Martagon.*
convallium. *Floſculus.*
Lingua avis eſt ſem *frax.*
cervina eſt *Scolopendrium.* *Herba.*
Linum. *Sem.*
Linaria. *Herba.*
Lithoſpermum. *Sem.*
Lotus ſylv. *Siebangezeit.* *Herba cum ſem.*
Lupulus. *Aſpargus. flos.*
Lycium. *Gum.*

M.

MAcis. *Nucis moſch. cortex medius.*
Magiſtrantia eſt *Imperatoria.*
Malabatrum eſt *Folium.*
Malva. *Herba.*
Malva hybiſcus, ſeu Biſmalva. *Herba, rad. flos, ſem.*
roſea, ſeu arborea. *Fol. flos.*
agreſtis eſt *Alcæa.*

Mal-

Malus & Pyrus. *Malum & Pyrum.*
aurantia & citria. *Malum cum cort. & acido.*
Perſica & Armeniaca. *Malum cum nucleo.*
Mandragora. *Cort. rad.*
Marrubium Creticum & Vulgare. *Herba utraque.*
Marum eſt Majorana nobilis. *Herba.*
Matricaria. *Herba cum fl.*
Matriſylvia, modò eſt Hepatica ſtellaris, *Baldmacke*: modo Periclymenum, *je langer je lieber.* Ibi *herba* uſurpatur: heic *flos & folia.*
Melilotus vulg. & nob. *Herbæ cum florib.*
Meliſſa vulg. & Turcita. *Herbæ cum fl.*
Mentha dividitur in *Mentham* & *Calaminthem.*
Mentha iterum vel *criſpa* eſt, vel *rubra*. ut Rom. quæ & *Menthæ balſ.* vel alba, quæ *Menthaſtrum*: vel *Cataria*, ſpecialiter, *Nepeta* proprio nomine. *Herbæ.*
Mentha Græca eſt *Conſolida Saracenica.*
Mercurialis, mas & femina. *Herbæ.*
Meſpilus. *Fructus cum oſſ.*
Méum, ſeu fœnic. porcinum. *Herba.*
Mezereon eſt *Laureola* vel *daphnoides.*
Millefolium. *Herba cum fl.*
Morſus diaboli eſt *ſcabioſæ* ſpecies.
Morus baſſus & celſus. Eſt autem hic quidem *Morus* arbor; quæ mora fert alba & nigra: ille autem *Rubus Idæus*, quæ impropriè dicta, *Seroheer.*
Muſcus arboreus, Mioſt.
pulmonarius, *Lungenkrautt.*
Sax. Lichen, *Steinleberkraut.*
Myrrha. *Gum.*
Myrtus.
Myrtyllus. *Baccæ.*

N.

NApus ſeu Bunias. *Sem.*
Nardus Indica. *Totum.*
Celtica. *Herba cum flore.*
Narciſſus. *Rad.*
Naſt. album ſeu hort. *Herba & ſem.*
agr. quod *Siſymbrium* alicubi dicicitur, alicubi *Sium.* *Herba.*
Nicotiana ſeu Tabacum. *Folia.*
Nigella Rom. ſeu ſativa, Disbrarther Coriander. *Sem.*
ſylv. *Gith. Nigellaſtrum*, *Raten.* *Sem.*
citrina olim erat. *Cartam. minimum.*
Nux Avellana, Indica, Juglans, moſchata, Metel. Vomica.
Nymphæa alba & lutea. *Flos, fol. rad.*

O.

OCymum eſt *Baſilicum.*
Olea, *Fructus*, qui *Oliva* dicitur & inde expreſſum *Oleum.*
Ononis. *Vide* Anonis.
Ophiogloſſum. *Totum.*
Origanum Cret. & vulg. *Herbæ cum fl.*
Oriza.
Oſtrutium eſt vel *Imperatoria*, vel *Branca urſ.*
Oxalis eſt *Acetoſa.*

P.

PÆonia. *Rad. flos ſem.*
Palma. *Fructus*, qui *Dactylus.*
Papaver hort. *Capita cum ſemine maturo, & ſuccus*, qui vel *Opium*, vel *Meconium dicitur.*
erraticum ſeu rhœas. *Flos.*
Parietaria. *Herba.*
Paſtinaca tenuif. ſat.
ſylv. quæ *Daucus.* *Sem.*
Pentaphyllon, ſeu Quinquef. *Rad.*
Perfoliata. *Sem.*
Perforata eſt *Hypericum.*
Periclymenum. Vide *Apium.*
Peucedanum. *Rad.*
Phu. Vide *Valeriana.*
Picea & Pinus. *Reſinæ.*
Piloſella eſt *Alſine.*
Pimpinella *Sanguiſorba* & *ſorbaſtrella.* *Rad. & ſem.*
Piper rotundum, album & nigrum. *Sem. ipſum.*
Æthiopicum.
Piſtacia, corruptè *Fiſtichi.* *Fructus.*
Pix, vulg. & navalis.
Plantago major & minor. *Folia*
Polium mont. *Herba*
Polygonum eſt Centinodia.
Polygonatum ſeu Sig. Sal. *Rad.*
Populus alba & nigra. *Oculi dicti.*
Portulaca. *Sem.*
Potentilla eſt Anſerina.
Primula veris. *Folia & flos.*
Pulegium. *Herba.*
Prunella, eſt Conſolida minor. *Herba.*
Pyrethrum. *Rad.*

Pyrola. *Herba.*

Q.

Quercus. *Glans*, *cupula*, *galla*, *viſcum.*

R.

Ranunculus prat. *Flos & radix.*
bulboſus. *Rad.*
Rapum. *Rad. folia & ſem.*
Rhaphanus ruſt. *Eadem.*
Rhaponticum. Vide *Cent. majus.*
Rus, ſeu Sumach. *Sem.*
Ribes Arabum. *Bacca.*
Roſmarinus *Herba & flos*, qui *Anthos.*
Rubia tinctorum eſt *Erythrodanum.*
Ruſcus, qui corruptè *Bruſcus*, *rad. & ſem.*
Ruta domeſtica. *Her. & Sem.*
ſylv. quæ Harmel. *Sem.*

S.

Sabina, ſeu Savina. *Rami.*
Sampſuchus eſt Majorani.
Salvia Cretica & noſtra. *Herba & flos.*
cruciata & minor. *Eadem*
ſylv. quæ alicubi *Nepeta.*
Sandaraca eſt Juniperi gummi.
Sanicula major eſt *Alchimilla.*
minor eſt *Diapenſia.*
Sarſa pariglia. *Rad.*
Saſſafras. *Lignum.*
Satureia. *Herba.*
Satyrium, Teſticulus vulp. *Rad.*
Saxifraga alba. *Rad.* ſeu quæ *Sem.* dicitur.
Scabioſa Hiſp. & noſtra. *Herbæ cum fl.*
Scariola, *Cichorii* ſpecies.
Scilla. *Rad.*
Scolopendria eſt *Lingua cervina.* *Herba.*
Secacul. *Rad.*
Sempervivum majus, *Craſſula.*
minus, *Vermicularis.* *Herbæ.*
Senecio minor, qui & *Erygeron.* *Herba.*
Serpyllum. *Herba.*
Seſamum, quod apud nos *Myagrum* eſt. *Semen.*
Sicla ſive Cicla eſt *Beta nigra.*
Siler mont. *Sem.*
Sion aq. eſt *Naſt. aq.* ſeu *Siſymbrium.* *Herba & Sem.*
Sinapi. *Sem.*
Siliqua dulcis, Ceraſtium. *Fructus.*
Solanum halicacabum ſeu *alkekengi.* *Baccæ.*
Hort. *Herba cum fl.*
Sonchus. *Herba.*
Spica nardi ſeu Lavendula odoratior. *Flos.*
Celtica ſeu Rom. eſt Nardus. *Herba.*
Indica. *Herba.*
Staphis-agria. *Sem.*
Stœchas Arabica. *Capitulum.*
citrina ſeu noſtra. *Herba tota.*
Symphytum majus eſt *Conſolida major.*

T.

Tacamahaca. *Gum.*
Tamariſcus. *Lignum cum cort.*
Tanacetum vulg.
Angl. *Herbæ.*
Taraxacum. *Folia cum rad.*
Terebinthus. *Reſina.*
Thapſia. *Rad.*
Thlaſpi. *Sem.*
Thus. *Gum.*
Thymbra. *Sem.*
Thymus Cret. & vulg. *Herba.*
Tilia. *Flos.*
Tormentilla. *Rad.*
Tragacantha. *Gum.*
Tribolus aq. *Nux.*
Trichomanes. *Herba.*
Trifol. bituminoſum. *Herba.*
Tunica. *Vide* Herba tunica.
Triſlago. *Vide* Chamædrys.
Triticum.

V.

Valeriana vulg. & Pontica. *Rad.*
Verbaſcum. *Folia & fl.*
Veronica. *Herba.*
Vinca pervinca. *Herba.*
Virga aurea eſt inter *Conſolidas.*
paſtoris eſt *Dipſacus.*
Vincetoxicum. *Rad.*
Viſcum quernum. Vide *Quercus.*
Vitex eſt *Agnus caſtus.*
Vitis vinifera, hinc *Paſſullæ* majores, quæ *Zibebæ*, & minores, *Vinum*, *Acetum*, *Agreſta*, *Folia ſeu pampini.*
Ulmus. *Cortex.*
Urtica Rom. & noſtra. *Sem.*

X.

Xyloaloë, ſeu *Lignum Paradiſi.*

Z.

Zedoaria.
Zerumbeth ſeu Zurumbeth. *Rad.*
Zingiber.

F I N I S.

CATA-

CATALOGUS
OMNIUM MEDICAMENTORUM
OFFICINALIUM QUÆ CONTINENTUR
in Libr. Tertio, ſive τῶν Paralipomenων.

DIVISIO OPERIS.

SECTIO I.

DE totis Animalibus.
De Viperis. Cap. 1.
Trochiſci Viperini, ſeu Theriaci. cap. 2.
Theriaca Andromachi, cap. 3.
Theriaca ſine Viperis, cap. 4.
De Ranis, cap. 5.
De Erico, cap. 6.
De Mumia, cap. 7.
De Gallinis, Caponibus & Gallis, cap. 8.
De Hirundinibus cum nido ſuo, cap. 9.
De Hirudinibus, cap. 10.
De Cancris marinis, cap. 11.
De Lumbricis terreſtribus, cap. 12.
De Vulpe, cap. 13.
De Formicis, cap. 14.
De Scorpionibus, cap. 15.
De Scinco marino, qui & Crocodilus terreſtris, cap. 26.
De Cantharidibus, cap. 17.
De Aſellis aquariis, cap. 18.

SECTIO II.

DE partibus Animalium, & primum de Cranio. cap. 19.
De pulmone Vulpis, cap. 20.
De Hepate & inteſtino Lupi. cap. 21.
De Oſſe Cordis Cervini, cap. 22.
De Cornibus Cervinis, cap. 23.
De dentibus Elephanti, ſeu Ebore, cap. 24.
De Unicornu, cap. 25.
De Rhinocerote, cap. 26.
De Alces cornibus & unguibus, cap. 27.
De Caſtorio, cap. 28.
De mandibulis Lucis, oculis Cancri, & lapidibus Percarum, piſcis Cyprini, &c. cap. 29.
De interiore tunica ventriculi gall. &c. cap. 30.
De Leporis pilis & talo. cap. 31.
De ſanguine hircino, cap. 32.
De Oſſe Sepiæ, cap. 33.

SECTIO III.

DE Excrementis animalium, cap. 34.
De ſerico crudo, cap. 35.
De lapide Bezoar, cap. 36.
De lapide fellis bovini, cap. 37.
De Moſcho, odoramento, cap. 38.
De Zibbetto, cap. 39.
De pinguedinibus & medullis oſſium, cap. 40.
De ſtercore canino, caprillo, columbino, &c. cap. 41.
De Lana ſuccida & Oeſypo, cap. 42.

DE
METALLIS ET METALLICIS.

SECTIO I.

QVæ eſt de Terris, cap. 43.
De Terra Lemnia, cap. 43.
De Terra Sigillata Sil. cap. 45.
De Bolo Armeniaca, cap. 46.
De Creta, cap. 47.
De Marga & medulla Saxorum, cap. 48.

SECTIO ALTERA.

DE Sale, Nitro, Alumine & congeneribus. De Sale, cap. 49.
De Sale Hammoniaco, cap. 50.
De Sale Gemma, cap. 51.
De Sale Theriacali, cap. 52.

De

De Nitro, Nitri-ſpuma, & Aphro-nitro, cap. 53.
De Tartaro vini, cap. 54.
De Borace, cap. 55.
De Alumine ſciſſili, rupeo & plumoſo, cap. 56.
De Chalcantho ſeu Vitriolo, cap. 57.
Auctarium de Vitriolo albo.
De Chalcitide, Miry, Sory & Melanteria, cap. 58.

SECTIO III.

De pinguedinibus metallicis, & primum de Sulphure & Minio, cap. 59.
De Bitumine, cap. 60.
De Piſſ-aſphalto, cap. 61.
De Petr-oleo, cap. 62.
De Camphora, cap. 63.
De Ambaro, ſeu Ambrâ-griſeâ, cap. 64.
De Succino, ſeu Ambracitrina, cap. 65.
De Spermate Ceti, cap. 66.
De Arſenico & Riſagallo, ſeu Realgar, cap. 67.
De Sandaracha, cap. 68.

SECTIO IV.

De Lapidibus & Gemmis, & primum de de Calce, cap. 69.
De Gypſo, cap. 70.
De Talco, cap. 71.
De Alabaſtro, cap. 72.
De Pumice, cap. 73.
De lapide Judaïco, cap. 74.
De lapide ſpeculari, cap. 75.
De lapide Lazuli, cap. 76.
De Magnete, ſeu Magnetide, cap. 77.
De Hæmatite, cap. 78.
De Actite, cap. 79.
De Smaragdo, Saphiro, Rubino, Hyacintho, Sarda ſeu Carneolo, Jaſpide, Carbunculo Cryſtallo, Granato, cap. 80.
De Margaritis ſeu perlis, cap. 81.

SECTIO V.

De Metallis perfectis, & primùm de Auro & Argento foliato, cap. 82.
De ære & æris flore, cap. 83.
De Ferro & Chalybe, cap. 84.
De Plumbo, cap. 85.
De Hydrargyro, ſeu Argento Vivo, quod Chymici Mercurium vocant, cap. 86.

SECTIO VI.

De metallorum excrementis, & primum de Pyrite, ſeu Marcaſita, cap. 87.
De Scoria æris, argenti, ferri, & plumbi, cap. 88.
Auctarium de Vitro,
De Lithargyro, ſeu ſpuma argenti, cap. 89.
De Stibio ſeu Antimonio, cap. 90.
De Squama æris & Chalybis, cap. 91
De Ærugine, ferrugine & rubigine, cap. 92.
De Ceruſſa & Sandyce, cap. 93.
De Cadmia, quæ eſt Tutia Arabum, cap. 94.
De Pompholyge. cap. 95.
De Spodio, cap. 96.
Epidorpis de aquis, tam dulcibus quàm medicatis, cap. ultimum.
De Melle, cap. extraordinarium.
De Cera & Propolide, Appendicula.

FINIS.

CASPARI HOFMANNI
DOCTORIS MEDICI,
DE
MEDICAMENTIS
OFFICINALIBUS,
TAM SIMPLICIBUS QUAM COMPOSITIS,
LIBRI DUO.

Acceſſere quaſi Paralipomena, quæ vel ex animalibus, vel ex mineralibus petuntur.

LIBRI I. CAPUT I.
DE PURGANTIBUS.

I. TO' καθαίρειν, *purgare*, unde φάρμακον καθαρτικὸν, quatuor ſignificat. Nam *impropriè* & latiſſimè accepto vocabulo, ſignificat omne id, quod quomodocumque, & per quascumque corporis vias, educit quæcumque corporis excrementa, quomodo & diuretica, & errhina, &c. *Purgans. Preſſiùs*, ſed tamen adhuc *impropriè*, dicitur id, quod vel ſurſum vel deorſum, hoc eſt vel per vomitum, vel per ſedem vacuat. *Preſſiùs* iterum, quod vel leniendo, vel abſtergendo, vel emolliendo, vel denique electivè, ut loquimur, hunc, illumve humorem ducit. *Preſſiſſimè* & *propriè*, quod electivè tantùm, vel pi-

tuitam,

tuitam, vel bilem alterutram. Hinc quædam illorum φλεγμαγωγὰ dicuntur, quædam χολαγωγὰ, quædam μελαναγωγά.

II. Quo loco id monendum, *Purgantia*, præter hanc facultatem propriam, habere etiam communes quasdam, *alterandi* ſcilicet, vel ad caliditatem, vel ad frigiditatem, &c. abſtergendi, attenuandi, &c. Primùm igitur explicabo qualitates *primas*, hoc eſt caliditatem, frigiditatem, &c. Deinde *ſecundas*, quæ ſunt actiones ſimplices, adſtringere, attenuare, &c. Tertiò, *actiones compoſitas*, ſeu totas, ut urinam & menſes ducere, &c. Tandem *quartas*, ad quas etiam actio purgatoria pertinet. His omnibus jungam *Modum ſubſtantiæ*, ut Valeſius vocare ſolet, in quibus ille compertus eſt.

III. Et quia in primis præcipuè qualitatibus eſt latitudo quædam; illa verò à Medicis vetuſtis diremta eſt in quatuor manſiones, quarum *prima*, eorum eſt, quæ tam tenuiter agunt res ſuas, ut ratione potiùs deprehendantur quàm ſenſu, v. g. Calida in primo gradu; *ſecunda* eorum, quæ evidenter, & ad ſenſum id faciunt, ut Calida in ſecundo; *tertia*, quæ evidentiſſimè, ut Calida in tertio; *quarta*, quæ jam urunt, & καυςικὰ dicuntur Græcis: ſignificabo id quoque.

CAPUT II.

DE AGARICO.

I. AGARICUS in Officinis duplex eſt, arboreus & foſſilis, ſeu petræus. De hoc, (qui & *Lac Lunæ* dicitur, quod in juſculo exhibitus credatur copiam lactis facere,) videris Imperatum, *lib.* V. *Hiſt. nat. cap.* 41. non ago, ago autem de *illo* ſolo. Dici hunc ab *Agariâ*, Sarmatiæ vel regione, vel urbe, vel amne, certum eſt: ſed cujus *Sarmatiæ?* Quia 1. *Antid.* 7. in Theriaca Andromachi, filii, deſideratur *Agaricus Ponticus*, inclino ad *Aſiaticam*. *Pontus* enim à Septentrione habet mare *Euxinum*, quod ipſum attingunt *Sarmatæ Aſiani*. Quò facere poteſt, quod Dioſc. ait in *Galatia Aſiæ* (minoris) & *Cilicia* naſci. Quò minus cogitari poteſt de noſtra vel *Rhætia*, vel *Norico*. Sed quid eſt *Agaricus arboreus?* Probo etiamnum correctionem Galeni, Notis in eundem, ex Aëtio & Paulo, ἀγαρικὸς ἡ ῥίζα ἐςὶ (& hoc eſt τὸ φέρεται Dioſc.) ὁ ἐπίφυσις πρέμνȣ. Oportet autem τὸ ἐπίφυσις explicare, non de parte aliqua eſſentiali, qualis folia ſunt & fructus, ſed de accidentali, qualis *fungus*, ut diſertè Plinius.

II. Adnaſcitur apud nos plerunque *Larici*, quæ arbor eſt Græciæ hodiernæ incognita, non diſſimilis alioquin Cedro coniferæ, ut Rauwolf. ſcribit *in ſuo Itinerario*. Dixi *plerumque*, Matth. enim, licet ex aliena fide, quercubus etiam & ilicibus tribuit.

III.

III. Dioſc. *l.* 3. *c.* 1. Plinius *l.* 25. *c.* 9, diſtinguunt in marem & fæminam, quorum hanc præferunt illi.

IV. Eligunt Agaricum, qui quinque habeat conditiones. 1. Qui ſit albiſſimus. 2. Qui leviſſimus. 3. Qui confractus non habeat multas fibras. 4. Qui rarus & friabilis ſit. 5. Qui guſtu primùm ſit dulci, mox ſubamaro, tandem acri, cum aliqua adſtrictione.

V. Verùm, heic quædam controverſa ſunt, quædam ulterius explicanda. Candor tam eſt neceſſarius, ut, qui niger prorſus eſt, ſit in numero venenorum, cenſore Dioſc. *l.* 6. *c.* 33. Ita autem habet ſe res. Quò longiùs ab arbore recedit, eò candidior eſt: at, qui ſtirpi proximus eſt, trahit aliquid de nigredine corticis, quin ferè lignoſior eſt, ideoque minus friabilis. Id ipſum habet aliquid putrilaginis, & facit, ut totum ad tactum diſſiliat. Levitas non minùs neceſſaria eſt, & pendet à ſubſtantia minus denſa, lignoſaque. Contrà, ſubſtantia denſior affert ſecum fibras copioſas. In raritate & friabilitate ſumma cautio eſt. Hinc enim ſunt duo extrema, quorum alterum damnat Dioſc. *l.* 3. alterum Meſue 2. *Purg.* 3. Non debet flaccidus eſſe Agaricus, & qui ad levem contactum fatiſcat in pulverem: ſed qui, adhibitâ vi, non difficulter pulveriſetur. Cum hoc proximè cohæret, ut pulveriſatio ſit modica. Tenuiſſimè enim tritus eſt venenum: contrà, ſi particulæ quædam relinquantur, adhærent ventriculo & inteſtinis, nec minus incommodi habent quàm Colocynthis, ut ſuo loco dicetur. Hoc vel inprimis fit, ſi poſt infuſionem coletur per pannum rariorem. Propter eandem cauſam, cùm ad Theriacam pulveriſatur, faciendum id ſeorſim ab aliis medicamentis, ut fibræ craſſiores eximi poſſint.

VI. Hoc obſervandum etiam in *Agarico* tam *Trochiſcato*, quàm *Præparato* dicto. Horum neuter aptus eſt ad infuſiones, ut Ferrerius docet in Caſtig. Uterque enim amiſit magnam partem facultatis purgatoriæ. An fallitur homo? Non enim ulla præceſſit maceratio, ſed pulveriſatus Agaricus, vel cum Syr. aceto ſo, vel cum vino generoſo redigitur in maſſulas rotundas. Hoc verò fit ideo, ut, cùm in ſubſtantia damus, gravitatem aliquam illi conciliemus, alioquin, ob levitatem ſuam, facilè in ventriculo ſupernataturo reliquis medicamentis, & vomitum provocaturo.

VII. De ſaporibus verba ſunt Gal. 6. Simp. *Primo quidem guſtu dulcis quodammodo eſt, ſed paulò poſt ſub amarus apparet, & acrimoniæ quandam ſpeciem, temporis ſpatio inducit, leviculæque adſtrictionis.*

VIII. Quibus ex verbis apparet, de primis quidem qualitatibus rectè ſcripſiſſe Meſue, calidum eſſe in primo, ſiccum in 2. ut opponi poſſit cruditatibus, torminibus & lumbricis: in ſecundis autem facultatibus vim habere digerendi, attenuandi, incidendi, abſtergendi & deobſtruendi, & quidem cum aliqua adſtrictione (unde apparet partium heterogeneitas, ut ſic dicam) quà tonum reddit viſceribus debilitatis. Hinc laudatur in ictero & hydrope, in calculoſis, in omnibus, in quibus humores craſſi & viſcoſi.

IX. Miraculo penè dignum eſt Galenum vix meminiſſe facultatis purgatoriæ, quam tamen rectè celebrat Dioſc. Hodie, autoritate Arabum; eſt inter ea, quæ purgant craſſam pituitam, idque facit cum infuſione, tum decoctione (quarum utraque debet eſſe mediocris) potiùs quàm in ſubſtantia, in quà minùs tutus ipſius uſus eſt, propter vitium, de quo dixi.

X. Datur in ſubſtantia à ʒj. ad ij. in decocto, & infuſione à ℥ij. ad v. *Correctorium* ejus apud Practicos eſt Zingiber & ſal gemmæ. *Prohibent* iidem *gravidis*, quod menſes cieat. Inter Agar. Troch. ſeu Troch. de Agar. & Præparatum hoc intereſt, quòd illius ʒj. tantum facit, quantum hujus duæ. De pil. de Agar. Meſue tenuiter ſentio. Non enim rectè correcta ſunt purgantia.

XI. De vi alexiteria addam hæc pauca, videtur vel nulla eſſe vel perexigua. Adſtringit enim Galenus ad animalia κατὰ ψύξιν (ita enim ſcrib. eſt) ἀδικοῦντα, & foris impoſitum, & intus datum. At verò calor ejus tantillus eſt. In Theriaca quod facit, incidendo, abſtergendo, &c. facit.

CAPUT III.

DE ALOE.

I. Quàm notus fuerit ſuccus olim plantæ hujus cognominis, non eſt opus verbis. Planta hodie eſt duplex, vulgaris, ſeu Indica, ex India Orientali, & Americana, ex Occidentali, tam Septentrionali, quæ Mexico eſt, quàm Meridionali, quæ Perù. Differunt, quod poſterior hæc ſpinis eſt armata purpureis, iisque fortiſſimis, quibus fibræ adhærent, unde Hiſpanis *Fily Agulla* dicitur, filùm & acus. Alterutra fuit, quæ Avenione crevit 1599. apud Cluſ. *Curis poſt.* f. 120. Ut mirer illam Bauh. *in Itin.* agnoſſe pro tertia ſpecie.

II. Amplius miror, *Stratioten paluſtrem* huc trahi! Utut enim cognationem quandam habere cum *Aizoo* ſeu *Sempervivo*, non negem: (hinc in Stœchadibus inſulis, auctore Quiquerano, l. de laudibus Provinc. c. 59. *Sempervivum marinum* dicitur) velim tamen Semperviva ab Alois diſtincta, ut ſunt hoc ipſo Bauhini loco. Ampliſſimè miror, quamvis id hujus loci non ſit, quomodo *Stratiotes* in eodem Pin. degenerare poſſit in *Lenticulam paluſtrem!* Quæ enim foliorum ſimilitudo? ut aliud non dicam. Sed tranſeat.

III. Ut præter *Agaricum vegetabilem* dabatur *foſſilis* ſeu *mineralis*: ita apud Dioſc. Præf. in l. 1. autoritate Nigri, necnon Plinii l. 27. c. 4. datur *Aloë foſſilis*. Verùm noſtris temporibus nondum comparuit, ſi ſic loqui poſſum. Nam nec Imperatus *in Hiſt. Nat.* meminit.

IV. Majoris momenti eſt, *An Aloë noſtra ſit illa veterum?* Videntur obſtare duo præcipue. *Alterum*, flos, qui albus eſt Dioſc. cum hodie, tam in Italia, quàm in Germania, ferè luteus ſit, ut inter alios Cæſ. 10. *Hiſt.* 37. Reſp. dupli-

pliciter, 1. *in genere.* Quàm facilis ſit coloris florum mutatio, nôrunt Botanici, neque opus nunc eſt aliis. 2. *in ſpecie.* Quemadmodum in *Acaciâ Ægyptiâ* ſedatur lis, ſi dicatur, Datur uterque color: ita heic quoque. Vide Animad. in Theoph. 4. Hiſt. 3. *Alterum*, ſuccus noſtratis Aloës non eſt amarus. Quidam reſpondent per diſtinctionem: *Vulgaris eſt amara*, *Americana non eſt.* His alii ſenſum objiciunt, *Nec vulgaris eſt amara.* Alii rurſus locorum diverſitatem cauſantur. Alii iterum diſtinguunt inter recens expreſſam, & inſolatam.

V. Quo loco cum facta ſit mentio expreſſionis, oportet etiam meminiſſe ſpontaneæ exſtillationis, quam primus invenit Columna 1. *Rar.* 11. ubi videat, qui vult. Ego, ut non dubito, medicamentum fore efficaciſſimum ad inſtar Elaterii primarii, de quo dicetur: ita nondum perſuaſus ſum, ſuccum illum *translucidum*, *ex ruffo citrinum*, *odore gravi aromatico*, *ſapore admodum abhorrendo*, *vapore tam gravi*, *ut ſtatim amareſcat palatum*, uti deſcribit ille, *eſſe ex fibris latis adeò*, *cavisque*, *ut venarum inſtar ſint.* Credat unusquisque quod volet, mihi heic incumbit dicendum,

VI. Omnem in Officinis ſub hoc nomine ſuccum eſſe *triplicem*, Succotrinam, Hepaticam, & Caballinam. *Succotrina*, omnium præſtantiſſima eſt, ut dicetur. In hac ridiculus fit Fuchſ. cum dictam putat quaſi *Succo-citrinam.* *Soccotora* eſt inſula Rubri maris, quæ cum hinc quidem Arabiam habeat, illinc autem Æthiopiam, modò *Arabica* dicitur, modò *Æthiopica.* *Hepatica*, quæ ſecundam bonitatis notam habet, ita dicitur ab illo Dioſc. ἡπατίζουσα, quod eſt, *colore citrino eſſe*, *ad rubedinem tendente.* *Caballina* in uſum humanum non venit, ſed reſervatur veterinariis, qui equorum intertrigines (potiùs excoriationes omnes) eâ ſanant.

VII. In delectu optimæ Aloës cautum eſſe oportet. 1. *Colore* jubet eſſe Dioſc. ὑπόξανθον καὶ ἡπατίζουσαν, *Colore quidem flaveſcente*, *ſed cum rubedine*, *hepatis in modum*, non autem hepatis in modum coacta, ut Ruellius vult ex Plinio. Inſuper *nitida* eſſe debet, hoc eſt *pellucida ſeu transparens*, quod ipſum ſi deſit, bona quidem eſt, ſed non optima, *Hepatica* quidem, ſed non *Soccotrina.* Si non tantùm non pellucida ſit, ſed & nigra, jam in vitio eſt. Hoc etiam ſenio fit, ut Meſue habet.

VIII. *Odore* debet eſſe ſuo quodam, eoqúe aromatico, ad myrrham ferè accedens, ut Fall. habet. Talis eſt *Succotrina* ſola, quæ etiam determinat litem, quatenus olim odoramentis & ſuffumigiis adhibita fuerit. Ut jactari non debeat *viroſus odor* veterum. Niſi enim bene odoratam habuiſſent, eo uſi non fuiſſent. An habebant modum quendam extrahendi odoratiſſimam, & tenuiſſimam?

IX. *Sapore* debet eſſe ſubdulci, ait Meſue, interpres *cap.* 1. Ubi proculdubio vel error eſt, vel menda. Adeo enim amaror intenſus omnibus eſt notus, ut Plautino adagio celebretur. *Hanc vitam plus aloës quàm mellis habere.* Quin Dioſc.

inter notas optimæ aloës habet, non πικροτάτην, ſed ἐπιτεταμένην τῇ πικρίᾳ, *intenſè amaram*. Sed revera de *hepatica* tantum accipiunt diligentiores Pharmacopolæ, qui dicunt, *Soccotrinam quamdam amarorem quidem habere, ſed non diu morantem in lingua, fugacem, ob ſubſtantiæ tenuitatem, quâ per ætatem amiſſâ etiam amarior eſt.*

X. *Pondere* debet eſſe levis, tamen cum ſubſtantia denſa & compacta. Autor eſt Garzias hoc in ſola *Soccotrina* eſſe, in reliquis inſulis gravem eſſe, ob admiſtas arenas, ſordesque alias. Ideo Soccotrina quadruplo eſt carior.

XI. Reſtat apud Dioſc. ut ſit καθαρὰ, quod apud Orib. eſt, ἢ λιπαρὰ, & legit olim Plinius quoque ita deducuntque quidam è Dioſcor. Alii ψαθυρὰν volunt friabilem. Ubi oritur quæſtio. Quomodo quid pingue eſſe poſſit ſimulque friabile. Nugantur, qui dicunt hyeme quidem friabilem eſſe, æſtate autem pinguem. Nam & hyeme in pulverem quendam ſubcroceum fatiſcit, qui ipſe in aqua facilè ſolvitur. Æſtate etiam molleſcunt aloëtica. An ſingula admitti poſſunt?

XII. Quod ad facultates, quemadmodum Agaricus heterogenearum erat partium, ut ferè loquuntur Medici: ita Aloë quoque 6. *Simp. c. prop.* 3. *Simp.* 4. 4. κ. τόπ. Id indicant etiam particularia opera. Præterquam enim quod mediocriter adſtringit & repellit, quod eſt à partibus frigidis & aqueis, iisque paucis: propter amaritiem, quæ eſt à partibus calidis & igneis, inſignitam, cum quadam abſterſione digerit, aperit & incidit. Calida eſt, vel in 1. gr. intenſo, vel in 2. remiſſo, Sicca in 3. ut Gal. loquitur. Quod cùm videatur impugnare Avicenna, Oroſcius in Aëtium corrigit illum ad mentem Galeni. Eſt calida in 1. ſicca in 3. Propter adſtrictionem tam foris, quàm intus uſurpatur ad ſiſtendum ſanguinem cum thure & albumine ovi, 5. *Meth.* 5. Ad prohibendas ulcerum inflammationes exterius utitur Gal. 6. *Simpl.* interius ad dyſenterias, 9. κ. τόπ. 5. Verùm, ego incipio credere *Helidæo inſigni practico, cujus MS. lib. de Purg. penes me eſt*, interiorem ejus uſum ſuſpectum eſſe, niſi (quod addo ego) ſanguinis ciendi gratiâ fiat, ut dicam. Propter ſiccationem, quæ creditur eſſe ſine morſu, eſt medicamentum πολύχρηςον in omnis generis ulceribus & vulneribus, potiſſimum locorum humidiorum, qualis anus & pudenda. 5. *Meth. ult.* vel per ſe, vel cum vino paſſo, aliis, prout exigit mitiganda curatio, vel coërcenda, ut Plin. loquitur. Hinc ad putredines tranſiit uſus ipſius præcipuè cum myrrha. Hinc *in peſte* adeo laudantur *Pilulæ de tribus Ruffi*. Ob eandem facultatem in collyriis frequenter utuntur Indi, ut autor eſt Garz. Ob eandem non ſuccus tantum denſatus, ſed & folia recentia adhibita vulneribus glutinandis proſunt, imò & ulceribus quibusvis, ut de Stoëchadum incolis, Quiqueranus refert. Quidam ex noſtris, in gratiam principum aucupum, ſucco recenti uſi ſunt in fracturis pedum falconum, & aliarum prædatricum, exemplo Indorum, de quibus id narrat Garz. Idem, propter amarorem, conjunctum cum inſigni partium tenuitate, foris quidem cum felle bubulo, intus autem cum melle, vermes necat. Augenius *in Epiſt.* non novit præſtantius ad illos remedium, quàm ſi pueris de-

detur. Et credo plus poſſe quam Sementina, ſi modò perſuaderi illis poſſit, & ſumentibus. Propter easdem doſes, *menſes movet in exigua doſi*, ut Dod. tradit. Credo ego quoque, ſi crebriùs iteretur. Habui ancillam, cui nulla alia ratione promoveri poterant quam uſu pilularum de tribus, quarum nuper mentio.

XIII. Heic ego dum cogito de facultate purgatoria, obſtrepat mihi aliquis. Atqui adſtringere dixiſti? Puerilis objectio! Etiam Rhabarbarum adſtringit. Verbo uno, partium heterogeneitas inducit opera iſta contraria. Hac de re oportet duo præmonere. 1 Sermonem mihi eſſe de ſolo ſucco, non autem de decocto foliorum, in India frequentatiſſimo, de quo videri poſſunt Garz. & Acoſta. 2. Sano modo intelligi debere immanes laudes iſtas, quas cum alii, tum Meſ. decantat. Præcipuè, quòd ventriculo grata eſſe dicitur, non ſolâ adſtrictione, ſed etiam occultâ proprietate, id caſtigatione opus habet. Locum enim habet heic, quod de pellibus lupinis dicimus Germani, *iſt eine gut, ſinds alle gut.* Eſt enim purgans propriè dictum, quo ipſo affert ſecum aliquid Naturæ adverſum, quod dum corrigere volumus maſtice, croco, cinnamomo, tacitè fatemur culpam. Quamobrem cum lenientibus accenſetur, cautione opus eſt. Non enim vel mordicando id facit, ut ſal & acria alia; vel lubricando, ut lapatum, malva, alia humida; vel leviter comprimendo, ut cydonia, vel quocunque alio modo: ſed facultate purgantibus propriâ, verùm in inferiori gradu, in quo Manna, Rhabarbarum & hujusmodi alia, quæ ἐκκοπρωτικὰ dicunt Græci.

XIV. Ubi ſtatim incidit quæſtio, Ergo ſi purgat electivè, ut loqui mos eſt Medicis, quem humorem trahit? Non deſunt loca Galeni quibus docetur, purgare omnem *circa primas vias illuviem*, ſi in ſua doſi detur: at verò ſi in majori, etiam totum corpus. Hoc expreſſè (dicunt) eſt 8. κ. τόπ. 2. Verùm explicandum eſt ex ipſo loco inſpecto. Quod enim ad humorem purgandum adſtringit Galenus (de Ther. ad Piſ. 4. idem ferè eſt, ſed liber ille Galeni non eſt) ad διαθέσεις χολώδεις τὰς ἐν γαστρὶ: quod ad vim purgatricem, addit ὐ μὴν ὅλου τοῦ σώματος καθαρκτικόν ἐστιν ἡ ἀλόη, idque ob debilitatem. De humore alius eſt locus 6. *San. tu.* 10. ubi ait, *aloën non conducere iis, quibus pituita ſtagnat in ventriculo*, quaſi hoc vellet dicere, Quia bilem tantum purgat. Unde 7. *Meth.* 12. inquit de Hiera ſimplici, Quibus in tunicis ventriculi pituita eſt impacta, iis potius exhibenda ſunt, quæ hanc diſſecent. Quidam dicunt, tum verò effectus debetur, non tam aloë quàm additis aromatis. Et ita quidem Gal. at Ruffus, Galeno antiquior, ut & poſt Gal. Orib. & Meſ. & bilem & pituitam habent. An dici poteſt, purgare totum corpus, quatenus, purgatis primis viis prohibet raptum vitioſorum humorum in habitum?

XV. Porrò, aloë alia eſt *lota*, alia *nutrita*. *Lota* eſt illa, quæ in aqua ſimplici lavatur in eum finem, ut ſubſidat quod craſſum & arenoſum eſt, & abjici poſſit. *Nutrita* eſt, quæ imbibit humorem aliquem ſive ſtillatitium, ſive expreſſum, ſive ſyrupum, ſive decoctum herbarum. *Aloë lota* magis roborat ventriculum, minus purgat. Eluuntur enim ſimul cum ſordibus partes quædam

dam igneæ acresque, quæ alioquin ventriculum laceſſunt. *Illota* minus roborat, magis purgat. *Aloë nutrita* accipit vires, quas habet liquor, cui immaceratur.

XVI. Hoc artificium quæritur corrigendorum vitiorum quorundam gratiâ. v.g. quia ſiccitate ſuâ eſt moleſta, Ill. D. FABRICIUS ab Aquapendente fecit peculiarem quandam *Aloën roſatam*, quæ nunc apud nos quoque in uſu eſt. Hujus imitatione D. Joan. Hartm. Bejer, Medicus Francofurtenſis, fecit aliam, addendo plures ſuccos, eoſque humectantes. Et hæ ſunt *Pilulæ Francofurtenſes*, tantoperè celebratæ mercatoribus cum his an eædem ſint Pilulæ Angelicæ dictæ dubito. Nihil enim aliud ſunt quàm Aloë nutrita, ut quidem Diſp. Auguſt. præ ſe fert. Pilulæ Aleph. dictæ nihil ſunt aliud. Loquor tam de vulgaribus, quæ Aromaticæ dicuntur, & ad Meſ. referuntur: quàm de Cordi deſcriptione, quæ efficacior creditur. Reliquæ Pilulæ Aloëticæ, ſive ex Aloë ipſa fiant, ſive ex Hiera ſimplici, in magna ſunt varietate, & opus habent diſcretione. Sunt autem Aſſajareth Avic. Arabicæ Nicolai, de Hiera ſimp. Gal. de Hiera cum Agar. Maſtic. Conciliatoris, de Aloë & Maſt. Nicolai, de Aloëlota, Peſtilentiales, ſeu de tribus Ruffi, Octomeræ Nic. Sine quibus ejusdem, Aloë roſata vulgaris tam ſimplex, quàm compoſita Aloë roſata Cratonis *in Conſ.* mitior duabus præcedentibus, aliæ infinitæ. De ſola Aloe roſata Aquap. hoc mihi videor addere debere. Doſin earum eſſe à ℈j. ad ʒj. ß. ut *Joannes Joannius* definit *ſcripto peculiari*, *Patavii edito* 1611. Ego verò cum ʒj. darem in corpore bene vaſto, paſſus ſum calumniam: adeo Lynceos habeo obſervatores! quin Tireſia cæciores prælivore.

XVII. Correctionis ergo & quidem quia tardè purgat aloë, inolevit mox dandi illam (Hieræ picræ eadem eſt ratio) una hora ante vel poſt prandium, cœnando, imò cum cibo. Sed profectò incurrit hic mos in graviſſimam cenſuram Gal. quam urget Ill. Maſſ. *l. de Purg. cap. 6.* Cùm enim, ut Gal. ſcribit 4. *San. tu.* 7. ipſa ſit acris, & ſuper addita in Hiera aromata acriorem faciant, cauſatur citam (omnino, ante cibi in ventriculo coctionem) diſtributionem. Non autem, inquit Gal. diſtribui tunc, ſed concoqui, quæ ſumpta, utilius eſt. Nec memoratur, quod olim, ante cibum ſine incommodo dari poſſe, quod ex ventriculo deſcendat, antequam cibus ſuperveniat. Quis enim ſpondebit mihi certò futurum id? Habet enim Natura certos limites, intra quos & appetit, & coquit, & diſtribuit, quibus limitibus turbatis quid boni ſperes? Hinc adeo vidi in iis, qui de nocte capiebant, obortas cacochymias degeneraſſe in febres malignas, quarum finis MORS.

XVIII. Alia ratio eſt, ſi poſt mediam noctem fiat, ut eſt apud Solenandrum *in Conſ.* facta ſcilicet jam coctione. Hoc, ni fallor, ortum habet ex Meſue, qui diu ante cibum dat; cum vix intra 24. horas abſolvat operationem, ut Fall. obſervat. Alia hujus tarditatis correctio eſt, ut jungantur alia purgantia, quo ſcopo natæ ſunt priſcis Hieræ dia-Colocynthidos, quarum ſex compoſitiones numerat.

merat. Maſſ. modò laudatus, cap. *de Alopecia*. Eum in finem habemus in Diſp. noſtro Aloës extractum cum duplo Rhabarbaro.

XIX. Sed quid tu taces ad vitium longè maximum? Quòd illud verò? Poſt longum aloë dariorum (ut quidam loquuntur) uſum, viſæ ſunt cruentæ dejectiones, ſive ſanguis ille ex hæmorrhoidibus venerit, ſive ex hepate, ſive utrinque. Reſpondeo non poſſum hoc ignorare, vel ideo, quod de vi illa ἀναϛομωτικῇ ſcripti ſint integri libri, aliis quidem defendentibus Arabas, quorum iſta obſervatio eſt, aliis accuſantibus. An accidit talibus, quod Zenoni apud Galenum qui motum negabat! Præſtabat enim credere quidem exercitatis in arte, poſtea autem de modo quærere. Ego, relictis aliorum ſententiis, dico. Non facit id Aloë una aliqua facultate: ſed omnibus ſimul. Partium tenuitate fundit ſanguinem, & ad vaſorum extrema deducit: earundem craſſitie fit ἀναϛομωτικόν.

XX. Nec obſtat, quod Vall. objicit, eſſe ſimul validum adſtringens. Non eſt opus adjectione illa, eſt adſtringens ſimpliciter dictum. Quod verò in vulneribus facit, ſiccando facit. Et in univerſum, non quidquid medicamentum facit foris, id protinus etiam intus facit. Aloë foris adſtringit, intus aperit. Huic malo occurrit Meſue permiſtione pinguium & lubricantium, v. g. bdellii, tragacanthæ. Avic. aqua endiv. utitur, quem ſequitur Helid. Alii decoctum paſſ. uſurpant, alii oleis.

XXI. Cæterùm, malitiam hanc ejus, ut ſic loquar, vertunt Practici in bonum. Sicubi enim hæmorrhoides ſubſtiterint, utuntur aloë vel ſola, vel in vocatis ſuprà Pilulis de tribus. Quæſtio eſt, uter modus ſit melior? Non dubito; pilulas quidem fortiores eſſe in aperiendo: aloën autem plus facere radendo, ut ſic loquor. Et hæc de correctionibus: de cautionibus multò magis ſolicitum eſſe oportet.

XXII. *Graviſſima harum* eſt, & à Galeno tradita 7. *Mech.* 11. 8. κ. τόπ. 2. Ne detur iis, qui ex nuda intemperie ſine materia laborant. Tales non indigent vacuatione, nedum medicamento tam fortiter ſiccante, quodque loco vacuationis tabem inducit. Contra, datur cum magno commodo frigidis & humidis. *Altera* ex eodem fonte eſt, 5. *San tu.* 9. Ne ſenibus detur, & quicunque quacunque de cauſa ſiccati ſunt, niſi neceſſitas urgeat. Neceſſitas illa eſt, inquit Helid. cum abundant humores. Cui ego, atqui ſenes omnes ſunt excrementoſi. Præſtat igitur aliis uti, imprimis humectantibus, de quibus videatur Galenus ipſe. *Tertia* eſt 3. *Aph.* 15. Ne ſit uſus ipſius nimis creber, adeoque quotidianus, ut quidam faciunt. Aurea enim ſunt Galeni verba, quæ propterea exſcribo. *Evacuatio ſuperfluitatum*, inquit, *quæ fit per purgantia*, *valdè indigentibus*, *& ex longo tempore utilis eſt: earum verò*, *quæ quotidie generantur in corpore*, *minor eſt quàm pro medicamenti efficacia. Quod ſi*, addit, *voluerit quiſpiam bis in menſe ea evacuatione uti*, *veritus ne excrementorum multitudo cumuletur*, *præter id*, *quod nocebit*, *trahet*

etiam corpus in malam conſuetudinem. Exaudiant hoc illi, qui per totos menſes utuntur, vel longis decoctis, vel ſacculis purgantibus. Utut enim corpus bene perpurgetur, viſcera tamen miſerè cruciantur.

XXIII. Quarta eſſe poſſit, Quemadmodum Agaricus prohibebatur gravidis: ita aloë & aloëtica, præcipuè propter crocum. Hinc ratiocinatus Helid. in pertinaciſſimis menſium obſtructionibus dat Elect. de Hiera ℥j. cum ſcrupulo croci integro. Hoc diu habitum fuit in ſecretis.

XXIV. In univerſum de doſi ita eſt habendum. Adſtringendi gratia interius nemo auſit dare: prævalent enim partes calidæ & tenues. Aperiendi, dari poteſt à ℈ß. ad integrum, non ad ʒj. purgabit enim. Debilitatem medicamenti ſupplebit repetitus uſus purgandi gratia, in ſubſtantia quidem dari poteſt à ʒj. & ad ij. in infuſo autem à ij. ad tres. Hanc doſin habent Dioſc. & Plinius, ſed poſtquam cognita fuit vis anaſtomatica, nemo id audet. Quò minus tutum eſt ſequi eos, quos Tagautius ait dare ℥ß.

XXV. Verum enimverò, quia res valde latè patet, operæ pretium judicavi parare.

AUCTUARIUM DE HIERIS TAM SIMPLICIBUS quàm compoſitis.

USitatiſſimum ex Aloë & aromatis medicamentum vocabant olim Romæ *ἀντίδοτον ἱεράν ἢ ἀρωματικὴν*, aut ſimpliciter *ἱερὰν ἠπικρὰν*, aliquando etiam *διαλόης*, ut videre eſt 2. *κ. τόπ.* 1. 3. *κ. τόπ.* 1. 8. *κ. τόπ.* 2. & 3. alibi. Hæc Galeni non eſt, ut temerè quidam credunt, cum ipſemet ad Andromachum referat. Hujus deſcriptiones cùm multæ eſſent celebrior erat illa quæ recipiebat aloës lotæ ʒ100. ſeu ℥xij. cum ſemiſſe, quibus addebantur Cinnam. Xylobalſ. aſari, ſpicæ, maſt. croci, ana ʒvj. Ita eſt apud Gal. 8. *κ. τόπ.* 2. 7. *Meth.* 11. 6. *San. tu.* 10. Aëtium l. 6. c. 45. Paulum l. 7. *cap.* 11. Orib. 6. *Synopſ.* Trall. l. 7. cap. 10. Act. c. de Hum. conjunctis.

XXVI. Hac in re cum magna oriretur confuſio, & conſequenter magnus abuſus, accuratiſſime Galenus mirifice ſe expediit. 1. Cùm Andromachus ſemper acciperet aloën illotam, alii lotam, non ſit autem perinde, ut ex ſuperioribus liquet: paravit ſibi Galenus utramque compoſitionem, ut pro diverſis diverſum haberet medicamentum. 2. Cum videret aloës doſin nimis magnam eſſe ad proportionem aromatum, aut loco ʒ100. accepit 90. 80. 120. Nam quo major copia, eò medicamentum fit ingratius & calidius, & contrà, quò minor, eò debilius: aut loco ʒvj. aromatum ʒvij. ana. 3. Cùm videret crocum in quibuſdam capitis dolorem facere, ſumſit ʒv. tantum, aut etiam iiij. 4. Contrà, cùm in fœminis, quibus menſes ſubſtiterant, opus eſſet majori penetrantia, reliquit ʒvj. 5. Cum alii ſervarent pulverem ſolum, qui facile exhalat, alii cum mel-

melle electuarium pararent, docuit res pharmacopœos noſtros idem facere. Pulveres enim comparati cum Electuario magis roborant, minus purgant: contrà facit Electuarium. Utroque modo parato utebantur illi in potione tantùm, quippe minus delicati noſtris hominibus: nos autem vel bolo, vel in pilulis. Dabat Galenus *Meth.* l. c. tempore matutino, ut cætera quoque purgantia: at verò cum occurreret quibuſdam exemplum prunorum 2. *Alim.* 31. inceperunt accommodare aloëdariis, profectò imperitè, ut ex ſuperioribus conſtat.

XXVII. De doſi ingens eſt controverſia. Quam cùm per longas ambages explicarim, 2. *Var. lect.* 1. non jam reſumo, ne denuò vapulem ob crambem repetitam.

XXVIII. Cæterùm, cùm medicamentum hoc eſſet tam nobile; & verò parum ageret, inſtituerunt Veteres conſilia de amplificandis viribus illius, additis grandioribus purgantibus, & vocarunt *Hieras compoſitas*. Ita enim ait Gal. 2. κ. τόπ. 1. ſolvere ſe uti illis, additâ in affectibus quidem pituitoſis *Colocynthide*, in bilioſis autem *Scammoniâ*, quemadmodum in melancholicis *Helleboro nigro*: interim nullibi deſcribit. Hinc factum eſt, ut poſteriores comminiſcerentur varias ſtructuras, quas ſub nomine Galeni extruderent. Harum, ut dixi, ſex ſunt diverſitates, quarom tres ſunt in frequentiore uſu, *Hiera comp. Nic. Præp. Hiera Logadii*, & *Hiera Pachii Antonii*. Prior illa, quæ etiam *Magna* dicitur, ferè tantùm ad clyſteres expetitur, & vocatur *Hiera ex* 16. *rebus*. Tot enim ſunt ingredientia, præter aloën & mel. Ad eosdem uſus fit Logadii, ſeu ſecunda. *Tertia* verò interius uſurpatur, & putatur Galeni eſſe. Omnes ſunt in noſtris Officinis omnes recipiunt Colocynthida, & ideo *Hieræ dia-Colocynthidos* dicuntur. Sunt (inter quos Caleſtanus) qui putant, *Pilulas* etiam *Cochias* hujus generis eſſe. Et fieri poteſt, ut Rhaſis inde occaſionem ſumpſerit ſuarum pilularum. Harum Extractum quoque habemus, quod egregiè facit pro ſtimulo aliarum pilularum. Mitius purgat ipſa maſſa, & dari ſecurè poteſt ad ℈ij.

XXIX. An hujus quoque generis ſint *Pilulæ aureæ Nic.*? Præterquam enim quod aloën habent, Diagridium & Colocynthis ingreditur. Ubi illud moneo, quod ex Mercuriali Cam. noſter in Diſp. excipiendas eſſe ſpecies melle potius roſ. quàm mucilagine tragacanthæ, quæ facilè muceſcit. Sunt, qui nolint illis uti, quod purgantia non ſatis correcta ſint. Hoc metu carent *Pilulæ de Aloe Nic.* & poſſunt ſecurè dari ad ʒij. An *pilulæ* quoque *arthriticæ Nic.* huc pertinent? An *pilulæ* etiam *de Nitro* Tralliani?

CAPUT. IV.

DE ASARO.

QUamvis *Aſarum* inter ſimplicia purgantia hodie non ſit: tamen oportet de illo agere propter *Di-Aſaru Fernelii*. Dictum eſt *Aſarum*, ſi Plinio credimus lib. 21. cap. 6. ἀπὸ τȣ̃ ἀσερητικȣ̃, & σαίρω, quod inter alia eſt *Orno*, Non enim adhibebatur coronis. Atqui apud Dioſcor. l. 1. eſt πέα ἐνώδης καὶ σεφανωματικὴ; Conſentiunt plerique adulterina eſſe hæc, translata quippe ex l. 3. de Bacchare, quod cap. totum debet Anguillara. 1. Sent. 11. Sed neque Oribaſ. neque Serap. offenderunt hæc verba apud Dioſcor. At in Bacchare Cratevæ, ut ex MS. habet d. Ang. ſunt. Hoc factum non eſt novum, ſed jam à Plinio reprehenſum, loco citato, Ut ceſſare poſſit Braſſavolus ab incuſatione Plinii.

II. Quidquid ſit, ita inolevit *Baccharis* in Officinis quibuſdam, ut *Aſara Baccara* dicatur, ut Agnus-caſtus, Serpentaria-Colubrina, & hujusmodi alia. Planta eſt unica, & ſui generis. Aſarina verò Bauh. & Matthioli, Cluſii judicio, 5. Rar. 16. eſt *Tuſſilaginis ſpecies*.

III. Fodi radicem ait Plin. in vere, cùm folia mittere incipit, & ſiccari in Sole. Secus ſi fiat, ſitum trahere & ſeneſcere. Vide Hermol. *Corol. in Dioſcor*. Hanc Meſue jubet eſſe magnam, craſſam, odoratam, ſapore acri cum modica ſtipticitate. At Dioſcorides vehementer linguam mordere ait.

IV. De Aſari *facultatibus* latiſſimè dubito. Quod enim modò fuit inter aromata, aloën in hiera correcturum, quomodo tam ſubito hellebori albi modo purgat? Quamobrem, ut reliqua apud Dioſcor. ita hoc quoque fuerit aſſutitium. At Meſue etiam noverat vim ejus purgatoriam bilis & pituitæ? Ideo podagricis præſcribit? Et Matth. prædicat experimentum ruſticorum, qui tertianas & quartanas curant decocto radicis cum corrigentibus, ſumentes cyathum unum vel quotidie vel alternis.

V. Quo loco ſciendum eſt ex Dod. folia, quamvis in uſu non ſint, eſſe vehementiora radice. Reſpondeo. Non adimo aſaro vim purgandi, quò Falloppius tendit; ſed nego cum helleboro contendi poſſe. Ideo etiam cadit ſuſpicio, quam dudum habui de Gal. codice 6. *Simpl. pro* ἀκόρου leg. eſſe ἐλλεϐόρου. Et alioquin obſtat προειρηται Interea cum Matth. maxime diſſentio à Gal. Qùis enim unquam talem inſtituit comparationem? Et eſt Aſarum tam foliis, quàm radicibus valdè tenuium partium, non ſine tamen adſtrictione, ut duo præcedentia quoque. Quod ipſam facit differentiam inter helleborum & aſarum. *Calidum* eſt apud Meſue in 2 gr. ſiccum in 3. Apud Macrum verò, quem ſequitur Fall. *l. de Purg.* utrobique eſt in 3. ad quem etiam adigit nos acorus Gal. *Aſarum*, propter par-

tium

tium tenuitatem, non tantum eſt inſigne diureticum, ſed & ſecundinas, menſesque movet. Unde meretriculæ noſtræ plus ſatis frequentant decoctum ipſius, cùm ſentiunt ſe gravidas.

VI. Idem Meſue monet, cùm pro purgatione coquimus, debere coctionem eſſe mediocrem, aliàs perituram, primum quidem vim vomitoriam, deinde autem purgatoriam quoque. Unde præceptum nos capere par eſt, ſi volumus, ut per inferiora tantum purget, decoquamus pluſculum.

VII. De *tritura* ait idem, quod de dioſpolitico Galenus, tenuiter tritum movet urinas: craſſiuſculè alvum. Ubi addo, in meo Experimento non eſſe, quod Matth tribuit Meſue, tenuem trituram facere vomitum, craſſam dejectionem. Hoc ipſum dum invertit Caleſt. memoriæ lapſus eſt, ut notat Melichius in Hiera comp.

VIII. Valentius agere, inquit idem Meſue ſi infundatur in ſero. Quod audiant noſtri, qui in vino faciunt, Cæſalp. 3. *Hiſt.* 36.

IX. *Doſis* variat pro ratione ſcopi. Pro cienda urina, menſibuſque ſufficit ʒß. pro alvi dejectione opus eſt integra. Quamobrem damno codices Dioſcor. eos, qui indiſtinctè dant ʒvj. vij. imo ℥j. quam Plin. etiam habet l. 21. c. 19. Hanc ipſam doſin reprobat ipſa lectionis varietas. Quin poteſt huc trahi præceptum Galeni de Colocynthide poſſe quidem facere, quæ amara omnia: ſed ob vim purgatoriam tamdiu in corpore non ſubſiſtere, quamdiu opus eſt. In ſubſtantia dat iterum Meſue purgandi gratia, à ʒj. ad aureos ij in decocto, vel infuſo ab aur. ij. ad iiij. Cæſalp, in ſubſtantia à ʒj ad tres aſcendit: in infuſo ſeri ad iiij. Si quis folia velit, ſufficere ait Dod. 8. vel 9. numero: verùm, trita cum liquore aliquo & expreſſa. In cienda urina ſubſiſtit idem inferius.

X. De *Di-aſaru* Fernelii hoc moneo, Habere illud ab Augenio *lib.* 12. *Epiſt.* 6. ut & à Camerario noſtro *in Diſp.* inſignes laudes, datum in aqua hordei, vel ſero ad ʒiiij. Quæ doſis cum ſæpiuſculè me deſtitueret, inveni *in conſ.* Lælii, Medici Veneti, ſex eſſe dandas, aut etiam ℥j. Quam quantitatem quis ferat?

CAPUT V.

DE BRYONIA, SIGILLO MARIÆ, Mechoacanna & Chelapa.

I. EX ſummo genere, Bryonia apud Bauh. in Pin. quatuor plantæ trahuntur in Officinis de quibus ordine. Βρυωνία proculdubio eſt ἀπὸ τȣ͂ βρύω, pullulo, germino, Vox hæc tam trita veteribus non fuit quàm Bauhinus cenſuit. Dioſc. enim l. 4. c. 176. & ſeq. τὴν ἄμπελοι λευκὴν ſuam vocatam fuiſſe ait ſimpliciter βρυωνίαν: τὴν ἄμπελον μέλαιναν, βρυωνίαν μέλαιναν cum adjectione. Quàm difficulter ſuſtineri poſſint apud Dioſcor. notum eſt Botanicis. Plinius præf. in

l.23. & mox. c. 1. contentus eſt Vite alba, quam Ampeloleucen vocat. In iis, quæ ſequuntur, loquitur ex aliena ſententia. Quæ l. ſeq. c.9. eſt Bryonia. ſuſpecta eſt Dal. Theoph. 6. Hiſt. 1. nomen hoc prorſus diſſimulat, μήλωθρον appellans, ut judicant eruditi. Apud Bauh. eſt I. & II. Sigillum-Mariæ ab Arabibus eſt, qui Bothor Marien vocant. Apud Bauh. eſt IV. & creditur eſſe ἄμπελος μέλαινα Dioſcor. quæ ipſa eſt Tamus (non Tamnus, non Tanus) Plinii l. 21. cap. 15. Uva taminea ejuſdem c. 1. ut & Celſi l. 5. de hydrope. Hæc creditur eſſe Vitis ſylv. Theoph. 9. *Hiſt.* 22. Mechaca ſeu Mechoacanna, ſubaudiendo Bryonia, dicitur ita à provincia (alii inſula) Americæ. Dod. hanc Scammonio adjudicare voluit, ſed fruſtrà, apud Bauh eſt VI. Bryoniæ ſylv. non abſimilis. Vide Cluſ. in Monarden. Chelapa eſt vocabulum barbarum, & conſtituit illam Bauh. *in Pin.* quidem inter Bryonias VII. *in Prodromo* autem III.

I. DE BRYONIA.

II. Rectè idem Bauh. in Matth. ſi rectè accipias, Triplex eſt Bryonia, alba, nigra, & Cretica. Revera ſunt varietates, quæ non faciunt ſpecies. Hinc alba & nigra apud Matth. ſub una icone ſunt, quia variant tantum ratione coloris baccarum & radicis.

III. De aſparagis certatur, ſint ne edules? Sum cum Dod. qui ait, erraſſe & Dioſcoridem & Galenum, cùm tribuerint illi, quod Tami eſt. Hujus enim aſparagi ſunt εὐςόμαχοι, cùm Bryoniæ albæ & nigræ ſint illi adverſiſſimi.

IV. De facultatibus tantò magis ſolicitos nos eſſe fas eſt, quò verius eſt, uſurpari à quibuſdam loco Mechoacæ. Inter illos eſt Illuſt. Platerus, quod ab ipſomet audivi. Accipit radicem, antequam germinet, & detracto cortice, in taleolas ſectam filò trajicit, in moderato calore ſiccat, ſive is Solis ſit, ſive ignis. Mox infundit in vino generoſo, & iterum exſiccat. Hoc repetit aliquoties. Ita præparata, ajebat, purgat ſine moleſtia.

V. Idem trochiſcos parat, hoc modo Bryoniam ita correctam in pulverem redigit, & vino Malvatico, in quo Zingiber maduerit, irrotatam cogit in paſtillos tenuiſſimos, quos ſiccatos tenui pulveriſat, & utitur in infuſionibus. Ita purgat inſtar Agarici trochiſcati.

VI. In tradendis facultatibus oportet diſtinguere inter fructum & radicem. De fructu non dico: radici tribuit Galenus vim tantum ſiccantem, & moderatè calidam. Qua in re modò conſentit illi Avicenna, modò diſſentit. Conſentit, cùm modicè calidam agnoſcit: diſſentit, cùm in 3. gr. collocat. Hoc poſterius agnoſcit Meſue, facitque in eodem gradu ſiccam. Eidem conſtat multa eſſentia ignea, acri & mordente: pauca terra & aduſta, ob quam amara eſt, & abſtergit. Galeno ſimpliciter eſt tenuium partium. Conſentiunt Dioſcorides Plinius & Meſue, albam in omnibus efficaciorem eſſe. Ergo, inquis, ſunt diverſæ plantæ? Nul-

Nulla neceſſitas. Sufficit enim ſi non ſit exactè eadem miſturæ ratio, ex qua etiam doceo diverſitatem coloris, quæ & in baccis, & in radice. Cæteroquin menſes & urinam, item abortus pellit, morſibus venenatis medetur, oſſa & ſpicula extrahit, vitia curat, tam extra, quam intra uſurpata, &c.

VII. Prætereà purgat, non pituitam tantum, ut Veteres ſcribunt: ſed & bilem, ſeroſosque humores, ut Dod. In correctione, Meſue reſpicit acrimoniam ipſius, quæ viſceribus imbecillis admodum moleſta eſt. Addit igitur, non ſapam tantùm, & mulſam, ut & maſt. cyd. aromata alia: ſed & purgantia alia, ut citò è corpore exeat.

VIII. Doſis ad Epilepſiam, alioſque pituitoſos affectus, apud Dioſcoridem & Plinium ʒj. ad venenatorum morſus ij. ad minuendum ſplenem, ad ob. iij. ſeu paulò plus quàm ℈iij. Purgationis gratia Meſue exhibet ſucci quidem radicis à ʒj. ad ij. radicis autem in ſubſtantia, ab aur. j. ad ij.

II. DE SIGILLO-MARIÆ.

IX. ITerum moneo, Bauh. non videri duplex eſſe. Nam racemiferum eſſe & bacciferum non conſtituunt reales differentias. Sed ſit: utraque hæc folium habet læve, cum tres illæ aſperum habeant, Cretica etiam maculas.

X. In qualitatibus non conſentio Geſnero, affirmant. in Lex. Kyb. voce Tamus, radicem, ut & acinos ferventiſſimos eſſe, & aſcendere ad 4. gr. caliditatis. Quomodo enim in ſubſtantia emplaſtica, quæ inſtar glutinis digitis adhæret, ſtabulari poteſt calor tantus? Interim incidit & attenuat lentam pituitam, præſertim in thoracis affectibus, prorſus ut Iris, Arum, & alia talia. In ſugillatis exterius affricta tantum diſcutit. Menſes, urinam, ſabulum & calculum vehementer pellit, ait Pena *in Adv.* Auctor eſt Matth. radicem ſub cineribus coctam eſſe validum incentivum ad Venerem. Sed idem Pena obſervavit, quibuſdam malè ceſſiſſe. De vi purgatrice nihildum comperi, niſi quod Cæſalp. putat, *App. c.*4. eſſe ipſammet Mechiocannam, de qua jam.

III. DE MECHOACANNA.

XI. ITa ſimpliciter loquitur & ſcribimus. Quidam Rhabarbarum album ſeu Indicum vocant. De hujus facultatibus libellum ſingularem edidit Æg. Everartus, Antverpiæ 1587. ut & Jacobus Gorreus, Gallicè, Pariſiis, indice Bauhino.

XII. Monardis in Simp. Ind. calidam in 1. ſtatuit, ſiccam in 2. & addit, heterogeneis conſtare partibus, quibuſdam aëriis, & tenuibus, quibus egregiè de obſtruit, ideo tantoperè commendatur in hydrope, ictero, aliis bſtructionibus, maxi-

maximè infuſa: quibuſdam terreſtribus, quibus adſtringit, & ventriculum roborat. Unde elucеſcit paritas cum Bryonia, & unde natæ illi ſint tot hyperbolicæ laudes, quæ poſtquam deſtituerunt Medicos, cœptum fuit mitius agi.

XIII. Purgat, non craſſos tantùm, viſcidos & putridos humores: ſed & bilem, flavaſque hydropicorum aquas. Ex quo ipſo cognoſcitur, quàm non ſit mite medicamentum.

XIV. Et jam ſunt aliæ taleæ mitiores, aliæ ſæviores. Mitiores ſunt, quarum ſubſtantia eſt denſa & compacta, integra, & non carioſa: color intus albicans, non omnino albus, nec tamen cinereus. Nam quò magis ad cinereum vergit, eò deterior: ſapor inſipidus & farinaceus, non acris, amaruſve: odor non ingratus, inquit Lobelius: Ego vereor ne ullus ſit: quæ enim inſipida ſunt, ferè etiam inodora ſunt. Qui putant melius ſervari in pulvere, falluntur. Accidit enim heic quod omnibus pulveribus: exhalat vis ipſorum. Quare pharmacopœi aut milio abſcondunt, aut panno cerato involvunt.

XV. Ad pulveriſationem ubi ventum eſt, id agendum, ut pulvis ſit craſſiuſculus. Datur vel in ſubſtantia, vel in infuſo. Tamen ſunt, qui in infuſo nihil agere dicunt. Qua in ſententia quò minus ſtem, SCHERBIUS ὁ πάνυ, facit. Utebatur enim ſæpè ita, & in ſe, & in aliis. An deeſt ipſis juſta doſis?

XVI. Quod enim jam dicendum eſt, Pueris quidem in ſubſtantia datur à ʒ ß. ad j. viris ad ʒ. j. ß. aut etiam ij Ad infuſionem niſi ſumas iij. aut etiam amplius, ſpes te deſtituet. Fit infuſio ferè in vino, ſi febris abſit: ſin, in aqua cichorii. Quin in febribus præſertim bilioſis, etiam ſine vino, ex ſimplicibus fieri compoſitas, experientia docuit. Cavendum igitur. Decocti mentionem fieri nondum vidi. Diſparent enim vires decoctione nimia. Loquor autem de Mechoacanna. Bryoniam enim etiam Veteres decoquebant.

IV. DE CHELAPA.

XVII. OPortet pronunciare cum ſibilo, *q. Tſchlapa, ut China, Tſina*, non *Schelapa, Schina*. Ita cum ſcribitur *Ialapium*, *Gialapium*, ſcire oportet quadriſyllabum eſſe, & efferendum pariter cum ſibilo, ut Itali G. pronunciant. Auctor eſt Bauhinus, nautas Maſſilienſes *Mechoacam nigram vel marem* vocare.

XVIII. Hujus verba in Prodromo ſunt. *Guſtu eſt non ingrato & gummoſo, & ob copioſam gummoſitatem, ſi carbonibus, ſeu igni injiciatur, flammam concipit. Facultate vulgarem Mechoacam ſuperat. Nam ob gummi copioſum, fortius purgat humores ſeroſos, cum imi ventris levi dolore, & præcipuè viſcera, hepar & ventriculum roborat. Quare pondere* ℥j. *exhibetur, tuto & ſine faſtidio opus ſuum exſequitur.* Ego hactenus in granis ſubſtiti, & infra ℈j. nec ullum gravius ſymptoma ſupervenit. Accipio autem drachmam integram dari ſolis hydropicis, quos unâ ferè purgatione reſtitui ajunt. Credo, ſi vitio renum ſit malum.

CAPUT VI.

DE CARTAMO.

I. CArthamum ſcribunt, qui ἀπὸ τȣ̃ καθαίρειν deducunt, quod ipſum tamen vitioſum eſt, ut tacitè declaravi me ſuprà. Kartam eſt vox Arabica, unde fit terminatione Latina Cartamus, cujus deſcriptio convenit cum Cneco ſeu Cnico Græcorum. Ita loquor. Quia κνῆκος quidem, & Atticè κνᾶκος, ἢ κνάκων eſt ἀπὸ τȣ̃ κνέα ἢ κνάω· κνίκος autem ἀπὸ τȣ̃ κνίζω. Eſt autem κνῆκος ἢ κνάκων color ex albo & ruffo miſtus, qualis in ſemine Cnici, ut dicetur. Hæc planta apud Dioſcoridem eſt una: apud Theoph. 6. *Hiſt.* 4. duplex, Cnecus urbanus & ſylveſtris quorum hic peculiari capite deſcribitur à Dioſcor. l. 3. c. 91. ille l. 4. c. 182. Cartamus noſter, quod Crocus ejus flore adulteretur. Crocus ſativus ſeu Saracenicus dicitur, & eſt I. inter Cnecos apud Bauh. *Safarol* noſtratibus, cùm Crocus verus *Safran* vocetur. Ab hoc velim audire, quibus notis diſtinguat Cnicum ab Atractylide? Cnici enim ſeptem habent ſpecies *in Pinace*, quibus ſubinde interſpergit Atractylidas, quarum tres ſunt. Inter Cnicos eſt Carduus benedictus Officinalis quem nos in Alterantibus cenſemus: uſualis varietas potius quam differentia eſt: color floris albus cæruleus & purpureus. Crocei ſemen tantùm expetitur.

II. De hoc controverſiam excitavit Dioſc. cum dixit λεῦκον, καὶ πυῤῥον ἐςι. Auxit hanc Ruellius, cùm vertit ſemine candido, alioquin ruffo. Ego ad ſenſum provoco, & verto, ſemine partim candido, partim ruffo. Vide 2. *Var. lect.* 10. Quid Marc. Virg. auſit, vide apud ipſum. Pariter ad ſenſum provoco in lite, quæ eſt inter Dioſc. & Meſue, ſitne γεγονυωμένον, angulosſum, quod ille ait, an potius planum, quod hic? Eſt anguloſum. Ita enim compreſſa ſunt ſemina, ut angulos adipiſcantur. Apud Meſue lego, plenum. Et hoc longum (Oblongum potius) Dioſ. eſt, grande Plinii, craſſum quorundam apud Meſue. Huic objicitur ex Theop l. 1. & Plinio l. 21. c. 15. Quod debeat eſſe amarum, quale noſtrum non eſt. Poteſt eſſe ex loco natali.

III. De primis qualitatibus lites ferit Meſue 2. *purg.* 11. comparando cum Lactariis ſeu Tithymalis, & calidum ſtatuendo in 3. Gal. etiam 7. *ſimp.* ponit in hoc gr. Ne dubites, 3 *ſimp.* 24. confert cum Coccocnidio. Reſpondent Sylvius, Pena, alii, loqui illos de Orientali. Crederem, niſi Meſue ipſe in 1. collocaret. In hoc eſſe noſtrum, planè credo, accedentibus ad me Pena & Lobelio Pulpa ſeminis habet inſignem vim abſtergendi, incidendi & attenuandi. Quamobrem Electuaria inde fiunt in affectibus pectoris pituitoſis, qua de re videatur Meſue.

IV. Inter quem & Galenum alia eſt lis. Meſ. enim habet inter fortiſſimè purgantia: Galenus inter mitia. Nam 5. *San. tu.* 9. pro laxanda alvo in ſenibus dat cum

ptiſſana, juxta ponendo Mercurialem Ibid. ſuum Diacnicū ut Sylvius vocat, ex ſemine cnici decorticato & ficubus, *ana p. æqu.* dat ſenibus magnitudine duarum aut trium caricarum. 13. *Meth.* 15. progrediente hepatis inflammatione, & jam ex parte concocta, ſi ſit in cavo, ut ipſe determinat, cibis admiſcet, juxtaponendo iterum Mercurialem, urticam, polypodium. Annon licet inde argumentari? Cum cibo enim dat, loco citato etiam colocynthidem & Helleborum nigrum, ut & Scammonium 1. *Alim.* 1. & Soldanellam, *de San. tu. l. c.* Verùm qùatenus purgantia cum cibo dare liceat, alius eſt loci.

V. De Cnico Meſue ſcribit, ſtomacho valde noxium eſſe, faſtidioſum & conturbantem, ut Int. loquitur. His malis opponit ille, hinc quidem quæ ſtomacho grata ſunt, aniſum, galangam, maſticem: illinc autem, quæ urgeant ad exitum, card. zing. ſalem, alia.

VI. Correctionis modus eſt quidam apud Dioſc. *Tuſio* & *expreſſio*, & fit in hydromelite ſeu jure Galli. Hic ſuccus auctore Paſino, in quibusdam codicibus appellatur Lac, & dantur ejus (ut per anticipationem dicam) ℥vj. cum melle, amygdalis, aniſo, in aqua hordei, aut jure pulli, pro hydropicis & colicis. Quibus cum ſocientur dyſenterici, habendum id pro vitio, propter cauſas, quas videt quivis non plané imperitus.

VII. Idem Paſinus in antiqua quadam Dioſcoridis traductione, uti loquitur, invenit *Torrefactionem?* quam probat, & ad Meſue refert; apud quem non dum vidi. Eandem ex Dioſcoride eruit, cum in compoſitione finali ab amygdalis ad cnicum transfert.

VIII. Hodie cùm decorticatus expetitur, moliendum id ſcalpello, licet magna cum moleſtia. Si enim quis piſtillo auſit, perdiderit ſubſtantiam oleoſam, in qua vis omnis.

IX. Doſis ſeminis apud Meſue eſt à ℥iv. ad aur. v. ſeu ℥vj. Paulus coquit ℥v. cum ptiſſana, & paucis ſalibus. Act. ſed ex aliorum ſententia, ex ſemine format pilulas cum amygdalis aniſo & melle, & dat ʒj, quæ profectò vitium olet. Nam ipſe ſem. lævigati ℥v. dat in jure Galli, aut ptiſſanæ cremore. Fallop. imitatione Gal. dat ſem. coch. j. cum caricis pro ſenibus. At Pena, doſi tam minuta non contentus, niſi, inquit, ℥ij. dederis, minimum ℥j ß. non purgabit.

X. Dia-cartamu plures ſunt deſcriptiones. Apud nos Villanovani eſt, de qua ſciendum eſt, cùm omnes aliæ ſpecies extrahantur, ſolum ſcammonium imponitur integrum, ut ʒj. copiosè purgare poſſit. Hæc doſis, ut & quod inſipidum ſit, tonſores Noricos fecit practicos. Ideo omne vulgus clamat Extractum diacartami Electuarium ipſum datur ab ℥ß. ad ℥vj.

XI. Habemus & ſyrupum de cartamo, cujus non minus multæ ſunt deſcriptiones. Apud nos Andernaci eſt, quæ admodum laborioſa, ſed leniter purgat, nec facilè peccat in doſi.

CA-

Caput VII.

DE CASSIA SOLUTIVA.

I. HOc additamento, *Solutiva*, abſolvo me ab aliis duabus Caſſiis Officinalibus. Harum *altera* eſt, quæ mox in cinnamomo declarabitur pro deteriori cinnamomo: *altera*, quæ ante Manardum in Officinis ſub nomine *Caſſiæ ligneæ* erat, eſt *Oſyris fruticeſcens baccifera Bauh. Caſſia poetica Monſpel.* Penæ & Lobelii. Ab hac diſtinguere oportet *Caſſiam Gazæ*, quam Theophraſto ille obtrudit, *6. Hiſt. 2.* loquenti de *Cneoro utroque*, quod ego *in Animadverſionibus meis* habeo pro *Chamelæa* & *Thymelæa* Dioſcor. Hæc ut in Officinis numquam fuit, ita prior illa fuit, ſed ejecit illam Manardus, ut dixi, & ſubſtituit illi deterius Cinnamomum. *Solutiva*, de qua acturi ſumus, veteribus incognita fuit, & affertur ad nos ex Ægypto, ubi *Cajax-Xambar* dicitur, ut, præter alios, Alpinus nos erudit, *libro de Plantis Ægyptiacis.* Hanc Dioſcoridi incognitam fuiſſe conſenſus eſt, qui Theophraſto cognitam fuiſſe ajunt, ſub nomine vel Κερωνίας vel Κερατωνίας, nuda conjectura nituntur. Sed & aliæ heic ſunt tenebræ, qua vi perrumpo, & dico:

II. Caſſia ſolutiva, de qua agimus, eſt ſiliqua ſeu fiſtula illa cubitalis, cujus ſuccus niger & dulcis dicitur in Officinis *Flos Caſſiæ*, aut etiam *Caſſia tracta*, *extractave.*

III. Hujus notæ ſunt 1. ut fiſtula ſit recens, eo modo, quo explicat Alpinus. Quæ enim in Ægypto diu repoſita fuit, evanida eſt. Si accedat longior mora, antequam in uſum veniat, pejor eſt.

IV. Qui, ſecundo loco, fiſtulam quò majorem, eo meliorem pronunciant, falluntur, & fallunt, ut idem Alpinus docet.

V. Eadem nigredinis ratio eſt. Verus color eſt cum rubedine nigreſcere. Quod idem Alpinus proprium eſſe ait uſualis noſtræ. In India enim tam Orientali quàm Occidentali, ſecus ſe habere abſurdi nihil eſt.

VI. Controverſum eſt, debeant ne fiſtulæ concuſſæ ſtrepitum edere, aut non edere? Alpinus affirmativam tuetur. Nam & in arboribus à vento motæ ſonum edunt. Vulgò fiſtula requiritur æqualis & ſplendida, gravis & ponderoſa, cui cortex tenuis & fragilis. Sed revera, ut idem ab experientia habet, hæc exteriora omnia fallere poſſunt.

VII. Veniendum igitur ad pulpam ipſam, quæ tres notas habet, præ nigredine ſplendet, pinguis eſt: dulcis ferè ut pruna, ſed cum aromatica quadam acredine. Quæ enim vel acerba eſt, ob immaturitatem, vel acida, ob vetuſtatem,

in vitio eſt. Summa, quæcumque Caſſia cum dulcedine quadam æqualiter afficit fauces, nullo modo mordicans, illa eſt bona, qualiſcunque ſit fiſtula. Hoc caveri debet, ne aëri exponatur. Quo modo ſi ſervetur, quamdiu maneat bona, dici exactè non poteſt. Nam neque ſcitur quamdiu in Ægypto hæſerit, quamdiu in mari, quamdiu Venetiis. Uno verbo, quamdiu dulcis eſt, tamdiu eſt ſecurus uſus ipſius.

VIII. Dulcedo hæc teſtatur, in activis vel temperatam eſſe, vel non ultra 1. caloris gradum in paſſivis, attingere ſecundum. Et quia humiditas dominatur caliditati, facilè aceſcit, nec diu poteſt ſervari extracta: in Diacaſſiis multò minus durat.

IX. Uſus ipſius eſt in ardoribus tam externis, quàm internis, quarum illas egregiè mitigat: in his etiam purgat, non lubricando tantùm, & abſtergendo: ſed & vi quadam propria, quæ in vàldè recentibus conſtituit maleficium illud, Ægyptiis etiam cognitum, ingratum illud, quod plerique ſentimus. Sed & ſimul ad renes abducit tenues humores, idque, ſubſtantia illa aquea, qualis etiam in violis Martiis.

X. Purgat bilem & ſeroſos humores, modo ſola, modò cum Agarico. In calculoſis, in quibus præſupponuntur calidi renes, Ægyptii pro ſecreto habent cum ſaccharo candi, & pulvere glycyrrhiſæ. Sed & ſola hoc facit, ob cauſam dictam. Monardis, & cum eo Matth. pro infallibili præſervativo habent ℥iij. quotidie tribus horis ante prandium.

XI. Tamen monet Fallopius, in ardore urinæ intutum eſſe uſum ipſius, quod ducat ad locum affectum. Hoc fieri putem, ubi calor valde intenſus, cui domando non ſufficiat medicamentum debile. Hac in re videndum, ne partes lignoſæ ſint admiſtæ, quod ab his augeatur vis purgatoria alterum tantùm, Falloppio auctore. Quod ſi verum, cauto eſt opus in doſi.

XII. De laudibus tantum illi decedit, quantum Aloë, de qua dixi, quod ſatis eſt. Habet enim Caſſia hæc duo mala. Humiditate enim ſua diſſolvit tonum ventriculi, & flatus gignit. Utrumque tollit admiſta Hiera, v. g. Caſſiæ ℥ij. ad Hieræ Simpl. ℥j. Hoc modo frequenter utitur Maſſ. & dicit habere ſe a Curtio. Eadem Hiera tollit tarditatem ipſius. Huic medetur Julius Alexandrinus *in Salubribus*, fortioribus aliis medicamentis, quorum acrimoniam viciſſim illa obtundit lentore ſuo.

XIII. Solius Caſſiæ doſis, purgandi gratia, eſt ℥ß ad ℥j. ß. Averroës amplius dat, à ℥x. ſcil. ad xv. Dia-Caſſiæ (vocantur etiam Electuarium & Confectio de Caſſia) valde variant pro proportione mellis & aliorum additorum, & rarus ipſarum uſus eſt per os. Debent autem fieri cum opus eſt, quia facilè aceſcunt, ut dixi. Sed & aliis opus eſt, ne periclitemur.

XIV. Meſue monet, Caſſiam non eſſe dandam ſolam, vel illis, qui alioqui lubri-

lubricam habent alvum, vel illis, qui nimis duram. His enim dandam eſſe cum iis, quæ amplius lubricant, v. g. ol. amygd. dulc. illis cum adſtringentibus, Rhab. Myrob. Maſt. & ut Trincau. cum aloë, & ſem. citri. Hinc naſcitur aliud præceptum, non dandum eſſe iis, qui habent inteſtina debilia, hoc eſt qui laborare ſolent colica, diarrhœa, dyſenteria.

XV. Quamvis conſtet exemplo prunorum 2. *Alim. c.* 31. omnia lenientia ſumi debere modico ante cibum tempore: non eſt tamen modicum illud ſatis definitum. Caſſiam vulgò bihorio dant, quidam una hora antè: at Monardis multorum annorum experimento didicit, non eſſe dandam niſi ſemihorâ tantùm ante cibum. Tum enim una cum cibo facere quod debet. Sin (addit) non vacuandi gratia, ſed acres humores contemperandi, non referre, quot horis ante detur. Semper enim in vaporem ſoluta Caſſia fertur in totum corpus, non autem ad alvum it. Idem tamen excipit, in acribus defluxionibus dandam eſſe duabus horis poſt levem cœnam: ita etiam in renum & veſicæ malis. Memini Ill. Saxoniam pro lectione dicere, Capitis dolores poſt cibum non curari felicius, quàm Caſſiâ poſt cibum. Hoc poſtea inveni apud Helideum, qui curaſſe ſe ait hoc modo pertinaciſſimam ophthalmiam.

XVI. In calidioribus renibus inſigne eſt remedium, præſertim ſi addantur ſemina papaveris albi aut lactucæ, ſed neceſſe eſt, ut præmittantur alia purgantia. Si enim Caſſia repererit primas vias impuras, deducet eò. Hinc eſt id, quod dixi ex Falloppio *de ardore urinæ.*

XVII. Quamvis videatur flatulentia illi adimi additis carminativis: præſtat tamen abſtinere ab illa in hypochondriacis, propter inteſtinorum debilitatem. Ita in gravidis laxiora facit acetabula: Ita in podagricis infirmat ligamenta.

Propter dulcedinem prohibent quidam in pueris verminoſis. Credo, ſi ſola detur: at ſi addantur amara, præcipuè oleoſa, v. g. oleum amygdalarum amararum, nucum, cum radicibus graminis filicis, &c. felicior erit eventus.

Caput VIII.

DE CHERUA SEU RICINO
ejuſque ſucco Ghilfa-jemore.

I. ITa loquor, quia penè certus ſum, ſuccum XI. Cluſii 4. *Exot.* 8. ſub hoc nomine deſcriptum, & hactenus in Officinis uſurpatum, eſſe ſuccum, non floris, ſed ſeminis Ricini, κρότωνος Græcè dicti, ob ſimilitudinem quandam cum muſca canina. Ægyptii Kiki vocant. In hoc ſucco quia inventi ſunt cortices ſeminis hujus, ſuſpicati ſunt quidam, eſſe ſuccum ipſum. Vocare videtur Bontius, *Medicinæ Ind. c.* 9. Cambodja: Gummi ad podagram Monardis eſſe ſuſpicatur Reudenius in tr. pecul. Leidæ anno 1625. Meditatur aliquid ſuper eo Hochſteterus, extremo Obſervat.

II. Objiciunt aliqui. Atqui ſuccus ille Ricini noſtri eſt planè aqueus, neque unquam ad conſiſtentiam illam redigi poteſt: An igitur eſt miſcella ſucci ricini cum ſucco Rhabarbari, qui effluit, cùm cultum e terra ſcinditur in fruſta, & funibus trajectum ſiccatur? Soli Indi ſciunt quid ſit, nos conjecturis contenti ſumus.

III. Purgat ſeroſos humores podagricorum & hydropicorum. Doſis ab initio fuit gr. vij. vel. viij. poſtea ad xv. ventum eſt, imò ad ℈j. quin ʒj. Vide Freitag. 2. *Purg.* 42. Cam. noſter *in Diſp.* vidit guttas duas olei feciſſe ſuperpurgationes.

CAPUT IX.

DE COLOCYNTHIDE.

I. Κολόκυντα, & Atticè καλόκυνθα, eſt *Cucurbitæ* genus domeſticum, & edule: at κολοκυνθὶς, diminutivum, eſt ſylveſtre & medicamentoſum, & ruſticis notum, ſub nomine *Coloquinthen.* Quod qui negant rectè fieri, nimis ſapiunt. Qui confundunt cum τῷ σικὺς, σικυὸς, ἡ σικυία, ignorantibus accenſendi ſunt. Eſt enim *Cucumis*, ſeu *Cucumer.* Eidem culpæ affines ſunt, qui σικυώνην, ἢ σικωνιὰν Colocynthide jungunt. Eſt enim *Cucuminarium.* Scio, quid differentiæ ſtatuatur inter κολόκυνταν, καὶ σικὺν apud Athen. l. 2. ſed contemno. Reſtringenda enim potius fuerat ἡ πολυωνυμία, quam dilatanda, ut ſervetur proprietas ſermonis.

II. Dioſcor. tantis paraſangis diſtringit τὴν κολόκυνταν καὶ κολοκυνθίδα, ut mirum dictu ſit. Idem τὴν κολοκυνθίδα appellari ait κολόκυνταν τῆς ἀιγὸς, quod diſplicet Marc. Virg. Leg. enim eſt κολόκυντα ἄγριος, aut, ſi ita vis ἀγρία, ut eſt apud *Gal. in Gloſſ.*

III. Hoc adeo dico propter Dod. & alios, qui dicunt *Anguriam* ſeu *Citrullum* Officinarum eſſe *Cucurbitam Sylveſtrem.* Quo modo enim *Anguria* in hoc genere eſt ſylveſtris, cùm ſit edulis? Quamobrem nolim illam quoque ſeparatam à cucurbita domeſtica. Nec qudem cogit Aëtii auctoritas, qui *Anguriæ* vocem commentus eſt. Sed hæc aliena.

IV. Ad rem facit, quod Bauhinus tot facit *Colocyntidos* ſpecies, quot ſunt varietates fructus. Melius, niſi fallor, Cæſalpinus, 5. *Hiſt.* 3. Sed tranſeat.

V. Uſualis eſt, quæ apud Bauhinum ſecunda eſt, apud Cæſalpinum ultima. Uſurpatur κολοκυνθίδος τὸ ἔνδον, *medulla fructus.* Is colligitur autumno, cum viriditas ipſius ſenſim in pallorem vertitur: Meſue diſtinguit in marem & feminam. Illam lanuginoſam, ſubaſperam, duram, nigricantem reprobat: Hanc magnam exactè maturam, lenem, laxam, raram, levem, cujus cortex flavus, me-

medulla albiſſima & leviſſima, probat. Idem commendat, ſi afferatur ex locis laxis & liberis non concluſis, reprehendit, ſi ex uliginoſis, ſordidis, non perſpirabilibus, ubi ſerpentes ſoleant habitare, ubi thermæ ſint in vicinia. Reprehendit imprimis eum fructum, qui ſolus in planta aliqua excreverit, præſertim, ſi planta illa etiam ſola ſit. Hæc omnia ſi attendantur, nunquam tutus erit uſus ipſius. Neſcimus enim quomodo collecta ſit. Reprehendit etiam immaturum fructum, qualis apud nos naſcitur, quique in uſum recipi non debet.

VI. Præter candorem in medulla, Aëtius & Actuarius requirunt etiam mollitiem & teneritudinem. Quæ enim aridiuſcula damnatur. Quod ne fiat citò, reponenda eſt cum cortice, quod tamen noſtri negligunt. Debent illi addi maſtix, galanga, & talia, quæ ſenſim corrigunt malitiam ipſius. Durat hoc modo per 4. aut plures annos, ut Caleſt. obſervavit.

VII. Quod ad facultates, ex inſigni amarore, quem habet medulla, de qua etiam præcipuè agimus, oſtendit Menſue, calidam & ſiccam eſſe in 3. gradu, fortaſſis incipiente. Quod addo propter eos qui in 2. ſubſiſtunt. Propter hunc, inquit Gal. 6. *Simp.* 1. omnia poteſt, quæ amariſſima quæque: ſed non præſtat, quia ob validam vim purgandi per inferiora, citius per inteſtina cum iis, quæ purgat, abit, quàm ut moram trahat.

VIII. Eſt medicamentum viroſiſſimum & tantum non mors ipſa, ut Prophetarum filii clamant, 2. *Reg.* 4. Non tantum enim κακοςόμαχον eſt, ſed & abraſis inteſtinis, dyſenterias facit. Violentiam ipſius vel hoc indicat, quod ſolo tactu & odore, abundè & cum magna perturbatione alvum dejicit, quod experiuntur qui eam pinſunt, aut alioquin tractant. Non tantum enim validiſſimè concutit totius corporis habitum: ſed exagitat etiam vi ſuâ maleficâ omnia viſcera, præſertim cor & hepar, quantumvis diligenter præparetur & corrigatur. Diligentia in primis illa eſt, ut non detur, niſi in malis pertinaciſſimis, viribus adhuc integris.

IX. Purgat enim ex diſtantiſſimis locis, quò alia medicamenta vix perveniunt, humores craſſos, bilioſos & melancholicos. Ideo tantoperè commendatur in affectibus, diuturnis nervorum, articulorum, viſcerum obſtructionibus, colicis, hydropicis: ſumma, ubi malonodo malus quærendus cuneus eſt. Ita enim eſt, ut Maſſarias alicubi conqueritur. Non curamus graves morbos, quia nunquam expedimus nos à lenientibus. In his tamen malis non ſubitò oportet provolare ad Colocynthidis ſubſtantiam, per os dandam. Quæ enim in imo ventre ſunt, in iis fere ſufficit inunctio umbilici, partiumque vicinarum. Ubi verò inunctio non præſtat quod debet, clyſteres defectum ſupplent. Poſt hæc antequam ſubſtantia detur, infuſa vel decocta præſtò ſunt. Tandem ſubſtantia, ſed benè correcta. Ea verò valde operoſa eſt. Prima & potiſſima conſiſtit in exactiſſima pulveriſatione. Niſi id fiat, partes quædam ſubſtantiæ, inteſtinis hærentes & vaſorum ora arrodentes, inſtar hirudinis ſanguinem trahunt.

X. Hoc

X. Hoc ne fiat, in præparatione *Trochiſcorum Alhandal (Handal eſt Colocynthis Arabum)* Meſues incidit primum forficibus: deinde mucagine Tragacanthæ aut Bdellii oblinit, ſeu, ut loquuntur pharmacopœi, involvit: tum ſiccat, & tenuiſſimè terit: tandem cum ladano, in oleo roſaceo ſoluto, cogit in paſtillos. In his latet altera correctio, quæ fit per pinguia & lubricantia, quæ obtundunt acrimoniam ipſius. Sed enim, quia Aëtius animadvertit, non ſufficere hanc curam, quod appareant etiamnum ſenſibiles colocynthidis partes, quæ madefactæ malum minentur: poſtquam ſatis diu in ſicco habiti ſunt Trochiſci, inſtante uſu, mulſa irroratos denuò, exactiſſimè terit iterum. Hoc bis, ter, quater faciunt diligentiores, ut toties reformati fiant vel tandem innoxii. Quin ne hoc quidem ſatis eſt: ne Cordi noceant, addunt cordialia, qualis Gallia moſchata: ne ſtomacho, adſtringentia, ſpica, maſtix. Huic interſatur Dodonæus. Vide ne cohibita per adſtringentia vi malefica aliquandiu, inſurgat mox violentior: Hanc cauſam eſſe putat idem Dod. cur Gal 1. κ. τόπ. 1. maſticem & bdellium removerit à pilulis de aloë, ut ipſe loquitur, à pilulis cochiæ ut nos hodie, quamvis Quintus addiderit. Vult igitur ratio, ut glutinoſa talia accipiamus, quæ non adſtringunt, v. g. oleum amygdalarum dulcium, violaceum &c.

XI. De decoctione hoc moneo, falli Serapionem, qui Colocynthida parum coquendam eſſe ait Credo ego potius Meſue, qui validè coquit.

AUCTUARIUM de Trochiſcis Alhandal.

XII. ESt quidem ita, compoſitio hæc nihil aliud eſt quàm correctio Colocynthidos: ſed ſunt ea in re magnæ difficultates, quod quædam Diſpenſaria recipiant ℥x. quædam non niſi ʒ totidem. Ideò dicendum eſt aliquid. Qui ℥ habent, videntur niti melioribus rationibus 1. ℥j. olei nimis magna quantitas eſt ad ʒx. Fit enim inde confectio tota oleoſa, & facilèranceſcit. Imò, quia facilè fiunt rancidi, etiam cum ℥. accipiuntur, quidam prorſus omittunt, & in fine tantùm illinunt, non oleo roſaceo ſed amygdalarum d. 2. Nimis magna corrigentium, major omninò quàm Colocynth. At *univerſalis regula eſt*, inquit Mercurialis *ut corrigentium ſemper ſit minor doſis.* Si computes, quod facit Caleſt. ad Coloc. ʒj. corrigentium ʒij. cum grc. xxxvj. venient. Contrà, ſi ℥. ſumantur, ʒiij. Coloc. habebunt corrigentium ʒj. cum paucis granis. 3. Hac ratione fiet, ut Colocynthidis acrimonia non frangatur tantum, ſed tota obruatur. Hinc fiet, ut non purget, ſed in inteſtinis hærens, tormina cauſetur, & fortaſſis dyſenteriam.

☞ XIII. Qui ʒ præferunt, acredinem inclamant Colocynthidis. Quibus quia obſtant, allatæ rationes, dicendum eſt; Si compoſitio videbitur major ad proportionem Colocynthidis minuite etiam doſin corrigentium; accipite, inquam ad ʒx. gummatum ana ℈ij. gr. v. Hæc octava pars eſt. Quæcumque doſis placeat, obſervetur Aëtii præceptum de refingendis Trochiſcis. Si ℥. ſumantur, in granis ſubſiſtendum fuerit, & vix attingendus ℈j. ſin ʒ. tuto dari poterit ℈j. aut etiam

tiam ℈jß. ut eſt apud diligentiſſimum Foëſium. Hoc habito, non opus erit examine doſium Dioſc. Meſue, Pauli, Ruſſi, Act. recentiorum omnium.

XIV. De Hieris dia-Colocynthidos non exſpectat à me quidquam is, qui ſuperiora legit. Quibus additum hoc volo, quia *Confectio Hamech* (Major) nihil aliud eſt quam dia-Coloc. quippè in qua Colocynthis baſis eſt, poſſe illam locum habere in clyſteribus ad inſtar *Diacolocynthidum.* Hoc dico propter repreheníores meos, qui clamant; *Nolumus purgare.* Non ego purgo, ſed enema do, quod excrementa totius corporis ad inteſtina vocet. Hoc feci hactenus felici cum ſucceſſu, & faciam porrò, idque auctoritate præceptorum meorum in Italia. Et quid? Ipſimet dant *Hieras dia-Colocynthidos.* Ego in robuſtioribus do doſin Confectionis ℥ß. etiam ʒvj. De *pilulis ex Colocynthide* ſecurus ſum.

CAPUT X.

DE CUCUMERE ASININO.

I. Commodum ſeſe ingerit heic cucumis hic, ut rectius explicetur controverſia, ſuperiori capite tacta, ὁ σίκυς ἢ σίκυος tam non eſt κολόκυνθα, quam Cucumis non eſt Cucurbita. Eſt ſimpliciter Cucumis, aut Cucumer. Non poſſum aſſentiri ſcrupuloſiſſimo alioquin Guil. aſſerenti, σίκυον, aut ut alii, σικυὸν, eſſe generalem appellationem omnium horariorum. Eſt, ut dixi, Cucumis, & is quidem duplex, ſativus, qui reſpondet τῇ κολοκύντῃ: & ſylveſter, ſeu aſininus, qui τῇ κολοκυνθίδι. Quò magis miror, Bauhinum *in Pinace*, tanto intervallo ſeparare.

II. Eſt autem ſativus propriè oblongus ille fructus, ferè incurvus, quem *Rummerling* vocamus nos, alii *Gortten.* Is cum magis increſcit, & in rotunditatem pomi cydonii, μήλων dicitur: cùm carinatus etiam fit, πέπων, aut compoſito vocabulo μηλοπέπων. Hæc ex antiquitate velle eruere, ſuperfluus labor ſit. Vulgus enim ut imponit nomina, ita mutat pro lubitu. Omnes hi fructus ut ad Diæteticam pertinent: ita præſcripti à nobis ad Pharmaceuticen.

III. Ex hoc duæ partes ſunt ex uſu Officinales radix & ſuccus ex fructibus, vel ſponte fluens, vel torculari expreſſus, qui Elaterium dicitur. Et eſt quidem vox ἀπὸ τῦ ἐλαύνω, ago vel agito: ſed eſt ſignificatio modò lata, pro omni purgatorio medicamento, modò preſſa, pro hoc ſolo. Unde intelligitur, quid ſit ἐλατήριον μικρὸν ἢ ἀσθενὲς, non medicamentum aliquod ſpeciale, Cucumeri aſinino oppoſitum, ſed leniens omne. Vide Animadv. in Theoph. 4. *Hiſt.* 6.

IV. Succus apud τοὺς χαρίοντας, eſt ſolus ille fructuum, de quo dixi: ſed apud Mercatores parum prudentes, etiam radicum & foliorum, quin ſeminum quoque incluſorum. Verum eſt, purgant omnes hi ſucci, & ſatis violenter: at

Medici rationalis valdè intereſt ſcire, quale ſit Elaterium, quod Pharmacopœus imponit tabulæ.

V. De hoc noſtro in univerſum eſt habendum, colligendum eſſe ante perfectam maturitatem fructus, qui loquendi modus benè ponderandus eſt. Non enim debet hoc fieri, antequam incipiat matureſcere cucumis: ſuccum enim dat tunc viroſum, qui ὑπερκάθαρσιν facit, tandemque dyſenteriam, ut ego capio Meſue. Non debet etiam fieri poſtquam maturuerunt, non propterea quòd duriſſimi ſint, & parum ſucci dent, ut quidam contra rei naturam ſcribunt: ſed quòd ad primum contactum diſſiliant, itaque pereat, quod ad purgandum validiſſimum eſt.

VI. Nimirum, duplex habemus Elaterium, primarum dictum & ſecundum. Illud eſt, quod leviter compreſſo pomo effluit quaſi ſponte. Hoc, quod, affuſa aqua, vi elidetur per ſetaceum, & eſt carnoſum id, quod ſupereſt.

VII. Primarium, cujus gr. 1. tantum poteſt, quantum ſecundarii 10. ut diſſertantem aliquando audivi Patavii Campolongum, denſatur tantùm in Sole. Secundarium, ſi neceſſitas velit, extenditur ſuper cineribus calidis, ut ſenſim exſpiret affuſa aqua, relinquatur autem, quod de ſubſtantia cucumerali eſt, ut Dioſc. explicat Melichius in pilulis de elaterio. Tum verò, quod ſiccatum eſt, ſpiſſatur, & in vaſcula conditur. Quidam, ut diutius duret, in mortario tuſum redigunt in paſtillos.

VIII. Heic negotium faceſſit nobis Pena, *in Adv.* qui Rondeletii monitu, elaterium parat, ſi ita vocare licet, non ex pomo, ſed ex ſeminibus contentis, fretus ambiguitate duarum vocum καρπὸς καὶ σπέρμα. Ita eſt: poteſt inde fieri, ſed non eſt aggrediendum inſcio Medico. Is enim collatis undique notis, videbit, utrùm proprius accedat ad elaterium veterum, de quo dictum.

IX. Dioſcor. producit. 1. Album, non herbaceum, ut alii. 2. Leviter humectum, non exſuccum. 3. Læve & æquabile, non ſcabrum. 4. Leve, non ponderoſum. 5. Guſtu amarum. 6. Quod lucernæ admotum non facilè accenditur. In his dubia ſunt non pauca. 1. De colore maximum eſt: Impoſſibile eſt, inquit Cordus in Dioſc. ſuccum, de natura ſua viridem, fieri album, cùm ſiccatur. Deſcendit igitur eò, ut dicat, Dioſcor: miſcuiſſe notas ſucci è radice, qui verè albus eſt. Hinc Paulus, de fructu loquens, πρασίζοντα vult καὶ κοῦφον, quod explicant illi Herbaceum. Exercitatiſſimus Melichius ait, album non eſſe, ſi amylum miſceatur. Ego video, Dioſc. non ſimpliciter λευκὸν voluiſſe, ſed ἐκλευκοῦ ἔνικμον. Quæ oratio cùm congrua non ſit (colori enim color reddi debet) quid ſi legam ex Paulo, ἐκλευκοῦ πρασίζον, ἢ χλοῶδες. Sic conſpicuæ abſurditati mederetur, & daretur nobis in manus albor remiſſus, qui in porro eſt. Quid ſi Dioſc. vidit Elater cui remiſtus erat ſuccus radicis? 2. De *Sapore* litem ego Dioſc. moveo inclamando τὸ πικρότατον. Tale enim eſt quod ex fructu immaturo: at verò heic præſupponitur maturitas inchoata. Dico igitur, ſuperlativus eſt loco poſitivi, Hanc metalepſin dudum advertit Plinius, cùm *leniter amarum* vult. Vide exem-

exemplum ſimile *Not. in Gal.* 2. 2. Temp. 1. 3. De facili & difficili incenſu probo correctionem Roberti Conſtantini, Lex. in ἐλατήριον μὴ εὐκαὲς. Hæc petita eſt à Theoph. 9. *Hiſt.* 14. & Plinio, *l.* 20. *c.* 1. Vide 2. *Var. lect.* 2. 10. Quæritur, verumne ſit, quod iidem Theop. & Plin. prædicant, Quò vetuſtius, eò melius, maximè, ſi de 200. annis loqui velint? Nescio. Certè Paulus expreſsè ait, μὴ παλαιότερον ἐνιαυτȣ̃. Et Dioſcorides, à bimatu ad decennium purgationibus utile; à trimatu inchoat Plinius. Meſue poſt ſextum menſem incipit uti, & continuat uſque ad tertium annum completum. Hanc diſcordiam immanem dijudicet Experientia.

XI. De facultatibus dicturo obſervandi ſunt gradus, quos Galenus conſtituit in iis, quæ ex Cucumere aſinino. Elaterium ex fructibus eſt ſupremo loco: ex radice & foliis ſecundo, cortex radicis in 3. radix tota in imo.

XII. Elaterium ſimpliciter dictum eſt heterogenearum partium ex igneis terreis aduſtis, valde attenuatis. Quo loco dicendum, quod res eſt, Galenum inconſultò explicaſſe τὸ πικρότατον Dioſcoridis, per τὸ ἄκρως πικρὸν. Quod enim tale, non poteſt eſſe ὁ λίγον θερμὸν, hoc eſt in 2. gradu, ut ſe explicat, præſertim ſi ſimul acre ſit. Qua in re provoco ad ſenſum. Quin rationem addo, ſine acrimonia non poſſet eſſe tam inſigne ſternutatorium, quale prædicatur. Sed neque menſes tam potenter moveret, neque omnino tam furiosè purgaret, ſupra & infra. Hoc notare oportet propterea, ne credamus illis, qui ajunt, Theophraſtum prætuliſſe omnibus per ſuperiora purgantibus. Locùs eſt vitioſus, qui correctus aperit mentem Philoſophi. Agit de ſuperpurgationibus. Vide Animad. noſtras, *loco pridem citato.* De quibus cùm loquatur etiam Dioſcorides, quo modo ſimul dicere poteſt, ſine moleſtia ventriculi purgare? Verum eſt, dicit ille, δίχα τȣ̃ τὸν ϛόμαχον ἀδικεῖν ποιεῖται τὴν κάταρσιν; ego verò non video, quomodo ſimul ὑπερκατάρσεις cauſetur. Summa eſt in catalogo *des Teufels Kopf*, ut ſapientiſſimus Solenander vocat, furioſa illa.

XIII. Quò magis intentos nos eſſe oportet in correctionem vitiorum ipſius, quæ duo ſunt apud Arabas, præcipuè Meſue. 1. Acerrimum eſt, & ſcammonii inſtar aperit ora vaſorum. 2. Tardè purgat. *Priori* occurrit Meſue partim unctuoſis, quale tragacantha & bdellium, partim dulcibus, quale lac recens & mulſa. Poſteriori, acribus, quale ſal gemmæ, aromata, cinnamomum, ſpica, maſtix, quæ Helidæus etiam habet.

XIV. Correctio etiam eſt compoſitio Dioſc. ex juſta (de qua dicetur) Elaterii doſi, ſalis duplo, & gummi. Adſtipulor enim Paſino, pro ϛίμμεως legenti κόμμεως. Tu, ſi cum Moibano, Matthiolo, & Saraceno malis σινήπεως, poſſis. Interim non ſunt in uſu hæ pilulæ, loco autem illarum plerique omnes Practici, à Fallopio & Maſſaria inſtituti.

XV. Elaterii dant aliquot grana cum pilulis aloëphangæis ad ducendas aquas, non tantum hydropicorum, ſed & in quibus vel acidulæ, vel thermæ non pe-

netrant. Quod enim dudum dicere debui, Elaterium poſt iridem (quæ tamen nihil facit, niſi in magna doſi, ut ſuo loco dicam) eſt hydragogum excellentiſſimum, craſſis humoribus minus aptum.

XVI. Sed qua doſi? Ut præmonui, de elaterio ex fructu ſolo loquor. Hujus integer modus, inquit Dioſcorides obolus, minimus, ſemiobolus. Hoc eſt, ut nos loquimur, à gr. v. ad x. ſeu ℈ ß. Quem limitem etiam Plinius ponit.

XVII. Quo loco animadverte, cum Meſue maximam Dioſcorides doſim pro minima habet: dat, inquam à ℈ ß. ad integrum, non eſſe codices ipſius ſine ſuſpicione mendi. Revera enim ita eſt, ut poſt Fallopium, Maſſaria ait, ad ℈ ß. nemo ſanus aſcenderit: imo Maſſaria dicit, ſe nunquam ſuperaſſe, & quidem cum ℈j. alephang. Quo minus audiendi ſunt Paulus, Aëtias & Actuarius, qui ℈j ß. ſeu ʒ ß. exhibent. Interim Bontius, *Medicinæ Indorum c.* 9. a ℈j. ad ʒ ß. exhibent. Interim Bontius, *Medicinæ Indorum c.* 9. à ℈j. ad ʒ ß. venit. Impius verò procul dubio, niſi librarii culpa eſt, Wekkerus, qui ʒ integram.

C A P U T. XI.

DE CYCLAMINO SEU ARTANITA ARABUM.

I. Ἀπὸ τοῦ κύκλου, ab radice orbiculata, vocem Græcam eſſe omnes dicunt: ſed nemo inducit.

II. Dubito, annon una potius ſpecies ſit, varietatibus ſuis diſtincta, ut apud Theophilum. eſt 9. *Hiſt.* 10. Quam 8. aut 13. ut eſt apud Bauhinum, *in phytopinace*, & *Pinace*. Quod enim ad alteram Cyclaminum, Dioſcoridis & Galeni, eſt illa, mea opinione, figmentum merum, tàm diverſæ ſunt Botanicorum ſententiæ.

III. Quidquid ſit, Radix vulgaris, quæ ſola uſurpatur, apud Veteres non uno modo conſervabatur: apud nos ſicco tantùm loco reponitur.

IV. Meſue calidam & ſiccam facit illam 3. gradu, initio Inſigni prædita eſt acrimonia, quam etiam ad diſtans porrigit. Conſtat quidem partibus igneis plurimis, benè attenuatis: ſed & terreis, quibus abſtergit & adſtringit. Eſt errhinon inſigne, præſertim poſt purgationem ex hiera, ut Meſue ſcribit. Ciet etiam hæmorrhoidas, menſesque, vel ſucco appoſita in peſſo, vel affricta. Coxis appoſita partum promovet. Dico Coxis: Bracchiis enim in malo eſt. Fabuloſum apud me eſt abortum facere, ſi prægnans ſupergrediatur tantùm. In liene indurato foris tantùm appenſa creditur effectum habere.

V. Purgat cum tantò flagitio pituitam & bilem, nemo auſit dare interius. Quare etiam de doſi ſolicitus non ſum, ut & de correctione, quæ communis illi eſt cum aliis acribus.

VI.

VI. Habemus in Officinis duplex unguentem ἱπομφάλιον, de Arthanita dictum cum, ob virium defectum, non audemus dare aliquid interius. Eſt autem majoris hoc præcipuè munus, in ducendis hydropicorum aquis: minoris in emolliendis ſcirrhis, præſertim lienis. In deſcriptione utriuſque magna eſt varietas: ideò cauto opus eſt.

CAPUT XII.

DE EPITHYMO.

I. Epithymus, (uno verbo) eſt *Cuſcuta*, ἐπὶ τοῦ θύμου. Atque ut *Thymus* eſt duplex, ita Epithymus, in cujus defectu uſurpari poteſt *Cuſcuta tymbræ*, origani, hyſſopi, aliarum calidarum plantarum. Meſue diſtinguit ſecundum regiones, quibus naſcitur, quod in noſtro quoque faciundum.

II. Idem calidum & ſiccum eſſe ſtatuit 2. gradus at Galenus & Paulus in 3. quòd videtur illis dari poſſe, cùm enim thymus in hoc ipſo gradu ſit; epithymus autem nutriatur optimo thymi ſucco: ratio vult, ut ſit in ulteriori. Commendatur non ſecus ac ipſe thymus, ad affectus frigidos & pituitoſos, præcipuè viſcerum obſtructiones. Qua in re præſtat ipſam cuſcutam, quia adſtrictorium quid habet. Quin appropriatus eſſe creditur humori melancholico, non alterando, ſed purgando.

III. Duo habet vitia, tardè purgat, & acrimonia ſua nitroſa lancinat ventriculum. Ideo decoctioni adduntur paſſulæ, lac; alia: item ſal, piper, Zingiber, alia purgantia vehementiora.

IV. Maſſaria etiam flatulentiam timet, ideo carminativa addit. Apud nos cùm vix alio modo uſurpetur quàm in decoctione, obſervandum eſt, ut addatur in fine, quia fugax.

V. Tam variat doſis, quàm in ullo alio: Meſue quidem imponit à ʒv. ad xx. ego cum Maſſario contentus eſſe velim ℥j.

VI. De *Syrupo de Epithymo* ſciendum eſt, non facilè admittendam eſſe ſententiam eorum, qui præparando quoque humori melancholico adhibent. Habet enim præter epithymum, etiam alia purgantia, quæ ſi non dentur in juſta doſi, turbant. Comparatus hic cum Syrupo de *Fumaria compoſito* longè eſt calidior efficaciorque. Datur uterque in morbis diuturnis, qui ferè pendent ab humoris miſcella. Oportet dare ad ℥iiij. ad vj. Ita enim manifeſtè purgat. ℥ij. tumultum cient tantum.

CAPUT XIII.

DE ESULA.

I. QUàm certum eſt τὸ *Eſula* vel *Ezula* eſſe Arabicum, tam incerta eſt originatio, quæ ex Græco πιτύουσα petitur. Æque certum eſt, τὴν πιτύουσαν eſſe ex genere Tithymalorum: ſed æquè incertum eſt, ſitne *Tithymalus Cypariſſias* dictus. Me tenet diſſimilitudo foliorum piceæ, (ni mavis, pinus) cum foliis cupreſſi. Interim genere eſſe Tithymalum, ſpecie differre, libenter concedo Bauhino: ſpeciem à genere avellendam eſſe, nullatenus.

II. Propterea *Pityuſam* habeo pro 6. Tithymali ſpecie, quam *Tithymalum humipinam* vocat Bauhinus & cum Cæſalpino declaro pro *Eſula majore Meſ. Sic Eſula minor Meſ. erit Eſula exigua Tragi*, *Tithymalus* λεπτόφυλλος *Matth.* Quam geminam meam declarationem ſi quis expugnarit probabilibus rationibus, cedam potius quàm lites ſequar, daboque, *Cataputiam majorem* & *minorem* Bauh. ſubſtitui poſſe. Omnium enim Tithymalorum ſunt eædem facultates, differentia conſtituta ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον. Quod cùm olim fecerim publicè & fuſa oratione, jam contentus ero ſola *Eſula majore*.

III. Hujus radicem calidam & ſiccam eſſe principio 3. gr. Meſue ait. Tu ſcito, lac ejus etiam in 4. eſſe, adeoque cauſticum.

IV. Hæc, more omnium Tithymalorum, vehementiſſimè purgat, & quidem pituitam, aquam, & humores aduſtos, in tertianis & quartanis chronicis, in podagra, hydrope &c. Et licet mihi non deſint hiſtoriæ felicium eventuum: ego tamen numquam conſului, ſed ſui ſpectator tantum audaciæ vulgaris, quæ tota cochlearia admetitur. Si quis tamen uti velit, *Eſula præparata Officinali* utatur, quæ, inquam per 24. horas ſteterit in infuſione aceti acerrimi, iterumque exſiccata. Quidam per integrum triduum infundunt, & poſtea exſiccant in fornace piſtoria, ut, ſi ſpote, abſumatur omnis excrementitia humiditas, è qua geniti flatus miſerè vexant viſcera principalia.

V, Hujus doſis eſt à ℈ ij ad ʒ j. & ſine noxa purgat, uti accepi olim ab amiciſſ.. D. Casp. Dornavio, cujus hæc erat correctio ℞. Eſulæ præp. ℥ iiij. Macis, galangæ, ana ʒ ij. Spodij præp. ʒ j. Trag. bdellij, ana ʒ iiij. Fiat pulvis, cujus doſis à ʒ ß. ad j. *Pilulis ex Eſula* Fern. in Diſp. noſtro qui uſus fuerit, non vidi, & diſplicet totum. Doſis fertur ℈ ij.

C A-

C A P U T XIV.

DE EUPHORBIO.

I. OBſcurum eſt negotium tam apud Veteres quàm apud noſtrates. Hoc planum eſt apud *Plin. l. 25. c. 7.* ſcripſiſſe de planta *Euphorbia*, & ſucco ejus. *Euphorbio*, Jubam, Mauritaniæ regem, & appellaſſe ab Euphorbo, Medico ſuo, Antonii Muſæ fratre. Rurſus, intricatum hoc eſt, quod Dioſcorides l. 3. c. 78. Mauros quidem ſeu Mauruſios retinet: ſed Atlantem, montem Africæ, transfert in Aſiam minorem, Tmolum nominans. Intricatius eſt hoc alterum, quod Plinius ei dat folia *Acanthina*: Dioſcorides ναρθηκοειδὲς δένδρον appèllat. Scio, quomodo Cornarius, Amatus, alii concinnarint Plinii locum, ut reſpondeat Dioſcoridi. Quin Dioſcorides ad regulam Plinii corrigendus eſt, idque ex Gal. 9. κ. τὸπ. 3. ubi ait, eſſe φυτον ἀκανθῶδες, ἐν τῇ τῶν μαυρουσίων γῇ φυόμενον. Nimirum ab *Achanto* ſpeciali jubet nos ire ad generale *Spinas*. Huc deducit nos, ut ad noſtros eam, Leo Africanus, l. 9. Africæ, cujus verba habent Dodonæus Cæſalp. & Bauhinus in Pin. *Herba eſt ex toto aculeata, quæ caput Cardui ſylveſtris æmulatur. Inter ejus ramos exeunt fructus cubitales, & ampliores, craſſitudine citrulli, virides, granuloſis quibuſdam tuberculis diſtincti ut citrullus, veluti caudices 20. & 30. ex eodem ceſpite.* Hanc deſcriptionem ſi voles accommodare plantæ à Dodonæo pictæ & deſcriptæ 1560. ſudabis. Ubi enim ſunt rami à fructibus diſtincti? Excuſabit Lob. *Eſt planta tenella & imperfecta.* Sit ita. Etiam Illuſtr. Scal. Exerc. 181. num. 2. ex relatu Afrorum in regno Fes & Maroco, *Plantam quidem totam Cinaræ ſylv. comparat: fructus autem exire è radice cucumerum ſpecie, ſed oblongos adeo, ut binos interdum pedes expleant, 20. aut 25. numero, qui, ubi maturuerint, ferro punctim aperiantur*, &c. Videor mihi videre monſtrum plantæ, quod fructus edat ante caulem, & ipſos monſtroſos. Si vera eſt pictura noſtra ut non dubito, dicam, folia eſſe hæc, è quibus ut ex aloë petatur ſuccus, ſed eſſe quidem aloë diſſimilia, ratione tam craſſitudinis, quàm angulorum: ad Opuntiam autem accedere, quatenus folio feruntur. Sed iſta quidem commenta ſunt: quibus annumero, & Scal. adjudico, quod Pena *in Adu.* recentiobus tribuit, qui cunctos Mauritaniæ tractus admodum exploratos habuerint, ipſamque Euphorbii plantam frequentiſſimè viderint, &c. Non diſſimile eſt Bauhino qui in Matthiolo ex Cordo 4. *Hiſt.* 108. tribuit tenellæ noſtræ plantæ fructum in trifido folliculo, ternis utriculis conjunctum Lathyridi ſimilem &c. Revera, utraque fabula, & Penæ & Cordi, deſinit in hoc ἐπιμύθιον, Euphorbium noſtrum eſt Tithymali ſuccus, Lathyridiſve. Quò minus æquus ſum Materialiſtis noſtris, quod moniti etiam obtrudunt nobis mendax iſtud Euphorbium.

II. Sed illi quidem, quia lucrum tantùm ſpectant, aliquo modo excuſandi ſunt: at Medici, qui jurati accedunt ægros, non poſſunt conſulere conſcientiæ ſuæ. Nec ſatis eſt, Galenus ſubſtituit Tithymali ſuccum. Ubi? quæram ego. Nam

in

in iis ἀντιβαλλομένοις, quæ Cajus nobis dedit, & quæ ego adjecta volui GALENO meo, eſt κόπρος περιςερᾶς ἀγρίας. Et eſt alioqui liber ille tam deſpectus, ut nec Græcæ, nec Latinæ editiones habeant. Dico igitur, ſi olim Chamelææ ſuccus in Gallia vendebatur pro Euphorbio, ut Plinius nobis eſt auctor: quidni hodie quoque ſimilis fraus admitti poſſit? Sed ſatis pro his, qui ſapere volunt. Reliqui aut cum Cæſ. *App. cap.* 4, ex Tithymalo quocunque parent ſibi Euphorbium eo modo, quo ipſe ſcribit: aut ex venali, quod ſemina & conceptacula Tithymali habet, eligant, quod optimum videbitur.

III. Tale eſt quod ex Dioſcoride pellucidum eſt, ſarcocollæ modo II. ex Meſue quod læve & friabile, quodque (aloës ad inſtar) in calore molleſcit, quin, quod in oleo calente facilè diſſolvitur. III. de colore controverſia eſt. Meſue enim præfert flavum Galenus 2. κ. τοπ. vetuſtatis indicium eſſe ait. Ab utroque ſecedit Falloppius qui lacteum vult, ſi non omninò foris, intus tamen. An hic color cinereus, quem Foëſius deſiderat? IV. De ſapore video conſenſum eſſe, acerrimum eſſe debere. V. de odore idem dicendum eſt. Teſtantur id *I. ragazzoni* Italorum, qui tundere coguntur. Ut enim Mathiolus loquitur, quantumvis bene muniti ſint, tamen ſine maledictis non faciunt. De ætate valde controvertitur, Galenus enim l. c. ut & 3. κ. μέν. 4. Euphorbium in ſuo vigore vult eſſe primo anno: ſecundo multum deficere: magis tertio & quarto: poſt hoc tempus, evanidum. Quæ cauſa eſt, ut loco citato & 1. κ. τοπ. 1. recens velit, quod intelligo de primo anno. Quod enim deinceps, accipit in duplo. Atat, Meſue Euphorbium unius anni bis vocat venenum, & ait, validum eſſe uſque ad quartum annum. Ego conciliationis nec umbram video, cùm res ſit in experientia: interim, quo languidior & ſapor & odor, tantò ipſum debilius. Quò minus citò declinet, Meſue jubet ſervare in fabis, milio & lentibus. Quod de ventriculis ovillis dicitur, ineptum eſt.

IV. In facultatibus Galenus 7. *Simpl.* valde parcus eſt. Dicit enim tantum hoc cauſticum eſſe cùm partium tenuitate. Ubi notandum, Tithymalos quidem in eodem reatu eſſe, ſed cum partium craſſitie, ideo tantum moleſtiæ tundentibus non exhibere. Interim cùm ventum eſt ad uſum interiorem in viſceribus refrigeratis, nec Euphorbii uſum tutum eſſe, nedum Tithymalorum. Hac in re cautiores nos reddat exterior uſus. Minimum enim Euphorbii in oleo lævigati, tamen veſicas excitat.

V. Hoc commendat nobis Galenus in alopecia & ophiaſi 1. κ. τοπ. 1. cùm ait, Ita utendum eſſe recenti Euphorbio ut primum in minima doſi injiciamus, & videamus, quousque calefecerit. Hoc periculum in interioribus facere non poſſumus.

VI. Tu autem vide mihi, quanta diligentia uſus ſit Galenus in parando oleo de Euphorbio & contrà, quàm deſides ſint pharmocopœi noſtri cum Meſue ſuo! Vide verò 1. *Var. lect.* 13. ne moleſtus tibi ſim iterata recenſione.

VII.

VII. Idem volo dictum eſſe de doſi ad purgandum, quæ eſt cap. 12. præced. ne putes incognitam fuiſſe priſcis eam vim. Eſt autem doſis ob. iij. ſeu ℈j ß. In qua acquieſce, ſecurus quid alii moliantur. Ad hanc normam dirigas licet Pil. de Euphorbio.

VIII. Moneo vero inſuper duo. 1. Ne detur ulli calido & ſicco, præſertim in morbo tali. 2. Ne tenuitur pulveriſetur. Contrà enim quàm in Colocynthide faciendum eſt.

IX. Corollarii loco hoc addo. Quod Dioſcorides de aliorum ſententia ſcribit, de inciſione cutis capitis, & inſperſione Euphorbii, id videri perquàm eleganter explicuiſſe Cæſalpinum *App. l. c.* videri etiam mihi, ignem hunc potentialem idem agere, quod actualis in aduſtionibus Ægyptiorum, de quibus Alpinus, 3 de *Med. Æg.* 2. Memini in curatione aſthmatis proponere illum collegialiter, ſed non audiebatur. Præter loca Hippocratis & aliorum ab ipſo allata, offendi alium apud Trall. lib. 8. 13. ubi ſcribit, veniſſe ad ſe militem lienoſum, qui è regione viſceris illius inuſtam habuerit cutim barbaricis ferramentis.

CAPUT XV.

DE FRANGULA.

I. QUod facilè frangatur, dicta eſt arbos quædam, alno non valde diſſimilis. Quò retuliſſe Bauhinum *in Pin.* & vocaſſe Alnum bacciferam, ut gaudeo: ita optem, vulgarem Alnum nominaſſet coniferâm. Quæ enim pro Theophraſto dicit de ſignificatione τῦ Sterilis, ingrata ſunt, quia ſenſus refutat. An potius κλήθρα Theoph. 1. *Hiſt.* 1. quæ ἄκαρπος dicitur, & μονογενὴς, eſt altera quædam planta? quia τὸ μ. heic φρυγανώδει competit.

II. Sed ſit: quid apud Veteres eſt *Frangula*? Dioſcoridi ignotam fuiſſe conſtans fama eſt. *Colyceau* Theophr. eſſe divinat Pena, *Adu.* f. 440. Si indicat 1. *Hiſt.* 18. κολοιτίαν περὶ Λιπάραν eſt. Si 3. *Hiſt.* 14. & mox 17. tantæ ibi ſunt tenebræ, quantas vix credat quis. Sed nec *Siler* Plinii eſſe l. 16. c. 18. facilè perſuadebor. Nec ſpeciem *Jovis barbæ*.

III. Uſus eſt in Officinis quibusdam corticis interioris lutei, quem colligere oportet tempore verno, & ſiccatum reponere. Viridis enim ventriculum ſubvertit. Habet hic inſignem hanc laudem, quod Rhabarbari modo purget cum adſtrictione.

IV. Verumtamen eſt heic inſignis nodus, Niſi, inquiunt, primæ viæ perpurgatæ ſint, ſpurcities impingit oſculis vaſorum Meſaraicorum, è quibus difficulter iterum eluuntur. Sed ubi id factum eſt, medetur etiam ſcirrhis utrius-

 que

que viſceris. A Rhabarbaro in hoc differt, quod primariò purgat craſſos humores, ſecundariò tenues. Facit id non ſine violentia. Unde Dodonæus vocat Ruſticorum medicamentum in cachexia, hydrope, ictero, in quibus decoquitur cum Eup. Cuſc. Lupulo, abſinthio Pont. &c.

5. Correctionem eſſe putant, ſi reponatur decoctum per triduum, quatriduum uſque dum flavus color in nigrum vertatur. Mihi corruptio heic ſubolet.

Caput XVI.

DE FUMARIA.

I. F*Umariarum* ſumma diviſio apud Bauhinnm eſt in *Bulboſas & non Bulboſas*. Ex utroque ordine petitur una tantum, ea videlicet, quæ utrobique prima eſt. Verùm, quia *Bulboſa* nomen habet *Ariſtolochiæ*, agetur de illa inter Alterantia. Quæ relinquitur, *non Bulboſa*, eſt *Fumaria Dioſcoridis* Matth. Tragi, Dod. *Capnos* Lob. & Penæ, *Erdtrauch*.

II. De primis ejus qualitatibus ſtatim oritur controverſia, Calida ne an frigida ſit? Galenus enim dicit, acrem & amaram eſſe, nec omnino acerbitatis expertem. Propterea volunt quidam, heterogenearum partium eſſe, ſed ita, ut prædominentur calidæ. Contrà Avicenna diſertè ait, frigidam eſſe in 1. gr. Et Meſue, frigiditatem dominari caliditati. Quid Coſtæus in Meſue dicat, ſcio. Mihi Meſue ipſe hoc ſubminiſtrat, in ſuperficie foliorum eſt caliditas quædam, cujus comes acredo, quæ ſubitò ferit guſtum: ſed in profundo illorum eſt frigiditas, quæ prævalet, cui additur ſiccitas, ad ſecundum utrobique gradum.

III. In ſecundis quia aperit, attenuat & abſtergit, commendatur à Galeno in viſcerum obſtructionibus, quæ etiam roborat adſtrictione ſua. In his obſtructionibus Aëtius tantoperè commendat ſuccum, ut dicat, Semel quidem adhibitus dolorem omnem adimit: ter autem præbitus morbum omnem radicitùs tollit. Intellige, ſi in ea quantitate detur, ut purgare poſſit: ſed & in dolore colico à pituita viſcida; in minori doſi laudes ſuas habet digerendo, attenuando, abſtergendo, tandem abducendo. Hac in re prærogativam habet *Fumaria lutea*, *Splith* Dalmatis vocata, *Corydalis* Galeni credita. Sed negat id Pena, dicens, vulgarem noſtram idem poſſe, ſi modo in juſta detur quantitate

IV. Sum ejus ſententiæ, & in obſtructionibus, & in dolore colico multum præſtare vi ſua diuretica. Deponit enim materiam ad vias urinarias. Si, ut poſt Dioſcoridem ſcribit Galenus urinam biliosam tantum ducit, crediderim, in eam colicam, quæ in Paralyſin degenerat, plurimum poſſe.

V. Non diuretica tantum eſt, ſed & ſudorifica. Ideò datur aqua fumariæ in

lue Venerea, in peſte cum Theriaca. Imò ex quacunque cauſa ſudaturi in balneo, conſervam fumariæ præſumunt.

VI. Facultas purgatoria an nota fuerit Veteribus in dubio eſt. Sed ita eſt: Copia doſeos facit, quo minus frequentetur, ut Pena ratiocinatur. Si igitur ℥ij. non purgant, non ob id prorſus non purgat. Sed & tum, cùm juſtam doſin aſſecuti ſumus, non vehementer purgat. Eſt enim inter benedicta, ſi Meſue fides eſt.

VII. Purgat, eodem auctore, bilem & aduſtos humores. Alii ſerum omne.

VIII. Sed quæ eſt doſis illa juſta? Sine ambagibus, ſto cum illis, qui ajunt, mentem Meſue & Avicennæ eſſe, ſuccum quidem dari debere ab ℥v. ad xj. decoctum autem ad xv. pulverem à iij. ad v.

IX. Quod ad *Syrupum* eſt ille duplex, major ſeu compoſitus: minor ſeu ſimplex. Minoris uſus eſt ad præparationem humoris ſalſi & aduſti, præcipuè in ſcirrhis viſcerum.

X. De *Majore* valdè humiliter ſentio, cùm propter inſuavitatem, tum propter Caſſiam, quæ facilè muceſcit & aceſcit. Peculiariter diſſuadeo, ne poſt diuturnum ſimplicis uſum, utamini pro alterante. Quis enim credat, tot incluſa purgantia non facere medicamentum purgans? Quod ipſum ſi in minori doſi ſit, turbabit, ut ſuprà dixi. Repeto autem illud, Syrupum de epithymo & calidiorem & efficaciorem hoc eſſe.

XI. Eſt autem & hujus doſis ad ℥v. vel vj.

XII. De *Pilulis* hoc dubium eſt apud Pharmacopolas ſuccus an aqua fumariæ ſit accipienda pro incorporatione? Qui ſuperiori ſæculo de conſilio Avicennæ aquam ſumſerunt, habuerunt intra paucos dies lapideam maſſam. Verùm, cùm nec illi ſentirent minorem exſiccationem, qui ſuccum ſubſtituerant: captum fuit conſilium de irroratione cum melle deſpumato, in quo ſuccus fumariæ ad perfectionem coctus ſit.

XIII. *Pilulæ ipſæ* ſimiles ſunt facultate *Indis*, quanquam debiliores. Infra ℈iv. non purgant. Uſus in ſcabie & pruritu.

XIV. Conſerva apud me in magna æſtimatione eſt, ad expediendas viſcerum obſtructiones, poſt univerſi purgationem.

CAPUT XVII.

DE GRATIOLA.

I. GRatiolæ apud Botanicos multæ ſunt: de qua heic agimus, eſt *Gratiola Centauroides* Bauhini cui peculiarem rubricam attribuit poſt *Centaurium minus*, cujus ſpecies eſſe videtur. Utraque enim eſt amara: utraque purgat: utraque eſt foliis rutæ: inter ſpurias Centaurii appellationes ſunt, quæ *Gratiolæ* huic debetur.

II. Interim alii aliò divertunt, vel ad *Pap. ſpum Dioſc.* vel ad *Saponariam ejusdem:* vel ad *Perſic. min. ejusdem:* vel ad *Ocymaſtrum arvorum:* vel ad *Centaurida Theoph.* vel ad *Eup. Meſue:* vel ad *Hyſſ. montis ejusdem:* ad alias, quas prolixè commemorare labor ſit.

III. Uſus eſt, vel plantæ totius decoctæ, vel facto inde Extracto: vel foliorum tantum, aut in pulverem redactorum: aut in conſerva: vel ſeminis, idque rariuſculè.

IV. In facultatibus valdè vicina eſt *Centaurio minori*, niſi quod in omnibus eſt validior. Quemadmodum ergo Centuarium minus eſt partium heterogenearum: ita etiam Gratiola hæc. Non tantùm inſigniter deobſtruit & abſtergit propter partes igneas & aduſtas, ſed & adſtringit propter partes aqueas & frigidas. Siccat etiam ſine morſu, non minus quàm Centaurium. Ob id in febribus non ſolum agit de obſtruendo, ſed & ſiccando, itaque putredini reſiſtit. Quamobrem etiam lumbricos necat.

V. Quod verò de Centaurio hodie incertum eſt, an purget, id de Gratiola certiſſimum eſt. Non tantùm enim per inferiora, ſed & ſuperiora purgat, & tam violenter, ut quidam *Helleboro* comparent, quidam inter Tithymalos *Pityuſæ*.

VI. Purgat autem utramque bilem, pituitam craſſam, tenuemque, & aquas hydropicorum.

VII. Ad decoctum vel infuſum (quæ fiunt vel in lacte, vel in aceto) ſumitur à ℥j. ad ij. Dodonæo Authore, conſerva vel ſuccus à ℥vj. ad ℥j. datur. Pulv. ℈j. Matthiolo ſufficit. Qui Extracto uti malunt, cum pulvere Cinnam. in Catapotia redigunt, in granis ſubſiſtentes. Poſſis *Panchymagogum* appellare, ſi ineptire cum noſtris. Ita loquor, quia nec nomen, nec res apud Veteres eſt. Geſnerus eo ſenſu *Seſaimoides* appellavit, niſi penitiſſimè fallor.

CAPUT XVIII.

DE HELLEBORO UTROQUE.

I. COnſentio magno Bauhino ita ſcribenti, & pronunciandum eſſe ex Etymologico magno, quod derivat ἀπὸ τοῦ ἐλεῖν βορᾷ, quod ſumptus per

os

os interficiat. Quod etymon admittere quoſdam, & tamen negligere ſpiritum aſperum, memoria dignum eſt. Non conſentio, cùm *veratrum* dici putat, quod *vertat mentem*. Imò eſt, Scaligero auctore, ἀπὸ τῦ *Verare*, unde etiam *Verator*.

II. Porrò autem, quod 1. *Var. lect.* 3. ſemina ejus rei hauriens ex Dodonæo aſſerui, Seſamoides utrumque eſſe idem *cum Helleboro utroque*, ejus ſententiæ etiamnum ſum. Confirmo theſin ex Theoph 9. *Hiſt.* 10. & 11. Ubi cùm diſertè faſſus eſſet, neutrum Hell. ſibi conſpectum eſſe, ait, Anticyrenſes uti τῇ τε ῥίζῃ, καὶ τῷ καρπῷ, & ſemine, & radice, *quod ſemen ſit* σησαμοειδὲς.

III. Vicina huic quæſtio eſt, cùm tantopere differant à ſe *Hellebori* iſti, quid fecerit illos coire ſub unum genus? Uſus. Et hoc eſt, quod ait idem 1. *Hiſt.* 6. ὐκ ἀκριβολογητέον τῷ ὅρῳ, & quod in ſequentibus toties quoties dici non poteſt, ὡς εἰπεῖν, ἢ ὡς τύπῳ εἰπεῖν, quibus hoc vult, *In Botanicis non opus eſſe exquiſita doctrina, ſed contentum eſſe oportere qualicumque.*

IV. Hoc ipſo excuſo dicit Bauhinus qui pro Helleboro agnoſcit, non tantum *Buphthalmum Dodonæi* quæ planta eſt ferulacea, ſed & *Saniculam feminam Tragi & Fuchſii*. Addo ex Catalogo noſtro, hoc fundamento, Helleborum accenſendum eſſe *Aliſma* quoque ſeu *Damaſonium* Math. Plantaginem alpinam Lob. Hanc enim *Chriſtwurck* ab incolis appellari, & uſum ejus eſſe in peſte pecorum, anno 1606. intellexi, cùm peſtilentialem heic agerem. Oſtendebat etiam pharmacopœus ſenex *Extractum Hellebori uſuale* ex hac ipſa planta, ſed an purget *Helleborus* modo, dicere non poterat. Superaddo & hoc ex aphoriſmo iſto Theophraſteo, *Quæcunque plantæ ab omni memoria habuerunt idem nomen, ſint congeneres, quamvis revera non ſint*, ut Centaurium majus & minus, Chelidonium, &c.

V. Uſus apud nos eſt Hellebori quidem albi Mathioli qui loco principe ſtat apud Bauhinum foliis plantaginis, non habitâ ratione diverſitatis florum: nigri autem, qui quartus eſt in ordine, legitimus Dioſcoridis judicio Matthioli Cluſii, Lobelii & Dodonæi. An autem Theophraſti quoque ſit, in medio relinquo. Affertur ex montanis Stiriæ, quæ pars eſt Norici veteris.

VI. Utriuſque radiculæ ſolæ uſurpantur hodie, non autem ſemen quoque. Dico Radiculæ: nam πυθμὴν Græcis d. negligitur. Rurſus neque hæ integræ, ſed cortices tantum. Medulla enim, ſi Plinio fides, purgationes impedit.

VII. Apud Hippocratem cùm Helleborus ſimpliciter dicitur: albus intelligitur. Licet enim uterque ſit vehementiſſimus: mitior tamen niger eſt. Vide Foëſium in Oeconomia.

VIII. Ut de utroque ſeorſim dicam, Albi radices volunt pharmacopœi eſſe carnoſas, & plenas, mediocriter rigidas (de hac voce vide 1 *Var. lect.* 2.) non acuminatas, junci aut caudæ muris inſtar, quarum medulla ſit tenuis, contrà cortex quàm carnoſiſſimus. Utrum autem in frangendo debeant pulverem emittere,

tere,

tere, necne? controverſum eſt. Ego in frontiſpicio *d. Var.* determinavi rem ex Aëtio, unde petat qui volet. Hic cortex (addunt) acris quidem eſſe debet, ſed non valdè, ut linguàm mordicet, & ſalivam moveat. Talis enim ſtrangulat. Colligi debet in ſummis montibus, tempore verno, ut Aëtius habet.

IX. Nigri notas ferè eaſdem tradunt; niſi quod extùs nigræ eſſe debent, etiam ille à medulla liberæ. Vide amplius Meſue: Durant integræ & hæ & illæ ad 30. annos.

X. Quod ad facultates, Galenus 6. *Simpl.* collocat utrumque in 3 gr. calidum & ſiccum. Uterque & acris & amarus eſt, ſed hac differentia: Albus minus acris eſt, amarus magis, niger contrà. Nigri acrimonia citius in lingua ſentitur, albi tardius. Uterque non caret vi ſeptica: prævalet tamen albus. Acredine validiſſimè penetrant, incidunt, aperiunt, attenuant & diſcutiunt: Amarore violentiſſimè abſtergunt. Sternutationes igitur, menſes & urinas movent. Foris attrahunt; ideo in peſte pecorum auribus perforatis induntur.

XI. Habent præterea vim purgandi tam inſignitam, ut ἐλλεβορίζειν ſit quovis purgante vehementiori uti. Si omninò quis ita vellet, poſſet utrumque appellare παγχυμαγωγὸν, adeo late vis illorum ſe extendit. Meſue ut cautos nos reddat, ſcribit, corpora noſtra hodie non ferre helleborum album, nigrum non niſi difficulter. Sed, ut liberè dicam quod ſentio, videtur mihi querela eſſe, qualis illa Mathematicorum quorundam imperitorum, Cœlum deſcendiſſe, & eſſe jam propius terræ neſcio quot millibus ſtadiorum. Ego verò audivi duos magnos Mathematicos effuſè ridere, quoties dicebatur tale quid: audivi etiam explicare deceptionis cauſam tam diſertè, ut nos alii ἀγεώμετρα ſatis intelligeremus. Ut de albo helleboro non dicam, quis de Helleboriſmo Matth. *lib.* 3. *epiſt.* quidquam mali dixit, ſi modò dextrè uteretur? Quis de Oxymelite Helleborato Juliani, majore & minore, quod etiam album recipit, unquam dubitavit? Ego in pleuritico penè depoſito miraculum vidi, & vidêre unà mecum alii, qui experimentum Geſneri magnoperè laudarunt. Quid? quod Montanus Syrupum roſarum ſolutivum tacuit helleboro nigro? Voluit nimirum indicare vir magnus, qui ſit verus uſus hell. etiam purgandi gratia! At ignavia noſtra facit, ut quod ſuprà queſtus ſum ex Maſſ. non curemus ullos magnos morbos, quia nunquam expedimus nos ex lenientibus. Fert natura noſtra, à Chymiaſtris præbitum crocum metallorum, Mercurium vitæ, alia venena mineralia, & non ferat hoc vegetabile, præſertim in decocto vel diluto? Sed de hac re alibi.

XII. In uſu duo præcipuè videnda, alterum, ut morbi ſint pertinaciſſimi: alterum, ut vires conſtent. Accedat tertium, ne quidquam fiat, niſi prægreſſa & corporis & hellebori diligenti præparatione.

XIII. Quod ad album, Vetuſtiſſimus mos eſt dandi cum raphano, idque tripliciter. Vel enim raphanum, radicibus transfixum, ibique per 24 horas relictum, dabant: vel raphanum, hoc modo transfixum, in oxymellite infundebant

&

& oxymel ſolum offerebant: vel raphanum ita habitum per noctem relinquebant, mane abjectis helleboris in oxymellite infundebant, oxymelque propinabant.

XIV. Horum imitatione factum eſt à Recentioribus ut malum Cydonium, radiculis hoc modo confixum, & paſta ſiliginea obvolutum, inque fornace piſtoria coctum, abjectis helleboris, edendum præberent. His modis omnibus purgabant per vomitum. Quæ ratio poſtquam in deſuetudinem devenit, exoleverunt iſta omnia ſimul.

XV. Quod ad nigrum, dabant Veteres modo in ſubſtantia, modò in diluto. Hos ſequuntur ex noſtris illi, qui pulverem exhibent, vel cum ſeminibus, ſpeciebusque odoratis, vel cum maſſa pilularum aleph. alii decoquunt, infunduntque cum ſeminibus dictis, & cum Confectione Hamech. ſorbendum dant: alii ex eodem decocto, cum infuſione roſarum parant, & cum confectione dicta miſcent.

XVI. Hujus generis eſt Syrupus roſarum helleboratus Montani, de quo dixi. Eſt & Syrupus de Pomis regis Sabor vel Sapor, quo multi utuntur. Pertinent etiam duæ magnæ compoſitiones, de quibus pariter dixi, Helleboriſ. Matth. & Ox. Juliani apud Paul. & Trall. de quibus peculariter ſcripſit Geſnerus in opella Epiſt. adjecta.

XVII. De pulveriſatione imprimis albi, peculiariter monent Practici, ut fit craſſiuſcula. Quò enim tenuior, eo majus eſt ſuffocationis periculum. Hinc Veteres cùm conciderent tantùm, pulverem adhærentem linteo exſtergebant.

XVIII. Sed cum ne ſic quidem periculum abeſſet, nigri præparatio in Officinis introducta fuit. Fit autem cum malo Cydonio (hoc enim creditur ſpecifica hellebori antidotus eſſe) ſed non eodem ubique modo. Quæ apud nos uſitata eſt, videri poteſt in Diſp. noſtro. Ita durat per biennium.

XIX. Quod ad doſin, de albo quidem ſecuri eſſe poſſumus, quia nemo utitur illo: de nigro ſciendum, in ſubſtantia quidem, ſed non niſi in robuſtiſſimis dari poſſe ʒ j. ſe melius eſſe Scrupul. ij. contentum: in decocto autem, ſeu infuſo à ʒj. ad ij. aſcendi poſſe. Extracta nigri non unam habent. Cratonis datur à Scrupul. ß. ad ʒ ß. in pane azymo, in jure gallinæ madefacto, inſperſo maſt. pulvere. Cordi (quod Geſnerus Heroldo tribuit) jubetur dari tentando à Srupul. ß. ad j. Geſnerus ipſe Extractum ſuum ſimplex dat ad ciceris magnitudinem, poſt cœnam, quod nolim. Sequor enim Maſſariam, qui dat à ℈ ß. ad ʒ ß. cum Scrupul. ij. pilularum aleph, Compoſitum Geſn. dat à Scrup. ß. circiter, ad j.

XX. Tum verò diligenter conſideranda operatio. Si enim contingat non operari, omni ingenio expellendi ſunt è corpore. Expelluntur commodiſſimè, Capiv. conſilio, enematis, quæ helleborum recipiunt. Si nimium purgent, iterum hoc

hoc tentandum, cum hac diſtinctione. Si actio per ſuperiora ſit volentior, clyſteres applicandi, qui deorſum trahant: ſi per inferiora, vomitoriis pugnandum. Oportet vero etiam infringere malitiam medicamenti partim refrigerantibus & humectantibus, partim antidotis. Tum etiam revulſionibus & derivationibus. Si in ipſa purgatione convulſiones ſe oſtendant, videndum eſt tempus. Aut enim ab initio fiunt, ob copiam humorum affluentium: aut poſtea, ex nimia corporis perturbatione. Utrobique Medicus ſciat, quid facto opus ſit. Hæc mihi dicta ſunto exempli loco.

CAPUT XIX.

DE HERMODACTYLIS.

I. AGo de his nolens, propter *Pilulas dictas* inde, in podagra uſitatas apud nos. Omnia enim ſunt tenebricoſa. Primum, non conſtat, an certò purgent? Alpinus enim 3. *Med. Æg.* 11. ſcribit, mulieres ibi uti ad impinguandum. Et ſunt illi ipſi qui ex Ægypto Venetias eunt, inde ad nos. Deinde, ſunt in ſuſpicione veneni, cùm plerique cenſeant, eſſe *Colchicum noſtrum*, quod ſtrangulando interficere ajunt, quamvis Sylvius neget. Tertiò, utut uſus Ægyptius contra ſtet: non conſtat tamen de ætate. Meſue enim neque infra ſemeſtre utitur, neque poſt annum. Quartò, hoc quoque difficultatem facit, quod Meſue albos tantum velit. Rufi enim & magis nigri ſunt ultra annum, ideò deſpicabiles Evanidi quippe. In his varia effugia quærunt Medici πολυφάρμακοι, quibus commemorandis non ego occupabor.

II. Receptant illi albos quidem, ſed ſimul plenos, ſeu corpulentos, & mediocriter duros, qui levicula tuſione faceſſant in pulverem farinaceum, qui ſapore ſint non acri & fervido, ſed ignavo, cum puſilla tamen acrimonia, & ſubſtantia emplaſtica.

III. Quod ad qualitates primas, ſiccos quidem eſſe in 1. gradu dicunt omnes: & calidi an frigidi ſint, non conſtat. Ego cum illis fuero, qui eundem illis caloris gradum aſſignant. Abſtergendi vim habent tantam, ut inter καθαιρετικὰ ſint.

IV. Purgare creduntur pituitam, inde uſque ab articulis, falſò. Purgant enim tenuem ex capite quæ ad articulos demum tofeſcit.

V. Habent hoc vitium inſigne, quod valde debilitant ventriculum, ut fluxionibus recipiendis aptior ſit, ut Paulus & Trallianus docent. Hinc omnia corrigentia reſpiciunt excrementitiam illorum humiditatem, cui ſiccandæ ſerviunt. Inter hæc præcipua eſt aloë ejuſdem Tralliani experimento; quæ etiam hoc habet, quod roboret ventriculum, ut dictum eſt ibi.

VI. Meſue in ſubſtantia dat ab aur. j. ad ij. Empirici & mulieres quibuſdam lo-

locis dant in lue Venerea ℥j. & vocant *Harmodactylatam.* Rationales olim habebant ſuas compoſitiones *Dia-Hermodactylon*, quas videre eſt lib. 11. Trall. qui eſt de Podagra. Nos verè utimur *Pilulis Meſue* ceu prædixi, quarum compoſitio, præter Hermodactylos etiam alia habet purgantia, ut aliis etiam, præter pituitoſos ſerviant. *Duplices* ſunt, imo triplices, *majores*, *minores*, & *ex inventione Meſue*, quæ dantur pro diverſitate humorum peccantium.

VII. His Foëſius ſubſtituit *Pilulas de Nitro* ſeu *Coloc.* Si quis omnino abhorreat ab Hermodactylis illi ſubſtituere liceat Trochiſcos Alhandal.

VIII. Tam illæ de Hermodactylis quàm de Nitro, dantur à ℈j, ad ij. Quæ doſis ſi cui videatur major, is ſciat, ſoli podagræ convenire. De hac enim falſa eſt πρόληψις, medicamentum tam potens debere eſſe, ut trahat ex ipſis articulis.

CAPUT XX.

DE IRIDE.

I. Ἶρις, *Iris*, planta nomen habet à diverſitate colorum *Iridos cæleſtis.* Caſaub. in Ath. auctor eſt, eſſe ἀπὸ τοῦ εἴρω, *lego*, *dico*, *nuncio*, quia Iris eſt *nuncia Jovis*, de futura tempeſtate. A coloribus dicitur etiam Thaumantis & Thaumantias, in negotio noſtro Hyacinthus quidam etiam eſt Iris. At ἱερὶς, *Conſecratrix* Gazæ eſt voluntaria.

II. In diſtinctione generum & ſpecierum apud Bauhinum, aliquam multa deſidero: verùm quia ab inſtituto meo aliena ſunt, tacitus præterlabi ſino. Ex omni Naturæ Gaza in Officinis rapiuntur duæ, altera, quæ prima eſt omnium apud Bauhinum ſub nomine *Iridis*: altera à Bauhino cum pipulo excluſa, & *Acoro* ſociata, ſub voce *Acori adulterini*, cùm revera ſit *Iris*, *Lutea*, quippe Dodonei, *paluſtris* aliis, pro Acoro uſurpata in Officinis ſuperiori ſæculo. Utriuſque radix tantum expetitur.

III. Nobis de prima tantum ſermo erit, cum ſecunda ad *Alterantia* pertineat.

IV. Quo loci ſtatim oritur quæſtio, cùm duplex in Officinis ſit radix Iridis *Illyrica* & *Florentina*, differant ne ſpecie? Non differunt, ſive plantam ſolam conſideres, ſive radicem. *Si plantam*, in colore quidem florum nulla eſt differentia, niſi quod Illyrica, eſt biflora, Florentina uniflora, ut teſtatur Patavinus olitor exercitatiſſimus, Anguillara, ut per riſum vocat illum Guilland. *Si radicem*, differunt quidem, ſed non eſſentialiter. Florentina extus & intus albicat: Illyrica intus ſubrufa eſt. Ab utraque differt Germanica, quod rugoſa ſit, minuſque odorata. Eſt autem odor violæ Martiæ, unde *Beilwurk* dicitur. Hinc oritur hoc πόρισμα, Florentina ſit ne calidior? Eſt. In univerſum enim quæ flava ſunt & rubra, ſunt calidiora albis, 4. *Simpl. ult.*

V. Dioſcorides optimæ Iridis ſeptem habet notas. 1. Ut ſit πυκνόῤῥιζον, *denſa & ſolida*, qualis Germanica noſtra non eſt. 2. Ut ſit ὑποκόλοβος, *parva ſeu brevis, in exiguis & ferè quadratis particulis*, unde ἀςραγαλῖτις dicitur Galeno, & ex eo Aëtio. 3. Ut ſit δίςθρωυςος, *fractu contumax*, quod pendet à primo. 4. Ut ſit *odoratiſſimo odore puro & ſincero, non mucido.* Quia enim planta eſt valdè excrementitia, indiget accurata exſiccatione, ne muceat. 5. Ut ſit *colore ſubrufo.* Qui color cùm ſit in Floribus tantum, ſumimus illam, cùm opus eſt intenſiore calore. 6. Ut *guſtu ſit acris & fervida*: Quo loco, qui expunctâ acredine, amarorem ſubſtituunt, non rectè faciunt, Quamvis enim amaror etiam adſit, prævalet tamen acredo. 7. Ut cùm tractatur manibus, *ſternutamenta moveat, aut etiam puſtulas excitet in facie.*

VI. Quidam ultra annum negant bonam eſſe, quidam ad quinquennium durare. Sed terminus eſt caries, quæ tardius advenit, cùm interim ſemper odoratior fiat, excocto excrementitio illo.

VII. Et hoc obſervandum in dijudicandis facultatibus. Recens enim & præcipuè apud nos, ferè pervenit ad 4. gradum caloris & ſiccitatis: Sicca, præſertim. Flores aut in utraque ſubſiſtit in 1. aut ultra 2. non aſcendit. Ejus rei argumentum, quod (ſicca) ſit ſarcoticum. Sarcotica autem non debent ſuperare dictum gradum alioquin & colliquando abſumunt potius carnes.

VIII. Aliter Mèſue diſtinguit, cùm ait, *Iridem purpuream* eſſe calidam & ſiccam in 3. *Albam* in 2. Fortè radici quoque accommodari poteſt hoc, Radicem totam albam, eſſe calidam & ſiccam in 2. intus rubram, ſi non in 3. certè in 2. intenſo. Facit autem partium tenuitas, quam habet inſignem, quaque valde ſenſum ferit, ut in 3. potius videatur eſſe. Hinc commendatur in affectibus frigidis & humidis, colica, convulſione, paralyſi, catarrhis frigidis ad dentes, ad alias partes, præcipuè thoracis, cui ferè appropriata eſt. Plurimum enim poteſt incidendo, attenuando, aperiendo & de obſtruendo. His famulatur vis abſterſoria, fundata in partibus terreſtribus ob quas moram trahit, 4. *Simpl.* 9. Ob hanc abſterſionem ſarcoticum eſt, 3. *Meth.* 2. 5. κ. γὲν. Exprimit vim abſterſivam etiam 8. *Meth.* 4. cùm ait, mulſa magis abſtergere. Hoc ſi ita eſt, menſes etiam & urinas movere poterit, 5. *Simpl.* 22. Ita hæmorrhoïdas cit. Ita partum accelerat & abortum facit. Ita inſigne eſt tam errhinon, quam apophlegmatizon. Venenis reſiſtere ſcribunt Dioſcorides & Plinius. Id videtur facere manifeſtis qualitatibus, diſcutiendo & disjiciendo vim veneni, inprimis propellendo à centro ad ſuperficiem. Quod ſi verum eſt, ʒ ij. (quas Plinius habet) vix ſufficient.

IX. Somnum conciliat, non vi narcotica, ſed ſubſtantia vaporoſa, quali conſtat quoque crocus, myrrha &c. Faciunt id autem in corporibus frigidis & humidis non calidis & ſiccis. In his enim cùm calor nativus oppreſſus non poſſit vapores ad caput efferre, calida hæc illi ſuccurrunt, & genitis vaporibus ſomnum conciliant. At verò ut ſoporifera frigida in pectoris malis nocent, humores in-

incraſſando, & ad expectorationem ineptos reddendo: ita Iris in his malis egregiam præſtat operam.

X. De facultate purgatoria dubium eſt, annon, ut in venenis, fiat id à manifeſtis qualitatibus, incidendo & abſtergendo? Reſp. Tam fortem vim purgandi, qualis in Iride eſt, non magis a manifeſtis qualitatibus eſſe, quàm in aliis hydroticis, quæ inter fortiſſima purgantia ſunt. Et hæc vis in radice recenti evidens, cùm ſuccus inde exprimatur. Alioqui ſicca purgat Agarici modo, ut Paulus ſcribit.

XI. Purgat primario pituitam & aquas: ſecundariò bilem, non contra, ut errabundus Lobelii ſtylus habet. Hodie ferè ſolus ſuccus frequentatur in hydropicis. In quibus cùm ſæpè ardores faciat, non in faucibus tantum, ſed & in toto corpore, quidam prorſus abhorrent ab illo. Sed diſtinctione opus eſt. In Germanica id fieri veriſimile eſt: in Floribus non eſt. Deinde, verum eſt de ſucco crudo, per reſidentiam non depurato. Id autem fieri debet, ſi modo tuto curare volumus.

XII. Corrigitur hæc acrimonia ipſius à Practicis addito ſaccharo, aut manna, aut melle roſaceo. Sed præterea habet & hanc malitiam, auctore Meſue, quod ventriculo moleſta ſit. Hanc obtundit idem Meſue ſpica & mulſa.

XIII. In uſu diligenter videndum eſt, qualis ſit ſuccus, qui præ manu eſt? Crudus, & totus cum reſidentia coctus, non datur ultra ℥ij. depuratus, & inprimis Italicus, in majori doſi ſumitur. Amatus ad ℥j. aſcendit: Lob. ad ij. Iacch. ad iij. Braſſ. ad iv. Quare non eſt, cur Maſſar. ſibi tranſcribat hanc doſim. Mihi videtur ℥iij. ſuperari non poſſe. Pulveris radicis ſiccæ Paulus dat ob. viij. ſeu ℈iv. Et hæc media eſt doſis, cujus intuitu dicere poteſt Lob. dari à ʒj. ad ij. Summam habet Plinius, dans ʒij. cum melle. Audacior Meſue propinat à ℥ij. ad vj. ſecutus forté Dioſcoridem qui dat ʒviij. in mulſa. Sed revera, ſi Iris ſicca cum Agarico conferatur, non poteſt eò usque aſcendi. Quamobrem placet Paſini interpretatio, loqui Dioſcoridem de radice recenti tuſa, cujus totidem ʒ cum ℥ij. ſyrupo roſarum ſolutivo exhibet ille.

XIV. Oportet autem non nimis ſubtiliter pulveriſare, monente Meſue. In diluto ad ʒiv. aſcendi poteſt. In Electuario prout ſunt illa, magis, minusve porrigitur. Matth. ſui Elect. ℥ß. dat, ſed ſingulis diebus, quod conſultum non eſt. Quamvis enim non tantum purget, ſed & de obſtruat: non oportet tamen tam frequenter ingerere purgantia, præſertim in exili doſi, quæ movere poſſit, non promovere. Oportet etiam ut decoctio ſit mediocris.

XV. Habemus in Officinis duas Confectiones *Dia-Ireos dictas* ſimplicem & compoſitam, ſed non ad purgandum, verùm ad deſtillationes, hac limitatione, ut ſimplicis quidem uſus ſit ab initio, antequam malum invaleſcat: compoſitæ autem in affectu diuturno, præſertim frigido.

XVI. *Syrupus de Iride* apud nos in uſu non eſt. Pauci utuntur *radicibus conditis*. *Oleum* eſt duplex, utrumque compoſitum, utrumque calidiſſimum & penetrantiſſimum.

CAPUT XXI.

DE LAUREOLA ET MEZEREO.

I. HEic mare eſt difficultatum, quod ita ſupero, *Laureola Officinalis* (fortaſſis *Daphnoides Dioſcoridis*, fortaſſis ſimul *Chamædaphne ejusdem*) duplex eſt, *Mas* & *Fœmina*, earundem virium. *Mas* eſt flore viridi, folio perenni: *Fœmina* flore purpureo, folio deciduo. Uſus eſt, foliorum quidem loco foliorum *Chamelææ-Thymelææve*: baccarum autem loco *Coccocnidii*, quod propriè eſt fructus *Thymelææ*.

II. Mezereon Arabum monſtrum eſt plantæ, confictum quippe ex Chamelæa, Thymelæa, Daphnoide, Chamædaphne, fortaſſis etiam Chamæleonte utroque, quid ſi Tithymalo quoque uno alterove? Nec res eſt adeò ultrà fidem, cùm plantæ hæ omnes ſint igneæ qualitatis, & poſſit una quædam illatum modò huic, modò alii ſubſtitui, ſine manifeſto damno, ſi rectè determinata res ſit, & ſtet ſententia *Periclitandum* eſſe.

III. Dicam quaſi in exemplo de *Laureola fœmina*, quæ & Laureola Germanica & Mezereum Germ. quippe omnium acerrima, calida & ſicca in 4. gr. Nam & folia & fructus parum deguſtati fauces totas inflammant, exterius impoſiti veſicas excitant, non minus quàm Euphorbium cujus inſtar in multis habet, quemadmodum & in purgando.

IV. Reſervatur ſoli hydropi, quod non ſolum ſeroſos ducat humores, ſed & craſſos, qui niſi ſimul eant, non eſſe ſperandum bonum eventum, dicunt Practicorum quidam. Hi ita definiunt, uſurpentur *Pilulæ de Mezereo* potius quàm aliæ. Habent enim folia bene præparata, dicunt. Qui Coccocnidium volunt, cogitent de eadem, ſimilive properatione.

V. Doſis harum pilularum eſt ʒj. ad ſummum Scrupul. iv. ſuperbibendo, quamdiu actio durat, aquam endiviæ, quæ creditur appropriata eſſe. Hæc illi.

CAPUT XXII.

DE LUPULO.

I. LUpulus, Veteribus incognitus, nî fortè Plinio l. 21. c. 25. triplicem in Medicina uſum præbet. I. *Aſparagi* in alimentum veniunt. II. Ex ſucco

co ipſorum ſit *Syrupus in Officinis* III. Ex *Floribus*, hordeo torrefacto additis, coquitur *Cereviſia*, quæ eſt *Vinum Septentrionalium*.

II. Quod ad *Aſparagos*, exiguum illi præbent alimentum, & id quidem medicamentoſum. Habent enim facultates ſuæ plantæ, de quibus dicetur. Præbent illud, ſi bene coquantur in ventriculo. Hoc fit in calidioribus tantum: lignoſi enim ſunt.

III. *Syrupus* aut ſimplex eſt, ex ſolo ſucco: aut compoſitus, addito ſucco fumariæ.

IV. Omni *Cereviſiæ* injiciuntur flores, ne tam facilè aceſcat, ut *Zythus* ſeu *Curmi* veterum. Atque ut *Maltha* fit, vel ex ſolo hordeo, vel ex ſolo tritico, vel ex ſola avena, vel ex horum miſcella: ita vel parum additur lupuli, vel multum, & pro ratione utriusque, fit Cereviſia calidior, frigidiorve, dulcior, amarior.

V. Subſtituitur illi alicubi *Chamæpeuce* Cordi quæ eſt *Ciſtus-ledon fol. Roſm.* Bauh. & fit potus valde halituoſus. Idem fit, ſi *Spondylium hirſutum* noſtrum, quod in Boruſſia fit. Amplius fit in *Ola* ſeu *Ala Britannorum*, nec non in *Meteglin*, in qua aromata ſuſpenduntur, quæ à Pena deſcribuntur, *Adv. primæ edit. anno* 1571. f 22. & fuſus *fine alterius*, anni 1605.

VI. De facultatibus eſt inter Botanicos, his quidem ex Meſ. dicentibus, frigidum eſſe in 1. gr. illis autem calidum. *Prioribus* objicit Manardus florum lupuli odorem reſinoſum, amarorem, & ex copioſioribus factæ Cereviſiæ calorem manifeſtum. E quibus concludit Dodonæus calidum & ſiccum eſſe in 2. gr. Mihi videtur opus eſſe diſtinctione hac, Flores quidem eò aſcendunt, aſparagi & folia minimè, ſed ſubſiſtunt in 1. Hinc intelligitur ſyrupum poſſe refrigerare, ut de roſis ſcitum eſt. Vide iterum *in Alterantibus*.

VII. Hic calor, qualis qualis, eſt cum acrimonia quadam vinoſa: quod docuit majores noſtros rationem condiendæ Cereviſiæ ſuæ. Eſt etiam cum amarore ſatis inſigni. Hinc poteſt aperire, attenuare, incidere, abſtergere. Ideò laudatur in ictero, in febribus bilioſis, in ſcabie urente, in aliis, quæ ab obſtructione viſcerum pendent.

VIII. De facultate purgatrice dubitatur. Mihi videtur, in ſucco crudo eſſe illam fortiorem. Nec minus validam eſſe in ſyrupo compoſito. *Fumaria* enim per ſe etiam purgat, ut notum eſt.

Caput. XXIII.

DE MANNA.

I. Τὸ *Manna* an Hebraicum ſit, jam non inquiro. Apud Græcos frequens eſt ἡ μάννα ἢ τὸ μάννιον τȣ̃ λιϐάνȣ, quod nihil aliud eſt quam *Thuris micæ, concuſſione in vectura eliſæ*, de quibus jam non agimus. Apud Arabas & practicos vulgares eſt *Manna* cum additione loci natalis, *Orientalis*, *Europæa*, *Calabrina*, *&c.*

II. *Orientalis* iterum duplex eſt, *Liquida*, quæ melli ſimilis eſt: *Concreta*, quæ in exiguis granis, maſticis inſtar. Hæc iterum duplex eſt. Quæ enim recens eſt, à ſimilitudine bombycis *Bombycina* appellatur.

III, *Europæa* multiplex eſt. Eſt enim *Italica*, ſeu *Calabrina*. Eſt *Gallica* ſeu *Brianſonenſis*. Eſt *Rhætica* ſeu *Germanica*, ſeu *Brigantina*. Celeberrima, & per totam ferè Europam uſurpata eſt *Calabrina* illa.

IV. Tam Orientalem quàm Europæam ſpeciem eſſe *Mellis roridi* volunt quidam: quidam id de Orientali tantùm concedunt. Mihi videtur, utraque ejusdem eſſe generis: ſed neutra *Melleum quid*. Cenſeo autem ſuccum ſeu liquorem eſſe arboreum, quem aliquis vel gummi, vel reſinam appellavit, cùm neutrum ſit. De *Calabrina* tam pulchrè, tam ſolidè probat Altimarus in Tractatu ſingulari, ut nihil poſſit addi. De *Gallica* concedit id Pena: de *Germanica* Coſtæus. De *Orientali* ſcribit Garzias *in Hiſtor. Arom.* compertum ſibi, eſſe gummi vel reſinam arboris Perſicæ, dictæ *Quæſt.* Rauwolfius pingit ſpinam, *Agul*, *Algul*, *Alhagi* Arabibus vocatam, ſuper quam cadat. Ego verò dico, eſſe ſpinæ illius ſuccum. Cur enim non cadit ſuper vicinas quoque plantas?

V. Quidquid ſit, cùm certum ſit, *Europæam* eſſe arboreum quid, Orientalis autem ſit illi per omnia ſimilis: quidni ſit ejusdem naturæ? Nec obſtat id, quod Altimarum diu tenuit, *Mel roridum* eſſe, quod Orientalis à calido ſicco diffluat, Calabrina ab eodem magis induretur. Ita enim Maſtix, & alia talia eſſent roſcida, ſi verum eſſet axioma: *Quidquid à calido ſicco diffluit, eſt ros.* Sed & falſum eſt axioma appoſitum, *Quidquid à calido ſicco induratur, eſt arboreum.* Nam & lutum hoc modo induratur. Cauſa diſcriminis conſiſtit in ſubſtantia craſſiore vel tenuiore, magis vel minus terrea.

VI. Hinc judicare licet, quid ſit dicendum ad quæſtionem illam, *An hæc manna ſit eadem cum Iſraelitica in deſerto?* Non eſt. Fuit illa Mel roridum, quia cecidit ſuper omnes plantas, lapides, &c.

VII. Vicina huic eſt alia quæſtio, *An fuerit Græcis cognita?* Non fuit, excepto ſolo Act. Id verò, de quo illi ſcribunt, fuit pariter *Mel roridum.* Ita, quam

Matth.

Matth Cæſ. alii legerunt Mannam, fuit *Mel roridum*, indiſcriminatim quippe ex pluribus arboribus collegerunt. Sed ut tandem explicatius agamus de *Calabrina noſtra*;

VIII. Scribit αὐτόπτης Altimarus, colligi illam omnem quidem ex fraxino & orno: ſed non ex omnibus individuis. Ita in Gallia, ex olea & larice colligitur: in Rhætia ex pino & junipero, in aliis locis ex aliis arboribus, verumtamen non omnibus in ea ſpecie. Unde in Calabria, ait Alt. venduntur tales arbores. Et dant illæ mannam, non certis cœli conſtitutionibus, v. g. calidis & ſiccis, quales Galenus deſiderat 3. *Alim.* 39. ad generationem mellis aërei: ſed omnibus noctibus æſtivis. Imò, ſi præcedat nox frigida cum pluvia, ſequatur calida & ſicca, tantum fluit mannæ, quantum vix toto triduo colligi poteſt.

IX. Hinc alia differentia, Mannam fluere facit frigus, fluxam condenſat calor. Mel roridum denſat frigus, fluere facit calor. Mannæ major copia eſt ex fraxino, minor ex orno: illa enim hac humidior eſt. Rurſus, legitur ex fraxini non caudice & ramis, ſed & foliis: ex orni caudice & ramis tantum. Hoc fit aliquando mane, ante Solis exortum, aliquando poſt Solis exortum, usque ad meridiem. Illud quidem, cum pridie inclinante die & fluxit manna, & ſufficienter indurata eſt, vel à Sole, vel ab Aquilone: hoc autem, cùm noctù effluxit, & nec dum denſata eſt, quod fit à Sole fervidiſſimo effluit vel ſponte, vel inciſione. Sponte fluit ferè ſemper à fraxino, raro ex orno: Contrà, in fraxino raró fit inciſio, frequentius in orno. Et fiunt cæſuræ, vel in imo trunco, vel in ſuperiori parte, vel in ramis. Colligitur ex iis, vel primo ſtatim die, vel ſequenti. Quæ primis diebus fluit, amariuſcula eſt, & herbacea: quæ ſequentibus non item. Quæ ex imis vulneribus exit, præcipuè talis eſt, & quidem initio. Unde quidam, aut planè abjiciunt, quod ex imo eſt: aut non, niſi poſt aliquot dies colligunt.

X. Hæc & plura alia Altomari, quæ ego cum ſtupore legi, commendoque τοῖς φιλαλήθεσι vel ideò, quia neminem hactenus vidi, qui magnoperè curarit. Mihi libuit veriſimilia ſcribere. Qui vult, videat contrà argumentantem Cæſalpinum 2. *Hiſt.* 13. (præcipuè quercum urget: an eſt mel aërium?) & Penam, *Adv. f.* 23. quin Bauhinum, præcipuè *in Pin* f. 496. ubi diſertè inclinat in δροσόμελι, ἢ ἀερόμελι. Scherbius etiam *Theſ. Med.* 7. quamvis παρέργως tantum, putat eſſe proprium ſuccum fraxini & orni.

XI. Ad rem: Manna Calabrina uſualis eſt bona, quæ in granis minoribus & rotundioribus, alba, ſplendida, lucida dulcis guſtu, & cum his omnibus ſolida. Contrà, inepta eſt, quæ dura ob vetuſtatem, flava, & quod pejus eſt, fuſca & inſipida.

XII. Ab his notis non longè abeſt Orientalis, quæ aliquando folia & ſpinas habet permiſtas, non ob id deterior, quemadmodum & Calabrina.

XIII. Diſtinguuntur à ſe invicem. I. Calabrina ſuper lapide ignoto dureſcit: Orientalis fluit. II. Calabrina eſt ſiccior, durior, ponderoſior, etiam recenti Orien-

Orientali. III. Orientalis candidior & tranſparentior eſt. IV. Eadem etiam dulcior. Hæc omnia fiunt, quod Orientalis habeat plus ſubſtantiæ pinguis & aëriæ, minus terreæ. Ob eandem cauſam ultra annum non creditur durare, cum Calabrina ad quinquennium.

XIV. De facultatibus non conſentiunt. Alii enim tam in activis quam in paſſivis temperatam eſſe volunt. Alii in utrisque vergere ad calidum & humidum. Alii ad 2 gr. intenſum veniunt. Diſtinguere oportet. Orientalis in activis vis eſt ultra temperiem: in paſſivis declinat ad humidum. Calabrina dulcis (nam quod quædam in fine amareſcit, nihil impedit) calida & humida eſt in 1. gr.

XV. Secundæ ferè ad primas rediguntur, abſtergendi & leniendi, hæc quidem ad humidum, illa autem ad calorem, quatenus aliquid amaroris habet. Hinc in catarrhis acribus ſuas habet laudes.

XVI. Eadem ratio tertiarum eſt, de obſtruendi & menſes movendi Hac in re præſtat amariuſcula, qualis coacta (*Sforzatam* vocant illi) licèt ad purgandum inepta ſit.

XVII. De vi purgatrice dubitavit Fuchſius, ſed refutat illum experientia.

XVIII. Dubitant etiam quidam, an Calabrina ſubſtitui poſſit Orientali? Poteſt, & hoc duce experientia.

XIX. Purgat Orientalis apud Meſue & Actuarium bilem tantum. Apud Ægyptios hodie adhibetur omnibus humidis tenuibus. Et verum eſſe agnoverunt Practici noſtri. Hoc inprimis ſcire fas eſt illos, qui in calidioribus reformidant. Interim verum eſt, quod Meſue ſcribit, in frigidioribus tutiorem eſſe. Habet ferè eas laudes quas Caſſia, qua tamen paulò validior eſt, ſi I. Alexandrino *in Sal.* credimus.

XX. Cautelæ in ejus uſu duæ ſunt. *Altera*, ne detur cruda, ſed cocta. Habet enim non minus quàm Caſſia, flatuoſum quid. *Altera*, ut detur cum acribus, thymo, hyſſopo ut actio ſit celerior.

XXI. Meſue dat Orientalis à ʒv. ad xv. Serapio a xv. ad xx. uterque nimis parcè. Hodie in Ægypto, teſte Alpino aſcenditur ad ℥ iij. aliquando ad iv. Pueris & ſenibus ſufficit ℥j. mediis inter hos ℥ij.ß. quam doſin etiam Matthiolus habet. Qui volent ad ℥v. vel vij. dare, incurrent in reprehenſionem Maſſariæ, *Lenientia non nimis intendenda eſſe.* Ab ℥iij. vide aſſelationes decem, ut barbarè loquar.

XXII. Electuarium de manna Nic. Alex. datur eodem modo, quo Lenitivum Florenz ad ʒij. Oportet autem utraque compoſitio ſit recens, propter Caſſiam. Hecubæ Noricæ *Mannen-Latwerg* vocant, cum tenellis dant ab ℥ß. ad j. mannæ puriſſimæ cum oleo amygdalarum dulcium ſ. q. & paucis guttis aquæ roſarum.

C A-

Caput. XXIV.

DE MYROBOLANIS ARABUM.

I. Βάλλανος, ἡ, *Glans*, ſub audiendo μυρεψικὴ, aut uno verbo μυροβάλλανος, *Glans unguentaria*, eſt planta illa, quam Caſtellus, *Horti Farneſ. c. 6.* pingit & deſcribit. Cum hac an eadem ſit Penæ illa in Baldo f. 69. neſcio.

II. Hanc appellationem interpretes Arabum, quo ſomnio inducti, non ſatis ſcio, tribuerunt fructibus quibuſdam exoticis, quos Arabes ipſi *Haleligi* nuncupant. Sunt autem quinque numero, hoc verſu incluſi,

Chebulus & Citrinus, Bellirıcus, Emblicus, Indus.

Horum tres quæ ferant arbores, figurâ exprimit Marinus in Meſue, quem Bauhinus ſequitur in Matth. incertus an veræ ſint.

III. Sed præſtat ſingulos deſcribere notis propriis. I. *Myrobolani Chebulæ*, (ita enim Grammatica vult) quatuor debent habere, ut Meſue vult. 1. Ut foris quidem colore ſubnigro ſint, ſed purpuraſcente, dum abluuntur, mediocriter flaveſcente. 2. Ut ſint magnæ, ſeu, ut habet antiqua verſio, craſſæ. 3. Ut ſint plenæ, non valdè rugoſæ, graves ob id, quæque ſubito in aqua ſubſidant. 4. Ut cortice ſint denſo. Hoc Sylvius omiſit. Cordus addit. 5. Ut caro interior ſit lenta, mollis, & ob ſucci copiam, fractu contumax. Idem ait, debere eſſe pondere ℨiv. aut quàm proximè accedere.

IV. II *Citrinæ* quinque debent habere, ut de eodem Meſue habemus. 1. Debent eſſe colore extus quidem, cum aliqua viriditate, citrino, ſeu flavo, ὠχρὸν ἢ χλωρὸν vocant Græci, intus autem ex flavo ſplendido ad rubedinem tendente. 2. Debent eſſe carnoſæ, & bene graves, modicè rugoſæ. 3. Oſſe ſeu nucleo exili. Hoc pendet ex ſuperiori. Si enim caro ſit ponderoſa, os erit exiguum. 4. Carne gummoſa & pingui. Et hoc in Chebulis prætermiſſum addidit Cordus. 5. Cortice itidem denſo. Hoc omiſit Sylvius. Cordus ait, pondere eſſe ℨij. cum ℈j.

V. III. *Belliricæ* debent eſſe. 1. Colore fuſco. 2. Subſtantia ſolida, cùm ſolidiſſimum eſt, non accedente ad ſoliditatem Chebularum, aut Citrinarum. 3. Oſſe ſeu nucleo lignoſo, & ſatis magno, majore omnino quàm Chebulæ carne proinde ſeu ſubſtantia ſatis modica. 4. Pediculo, ait Falloppius aliqua ex parte adacto 5. Cortice denſo. Quod ipſum tamen Sylvius & Matth. omittunt. Cordus addit, debere eſſe magnitudine majoris gallæ, pondere ℈iv. aut v. quorum tres compleat nucleus ipſius.

VI. IV. *Emblicæ* non niſi rariſſimè viſuntur integræ. Cùm integræ ſunt, habet caro illarum, ut Cordus loquitur, ſex in longitudine commiſſuras, qui-

bus,

bus, cum maturuit, dehiſcentibus, in totidem partes dilabitur, quæ ſingulæ in duas alias findi poſſunt. Eædem in medio ſui cavitatem habent, quam facit incluſum os, quod itidem in ſex loculamenta utplurimum dividitur, in quibus ſunt ſemina oblonga & triquetra. Hujus fruſta laudantur. 1. Majora. 2. Denſiora. Rara enim (rugoſa) non habent ſpiritum, ait antiqua Meſue verſio. 3. Craſſiora. 4. Ponderoſiora. 5. Carnis multum habentia, os exiguum.

VII. V. *Indæ* debent pariter habere quinque. 1. Colore eſſe nigro & foris & intus. Intus quidem cùm confringuntur, aliquando ſplendere præ nigredine, aliquando fuſcæ eſſe tantum: foris autem in fuſco quidem virides eſſe cum pallore. Hic tamen color, ut Cordus monet, non apparet, antequam laventur. Cùm enim in magna copia afferantur, confricant ſe mutuò, & ortus inde pulvis totas facit nigras. 2. Debent eſſe magnæ in ſuo genere, hoc eſt vix ultra olivæ magnitudinem, ut iterum Cordus. 3. Carnoſæ & graves, pondere triobolari, vel ℈ j ß. 4. Exoſſes prorſus oſſis autem loco habere cavitatem, quæ quò minor eſt, eò melior eſt myrobolanus. Indicio eſt, multum habere carnis. 5. Hæc caro denſa, ſolida, ſine rugis.

VIII. Et hæc quidem hactenus non ſine faſtidio de notis, quarum quò plures adſunt, eò meliores ſunt myrobolani, & contrà. Si habeantur loco mundo & ſicco, propter ſubſtantiam duram & oſſeam, diutiſſimè durant.

IX. Superſunt facultates de quarum primis audacter pronuncio. Omnes myrobolani Officinales ſunt frigidæ & ſiccæ, frigidæ quidem in 1. ſiccæ autem in 2. in utroque intenſè. Indicat hoc ſapor, qui in bene maturis (immaturæ ſunt acerbæ) acidus eſt cum tantilla acrimonia, ut in ſorbis, cum quibus Garz. comparat. Hinc adſtringunt. Et quia ſiccant ſimul, egregiam præſtant operam in partium debilitatibus.

X. Propterea uſus ipſarum eſt in affectibus oculorum, qui frigidi cùm ſint, facilè laborant morbis frigidis, in defluvio capillorum, in dentium mobilitate (quos tamen denigrant) in ventriculi, hepatis, omnium adeo viſcerum ἀτονίαις, in quibus tantoperè à Meſue commendantur ut dicat, corpus floridum, & juvenile ſervare, &c.

XI. Hac facultate, deſuper comprimente, etiam purgare quidam dicunt; at ſi verum eſt ſingulas purgare ſingulos humores, verùm etiam erit, facultatem purgatoriam eſſe aliunde quàm ab abſtrictione, ab illa, inquam, facultate, quæ purgantium propria eſt. Purgant autem Chebulæ, Belliricæ & Emblicæ pituitam: Citrinæ bilem flavam: Indæ atram.

XII. Tria ſunt, inquit Meſue, propter quæ cadit in illas correctio. 1. Eſt vis adſtrictoria, qua obſtructiones faciunt. Ideo in iis, qui viſcerum obſtructionibus obnoxii ſunt, prorſus non utitur: in iis, qui non ſunt, addit diuretica. 2. Eſt acrimonia, qua, adhærentes ventriculo & inteſtinis, nimis tardè operan-

rantur. Ideo addit ſerum, fumariam, abſinthium, Rhabarbarum, quæ propellant illas. 3. Eſt eadem acrimonia & adhæreſcentia ut ſic dicam, qua faciunt ut partes, per quas tranſeunt, corrugentur & incorientur, ceu loquitur Ser. interpres, fiantque ineptæ obeundis functionibus ſuis. Ideo adduntur lubricantia, oleum amygdalarum dulcium, ſeſaminum, roſarum, violarum item paſſ. mel, manna. butyrum tamar-Indi, &c.

XIII. Hoc ſcopo Meſue facit Trochiſcos, irrorando, & confricando myrobalanos per triduum oleo amygdalarum dulcium, & poſtea per aliud triduum aq. aut ſero lactis. Eodem ab aliis Trochiſci fiunt per infuſum & decoctum myrobolanorum in ſero caprino, additis aliis convenientibus, ut videre eſt apud ipſum Meſue.

XIV. Summa, correctionis maxima pars conſiſtit in modo exhibendi. Totæ enim, ſive in ſubſtantia (quamvis ita vix dentur, cum purgare volumus) minimum purgant, ſed vehementiſſime adſtringunt. Et hoc eò magis, quò tenuius pulveriſantur, ut Meſue, vel longius decoquuntur, ut Melichius *in Diſpenſatorio.*

XV. Toſtæ etiam (quomodo quidam in dyſenteria dant, ut & Rhabarbarum) exiguum purgant, ſed validè adſtringunt: imo adſtringunt tantum, ut dictum eſt. Hoc amplius faciunt uſtæ. In infuſo feliciùs purgant, & parcius adſtringunt, quam in decocto. Tamen, ut Garzias ſcribit, Indi in purgationibus utuntur tantum in decocto, ſed in doſi majori quàm nos. Conditæ etiam minus purgant, imò adſtringunt.

XVI. Si itaque quæras, quomodo omnium maximè purgent? In infuſo. Quomodo minimè? In ſubſtantia. Propterea Medici non dant, niſi cum aliis, v.g. in Elect. Eleſcoph, Hamech, Tryphera Perſica, &c. idque propterea, ut retundant vim aliorum purgantium.

XVII. Qua in re non negligenda eſt regula, ut ſimilia ſimilibus addantur, v.g. Scammonio Citrinæ, Colocynthidi, Chebulæ, Emblicæ, Belliricæ, Helleboro Indæ.

XVIII. Sed qua tandem doſi? Apud Meſue Chebularum & Indarum eadem eſt, ut & Belliricarum & Emblicarum. Dat autem Chebulas & Indas in ſubſtantia à ʒij. ad iv. in infuſo à ʒiv. ad x. Belliricas & Emblicas in ſubſtantia ab aur. j. ad ij. in infuſo à iij. ad ſex. Citrinas in ſubſtantia à ʒij. ad v. in infuſo à v. ad xx. An hæc nimia eſt ἀκρίβεια? Actu enim ſervat inæqualitatem, exhibendo omnes à ʒij. ad iij. An confuſio potius hæc eſt, & negligentia? Experientia doceat. Hanc prætendens Falloppius, de Citrinis ait, Doſin earum in ſubſtantia non præſcribi, quod non ſit in uſu. Infuſi & decocti (utriusque eandem vult eſſe rationem) ſummam doſin eſſe ʒiv. ad quam nunquam aſcenderit, contentus ʒij. ad iij.

XIX. Conſideratione dignum eſt, quod ait, Doſin infuſi non pertinere ad myrobolanos infundendos, ſed ad dilutum, quod ait dari poſſe ad ℥ xx. ſed addit, poſſe dari ad lib. j. Mihi res ſuſpecta eſt, quod Medici non ſoleant facere tantum ſaltum. Quidquid ſit, mihi videtur operæ pretium facturus, ſi denuò repetam illud, Myrobolanos in obſtructionibus planè non habere locum. Avicenna enim ſcribit, *l* 4. *tract.* 2. *c.* 7. in curatione febrium putridarum, Citrinas (ita etiam alias) hoc habere, quod poſt purgationem alvum faciant tantùm non immorigeram, ſed & reliqua viſcera exaſperent. Quod verò tu mireris, Trincav. Maſſ. alii, ne in iis quidem febribus admittit, in quibus obſtructionum motus nullus. Nec licet opponere aloën, Rhabarbarum, alia etiam adſtringere: Myrobolani enim inſignitè id habent, ut ego quidem libenter ab iis abſtineam. Quæ cauſa etiam eſt, cur item cum illis, qui Meſue accuſant, quod in febribus diuturnis Chebulas dederit. Utut enim excuſet illum Coſtæus, dari correctas, à quibus tam non ſit metuendum, ut eventus doceat, febres dictas ceſſare poſt uſum myrobolanorum, vereor tamen, ut quis producat Meſue ipſum teſtem in contrarium. Succurrit mihi & hoc dubii, *Annon myrobolani etiam conditæ in dictis febribus habeant aliquid malefici?* Omninò, ſi quis frequenter, & in copia utatur. Sed neque modicus uſus eſt ſecurus. Multum etiam refert ſi quis utatur recentibus & in India conditis, etſi rehumectatis apud nos. Illæ enim valde activæ ſunt: hæ contrà languidæ. Sed & inter recentes eſt differentia. Chebulæ enim præferuntur Emblicis, & pluris æſtimantur. Tum verò cautus eſto cum Cluſio, Vide, ne ſint evanidæ? Vide etiam, ne noſtræ ſint in lixivio præmaceratæ? Imò fit hoc etiam in India. Quidam plane repudiant omnes, quibus & ratio & experientia repugnat. Experientiam affert Fallopius, qui ait, egregiè ſiccare & adſtringere. Hanc fulcit ratio, à Coſtæo allata, per macerationem abit vis purgatoria, manet adſtrictoria. Hoc tanto certius quo acrius lixivium.

XX. Habemus in Officinis *pilulas de quinque generibus Myrobolanorum* Nic. Alex. quas non magni facio Nam & uſus illarum eſt rarus in morbis, qui pendent ab humorum miſcella, ad ʒ. Eadem doſis eſt deſcriptionis Nic. Præpoſiti, ſed viribus eſt multò inferior.

XXI. Habemus & *Mel Emblicatum*, pro compoſitione *Electuarii Lætificantis Rhaſis*, quod eſt analepticum, ut & *Lætitiæ*, *Galeno* adſcripti.

C A P U T XXV.

DE OPOPANACE.

I. PRopter *Pilulas de Opopanace* oportet pauca dicere de omni *Panace*. Dicitur τὸ πανακὲς (ita enim ſcribendum eſt) quaſi πᾶσιν ἄκος, ſub. φυτὸν, & uno nomine πανάκεια, quæ etiam Æſculapii filia fingitur. Fuit autem τὸ πανακὲς mutatum in τὸ πάναξ, ὡς εἶδ' ἐπῶς, inquit Gal. 8. *Simpl.*

II. Hujus tria genera apud Dioſc. *l.* 3. *c.* 153. & *ſeq.* à tribus heroibus cognominata, ἡράκλειον, *Herculeum*, ab Hercule: χειρώνιον à *Chirone Centauro*, Achillis præceptore: ἀσκλήπειον, & reſolutione Jonica, ἀσκληπιήϊον, ab *Æſculapio*. Cui loco ut æquus fiat ille Theoph. 9. *Hiſt.* 12. ſatagit. Dalecampius, ut refero *Animadv. in eum locum.* Quo obtento, Bauh. *in Pinace*, non poteſt augere numerum, cùm *Syriacum* ſit idem cum Herculeo. In numerum ternarium conſentit etiam Plinius *l.* 25. *c.* 4. Quin ipſe Bauhinus, ſi excipias *Tatariam Ungaricam*, à Cluſio deſcriptam & pictam 6. *Rar.* 14. Conſenſus ut ſit firmior, *Panaci Coſtino*, ſubſtituo *Æſculapium*, licèt folium Thapſiæ aut Fœniculi non habeat. Non moror illos, qui important in Officinis vel *Æſculapium*, vel *Chironium*, cùm plerique conſentiant in *Herculeum*, id, inquam, quod primum eſt in ordine apud Bauhinum.

III. Hoc in ſtatione ſua firmant. 1. Quod non in Italia tantùm, ſed & Germania, æſtatibus calidioribus, hæc planta vulnerata ſuccum fundit, Opopanaci quadantenus ſimilem colore, odore, ſapore. Quin ipſa planta digitis trita manifeſtè prodit *Opopanacem uſualem.* 2. Quod in Opopanacis grumis reperta ſemina, in Belgio ſata, hanc plantam produxerint.

IV. Hujus tres partes quondam erant in uſu, *radix*, *ſemen* & *ſuccus* ſub nomine præſcripto, qui nunc ſolus ad nos pervenit. Colligitur is, ſcribente Dioſcoride tam ex radice, quàm ex caule, quamquam diverſo tempore, ut videre eſt apud ipſum.

V. Quem Officinalem oſtentant, videtur legitimus Dioſcoridis eſſe. Requirit is. 1. *Ut foris quidem croceus ſit: intus autem albus, ſed ad croceum vergens*, ὑπόκιῤῥος habet Dioſcorides. Quod intelligendum eſt non de totis maſſis: ſed de guttis ſeu grumis, è quibus maſſa fit. 2. *Ut guſtu ſit amarus*, ceu Arabes interpretantur, cum Dioſcorides velit πικρότατον τῇ γεύσει. 3. *Ut ſit* λεῖος, λιπαρὸς, εὔθρυπτος, εὔθετος, ταχέως δὲ διϊέμενος. Conjungo enim hæc quæ ad ſubſtantiam pertinent, quam vult Dioſcorides *lævem & pinguem ad tactum friabilem quidem, ſed cujus grana bene ſolida & compacta ſint, in liquore facilè liquabilem.* E contrario damnat τὸν μέλανα, φαῦλον καὶ μαλακὸν, nigrum, putridum, & diffluentem. 4. Βαρύοσμον deſignat, quod explicat Meſue de odore quodam ſuo & proprio, naturali illo, licet ingrato. Eſt autem odor hic, ſi Cordo fides, Liguſtici noſtratis, aliis Galbani.

VI. Verum enim verò, quia Opopanax etiam optimus habet ſecum feſtucas ſeu aſſulas quaſdam, ante uſum purgare oportet. Purgandi modum duplicem vide apud Cordum 4. *Hiſt.* 106.

VII. Quod ad facultates, ait Gal. *l. c.* calidum eſſe in 3. ſiccum in 2 gr. At Meſue cum Avicenna etiam ſiccitatem eo uſque extendunt. Sed verior eſt Galeni ſententia. Quæ enim tam inſignem emolliendi vim habent, ut dicetur, non poſſunt tam ſicca eſſe. Videtur illos decepiſſe calor magnus, quo plurimum di-

ſcutit. At enim quemadmodum ad calorem magnum à ſiccitate non licet argumentari: ita neque ad ſiccitatem à calore. Siccitas enim lima caloris, inquit Averroes. Unde, quæ valde ſicca ſunt, valdè calefaciunt, quamvis calori ſiccitas par non ſit. Habet, ut dixi, ſuccus hic magnam vim diſcutiendi, mediocrem attenuandi, incidendi, emolliendi, & abſtergendi, ut ſcribit Galenus 7. c. γεν. 4.

VIII. Quo eodem libro, ſed paulò antè, c. 2. comparans Opopanaca cum Galbano, utrumque ait diſcutere & emollire, ſed Opopanaca plus diſcutere, minus emollire, Galbanum contra. His duabus facultatibus commendatur in omnis generis duritiebus, ſtrumis, gangliis, nodis, ſcirrhis viſcerum, & extrinſecus emplaſtri modo impoſitum. Quin addit Galenus ſi cum aceto & ſtercore caprillo præparetur, etiam corpora ſolida conſumere. Laudatur in omnis generis frigidis affectibus, tam interius, quàm exterius. Præter hæc menſes & urinas potenter movet.

IX. Vis purgatoria Græcis incognita fuit. Purgat autem apud Meſue, pituitam craſſam & lentam à remotis partibus, ut ajunt. Apud noſtros homines vix datur hoc fine: utuntur autem pro deductorio aliorum purgantium, ut Fallopius nos docet. Quæ Meſue pro correctione deſiderat, ea ingrediuntur dictas Pilulas de Opopanace. Meſue etiam ſuccum ſolum propinat à ʒj. ad ij. Pilularum doſis eſt ʒj. ad ʒjß. ut habet Apollo Franc. Alexandri.

CAPUT XXVI.

DE POLYPODIO.

I. UNde dicta ſit planta, ſatis declarant verba Dioſcor. ῥίζα δὲ ὕπεστι δασεῖα, πλεκτάνας, ὡσπερεὶ πολύπους ἔχουσα. Hæc acetabula ſeu concavi tumores, ut Marc. Virg. appellat, ſunt veſtigia foliorum (annuatim) abſcedentium, ut Cæſalpinus loquitur.

II. Planta quidem eſt vulgaris notitiæ, ſed faciunt illam dubiam Arabes, cùm amarorem extremum cum aromaticitate, qualis Caryophyllorum eſt, tribuunt illi, cùm neutrum habeat. Verùm reſpondent noſtri, in locis calidioribus eſſe.

III. Deſiderant cautiores in noſtro hoc quoque, quod petatur ferè ex locis humidis, putrilaginoſisque, cum ex ſiccis deberet.

IV. Hinc de qualitatibus primis non idem dicunt. Meſue imponit Dioſcor. qui calidum dixerit in 3. ſiccum in 2. gr. eſſe. Fortaſſis hoc verum eſt de Arabico. Interim Averroës in activis temperatum eſſe affirmat, qua in re non conſentio illi. Relinquit enim calorem quendam in lingua, quod eorum eſt, quæ calida ſunt in 2. gr. In eodem ſtatuerim ſiccitatem quod Galenus dicat admodum ſiccare. Huic ſiccitati atteſtatur curatio arthritidis univerſalis apud Menapios, de qua

qua Dodoneus. Atteſtatur etiam curatio Polypi, cùm pulvis inſufflatur naſo. Ita enim intelligo Theoph. 9. *Hiſt.* 14. non autem, quod ſuſpenſum id faciat.

V. De vi purgatoria Plinius ait, facere id cum ſtomachi ſubverſione. Hoc Coſtæus refert ad dulcedinem, cum viroſitate quadam junctam. Vitium hoc deponit, ſi cum eſculentis coquatur, quod ſolenne fuiſſe Veteribus vel Cato perſuaſerit.

VI. Sed quid purgat? Dioſcorides & Plinius bilem & pituitam ajunt. At Meſue melancholiam & pituitam. Avicennas ſubſtituit illic Epithymum.

VII. Corrigit Meſue mulſa, ſero aut dec. paſſ. additis ſubinde odoratis, dauco, aniſo, fœniculo, &c.

VIII. Doſis in ſubſtantia eſt ʒij. apud Aëtium, Actuarium, Oribaſium, & Ruffum. Hæc tamen apud Meſue eſt minima. Vult enim à ʒij. ad aur. iv. Hanc reprehendit Manardus, qui ad ℥j. dediſſe ſe ait. Hoc ipſum tamen eſſe nimium Fallopius aſſerit. Is in decocto & infuſo incipit à ʒij. & deſinit in ℥ ß. Hoc rurſus minus videtur Maſſariæ, qui cum Manardo ℥j. attingit.

IX. Syruporum mag. magna eſt varietas. Referuntur plerique vel ad Gentilem, vel ad Aug. Niphum, & doſin habent (meo judicio) nimis magnam, ab ℥iv. ad vj. Neſcio etiam an obſervetur Meſue præceptum, ut ſufficienter coquatur.

CAPUT XXVII.

DE PRUNIS.

I. QUÆ libertas Græcorum eſt, dicitur προῦνος καὶ προύνη de arbore, προῦνον καὶ προῦμνον de fructu. De arbore etiam eſt κοκκύμηλος, ἡ κοκκυμηλέα, ut de fructu κοκκύμηλον. Hoc eſſe ἀπὸ τοῦ κόκκυγος, ut perſuadet hemiſtichium Nicandri,

—— μῆλον, ὃ κόκκυος καλέουσι:

Ita ridiculos facit eos, qui à Cocco (baphica) derivant.

II. Inter pruna ſemper fuêre celebria Damaſcena dicta, quæ à Siculis βράβυλα (non βράβηλα) vocabantur, ut eſt apud Ath. l. 2. Hæc ſi è Syria venere in Ungariam, meritò Ungarica noſtra βράβυλα nominabuntur.

III. Summa diviſio eſt in Domeſtica & Sylveſtria. Ex his fit Acacia noſtra Germ. pro Theriaca uſuali, aliiſque compoſitionibus, loco veræ & Ægyptiæ Acaciæ, quæ aliquando Venetias etiam venit.

IV. Illorum ingens turba, inquit Plin. *l.* 15. *c.* 13. ingentiorem dicturus, ſi ap-

apparatum nominum vidiſſet apud Curt. 25. *Hort.* 1. Bruyerinum, 11. *rei cib.* 14. Bauh *in Pinace*, alios. In univerſum eſt illa differentia, quæ à ſapore ſumitur, magni uſus, ſive culinas ſpectes, ſive Officinas Pharmaceuticas.

V. Omnia pruna ſunt frigida & humida, ſed in magna latitudine. Prout enim magis, minus, abſunt à dulcedine, eò frigidiora, humidiora ſunt Quæ auſtera & acerba ſunt, ſive ex natura ſua, ſiue quod non bene maturuerint: ea omnium maximè frigida ſunt, omnium minimè humida. Contrà, quæ dulciſſima ſunt, ea minus frigida ſunt, magis humida. Nam, cùm prædominio ſint aquea, quo minus aqua illa cocta eſt, eò viciniorem ſuæ naturæ eſſe neceſſe eſt: & viciſſim. Propterea pruna dulciſſima vix dici poſſunt frigida: ſed neque calida, cum propriè ſint tepida, quippe non ultra 1. gr. Hinc aliud ſequitur, ut, quò dulciora, eò alimentoſiora, ſed medicamentoſiora minus. Sed & hoc non ſine differentia. Cùm enim, quæ maximè alimentoſa ſunt, maxima tamen ſui parte ſint etiam medicamentoſa: ſequitur, ut quæ minimè ſunt alimentoſa & dulcia, maxime, imò tota ſint medicamentoſa. Veruntamen hoc rectè intelligendum eſt. Pruna enim dulcia ſunt medicamentoſa, accepto vocabulo preſſe, pro pharmaco (ut Veteres loquebantur) purgante. Pruna alius ſaporis ſunt medicamentoſa latè accepto vocabulo pro eo, quod quovis modo alterat corpus. Alterant autem, præterquam purgando, vix aliter quàm adſtringendo. Si placet addere humiditatem, obtundunt illa humorum acrimoniam, parteſque exaſperatas leniunt.

VI. Hinc jubemur diſtinguere, Non enim omnia purgant. Hinc reſpondemus ad quæſtionem, Quæ pruna ſint optima? Alii ſcopo alia ſerviunt. Quod ad rem noſtram, Quò dulciora, eò purgantiora, ut ſic dicam. Verum, quia purgantia, quâ purgantia, diſſolvunt tonum ventriculi, præſtant in hoc genere, quæ aliquam adſtrictionem habent, cùm ipſa magna ſint & laxa, ut Galenus de Damaſcenis ſcribit, 2. *Alim.* 31. Ad contrarium effectum (adſtrictionem, inquam) eligere oportet quæ minimè dulcia ſunt.

VII. Heic aliquis, cur ita ſatagis, cùm ex propriè purgantibus non ſint? & indifferenter uſurpentur? Eja verò! Si uſurpabis indifferenter, in morbis frigidis & humidis plus damni dabis quàm emolumenti. Eadem ratio eſt in latitudine ſanitatis. Qui enim ventriculo ſunt frigidiore, ſtatim offenduntur ab uſu illorum. Imò etiam qui calidi ſunt, ſi crebriùs utantur, manifeſtè ſentiunt lædi. Hinc Dioſcorides de omnibus prunis dixit, quod ſint κακοςόμαχα. Et addit καὶ κοιλίας μαλακτικά. Quod verò paulò poſt de ſiccis ait, eſſe ἐυςόμαχα, καὶ κοιλίας ςαλτικά, accipere oportet de minore noxa. Quæ enim talia ſunt, vocare ſolemus bona. Eadem ratio eſt alterius aſſertionis: Omnia pruna, ſed imprimis recentia, molliunt alvum: ſicca magis retinent. Hoc rerum evidentia dicit, Recentia abundare multâ humiditate, quâ & corrumpunt tonum ventriculi, & flatus gignunt. Ni fallor, malum augetur, ſi addantur alia humida, Caſſia, tamarindi, manna.

VIII.

VIII. Hinc tu æſtima prævidentiam Galeni qui 7. *Simpl.* ait, ſe neſcire, cur Dioſcorides dixerit, pruna ſicca alvum ſiſtere. Eget interprete, minus turbant. Circumſpectior igitur Meſue, probat quidem ſicca, improbat autem recentia. Ut enim recentia extus facilè corrumpuntur. Quò minus probo illos, qui pruna condita, præſertim recentia, apponunt ægris plena manu.

IX. Sed hæc quidem ad artem ſalubrium pertinent, ut I. Alex. loqueretur: mihi jam loquendum eſt de *Diaprunon*, quod etiam *Diadamaſcenum* dicitur. Hoc triplex eſt apud nos. I. *&* *ſimplex* eſt pulpa ſeu medulla prunorum Damaſc. quæ fit ſine omnibus aliis, & ſervatur ſine ſaccharo. Uſus ipſius, non ad purgandum ſed ad mitigandam ſitim in febribus. Alibi fit ad præſcriptum Meſue, & vocatur conſerva ſeu conditum è prunis, cujus uſus ad purgandum. II. *&* *compoſitum eſt Diaprunon lenitivum* Nic. Alex. quod nec Scammonium recipit, nec ullum gravius purgans, & dicitur *Diaprunon ſimplex*, comparatione cum ſequenti Scammoniato, vel *non ſolutivum*, quod fit adjecto ad prius Scammonio præparato, quod Diagridium vocamus. Obſervanda heic inprimis varietas doſeos Diagridii. Qui ad ſingulas libras Diagr. lenitivi addunt ſingulas uncias Diagr. ad ℥ß pervenire non poſſunt. Haberet enim grana Diagridii plus quam xxxxi. Eadem ratio eſt illorum, qui ʒvij. accipiunt. Habebit enim ℥ß grana plus quam xxxv. Qui ℥ß ſingulis adjiciunt, poſſunt aſcendere ad ℥ß fortè & ʒvj. fortè ad ℥j. quæ continebit ℈ß Diagridii, & aliquid præterea. Qui ℥jß. audent dare, nimis præcipites ſunt, niſi fortè Scamm. ſit Monſp. ut ibi dicetur.

X. Moneo diligenter, ne in febribus bilioſis detur, & quidem, ut loquuntur, omni tempore, &c. ad caſtaneæ magnitudinem. Eſt enim hoc plus quam agyrtarum.

XI. Ex floribus pruni ſylveſtris per iteratam infuſionem, ut in roſis, fit etiam apud nos *Syrupus purgans*, quem audaculi quidam ſubſtituunt etiam Syrupo roſarum ſolutivo ſimplici.

CAPUT XXVIII.

DE PSYLLIO.

I. OΨύλλος, & Atticè ἡ Ψύλλα, *pulex*, facit de ſe diminutivum τὸ Ψύλλιον, quod datur plantæ cuidam, cujus ſemen pulici eſt ſimile. Hujus plantæ apud Bauhinum 4. ſunt ſpecies, nec ſatis ſcio an ſemen, quod in Officinis petitur, ſemper ſit ex prima ſpecie, quod hoc peculiare habet, ſubitò ſubſidere in aqua. Habet & hoc, quod non ſit unius coloris, quia inæqualiter matureſcit.

II. De facultatibus graviſſimæ ſunt lites. Græci, indiſtinctè loquentes de to-

to ſemine, frigidum & humidum faciunt. Rufum laudans Meſue devenit in utraque qualitate ad 3. gr. Idem addit, Dioſcoridem ſubſiſtere in 2. in quo ſe firmat Avicenna quoque. Gal. 7. *Simpl.* frigidum vult etiam in 2. ſed in paſſivis temperatum. Cum hoc Aver. eſt 5. *Coll.* 42. Imò tam Dioſcorides quàm Avicenna habent inter venena frigida. Ille enim l. 6. c. 10. dat illi ſymptomata venenorum frigidorum. Hic in eodem cenſu cum Opio habet.

III. Inter Arabas Meſue, 1 *Purg.* 20. confugit ad partium heterogeneitatem. *Compoſitum eſt*, inquit, *ex duabus ſubſtantiis*, *medulla*, *quæ calida & ſicca eſt in* 4. *gr. acri admodum & incidente*, *rubrificante*, *ulceroſa*, *venenoſa: cortice contra frigido*, *multum &c.* Avic. *cap. prop.* non meminit hujus diverſitatis: & *l.* 2. *tract.* 1. *c.* 1. meminit. Serapio etiam ſilentio involvit.

IV. Nobis tria ſunt controverſa. 1. An verum ſit, quod de heterogeneitate dicitur. 2. An ſit venenum? 3. Quale?

V. I. Illud experientiam requirit perfectam, quam quis dabit? Valeſii enim illa 9. *Contr.* 8. non ſufficit. Et memini Cl. Doldium planè illam rejicere. Propterea ego quoque in medio relinquo.

VI. II. eſt ejusdem ambiguitatis. Interim valdè me movent Ægyptii, de quibus ſcribit Alpinus 4. *Medic.* 1. uti illos Pſyllio in febribus ardentibus. Meminit etiam *l. de plant. f.* 51.

VII. III. explico exemplo Opii. Ut enim illud eſt calidum in 3. & tamen interficit refrigerando: ita de Pſyllio ſtatui poteſt. Intereſt tamen, Opii partes calidæ non poſſunt ſeparari à frigidis: hinc eſt, quod concurrunt utræque ad effectum. Calidæ præbent vehiculum frigidis. At Pſyllii poſſunt, & frigidæ ſunt venenum illud frigidum: ſiquidem dentur in ſua doſi, quæ ſuperari à Natura non poſſit. Ita Opium miſcetur Theriacæ, & vincitur frigiditas adeò, ut medicamentum fiat calidum. Hoc oppono illis, qui Theriacam ſudorificam eſſe volunt propter Opium. Ita fit in Lohoch de Pſyllio.

VIII. Ubi hoc aſpergo, Qui negant ſenſui locum eſſe, exemplo *Arſenici*, quod dulce eſt guſtui, falluntur. Ut enim vis corroſiva in ventriculo demum ſe exſerit: ita Pſyllii fervor tandem ſe exſereret, ſi ullus ibi eſſet. Quòd ſi omnino pertendas, calidum venenum eſſe: tamen hoc etiam concedas oportet, aliorum permiſtione extingui calorem.

IX. Propter has tam denſas tenebras libenter ego abſtinuerim ab *Electuario de Pſyllio*, ſive illud Meſue ſit, ſive Montagnanæ. Præterquam enim quod valde inſolens eſt, dici medicamentum aliqod à ſuo corrigente, cùm à baſi, quæ *Diagridium* eſt, deberet, quid ſibi tot coctiones, macerationes, ebullitiones volunt? Annon tandem enervatur totum? Quid verò? Pſyllium primùm in ſubſtantia ingreditur, deinde ſuper additur mucago. Utrum vincit, calor an frigus? Quid illud? quod Scammonii tanta eſt varietas in doſi? Necnon, quod alii cru-

dum

dum volunt, alii præparatum? Quàm verò abſurda eſt comparatio cum ſyrupo roſarum ſolutivo? Quam abſurdum dictu, utriusque compoſitionis eandem eſſe doſim, ab ℥ß ad 1.? in tantis doſeos Scammonii tenebris? in tanta varietate abſtrahendæ mucaginis Pſyllii?

X. Syrupus è Pſyllio pro phthiſicis apud nos in uſu non eſt.

Caput XXIX.

DE RHA UTROQUE, BARBARO ET PONTICO.

I. HOc extra controverſiam eſt, Rha eſſe nomen fluvii, hodie à Tartaris *Edel* vocati, ab aliis *Volha*, aut *Volga*, in Sarmatia Europea, quà finis quidem Europæ eſt, initium etiam Aſiæ, in cujus fluvii ſuperciliis vegetabilis quædam planta, fluvio ipſi cognominis, naſcitur, ut Ammian. Marcell. loquitur 12. *Hiſt.* Huic vicinus eſt alius fluvius *Tanais* dictus, nunc *Tana*, vel *Tan*, in cujus ripis oritur Rhaponticum Dioſcoridis. l. 3. c. 2. & Plin. l. 27. c. 12. Hoc ita dicitur quod ſupra Pontum & Boſphorum (βοὸς πόρον) Cimmerum ſit ille fluvius. Naſcitur verò & in Thracia & in Scythia, quà *Boryſthenes* eſt, hodie *Nepper*, cujus rei teſtes oculatos habemus.

II. Cæterum, Rhabarbarum Officinarum dico eſſe *Rha* illud prius quod *Ravedſeni* vocant Arabes, quodque in regno *Tſina*, ſeu, ut nos ſcribimus & pronunciamus, in *China*, copioſè colitur. Illa regio quo jure Barbaria dicatur, nunc non exquiro. *Rhaponticum Officinarum*, voco primum *Lapathi genus illud*, quod Alpinus, Doctor meus, peculiari tractatu deſcripſit 1612. Patavii. Habet etiam 2. *Exot.* 5. De utroque ſeorſim, & primùm.

DE RHA-BARBARO.

III. TOT *Rha* veſtigium eſt in illo *Ravedſeni.* Vide Joſ. Scal. *Canon. Iſag.* l. 3. f. 319. ut & *Notas in Gartz.* 1. *Arom.* 21.

IV. Scribunt etiam nautæ Hiſpani & Belgæ, nullibi creſcere Rhabarbarum uſuale, quàm in *China*, unde vel terreſtri itinere in Perſiam & Syriam eat, inde mari Venetias: vel mari, ex ſinu Perſico, ubi Ormuz, Aden, & alia emporia, in Indiam Orientalem, è qua in Hiſpaniam, Belgiumve. Veriſimile eſt, creſcere etiam in vicina Chinæ Tartaria Septentrionali, præſertim provincia Tangut, è qua venire nobis omne Rhabarbarum author eſt Ortelius, inſignis Geographus, tab. 47. Ejusdem Provinciæ metropolis eſt *Succuir*, ubi Matthiolus creſcere audiverat. Ejuſdem *Singui*, ubi Paulus Venetus.

V. De planta *Rhabarbari* res valde dubia eſt. Quam enim Matthiolus ex re-

latione Perſarum deſcribit & pingit, ferè ab omnibus negligitur. Quam Alpinus, *extremo libro de Plantis Ægyptiacis* Corcyræ vidit ex Syria allatam, parum me movet. Multò minus illa, quam Monardis c. 19. à multis in Hiſpania ſatam fuiſſe ait. Quam è noſtris multi deprædicarunt, nihil aliud eſt, quam *Hippolapatum Dioſcor.* quod Monachi Rhabarbari nomine nobilitarunt. Ita quidem eſt, ex Lapatorum genere eſt, & Rhabarbarum & Rhaponticum, atque, ut Rhaponticum innotuit beneficio Medici Rhaguſini, quem Alpinus nominat: ita Rhabarbarum neutiquam. Alunt enim Chinenſes ſuos urinatores, qui diligentiſſimè excutiunt naves, ne quid ſeminis exportetur.

VI. Ergo, quia *Rhabarbari Officinarum* ſuperficiem videre non datur, videamus age interiora radicis noſtræ ſiccæ. Ubi primùm advertendum eſt, ut Chinenſe ſolum habemus; China autem declaratur à multis pro *Barbaria*: fortaſſis minus præſtans habemus. Meſue enim præfert Indicum Barbarico. Idem Turcicum ait eſſe peſſimum, pro quo habemus hodie id, quod guſtu acerbum eſt. Eligimus autem præ Hiſpanico & Luſitanico Venetum, quod ut dixi, & compendioſiore via ad nos transferatur, & melius conditionatum, ut ſic dicam. *Aromata*, inquit Garz. *mari vecta*, *menſtrui ſpatio magis corrumpuntur*, *quàm toto anno terra.* Et eſt alioquin iter ex Ægypto breviſſimum, reſpectu illius, quod ex Ægypto in Indiam it, & ex India in Europam.

VII. Sed remotis his, præſtat Rhabarbarum 1. Quod *foris nigricat*, interius (modò recens ſit) cum varietate quadam coloris, dilutè ex purpura rubet. 2. Quod in mandendo aliquantulum glutinoſum eſt, cum levi tamen adſtrictione, croci colorem referens, quem manifeſtius exhibet, ſi papyro, aut alii candido corpori illinatur. 3. Quod *ſubſtantia* eſt rara, & quaſi fungoſa, non molli tamen, aut friabili, ſed inter duram, compactamque media, & in ſuo genere ponderoſa. 4. Quod *odorem* ſpirat gratum. Quod vetuſtum eſt, ex ſubluteo ſordet: aliquando etiam teredinoſum eſt.

VIII. Quod de adulteratione Rhapontici Galenus ſcribit 1. *Antid.* 14. id Meſue de Rhabarbaro etiam tradit, niſi quod hic quidem macerari dicat, ille autem decoqui. Hac de re interrogaſſe ſe multos, Bell. ait 2 *Obſ.* 102. ſed comperiſſe rarò fieri. Garz. quoque author eſt, narratum ſibi id in India: ſed relatores non auſos fuiſſe dicere, ſe vidiſſe. Chriſtophorus a Coſta expreſſè pro fabula habet.

IX. Habemus enim ſic ſatis correſpondens notis ſuis, cum quibus etiam durat tribus aut quatuor annis, ſi bene habeatur. Hoc fit, ſi obliniatur ſola cera, vel terebinthina admiſta & ſepeliatur in ſem. milii, aut pſyllii. Meſue etiam melli immergit.

X. De facultatibus ita Meſue, videri quibusdam calidum & ſiccum in 1. gr. ſed verius eſſe, quod 2. attingat. Huic conſenſerunt hactenus omnes: ego hoc admoneo, verum videri de ſicco tantum, ut nos habemus. Recens enim, ait Matthiolus, ſed ex aliena fide, adeò amarum eſt, vix uti deguſtari poſſit.

XI.

XI. Cæterùm, ut Rhaponticum, authore Galeno 8. *ſimpl.* heterogenearum partium eſt: ita, autore Meſue, Rhabarbarum quoque. Habet enim, ut ille loquitur, duplicem ſubſtantiam, alteram aqueam & terreſtrem, quæ adſtringit, & viſcera facit τετανά, ut ita dicam; alteram aëream & igneam, ob quam amarum eſt, & rarum. Verùm (addit) ſubſtantia autem ignea in ſuperficie eſt. Ideò per infuſionem ſeparantur partes calidæ & purgantes: manent frigidæ & terreſtres & adſtringentes. Ex his apparet, habere vim inſignem de obſtruendi juxta & abſtergendi: habere verò & adſtringendi. Hoc partes frigidæ agunt poſterius: illa, calidæ ſtatim. Ob id tantas habet laudes in affectibus hepatis, quas tamen accipere oportet cum grano ſalis, ne ſimiles fiamus mercatoribus, qui volunt extrudere merces ſuas. Has dotes ſequitur vis menſes & urinas movendi. Vide Ep. Occonis *inter Cratonianas*, f. 18.

XII. Vis purgandi bilem non admodum fortis eſt, à ſimilitudine ſubſtantiæ dicunt. Eſt etiam mediocris vis abſterſoria, & adſtrictoria, quo fine aut torrent aut aſſant. Quidam ſumunt magma illud, quod poſt infuſionem ſupereſt. Hoc fit in dyſenteriis, in hæmorrhagiis, in aliis à viarum laxitate morbis. Ego verò vehementer dubito, an per rerum naturam fieri poſſit, ut adimatur Rhabarbaro vis tota purgatoria. Imò, in univerſum oppono ebuccinatoribus iſtis illa l. Alex. 26. *Sal.* 3. compertum eſſe, in febribus, ultrà quàm par eſt inflammare corpus, augere obſtructiones, ſi quæ adſint, vi diuretica exaſperare vias urinarias, præſertim in iis, in quibus quid tale præfuit, &c.

XIII. Quò minus credi poteſt & debet Averroi, neganti Rhabarbarum opus habere correctione. Quin opponit ſe Maſſarias, *Purg. c.* 19. Et eſt in contrarium Meſue præceptum, *Et non prætermittatur, quin cadat in ſocietate ſua ſpica. Eſt enim proprii juvamenti cum ipſo.* Videtur autem juvamentum in eo eſſe, quod partium tenuitate ignavam Rhabarbari vim excitet. Idem facit vinum odoriferum, in quo fieri debet infuſio. Serum verò, & aqua endiviæ, plantaginis &c. obtundunt calorem ejus, arcentque φλόγωσιν.

XIV. De doſi, tam in ſubſtantia, quàm in infuſione, decoctioneve, lites ſunt propter Meſue, qui utrobique videtur liberalior eſſe. In *ſubſtantia* enim dat à drach. j. ad iij. aut, utquædam Exemplaria habent, iv. Sed revera hoc nimium. Scribit Falloppius, ſummam doſin eſſe ſcrup. iv. aut cum ſemiſſe. Incipit igitur à ſcrup. j. quem pueris dat, & eò pervenit, quo dixi, cum Tagautio. Paulò audacior Maſſarias, cum Dodoneo, ad ʒij. aſcendit. Hoc fortaſſis dari illis poteſt. Scribit enim Avicenna & Serapio, doſin eſſe eam, quæ Agarici. Hujus autem ſumma doſis ʒij. Loqui autem utrumque de Rhabarbaro non de Rhapontico, argumento ſit, quod purgans cum purgante componere oporteat.

XV. Hoc modo datur Rhabarbarum, vel pulveriſatum, vel integrum maſticandum. Cùm pulveriſatur, aut inſpergitur paſſulis, conſ. roſ. & conſimilibus: aut caricis inditur, aut fiunt rotulæ, paſtæ, &c. aut boli conficiuntur cum caſſia, manna, &c.

XVI. Qui minus volunt purgare, & poſtea fortiter adſtringere, ij torrent, & exhibent cum Caſſia, quam ajunt humiditate ſua tollere ἐμπύρευμα, quod concipit, cùm torretur. Hoc modo utuntur in dyſenteria plerique Practicorum: quàm rectè, non diſputo.

XVII. In *infuſione* dat Meſue à ʒj ß ad x. Quod ut ex ſe nimium eſt: *ita* facilè apparet, mendum eſſe in Codicibus impreſſis. Si enim facere voluiſſet gradum iſtum hyperbolicum, dixiſſet datur à ʒvj. ad viij. vel x. Quare pleriſque Sylvii lectio placet, Meſue dediſſe in infuſo à ʒj ß. ad iij.

XVIII. Sed & hoc videtur quibusdam nimium. Fallopius enim maximam doſin ponit ʒij. nec quenquam eſſe, qui auſit dare iij. Fortean iſti tuentur ſe exemplo Avicennæ & Serapionis qui, ut dixi, cum Agarico comparant. Hoc modo, in infuſo, inquam, plus purgat quàm in ſubſtantia. Verùm, quia hoc ipſo modo fit penetrantiſſimum, timetur in iis præcipuè, qui alias ardore & difficultate urinæ laborant, ut Fallopius obſervat. Diureticum enim cùm ſit, agitat & pellit eò humores, ut ardor urinæ ſit moleſtus, quamdiu actio ipſius durat in corpore. Timetur & gravidis, ut Helidæus habet, quia menſes cit. Decoctionis ea ferè ratio eſt, quæ infuſionis.

XIX. Alius utendi modus in *Extracto* eſt, cujus doſis variat pro vario extrahendi modo. Quod ſimpliciter fit ex Rhabarbaro tuſo, & affuſo ſpiritu vini, ejus à Lobelio datur ʒ ß.

XX. Alius eſt *in Pilulis* quæ duplices ſunt, quarum primas *de Rhabarbaro* voco, alteras *de Ravedſeni*. Hæ ſatis validæ ſunt, &, authore Manardo, ultra ℥j. dari non poſſunt, licet alii ʒij. dederint, inconſultò: illæ ſunt mitiores, ut ad ʒj. veniri poſſit.

XI. Alius modus in *Trochiſcis* eſt, quamvis de obſtruendi gratia tantum præſcribantur ad ʒij. Eſt etiam alius in Confectione, qualem Crato parat, cujus ʒiij. raro ℥ ſem. datur. De ſyrupo de Cichorio cum Rhabarbaro, vide *in Cichorio.*

XXII. Supereſt quæſtio, in defectu Rhabarbari, quid ſit faciendum? De *Frangula* cortice dixi ſententiam. Jam dico *Rhabarbarum Monachorum*, qui in Meſue ſcripſerunt, quod eſt *Hippolapatum* noſtrum, omni jure huc transferri, quod planta ſit congener, ſed qua doſi? In dupla, triplave. Cur huc faciat, alia etiam ratio eſt. Radix ſiccata ſubſtantiam (& colorem) Rhabarbari æmulatur, nec minus eo inficit, ut Cluſius loquitur. Imò etiam bilem & ſeroſos humores abducit, ut Pena docet.

II. DE RHA-PONTICO.

XXIV. JAm id moneo in ſuperioribus omiſſum, Quod *Rha* vulgo eſt, eſt ſcriptoribus Græcis ῥῆον ἢ ῥέον, Plino l. 27. c. 12. *Rhacoma* aut *Rhecoma.* Utrimque hanc vocem corruptam eſſe, præſertim poſteriorem,

rem, conſentio Ruellio. At quia nec Dalecampius quicquam dicit, quod nos, lego, *Rhaponticum affertur ex his, quæ ſupra Pontum ſunt regionibus.* Ita poſterior pars orationis dabit rationem appellationis, & ſimul concors fiet Dioſcorideæ, *Rhaponticum provenit in iis, quæ ſupra Boſphorum ſunt, regionibus.* Intelligit autem, ut innui, non notum illum, *Thracicum*, qui ad Conſtantinopolim eſt, & rimit Europam atque Aſiam: ſed illum, qui in Ponto, ſeu Aſia minore eſt, qua *Scythæ Cimmerii* ſunt, quorum regio hodie *Nova Semla* dicitur. Ῥῆον καὶ ῥέον, differunt pronunciatione. Ut enim Galenus alicubi ſcribit, non eſt E. clarum: e. eſt productum, non autem i. Latinum.

XXV. Planta ipſa non minus eſt genere *Lapatum*, quam *Rhabarbarum.* Qua oratione ſatisfacio quæſtioni, *Quatenus Rhaponticum cum Rhabarbaro vel idem ſit, vel non ſit?* Separo etiam me ſciens à Bauhino, qui pro ſpeciebus *Rha*, peculiarem rubricam facit. Maneo quoque in ſententia, in Officinis quidem pro *Rhapontico* habendum eſſe, quod IV. eſt ordine, Alpini, inquam, illud *Thracicum*: poſſe tamen in uſum venire etiam V. quod eſt *Rhaponticum folio Helenii.* Imò verò etiam *Centaurium majus*, quod mox I. eſt in ordine.

XXVI. *Rhapontici veri* notæ apud Dioſcoridem ſunt l. 3. c. 2. I. *Sapore* debet eſſe ἔγλισχρον μετὰ ἀνειμένης ςύψεως, *lentum valdè* (τὸ ἐν enim intendit) *cum modica adſtrictione.* II. *Colorem* debet emittere, cum manditur, οἰνόχρωτα, quod explico, *quodammodo croceum.* Nimirum, pro ἔνωχρον apud Theophraſtum 9. *Hiſt.* 13. lego οἰνώχρον, partim ut vitem intenſivum ἐν: partim, ut τὸ ποσῶς locum tueatur ſuum. Nec moror graviſſimum errorem Gazæ, qui *Cæruleum* ibi intrudit, cùm reſpexerit author ad οἴνοπα βακχὸν Homeri, omninò ad colorem οἴνωπα alibi dictum, qui *Fulvus* eſt Gazæ ibi, ſed alibi *Sanguineus*, qualis tum erat omnis vini, qui & αἴθοψ, & αἰθίοψ, & μέλας. Scal. fingit novum verbum, *Vinicolore.* III. Non debet eſſe *teredinoſum.*

XXVII. Pharmacopœi diligentiores diſtinguunt etiam Rhabarbarum à Rhapontico. I. Rhaponticum eſt vilius Rhabarbaro. II. Rhaponticum eſt ſubſtantia præditum minus ſolida, ut Dioſcorides quoque vult: Ajunt, Rhabarbarum rara quidem ſed ſolidiore & graviore eſſe, & quò gravius, eò melius. III. Color Rhapontici exterius quidem niger eſt, interius autem rufus: Rhabarbari exteriùs quidèm ſubniger eſt, interius autem ex rufo & glauco miſtus. IV. Rhaponticum maſticatum colorem reddit pallidum & ſubcroceum: Rhabarbarum vel maſticatum, vel quocunque modo cum humido miſtum croceo tingit colore. V. Rhaponticum in ore lenteſcit: lenteſcit & Rhabarbarum. VI. Rhaponticum adſtrictionem habet quandam: habet & Rhabarbarum. VII. Rhaponticum ſapore eſt ſubacri: eſt & Rhabarbarum, niſi quod ſimul amaro. Imò & Rhaponticum eſt amarum, ſi fides eſt Serapioni, apud quem Alpinum non invenit. VIII. Rhabarbarum omne eſt odoratum: at non niſi quoddam Rhaponticum eſt. Tale enim ad Dodoneum miſit Cortuſus. Non autem debuit ideò Dodoneus mutaſſe Dioſcoridis lectionem, ex ἄοσμον faciendo

ἔοσ-

ἔοσμον. Quod enim tale eſt, fortaſſis jam Rhabarbarum eſt. IX. Rhabarbarum purgat: Rhaponticum non. Imò verò Rhaponticum etiam quoddam purgat; ideò Serapio cum Agarico comparat. Ad has notas quo magis accedit vel Lapathum Thracicum, vel Rhaponticum Helenii folio, vel Centaurii majoris, cum quo Dioſcorides comparat, fortaſſis de pleriſque omnibus cogitans, eò tutior fuerit utens.

XXVIII. Et hæc quidem ego ex Naturæ libro: contra quæ quid moliantur Matthiolus, Pena, Coſtæus, Cronenburgius, alii, videri poſſunt à volente per otium. Quo qui abundat, adeat etiam Commentarium Salmuthi *in Nova reperta Guidonis Pancirolli.*

XXIX. Ut rectius ſe habeat, negotium, video mihi incumbere neceſſitatem explicandi facultates etiam Rhapontici. Galenus ait 8. *Simpl.* partium eſſe heterogenearum. Habere enim caliditatem quandam aëriam cum acrimonia, unde digerat: habere etiam frigiditatem, unde adſtringat. Utraque facultate hepaticis & lienoſis prodeſſe: adſtrictione ſola dyſentericis, cœliacis, hæmoptoicis, promovente tenuitate actionem. Has omnes facultates quomodo accommodet Alpinus Lapato ſuo Thrac. videſis apud ipſum. Auſim ego ſpondere, non procul abeſſe ab iisdem tam Rhaponticum folio Helenii, quàm Centaurium majus, è quo fit Syrupus, de Rhapontico noſtratibus dictus.

CAPUT XXX.
DE ROSIS.

I. NOLO heic eſſe Varro vel ἐν τῷ ῥόδον, vel in *Roſa*: hoc tantum commemoro, apud Theop. ἡ ῥωδωνιὰ, ᾶς, *Roſetum*, eſt ῥόδον ipſum. Ita ἰωνιὰ eſt ἴον.

II. *Roſarum* ſumma diviſio eſt in *Sativas* (ſub quibus etiam *Artificiales*) & *Sylveſtres*. In utriſque probavit mihi Illuſtriſſimus Bauh. *in Pinace*, eximiam ſuam diligentiam, niſi quod inſervit *Roſam Hierichuntis*, quæ alius eſt generis. Huic ſubſtituo *Roſam Chinenſem*, quam non niſi pictam & ſcriptam vidi.

III. In *Sativarum* nominibus multus eſt Plinius l. 21. c. 4. & qui eum ſequuntur. In *Sylveſtribus* duæ propriæ ſunt voculæ, nondum ſatis explicitæ κυνόῤῥοδον καὶ κυνόσβατος. Ambiguum enim eſt, quo pertineant, ad roſas, an ad rubos? In earundem cenſu habent Officinæ quædam *Bedeguar Arabum*, quam ego plantam Carduis jungo.

IV. Verum, ad Officinam eamus, & duo videamus. *Alterum*, quæ ex roſis ſativis ſit illa, cujus in illis uſus? *Alterum*, quibus nominibus appellentur ſingulæ, illius partes?

V.

V. *Quod ad prius*, Ad ſyrupum roſarum, electuarium, aquam ſtillatitiam in omnibus pharmacopoliis expetitur illa, quæ *IV. eſt in ordine* apud Bauhinum *in Pin.* quæ eſt & dicitur *Purpurea*, *carnea* ſeu *incarnata*, *pallida*, *Præneſtina* Plinii credita, à Præneſte Latii oppido. Quo dato *Trachynia* (a Campaniæ oppido) eſſe non poſſit, cùm Plinius diſertè diſtinguat: ſpeciatim ad ſaccarum illa, quæ inde *Saccarina* vocatur, & *Fina*. Ab iſta ſeparare nos fas eſt XI. & XII. flore vel ſimplici vel pleno, quæ modò *Damaſcena*, ab urbe Damaſco, non autem à Scenitis Arabibus. Purgat enim vehementiſſimè, itaque longiſſimè abeſt à benignitate Ulmenſis noſtræ, ut quidam vocant. Quæritur, quæ ſint *Zebedenæ* dictæ? Bauhinus videtur accedere ad illos qui easdem cùm uſualibus eſſe volunt. Contrà ſtat Melichius in *Diſpenſatorio* qui *Damaſcenas* dicit. Sed quæ ſunt *Alexandrinæ* ſeu *Perſicæ*? Perſuaſit mihi Monardis in tractatu, quem Cluſius nobis dedit, non eſſe alias ab Ulmenſibus jam dictis.

VI. *Quod ad poſterius*. Cùm germinat primùm, Plin. *Corticem granoſum* vocat, qui intumeſcens in virides *Alabaſtros* faſtigiatur. Hujus pars ſuperior, quæ ſe explicat, *Calyx* dicitur: inferior, quæ lapillos poſteà continet, *Caput*. Hoc dividitur in *Corticem*, *Folia & Florem*. Eſt enim roſa inter διανθῆ, ut eſt apud Theoph. hoc eſt in medio flore alium habet florem. *Cortex* conſtituitur à quinque illis laciniis, de quibus exſtat verſus leoninus,

Tres ſunt barbati, tres ſunt ſine crine creati.

Folia iterum in duas partes diſtinguuntur. Aut enim ſunt *folia ipſa*, quæ in uſum veniunt aut eſt foliorum pars illa candida, quam ὄνυχα, *unguem* vocat Dioſcorides, λόβον Galenus, qui abſcinditur, & abjicitur, præterquam in oleo roſaceo ut dicetur. Eodem modo flos & ſtamina in duas partes dividuntur. Aut enim ſunt *lutei illi apices*, ut Plinius vocat, qui adhærent tenuiſſimis quibusdam capillamentis, & pro ſemine habentur à quibusdam: aut ſunt capillamenta ipſa. Hæc duo vocantur à quibusdam Medicis ἄνθος ῥόδων, quem qui *Antheram* vocare volunt, decipiuntur. Eſt enim *Anthera* non ſimplex medicamentum, ſed compoſitum, cum aut ſine floribus iſtis. Vide Foëſium.

VII. Ex his partibus frequentiſſimus uſus eſt foliorum exungulatorum, tam ſubſtantia, ad varii generis medicamenta: quàm ſucco, vel per expreſſionem, vel per infuſionem, vel per diſtillationem.

VIII. Minus frequens uſus unguium eſt, & fructus, inprimis Cynosbati. Minimè omnium frequentatur aqua deſtillata ex capitibus, ut & decoctum illorum.

IX. Hæc partium diſtinctio ſervit diſtinctæ facultatum cognitioni. Certum eſt, & ſemen & capita eſſe cum inſigni adſtrictione: ideò frigida & ſicca. Certum etiam eſt, folia, & conſequenter ſuccum illorum habere leviculam adſtrictionem, quæ eodem tendit: incertum verò eſt eadem ſint ne calida an frigida? ſcribit quidem Gal. 3. *Simpl.* 6. in roſarum effectibus calidum non vincere, prop-

tereà calidas non eſſe; ſcribit *de Ther. ad Piſ.* 3. roſam leviter refrigerare; ſcribit 6. *San. tu.* 74. folia renibus ſub ſtrata imminuere copiam ſeminis; ſcribit *de inſtr. odor. ult.* in calidis capitis doloribus imponi; ſcribit 3. *Simp.* 9. roſam pleriſque omnibus modis, quibus utimur illâ, refrigerare; ſcribit 2. *Simpl. ult.* in ſpecie de oleo roſaceo refrigerare excalefactos, adeoque frigidum eſſe in 1. gradu. Summa, ſcribit aliis locis alia.

X. Ne ſoli Galeno adhæreamus, ſcribit Meſue 1. *Purg.* 10. roſam eſſe frigidam in 1. ſiccam in 2. Hoc explicat ex Gal. 3. *Simpl.* 10. roſam eſſe tepidi caloris, quale Chamæmelum eſt. Ubi ſubitò aliquis, Atqui Chamæmelum eſt calidum in 1. Erit igitur roſa quoque. Caliditati atteſtatur guſtus, qui, ut habet iterum Gal. 3. *Simpl.* 15. una cum adſtrictione ſentit dulcedinem, amarorem, & quaſi mordicationem quandam. Hæc tria etiam ſunt à calore. Adde, Galeno conſentiunt Paulus & Aëtius, conſtitui roſam ἐξ ὑδατώδοις οὐσίας, θερμῆς ἀναμεμιγμένης, hoc eſt, ut exponunt, habere humiditatem calidam.

XI. Quid igitur? Confugiunt quidam ad partium heterogeneitatem, quod ſcribat Gal. 4. *Simp. ult.* 7. *Simp. c. prop.* in roſæ natura aliud guſtantibus acerbum eſſe, quod neceſſe eſt terreum ſit, craſſum, frigidumque: aliud amarum, quod tenue & calidum: & tertium in his aqueum, quod neceſſario frigidum, ſed in tenuitate & craſſitie medium quadantenus obtineat, &c. Ita 4. κ. τόπ. 4. cum aloë comparans ait, habere in ſe amarum quid, quo exſtergit: habere etiam adſtrictorium quid, quo committit, & ulcera ad cicatricem ducit.

XII. Hac de re ne quid dubites, vide, ſodes, Meſuen, ſpondeo tibi agniturum pro Interprete Galeni. Et ſic quidem illi ſatisfactum eſſe putant difficultati: ſed revera, quod Italico dicitur proverbio, *Non peſcano al fondo.*

XIII. Ut rem exemplo declarem, Opium tam eſt heterogeneum, ut dicatur eſſe calidum in 3. frigidum in 6. non dicitur tamen, harum quidem partium reſpectu caloris illarum autem frigidum, ſed ſimpliciter frigidum. Cur? Quia refrigerando interficit. Ita, quamvis in roſa diverſæ ſint partes: oportet tamen dicere, utræ dominentur, hoc eſt, effectum edant. Jam igitur alio ſe vertunt. Quæ calida & frigida ſunt in 1. gr. non refert ab utro appelles. Non enim ſenſu, ſed ratione deprehenditur calor & frigus, adeoque eſt medium quid inter calorem & frigus quod Tepidum vocat Gal. Roſa igitur (dicunt) cùm talis ſit, &c.

XIV. Reverà, non ἀνίατρον tantum hoc eſt, ſed & ἄλογον. I. enim repudio illud, 1. gr. ratione tantum intelligi. Medicus enim artifex ſenſualis eſt, licet non aſpernetur rationem. Sed detur: quod ratio jubet eſſe tale, id & eſt tale, & taledicitur. Deinde (quod tamen coincidit cum illo) quamvis Gal. ſcribat 6. *Simpl.* Atriplicem eſſe in 1. gr. in quo etiam roſa, licet idem 3. *Simp.* 10. comparet inter ſe roſam, chamæmelum & lini ſemen, & omnibus his calorem tepidum tribuat: non ſequitur tamen, frigiditatem vel atriplicis, vel roſæ dici poſſe

ca-

caliditatem, ut neque contra, calidum vel chamæmelum vel ſemen lini eſſe frigidum. Quæ enim hæc rerum confuſio?

XV. Summa eſt, in Medicina referuntur omnia ad hominem temperatum, quem quæ calefaciunt, calida ſunt: quæ refrigerant, frigida. Sed enim quia fieri poteſt, ut calidum in 1. gr. ſive id *Tepidum* appelles, ſive *Temperatum*, refrigeret hominem intemperatum, dicitur id frigidum. Roſæ igitur calidæ ſunt, quo reſpectu? Hominis temperati. Et hoc de natura ipſarum eſt. Verum enim verò, quia remittit intenſum, ſiquidem applicentur homini calido, poſſunt illum refrigerare, & dici frigidæ. Et hoc accidit illis. Hoc per anticipationem dictum eſto de omnibus à Galeno dictis *Tepidis*, cum quibus finem habeant qualitates roſarum activæ. In paſſivis manet hoc, ſiccæ ſunt. Nec eſt, quod jactent quidam locum Gal. 4. *Simp. ult.* Loquitur enim de illa ſubſtantia aquea, quæ cauſa eſt odoris, & facilis exſiccationis.

XVI. Jam in hoc roſarum temperamento eſt latitudo quædam. *Domeſticarum* folia ut plurimum ſunt odoratiora & coloratiora ſylveſtrium: ideo calidiora. Iisdem exſiccatis quia ferè perit & odor & amaror, & vis purgatoria: ideò minus calida. Ita, folia perfecta omnia habent ἐν ἀκμῇ, & calidiora ſunt imperfectis. Ita, ſuccus per expreſſionem factus eſt calidior ipſis foliis: partes enim terreſtres jam ſeparatæ ſunt. Hoc viciſſim calidior eſt ſuccus per infuſionem: igneæ enim partes tantùm ſecedunt. Hinc Gal. 3. *Simpl.* 10. dicere poteſt, ſuccum ſubſtantiæ eſſe tenuiſſimum idque tribus argumentis, quod celerrimè areſcat; nihil habeat viſcoſi; obſcuret reliquorum unguentorum odores, tenuitate ſua præoccupando odoratus inſtrumentum.

XVII. In his quæ turbet Monardis, ſine *Simp. Ind.* videre poſſunt apud ipſum, qui volunt.

XVIII. Et hæ quidem ambages ſunt in primis roſæ qualitatibus: in ſecundis pauciores ſunt. Quod ad adſtrictionem, habent illam omnes roſæ partes, ſed debiliſſimam folia exungulata, 6. κ. τόπ. in linimento Diabeſaſa, quemadmodum viciſſim ungues fortiorem. Ideo uſurpantur in clyſteribus, in lotionibus pedum, in fluxionibus ad partem affectam. Fortiorem rurſus flores heic propriè dicti, quos inſpergunt gingivis laxis, quos decoquunt in nimiis menſibus, in fluore albo, &c. Fortiorem rurſus calyces ſeu capita pulveriſata, ut & aqua eorumdem deſtillata. Author eſt Dodoneus, ſpongiolam illam, quæ ſylveſtribus roſis innaſcitur, non aliter in calculo efficacem eſſe quàm adſtringendo & refrigerando. Cùm enim nonniſi calidi renes gignant calculos; & verò illi diureticis validioribus valdè debilitentur: mirum non eſt, roborari inde renes, ut pellendo calculo aptiores ſint. Quod ad abſterſionem, quandoquidem ſedem illa habet in amarore; amara autem ſola folia, & quidem ſativarum potiùs quàm ſylveſtrium: utique ſola illa habebunt.

XIX. Quod ad apertionem & diſcuſſionem, eſt illa quidem exigua in foliis: ſed

ſed major in ſucco. Et rurſus, manifeſtior in ſucco per infuſionem, quàm per expreſſionem, ut dixi.

XX. Quod ad vim purgatoriam, quæ jam in tertiis, habent illam ſola folia, & iterum ſativarum potius quàm ſylveſtrium, & rurſus ex ſativis rubra potius quàm alba, & rurſus, recentia potius, quàm ſicca. De quibus tamen ſciendum eſt, obſervatore Coſtæo, non eſſe illis adimendam omnem hanc vim, cùm compertum ſit, in ſero infuſa omninò purgare.

XXI. Sed quid *aqua ſtillatia*? Non purgat, clamant omnes. Imò verò, ait idem Coſtæus ad ℥x. exhibita. Eadem eſt ratio ex ſucco factæ, credo, quamvis Lobelius neget.

XXII. Verum age, ut de ſucco ipſo agamus: hunc nobis dant *incarnatæ*. *Puniceas* reprobat Paſinus, quod multum moveant, nihil promoveant, quin adſtringant potius. *De Damaſcenis*, *Neſrim* Ser. ex autoritate Rhaſ. ſcribit ille, folia à ʒ ij. ad iij. facere multùm aſſellare, ut loquitur Int. Folia 20. alvum ſubducere, ſcribit Matth. Imò, quina vel ſena, Fall. Et quod mireris, ſex vel octo, acetario permiſta, facere totum purgatorium, Amatus vidit. Ideo ſaccharum roſarum faciunt quidam ex his potius quàm ex incarnatis, quod pondere ℥ ſem. etiam robuſtiſſimos purgat. Quin purgat tanta cum violentia, inquit Amatus, ut oris & faucium exulcerationes faciat. Cui Pena ſuccinit, deliquia animi, & ſtomachi lancinationes addens. Cui tamen opponit ſe Matth. *in Apol.*

XXIII. Sed ut redeam ad ſuccum: utimur incarnatarum, per expreſſionem quidem ad *Electuarium roſarum & de ſucco roſarum* ut & alia quædam. per infuſionem autem ad *Syrupum roſarum* eumque vel ſimplicem, unius aut duarum, ſummum trium infuſionum; vel ſolutivum, ferè novem, non plurium. Eadem eſt ratio *Mellis roſ. ſol.* cum ſaccharo ſubſtituitur mel. Habetur quibusdam locis peculiare ſaccharum purgans ex Damaſcenis ſeu Moſchatis, de quibus dixi. Apud nos non purgat, quia fit ex incarnatis, inquiunt. Quid regeri poſſit videt unusquisque.

XXIV. Sed quid purgant roſæ? Conſtans eſt apud plerosque omnes ſententia, purgare bilem flavam & aduſtam: ſolus Garz. Lopius *Lect. Var. c.* 24. id negat. Ait enim ſe longâ experientiâ didiciſſe, pituitam potius purgare quàm alios humores, quod ſenibus, obeſis, voracibus præcipue utilis ſit.

XXV. Quod objitur, poſt acceptas roſas multum bilis vacuari, id ille ait commune eſſe omnibus purgantibus. Numquam enim ait deeſſe bilem inteſtinis. Mihi videtur, litem ita componi poſſe, Roſæ ſunt propè lenientia, ideo vacuant, quidquid invenerint.

XXVI. Hoc faciunt tam benignè, ut non opus ſit correctorio: imò, cor corroborant. Hinc in pueris mirificè proſunt. Quod verò Meſûe ait, ob imbe-

becillitatem indigere adminiculo, id ſit hodie, cùm non datur ſolus ſuccus, ſed cum ſaccharo, melle, ſero.

XVII. Dari ait ſuccum Meſue ab ℥j. ad ij. cum ſero lactis ſyr. ex ſucco factum, ab ℥ij. ad v. Sed enim quia medicamentum eſt πολύχρηστον, & quidem vario modo præparatum, oportet varietatem declarare.

XXVIII. I. Habemus duo & nominibus & doſibus diſtinguenda *Electuaria.* Horum alterum Meſue eſt *in Antid.* Electuarium dictum roſarum: alterum Nicolai Alexandrini, *Electuarium de ſucco roſarum.* Recipit quidem utrumque, & *ſuccum roſarum* & *Scammonium* (ſi poſſim indiſtinctè loqui) in eadem quantitate: ſi diſtinctè, ut par eſt. Illud quidem Scammonium habet crudum: hoc autem præparatum, quod *Diagridium* vocant Officinæ. In re ipſa parum eſt diſcriminis. Coctura enim ſcammonii quam Meſue inſtituit, facit effumare partes igneas, ob quas tantoperè fervet. Sed & quidam *Diagridium* volunt, non *Scammonium*, iterumque coquunt ob majorem ſecuritatem. Ea conſiſtit in adulterio Scammonii quod coctum prodit, ut Caleſt. nos docuit. Sive enim *Scammonium* ſit, ſive *Diagridium*, colligitur in coctione lentum quid, inſtar viſci, à natura hujus ſucci alienum, quod abjiciendum eſt. Quod quia præſtare non poſſunt, qui pulverem tantum inſpergunt, patet quid dicendum ſit.

XXIX. Quod verò maximum facit diſcrimen, hoc eſt: *Electuarium roſarum* præter Scammonium ultrà ℔ vj. pendit: *Electuarium de ſucco*, etiam præter Scammonium ad ℔ iij. non aſcendit. Unde licet æſtimare deteſtandum errorem illorum, qui alterutram compoſitionem pro altera ſumunt! Nimirum, ut computat diligentiſſimus Melich. *in Diſp. ſuo*, Unciæ ſingulæ Electuarii roſ. habebunt gr. xix. El. de ſucco gr. xxx. Ergo illius quidem dari poſſunt ʒv. ut Meſue definit: hujus autem vix Caſtaneæ magnitudo, ut Nicolaus ipſe determinat, hoc eſt ad ℥ß. ut Medici. Habet enim hæc doſis gr. Scammonii xv. illa xij. Quia audaciores ſunt, poſſunt excedere utramque doſim, ut dicetur in Scammonio. Cæterùm, raro dantur ſola, ſed pro ſtimulo aliorum in pauca quantitate. Parantur alicubi etiam in forma ſolida.

XXX. II. Habemus & *Syrupos* diverſos, de quibus dicam, ubi hoc præmovero. Aliquando idem dictum eſt, *Syrupus*, *Julepus*, *Muccarus*: aliquando non eſt idem. Apud Meſue *Julepus & Syrupus* roſ. eſt idem, cùm fiat uterque ex infuſione; apud nos differunt. Fit enim ſyrupus ex infuſione: julepus ex aqua ſtillatitia. *Muccarus* ſeu *Muccarum* eſt idem cum Syrupo roſ. quamvis ferè ſol. adhæreat, ut & in viol.

XXXI. *Syrupus roſarum* vel *ſimplex* eſt, idemque *non-ſolutivus* vel *ſolutivus.* *Solutivus* iterum vel *ſimplex*, vel *compoſitus*, qui & *completus.* Rurſus *Syrupus roſarum ſimp. non ſolutivus* ſit ex roſis, vel ſiccis, vel viridibus, uterque per infuſionem, uterque eodem modo, ter repetita infuſione, & creditur refrigerare & adſtringere tantùm, licet Coſtæus pertendat, etiam purgare, ſi detur in debi-

ta quantitate. *Syrupus roſarum ſolutivus ſimplex* ab ambitioſis *Rodopharmacum* dicitur, ſemper fit ex foliis viridibus, ſed modò per infuſionem, modò per decoctionem. Apud nos utroque modo fit. *Illo quidem*, cum ex roſis, in B. M. flaccidis factis, exprimitur ſuccus, & addito ſaccharo ſoli exponitur, & fit inde *Syrupus roſarum ſolutivus per inſolationem. Hoc autem*, cùm infuſionem crebriùs repetimus, modò quinquies, modò pluries, usque ad numerum novenarium, in quo noſtri acquieſcunt. *Syrupus roſarum ſolutivus compoſitus* iterum eſt multiplex. In Italia compoſitionem habent cum Rhabarbaro. Apud nos frequens eſt *Montani*, *cum & ſine Helleboro*. In hac farragine, ut de ſimplicibus nihil effatu dignum reſtat: ita de doſi purgantium ſilere nos fas non eſt.

XXXII. *Syrupus roſarum ſolutivus ex ſucco expreſſo* creditur purgare poſſe pondere ℥iij. ex infuſo ſeu diluto, iv. vel v. Montani cum helleboro, ultra ij. dare nemo auſit: ſine helleboro ad iij. ſe extendit.

XXXIII. De *ſimplici ſol* tria ſunt animadvertenda. 1. Quia facilè exſolvitur, de recenti ſit rata doſis dicta. 2. Attento opus eſt, tam in numero infuſionum, quàm in proportione ſacchari. Si enim quinquies & ſexies tantùm obeatur, ℥v. dari poſſunt: ſi novies, & ſacchari ℔ iv. accipiantur, ad infuſi ℔ v. vulgaris doſis ſolet eſſe ℥iij. aut iv. ſumma v. 3. Videndum eſt, ne diu ante cibum detur, ſed una hora tantum. Quod quidem faciunt immediatè vel antè poſt cibum, non meretur punctum, ut barbari loquuntur. Corrumpitur enim cibus, nec judicari poteſt de excretis.

XXXIV. De *infuſo* ſeu *diluto* hoc etiam tenendum, aut fieri illud in aqua ſimplici, aut in rore, quem valdè commendat Fallopius, aut in aqua fumariæ, ſonchi, cich. &c. Apud nos quid ſolenne ſit, videatur in Diſp.

XXXV. III. *Syrupis* proportionata ſunt *Mella*, ut ſic dicam. Hæc ipſa etiam aut ſolutiva ſunt, aut non ſunt, prout infuſio eſt parcior vel crebrior. Eſt autem differentia, quæ inter ſaccharum & mel. Quò fit, ut *Mel roſ.* ſit calidius, fortius digerat, potentius aperiat & abſtergat. Dantur & heic *Mella ſol. comp.* ſed magiſtralia. *Mellis roſ. non ſolutivi* inſignis eſt varietas, de qua hoc tantum. Duplex ipſius parandi modus apud nos cùm ſit, utrobique ubi mel ad ignem liquatum eſt, & linteo trajectum, dicitur *Mel roſ. colatum.* Cùm præter mel, additur ſaccharum vocatur *Mel roſ. ſaccharatum.*

XXXVI. *Mel. roſ. ſol.* noſtrum non poteſt dari in ea quantitate, in qua Syr. correſpondens. Sufficiunt ℥ij. ad iij. Differt à Syrupo quod magis abſtergit pituitam. Ab hoc rurſus *Anthoſatum*, quam calidius, & capitalius, ut ſic dicam, illo.

XXXVII. Heic duo in quæſtione ſunt 1. Quatenus *Hydroroſatum* Aëtii, Pauli, aliorum conveniunt aut non conveniunt cum melle noſtro? Eſt frigidius. 2. Quatenus *Geleniabin*, ſeu *Jeleniabin* Arabum huc faciat? Eſt decoctum roſ. melle aut ſaccharo dulcoratum.

XXXVIII.

XXXVIII. IV. Tam *Syrupis*, quam *Mellibus* vicinæ ſunt *Conſervæ* ſeu *Saccbara roſ.* Ubi ſtatim id dicendum eſt, quosdam diſtinguere, quosdam pro re eadem habere. Eorum, qui diſtinguunt, non eſt idem ſenſus. Apud nos *Conſerva roſarum* paratur eo modo, quo cæteræ conſervæ: *ſaccharum roſ.* cum additione *Tabulatum*, id, quod vulgus *Manus-Chriſti*, modo cum perlis, modo ſine illis, appellat.

XXXIX. Quæſtio eſt, utrùm alterutra, vel etiam utraque compoſitio purget? Diſtingue. Si fiat vel ex incarnatis noſtris, vel etiam moſchettis, omninò purgabunt: ſin ex iis, quæ nunquam aperiuntur totæ, item ex exſiccatis, contrarium agunt.

XL. Sed qua doſi purgabunt? Quamvis Fallopius dicat de *incarnatis*, dari ab ℥j. ad ij. non credam tamen quidquam futurum, niſi ad iij. eatur. Contrà, de *Moſchettis* certus eſto in infirmioribus ſufficere ℥.ß. in robuſtioribus integram non ſuperandam.

XLI. Corollarii loco addam pauca de iis compoſitionibus, quæ vel à roſis nomen habent, vel à baſi. *Confectio aromatica roſ. Gal.* ſervit partibus nutritoriis refrigeratis: *Conf. diarhodon Abb. Nic.* in obſtructionibus viſcerum calidis locum habet: *Roſata novella Nic. eſt analepticum: Troch. diarhodon Nic.* in debilitate ventriculi, inteſtinorumque uſurpantur: *Troch. de Roſis Rhaſ.* ferè in iisdem frequentantur: Pil. diarhodon purgant, ſed non infra ʒij. *Troch. de Roſ. Meſue* purgant etiam, & *ſimplices* dicuntur: *Troch. purgantes* Meſue fiunt ex præcedentibus, addito Scam. & dicuntur cum hoc additamento: *Sief* ſeu *Suffuf* diarh. in affectibus oculorum adhibetur.

XLII. Et hæc de domeſticis: ex ſylv. cenſu petitur *caro fructuum Cynosbati*, ex qua, ſaccharo conſperſa, fit conſerva pro calculoſis. Iidem gaudent edulio ejusdem carnis, ſed transmiſſo per ſetaceum, ob membranæ tegentis denſitatem.

C A P U T XXXI.

D E S A G A P E N O.

I. ΣΑγάπηνον, καὶ σαγάπηνος, ὁ καὶ ἡ, certæ eſt & originis & ſignificationis. Ex hoc corruptum eſt τὸ σαβάπηνον. Puto etiam τὸ *Sacopenium* apud Plin. l. 19. c. 8. & iterum l. 20. c. 8. Certè eſt τὸ *Seropinum* Officinale.

II. Quemadmodum autem olim incognita erat planta, quæ ſuccum hunc dabat: ita hodie quoque. Auxit tenebras Bauh. *in Pin.* Cùm enim ſuccum tribuiſſet *Panaci Herculeo* illi, quem *Opopanax* ſuprà dictus fert: denique inter ſuccos iterum nominat, & plantam ferulaceam, ex Dioſc. facit.

III. Alii pro planta Sagapenifera habent *Panax Coſtinum Bauh.* quod II. eſt in ordine. Verùm, cum Veteres nihil certi nobis reliquerint, præſtat ipſum ſuccum inſpicere, & conſiderare, Legitimusne ſit?

IV. Eſt omnino, ſive Græcos ſpectes, ſive Arabes. Dioſcorides deſcribit, eſſe tralucidum, fulvo forinſecùs colore, intus albo, medium quid inter Galbanum & Laſer olens guſtu acri. Meſue ait eſſe colore medium inter ſubrubum, & ſubalbum, odore porri, facilè in aqua reſolubile, quò levius, eò melius, quod odorem habeat nec Aſſæ, nec Galbani. His enim adulterari ſolet. Tale ferè eſt noſtrum, quod in grumis vocamus. Habemus enim & alterum quod in globis, & eſt paulò deterius. Vide Cordum 4. *Hiſt.* 104.

V. Animadvertendum, Manardum videre id, quod Meſue ait, odore porri eſſe: at Braſſavolæ & Coſtæo compertum eſſe, ſentiri illum odorem, ſi paululum in ore detineatur.

VI. Non negligendum etiam, quod idem Meſue, facilè eſſe reſolubile. Hoc enim eſt, quod 1. *Antid.* 11. dicitur, ſignum eſt legitimi, cum nec Aſſæ, nec Galbano id contingat.

VI. Sed, quo ſenſu accipere oportet illa, in Galbano ὅσον ἀφρῶδες καὶ κοῦφόν ἐστι. (Et mox ὅσον ἂν ἀφρῶδες ἐν αὐτῷ καὶ λευκὸν) non eſſe amplius Galbanum, ſed tranſire in Sagapenum, & Sagapeni modo in aqua diſſolvi? Hoc, *notam illam facilè diſſolvi*, non eſſe propriam Sagapeno, ſed convenire etiam deteriori Galbano. Qua re valde adjuvatur ſententia Penæ, *Adv. f.* 349. *Tria hæc gummata, Sagapenum, Aſſam, Galbanum, eſſe cognatarum plantarum ferulacearum, natalibus differentiam.* &c.

VIII. Sed ad *facultates.* Apud Galenum, Sagapenum eſt calidum & ſiccum cum partium tenuitate, ut in aliis gummatis. Hoc explicat Meſue. Eſt calidum in 3. ſiccum in 2. amarum & acre inſtar porri (alii, Coſtæus) ex diverſis quidem ſubſtantiis, ignea & terrea, ſed ignea ſuperante. Hinc potentiſſimè aperit, diſcutit, & attenuat, non leviter etiam abſtergit. Commendatur inde in affectibus thoracis, quicunque ſunt à craſſa pituita, item in tumoribus duris & calloſis, præcipuè partium nervoſarum, nec non in capitis morbis diuturnis: ſumma, ubicunque opus eſt penetratione. Laudatur etiam in affectibus oculorum propter abſterſionem. Ubique cum appropriatis. Ita cùm menſes movere volumus. Vis alexiteria videtur pendere à manifeſtis dictis.

IX. Purgatoria non planè, ſed ita, ut valdè ab iis promoveatur. Hinc inter validiora eſt. Meſue ait, nocere ventriculo & hepati. Corrigit adſtringentibus, & tonum conſervantibus, ſpica, maſtice, &c. Dat à ʒ ß. ad j. ut Sylvius habet, aur. j. ut Antiqua verſio.

X. Præſtat autem dicere de *Pilulis de Sagapeno* ob quod hic ſermo inſtitutus eſt. Gemina eſt illarum deſcriptio apud Meſue, quarum poſteriore utimur tantùm, præcipuè in affectibus uterinis, cum ſucco matricariæ.

XI.

XI. Præter has habemus alias cum inſcriptione, *Pil. de Sagapeno validiores*, quas apud alios nondum oſtendi. Utrobique opus eſt judicio: ſunt enim efferatiores, cum hoc præcipuè malo, quod ſequentibus etiam diebus, ſtimulus ſupereſt qui cauſam præbet novæ fluxioni, ob inſignem vim attenuandi. In doſi utriusque vix licet ʒj. contingere.

Caput. XXXII.

DE SAMBUCO ET EBULO.

I. PLacet conjungere, quamvis Sambucus ſit arbor, Ebulus planta annua. Non enim heic ἀκριβολογοῦμεν, ut ſæpè nos facere jubet Theoph. Quod ad arborem, à Sambyce quodam Muſico, ut eſt apud Suidam, aliosque, dicta eſt Sambucus (Sabucus poëticum eſt.) inſtrumentum quoddam Muſicum, ex ramis fortè arboris hujus factum. Vox eadem cur tributa ſit inſtrumento bellico apud immortalem Lipſium, *dial.* 6. τῶν πολιόρκ. Stew. *in Veget.* Baldum *in Vitr.* dicere non habeo. Græcis vocatur vel ἄκτη, vel ἀκτὴ, vel ἀκτῆς (reliqua enim corrupta eſſe autumo) & χαμαιάκτη, humilis Sambucus, quæ uno verbo Ebulus, ſeu Ebulum.

II. Atque, ut Ebuli differentiæ nullæ ſunt, niſi quod alius eſt folio laciniato: ita Sambuci ſunt, ut videre eſt apud Bauh. *in Pin.*

III. Ego, relictis aliis, domeſticam ſeu campeſtrem, quæ I. eſt in ordine, apprehendo, & ſignifico ignaris, uſurpari ex illa in Officinis quatuor, Aſparagos, florem, corticem interiorem viridem, & baccas nigras: Ita ex Ebulo duo, radicem & baccas.

IV. De facultatibus locuturus hoc præſcire debet, habere quidem utramque plantam valde ſimiles: ſed ebulum efficaciores, authore Plinio *l.* 25. *c.* 8. Deinde, luſorium eſſe, quod de vi illarum refrigeratoria jactatur. Non magis illam habent quàm Rhabarbarum per accidens ſcilicet. An dici poteſt, corticem Sambuci viridem & humidum tamdiu mitigare fervorem eryſipelatum, quamdiu actu talis eſt? Nos qui de potentia loquimur, certi ſumus, Ebulum vel calidum & ſiccum eſſe in 3. vel calidum quidem in 3. ſiccum in 2. Hoc paulò inferiorem eſſe Sambucum.

V. De cætero, magnam eſſe in utroque partium tenuitatem, ob quam (ut Galenus loquitur) diſcutiunt & abſumunt humores calidos, verùm non moderatè, ut ille vult, ſed potentiſſimè. Cum diſcuſſione adeſt & abſterſio. Hoc didicerunt quidam magno ſuo cum malo, quorum fauces & palatum penitus exulceravit ſuccus acinorum denſatus ſine ſaccharo & melle. Factum id eſt autem in raucedine à frigidis humoribus, in quibus vulgus etiam utitur fungo Sambuci, ſuſpenſo in potu. Vocant *Juden Ohrlein.*

VI. Sed adſtringit ne etiam? Dioſcorides enim & Galenus tribuunt illis κόλλησιν. Verùm, peritiores animadvertunt, loqui illos de callis & fiſtulis, in quibus hunc habere effectum dicunt diſcuſſione, & conſequenter emollitione. Ideò laudantur etiam in omnes generis duritiebus tam foris quàm intus.

VII. Hac partium tenuitate menſes & ſudores cient, calculos pellunt, vermes in auribus necant, imò canum & viperarum morſibus medentur.

VIII. Purgant ſatis violenter, præcipuè Ebulus. Scribit Lobelius in *Obſervat.* Sambucum quidem κακοςόμαχον eſſe, polypodii inſtar, quod fit ob excrementitiam humiditatem: Ebuli autem cortices hellebori modo purgare, ſed decocto potius quàm infuſo.

IX. De ebulo privatim ſcribit Dodonæus, uſum ipſius lethalem eſſe in iis, qui diuturnis viſcerum obſtructionibus laborant, quales ſunt, qui poſt icterum hydrope corripiuntur. Ego in juvene alias agili, ſed jam ob deſidiam cachectico, & ſenſim intumeſcente, feliciter uſus ſum radice ebuli bis repetita.

X. Sunt autem gradus in partibus. Infuſum corticum radicis ebuli valde violentum eſt, decoctum minus. Poſt radicem ſunt acini & ſemen ebuli, præſertim ſi præparentur, ut Dodonæus ſcribit. Puto, aſparagos & folia etiam mitiora eſſe. Dioſcorides & Plinius olerum modo decoquunt ad detrahendam pituitam, bilemque. Quo loco crediderim, ſub pituita latere aquas.

XI. Correctorium utriusque eſt vinum, cum incoctis adſtringentibus & aromaticis. Quæ cùm valde parca manu indat Fern. in Hydragogo minore, parum illi tribuo. Semina utriusque infundit Dodonæus in aceto, & cum ſeminibus propinat. Affectibus articulorum opponit Matthiolus cum decocto chamæpityos.

XII. Apud eundem Matthiolum doſis ſeminum eſt ʒj. Cum decocto dictæ Radicis ebuli tantum dat Plinius, quantum duo digiti comprehendere poſſunt, idque in hydropicis. Ego in ʒij. cum tolerantia dedi. Alioqui noſtris moribus ʒj. & altera, cum aliis purgantibus ſuſpenditur in vino; de quo bibunt ægri per aliquot dies.

XIII. Oleum ſambuci (de ebulo nihil tale inveni) fit vel ex floribus, vel ex cortice, vel ex utroque. Poſterius, auctore Coſtæo, lenit ambuſta à pulvere tormentario: prius, foris quidem abſtergit cutis fœditates, intus autem medetur viſcerum obſtructionibus. Oportet diſtinguere à Sambacino, de quo in Jasmino.

C A-

Caput XXXIII.

DE SARCOCOLLA.

I. Græca quidem vox eſt hæc, & obviæ ſignificationis, & proculdubio de ſucco plantæ propriè, de planta ipſa impropriè: verùm, quia nemo vel Veteres Recentiores aut vidit, aut deſcripſit, reſtat hoc ſolùm nobis, ut diſpiciamus, qualis debeat eſſe ſuccus?

II. Hac in re nodi ſunt ſatis difficiles. I. Dioſcorides l. 3. c. 8. 3. dicit ὑπόκιῤῥον, ſubflavam ſeu flaveſcentem: at Plin. l. 13. c. 11. inquit. Fit ex ſarcocolla (de planta loquitur) gummi utiliſſimum pictoribus & Medicis, ſimile thuris polli-ni, & ideò candidum quàm ruffum melius. Et l. 24. c. 14. *Melior quò candidior.* Videbitur difficultatem ſuſtuliſſe Meſue, cum duplicem facit ſarcocollam, aliam albam, ſicut thus, quam Plinius viderit: aliam ſubcitrinam, quam Dioſcorides: utrumque colorem acceptant Materialiſtæ. II. Dioſcorides laudat ἔμπικρον τῇ γεύσει, *guſtu amariſſimam.* Nam heic quoque τὸ ἐν intendit. Sed Plin. *Cum quadam acrimonia dulcem.* Heic video Plinium deſeri ab omnibus: ſubſcribi autem Dioſc. cui ſenſus. III. Dicit Dioſc. ſimilem eſſe γιδάνῳ τῷ λεπτῷ, quod vertunt *Pollini thuris*, hoc eſt *mannæ thuris.* Solus Corn. κατὰ πόδα, *thuri tenui.* Hoc videtur melius. Manna enim thuris revera pollen eſt; at ſarcocolla ut plurimum non eſt pulvis, ſed grana exigua, qualia ſunt *thuris orobiæ*, ut apud Dioſcoridem legit Marcellus, & ex eo Paſinus pro *Arabiæ.*

III. Ergo laudatur ſarcocolla illa, quæ primùm eſt in granis minutiſſimis, veluti ex ſudore concreviſſet, ut Cæſ. loquitur, ob id *rara & ceu ſpumoſa*, ut Cordus, *quò majora tamen grana, eò melior ſarcocolla*, ut Serapio vult. Deinde, quæ ſapore non dulci, ſed amariſſimo eſt: imò, quò amarior, eò melior. Quare Amatus in Dioſcoridem, bonitatem ſarcocollæ metitur hoc ſolo indicio. Interim, requiritur & quædam *acrimonia*, *quæ fauces ſcarificat*, ut Cordi verbo utar, nauſeam movens, ſi deglutiatur. Tertio, colore non *flavo*, quamvis Meſue velit talem, ſed albo. Et hæc recens eſt, cum flavus color veteraſcentem prodat. Quartò debet eſſe *friabilis*, quod Serapio habet, & ſuſpicatur Paſinus deeſſe apud Dioſcoridem. Falſum igitur eſt, quod quidam dicunt, debere glutinoſam eſſe, & manibus adhæreſcere. An talis eſt, cum à calore actuali molleſcit? Quinto, in aqua aut alio liquore facilè debet diſſolvi. Tandem addit Cordus, in igne debet attolli in ſpumam, & difficulter ardere, cum odore quodam ingrato, ut Cæſ. Adulterabatur quondam gummi, ut Dioſc. monet: ſed deprehenditur dolus abſentia notarum dictarum.

IV. De facultatibus pauca & non ſatis certa ſcribit Gal. 8. *Simp.* Sarcocolla, ait, vim miſtam habet ex emplaſtica quadam ſubſtantia, & pauca amara. Itaque citra morſum deſiccat, & glutinare poteſt vulnera. Heic primùm non deſignan-

tur gradus caloris & ſiccitatis. Imò, nec mentio ſit illarum. Meſue igitur calidam quidem facit gr. 2. ſiccam autem paulò infrà., fortè in fine j. ut Avic. videtur velle.

V. Hoc dum convellere ſtudet Manardus, & probare non adeo calere, nihil agit. Secundus enim gr. non eſt valde calidorum Imo ſuperare illum dat nobis in manus Serapio, cum *multum perforativam eſſe ſcribit*, *comedere carnes ulcerum*, *exulcerare inteſtina*, *inducere calvitium*, & alia.

VI. Quæ an ſtare poſſint cum gr. ij. judicent alii. Eodem modo, quomodo cauſticum quod eſt, glutinabit vulnera? Hæc ἀσύςατα avocant me ab uſu ſarcocollæ, præſertim interiore.

VII. Facultatis purgatoriæ non meminêre Græci. Meſue & Avicenna nec laudant, nec vituperant, Serapio pro cathæretico habet. Quare ad unam partem ſarcocollæ accipit olei partes 10. ac ſi Euphorbium foret. Scribunt autem purgare pituitam craſſam, & quidem a remotis partibus veluti oculis, cum quibus habeat tantam affinitatem, ut, purgandi gratia in illis data, exulceret. Miſera affinitas! quam hoſtibus optem! Meſue dat in ſubſtantia à ℥j. ad ij. quod ego ne in pilulis quidem audeam, quantumvis bene correctæ videantur. Coſtæus ſuo more multa excuſat: ego dico, *Abeat ſarcocolla cum pilulis ſuis in maximam malam rem!*

CAPUT XXXIV.

DE SCAMMONIO ET DIAGRIDIO.

I. INCERTÆ originis eſt, ſive σκαμμώνιον, τὸ, dicas, ſive σκαμμωνία, ἡ. Incertum, an Veteres alterutram appellationem tribuerint plantæ, alteram ſucco. Non erant tam accurati. Sed nec eſſe debebant, auctoritate Theoph. qua de alibi.

II. Videtur certum eſſe, *Diagridium*, eſſe corruptum, δακρύδιον, *lacrymula*: Videtur & hoc certum eſſe, Scammonium Græcorum & Arabum eſſe idem: Accipio pro certo, verba Dioſc eſſe interpretanda, de duabus ſpeciebus, quarum altera, folia habeat *Helxinæ*, & ſit I. Bauh. *Syriaca* ipſi dicta, *Antiochena Officinalis* altera *Hederæ*, II. ejusdem, *Monſpelienſis* dicta, ſeu *Valentina*. Huic eſt affinis III. de qua non eſt opus aliis.

III. Apud Dioſc. & Plin. ſunt verba quædam obſcuriora, quæ eruditi ita explicant, *Et folia & radicem ſucci plena eſſe*, *viroſique odoris*: In Officinis noſtris uſum eſſe tantum *ſucci denſati Scam. Antioch.* cui ſubſtituitur alicubi *Monſpel.* Antiquitus etiam radicis uſus erat, ut ex Theophraſto & Dioſcoride liquet.

IV. Quæ fuerit colligendi ratio hujus vel ſucci, vel lactis, vel lacrymæ, notum eſt ex Dioſcoride.

V. Ego nolo πολυπραγμονεῖν, quin recta ſemita venio ad notas optimi Scammonii, quandoquidem olim quoque adulterabatur ſucco Tithymalorum, &c. Hac in re tantò diligentiores nos eſſe par eſt, quò verius eſt periiſſe nobis fidem ſignorum, quæ magiſtratus juſſu olim imprimebantur, ut eſt apud Meſue. Sit igitur laudabile Scammonium 1. Διαυγὲς καὶ ταυροκολλῶδες. Conjungo enim, & dico cum Plinio *Specie nitidum*, & *taurino glutini quàm ſimillimum*. 2. Ab hoc pendet color, quem Dioſcorides neglexit, Plin. autem *Candidiſſimum* quæſivit. *Quò enim taurinum gluten candidius, eò probatius*, ait idem l. 28. c. 7. 3. Σύριγγας debet habere λεπτὰς, *tenuiſſimas fiſtulas*, ut Plinius interpretatus eſt. At Marcellus *Venulas* vult, Serap. Int. *Gibboſitates*, alii *Eminentias*. 4. Deſiderat Dioſcorides κοῦφον, καὶ σπογγῶδες. Conjungo enim & verto, *Rarum & ſpongioſum ſeu fungoſum*. 5. *Friabile*, quod Avicennæ eſt *Pulveriſabile*. 6. Non vehementer linguam exurens. Quod enim tale eſt, ſucco Tithymali, Cataputiæ & ſimilium adulteratum eſt, qua de mox. 7. Citò liqueſcens. 8. Odoris proprii, boni, aut virus redolentis, ut Plin. loqui amat. Hoc primæ notæ Scammonii eſt: quod ſecundæ, colore eſt ſubalbido, ſeu vario, ut de Meſue habemus. Hoc cum Avicenna tribuat omni Scammonio, veriſimiliter dicitur, habuiſſe nonniſi deterius. Arguunt enim hæc terreſtrem ſubſtantiam. Tertiæ notæ eſt craſſum, nigrum & grave, ut Meſue deſcribit. Quod ex virore nigreſcit, cum odore tetro, abjici debet in fimetum.

VI. Hæc ſi quis conferat cum Scammonio quod Materialiſtæ nobis præſentant, habebit reſponſum, ſitne legitimum? Dico, Eſt, & Non eſt. Eſt, quia fit ex eadem planta, ex qua olim. Non eſt, quia non fit eodem modo, non, inquam, per inciſionem radicis ſolius, ſed radicis cum ſuperficie. Totum enim conciditur, & exprimitur. Tum verò multum recedit à ſua bonitate, cum planta ſit acrior radice, ſi Meſue fides. Non eſt, etiam alia de cauſa. Nam neque hoc ἐκπίεσμα eſt ſincerum, ſed adulteratum aliis, iiſque acrioribus ſuccis. Hinc livor ille ad cæruleum vergens, uno verbo, aſpectus triſtis & ſqualliduſ.

VII. Hinc etiam non licet aſcendere, ad tam magnam doſin ʒj. ad quam Dioſcorides. Ab eo ipſo eſt, quod, ut Pena advertit, ex eadem maſſa acceptæ doſes eædem, nec eodem modo purgant, nec eadem ſymptomata cient.

VIII. Eſt etiam magna varietas in Monſpelienſi, quo, ut idem Pena, utuntur in majore doſi, minore effectu. Major in illo, quod paratur ex Convolvulo, Althææ folio Cluſii cum ſucco Tithymali Paralii. Summa, Antiochenum noſtrum probatur, quod non multum incendit os & fauces, odore eſt non valde viroſo, ſic ſatis friabile, non tenax in frangendo.

IX. Quo loco illud addo; falſum eſſe; quod dicunt quidam, Bonitatis notam eſſe, ſi vel linguæ admotum, vel liquori additum, reſolvatur in candidum lac. Nam & adulterato id accidit.

X. Ni fallor, verum contrà eſſe Meſue illud, Quo antiquius, eo deterius. Quò minus accepto cæterorum Arabum aſſeverationem, durare ad annos 40. Nec juvat excuſatio, Scammonium tamdiu bonum eſt, diagridium facile exoleſcit. Fortaſſis locum invenit Dodonæi experientia, ſtare ad quadriennium. Quidquid ſit, cum non ampliùs purgat, ſed diureticum tantùm eſt, pro evanido habetur.

XI. De facultatibus non ſcripſiſſe Galenum in cenſu ſimplicium, mirantur docti, cum tam ſæpe aliàs ejus meminerit! Scripſerunt autem Paulus, Aëtius, & inter Arabes diligentiſſimè Meſue. Is ait, plantam quidem calidam & ſiccam eſſe in 2. gr. ſuccum autem in 3.

XII. Huic ſe opponunt duo hominum genera, quorum hi quidem ſimpliciter negant, aſcendere ad dictum gradum, illi autem contradictioni implicare volunt. Si enim (dicunt) planta eſt inferiori gradu, cur ſucco acriorem facis, ô Meſue? Sed & aſſertioni tuæ de ſucco, ſenſus repugnat. In guſtu enim nulla vehemens caliditas percipitur. Aliis etiam permiſtus ſuccus non conciliat illis, vel amarorem, vel ingratum aliquem ſaporem. Quare inter moderatè calida habendum eſt.

XIII. Reſpondeo, prioribus quidem, acrimoniam majorem non præ ſupponere calorem majorem. Sed ſit ita: explicationem admittit Meſue: planta in ſe & ſua natura, ſine artificio conſiderata, eſt calidior & ſiccior ſuo ſucco, conſiderato, ut per artem amiſit partes quasdam igneas, nimirum, per coctionem & exſiccationem. Poſterioribus autem, non omnia medicamenta ſubitò prodere malitiam. Cantharides v. g. in renibus demum exſerunt vim ſuam exulceratoriam. Ita quamvis Scammonium non valdè offendat fauces & palatum: offendit tamen ventriculum, hepar, alia interiora. Reverà, habet quasdam partes tenues & igneas: quasdam terreas aduſtas. Et his quidem fortiter abſtergit: illis autem potentiſſimè diſcutit, aperit, attenuat & attrahit.

XIV. Hinc apud Veteres uſurpabatur exteriùs in linimentis & unguentis ad ſcabiem, ad affectus capitis frigidos, ad tumores duros & ſcirrhoſos, iſchiada, &c. Iisdem facultatibus menſes & urinam movet. Menſes quidem exteriùs in lana ſubditum, urinam autem, non niſi vetuſtum, ſi fides Serapioni 11. Apud nos vix alio uſu eſt quàm ad purgationes.

XV. Eſt autem purgans proculdubio furioſum, quale Helleborus, & ſi quid Helleboro nocentius. Hinc Oribaſius ſcribit, omnium purgantium violentiſſimum eſſe. Meſue fatetur, Democritum per antonomaſiam Purgans vocaſſe. Hinc Helidæus, & ſapientes omnes, prohibent uti illo, quin debere eſſe pro ſtimulo tantùm leviorum purgantium. Ipſum enim acrimonia ſua moleſtum eſt omnibus viſceribus, quæ non tantùm irritat ad nimiam expulſionem, ſed & exulcerat. Ideo diarrhœæ accidunt, dyſenteriæ, tinaſmi, vomitus, horrenda quæque ſymptomata.

XVI. Purgat autem apud Dioſcoridem bilem & pituitam. Idipſum cum dicat

cat Meſue, tamen inimicum habet Manardum. Cujus ſententiam licet etiam Trallianus confirmet l. 12. c. 6. *de Tent. notha*, ὐ μόνον, inquit, χολὴν, ἀλλὰ καὶ φλέγμα μᾶλλον κενοῖ: ita tamen eſt, primariò purgat bilem, ſecundariò pituitam. Intelligo per pituitam ſeroſos humores Dodon. quos Trall. ait colligi in victu temperato & humectante.

XVII. Et ne tu ſecurus fortè ſis, vide diligentiam & providentiam in re ancipiti! Quinque enim vitia habere inquit, quibus omnibus & ſingulis amoliendis niſi proſpexeris, luet æger tuus. 1. Eſt quod flatus gignat mordaces, qui ſtomachum lancinando & ſubvertendo, nauſeam creent. Huic vitio occurrit coquendo in malo cydonio, additis carminativis, dauco, galanga, zing. 2. Eſt quod ſeroſitate ſua, ut Intt. loquuntur, inflammat & viſcera & humores; præſertim ubi viſcera ſunt calidiora, non ſine calidis obſtructionibus, & humores putridi. Huic malo obviam it, decoctioni quidem addens refrigerantia, mucil. pſyllii, decoctum & pulpam prunorum, ſuccum roſ. viol. &c. antè autem decoctionem involvens epiceraſticis, oleo roſ. viol ſucco Cydon. necnon adſtringentibus, ut ſumach, aliis. 3. Quod eadem acredine ſua recludit ora vaſorum, ut ſequantur vacuationes nimiæ, ὑπερκαθάρσεις dictæ. Hæc noxa tollitur adſtringentibus, maſtiche, myrob. pomo Cyd. præcipuè aloæ, quæ inter purgantia ventriculo valdè grata eſt. 4. Eſt, quod eadem acrimonia abradit inteſtina, & exulcerat reliqua viſcera, quod ex crebris punctionibus innoteſcit. Heic damus partim ea, quæ lubricant, & lentore ſuo obſtant, ut ſuo loco dictum eſt: partim adſtringentia, tum vid. cum jam incipit agere. 5. Quod malignitate quadam indicibili, principibus partibus bellum indicit. Hinc addimus cordialia, hepatica, ſtom. &c.

XVIII. In his tot & tantis molitionibus, quibus ex inimico Naturæ conamur facere illi amicum, vel ipſa varietas odioſa eſt. Ut rem in compendium conferam, quia ſufficit monuiſſe, Duos eſſe modos apud nos, ex Scammonio faciendi Diagridium, ut loquuntur Officinarii, quibus acceptis, confero me ad varietatem doſium, fortè odioſiorem & abſtruſiorem jam dictis.

XIX. Heic ante omnia oportet diſtinguere Scammonium à Diagridio item Scammonium Veteribus legitimum & ſignatum, a noſtra miſcela confuſanea. Quod fieri non poteſt abſque diligenti conſideratione notarum præſcriptarum.

XX. Ergo Scammonium, quàm proximè accedens ad deſcriptionem Dioſcoridis, dari poteſt a ℈j. ad ℥j. Hoc colligit Trincavellius ex ipſo Dioſcoride. Cùm enim dicit, ad ſolvendam alvum ſufficere ob. ij. hoc eſt gr. xxiv. indicat minimam doſin. Cùm dicit, ſuccum ʒj. aut ob iv. hoc eſt ℈ij. cum gr. viij. ducere bilem, & pituitam, ſummam innuit.

XXI. E qua hominis ratiocinatione duo quis collegerit. 1. Has duas Dioſcoridis periodos, in codicibus noſtris eſſe transpoſitas. A minima enim doſi ad maximam progredi oportet. 2. In hoc ipſo eſſe errorem, quod ait, ʒj. aut ob. iv.

iv. Nam & heic minor doſis poſtponitur. Suſpicionem auget, quod Serapio, verba Dioſcoridis referens, dicat, dare à ʒ ij. ad iij. Quæ lectio cum tolerabilis non ſit, bene arguit Paſinus in Matthiolum, utrobique, apud Dioſcoridem & Serapionem, vitium eſſe, cui ſubſtituendum, ab ob ij. ad iij. id eſt, à ℈j. cum gr. iv. usque ad ℈i. cum gr. xvj. Quæ ipſa cum videantur ſibi nimis vicina, quid ſi legatur ab ob. ij. ad iv. hoc eſt a ℈j. cum gr. iv. ad ℈ij. cum gr. viij. Ita conſentientem habebimus Plin. qui *l. 26. c.* 8. dat ob iv. Ita Paulum, qui idem pondus exhibet. Non longè etiam diſceſſerimus ab Aëtio & Actuario, qui ℈ij. plus, minus.

XXII. Loquor ego de optimo, uti præſcripſi. Ex tali ſi factum ſit Diagridium, audentiores eſſe poſſumus: nunc quia μιγγάγγειαν habemus multimodis ſceleratam, videt unusquisque quantoperè opus ſit prudentia.

XXIII. Videant igitur alii, annon ſit revocandum in uſum conſilium Serapionis, non eſſe parandum Diagridium, niſi cum opus eſt.

XXIV. Denique cum nulla providentia ſit ſatis, moneo denuo 1. Ne ſcammoneata dentur illis, quibus ventriculus (comprehendo inteſtina) eſt debilis, quales ferè ſunt Hypochondriaci. 2. Ne calidioribus, & qui ad febres proni ſunt. Valdè enim turbant corpora. 3. Ne in ſpecie iis, qui faciles ſunt ad lypothymias, fortaſſis ratione oris ventriculi. 4. Prohibent etiam, ne ſubſtantia detur in juſculo. Ego vidi, qui dabat ita, & quidem pueris, ad gr. xx. Quod cum mirarer, Hò, inquit, eſt Monſpeliacum? Quod an ſatis ſit, videant boni.

CAPUT XXXV.

DE SEBESTEN.

I. INDIGNABUNTUR quidam forte, cur non ſupra *Prunis* junxerim. His ego reſpondeo, nondum certum eſſe, quod *Sebeſten* ſit *Prunus* quædam. Laborioſiſſimus quidem Bauhinus, poſt Matthiolum, in nomen hoc adoptat, ſed longè ab aliis prunis ſeparat propter cauſas, quæ conferenti patebunt.

II. De Græcis appellationibus, μύξαι, καὶ μυξάρια Plinii, σηρικὰ Galeni, dubium nimis eſt.

III. Vim illorum purgatoriam in dubium vocat Fuchſ. *in Paradoxis.* Voco & ego auctoritate Doctoris mei, Alpini, qui *l. de Plant. Ægypt.* non facit ejus rei mentionem. Neque ſufficit auctoritas, niſi velis Montagnanæ niti Conſilio, *Electuario de Sebeſten.* Non negabo (quod tamen poſſum) experientiam legitimam eſſe: ſed repetam, quod in *Electuario de Pſyllio* dixi, inſolens eſſe, medicamentum aliquod dici a corrigente potius quam à baſi ſua, quæ heic quoque *Diagridium* eſt.

IV. Sed nihil hoc ſit: ſcopus Auctoris non fuit heic purgare: ſed alterare. Ideo

Ideo tot alia frigida miſcuit. Ideo etiam Diagridium non ſemper additur. At, qui volunt alterare ſimul & purgare, Diagridiatum faciunt. Quod ut laudo: ita velim frequentari hanc compoſitionem in affectibus pectoris calidis, ut inflammationibus. Subſtantia enim Sebeſten viſcoſa & emplaſtica, attemperat ichoras illos calidos, tenues & acres, qui in inflammationibus abundant, quò etiam Ægyptii reſpiciunt.

V. In doſi *Electuarii hujus* præ oculis habendus eſt ſcopus. Cùm enim alterare volumus, ut in Conſervis, aliisque, quæ conſiſtentiam habent, oportet dare ad juglandis ſeu caſtaneæ magnitudinem, ad ℨj. at ſi purgare velimus, oportet cum Foëſio & Melichio ad ℨv. aut vj. aſcendere. Matthiolus in ea ſententia eſt, pulpam purgandi gratia dari poſſe, ut Caſſia ſolet, ad ℨx. aut paulò plurium, fortaſſis xij. ut Dodonæus.

VI. Monent omnes, non niſi recentiſſimis eſſe utendum. Inſtar enim Caſſiæ, facilè muceſcunt & aceſcunt.

CAPUT XXXVI.

DE SENA.

I. ITA hodie ſcribimus omnes Germani: at Galli, & inter illos Sylvius, qui peculiarem *de illa* tractatum ſcripſit, *Senna*. Originis Perſicæ eſſe ut libenter do Penæ: ita Græcis cognitam fuiſſe nego. De Dioſcoride ne dubito quidem: de Theophraſto planè hæreo. Quæ enim 3. *Hiſt.* 14. & 17. de Colutea ſeu Colytea dicuntur, obvoluta ſunt denſis tenebris. 1. Non ſolet Theophraſtus nec quisquam ſapientum, tam vicinis capitibus agere de una & eadem planta: multò minus ſe non referre poſteriori loco ad priorem. 2. Quamvis tam varia ſcriptura, de qua ego *in Animadv.* poſſit eſſe à dialecto: tamen idipſum argumento eſt, ſcripſiſſe illum ex aliena ſententia. 3. Primus inter Græcos ſcripſiſſe de illa creditur Actuarius, cujus ſæculum juxta cum ignorantiſſimis ſcio. Quidam apud Aëtium etiam ſe offendiſſe dicunt. Is ſub Arcadio & Honorio floruit.

II. Apud Arabas, præcipuè Meſue, duplex eſt, utraque Orientalis, quæ & Syriaca & Alexandrina dicitur. Apud nos etiam duplex eſt, Orientalis & Europea, quæ & Italica & Florentina.

III. Uſus quondam & Folliculorum fuit, ut Arabum Interpretes loquuntur, & foliorum: verùm hodie, relictis folliculis, ob cauſam à Matthiolo dictam, utimur foliis tantùm, quorum etiam pediculos (ſtipites vocant Officinales) abjicimus. Utimur autem Orientali potius quàm Italica, non quod gratior ſit: ſed quia noſtra & parcius purgat, & flatulentior eſt. Deſideramus autem folia, non

ſubalbida, & jam ferè caduca, ob idque tenuia: ſed plena, magna, viridia.

IV. De facultatibus non conſentiunt Arabes. Serapio concedit vergere verſus calidum & ſiccum Averroës in utraq. qualitate ad 2 gr. pervenit. Meſue diſtinguit, folia calida & ſicca ajens eſſe in 1. folliculos autem initio 2. gr. Dodoneus tandem, in activis quidem cum Serapione ſtat: in paſſivis autem ſiccam eſſe ait fermè in tertio ordine. Ego video, ſi in guſtu quidem obſervet quis tantillum amarorem, cum tantilla acrimonia, qua ſalivam movet: ſi autem ſubſtantiam lentam & mucaginoſam, non poſſe nos ultra 2. gr. progredi. Jam, cum amarore eſt abſterſio, cum acrimonia diſcuſſio, attenuatio, penetratio. Hinc laus ipſius in obſtructionibus viſcerum, ſed levioribus. Has enim ſolas expedire poteſt.

V. Præter hæc, vim habet purgandi per inferiora, quam plerique ad ſtuporem uſque extollunt, adeoque dare volunt ſine corrigentibus. Ego verò expertus ſum, & antè me alii, eſſe inſigniter flatuoſam. Quod cum illi fieri ajunt per accidens, ὑπερφθέγγονται τὴν ἀλήθειαν, ut Galenus alicubi loquitur. Hoc ratio etiam dictat. Viſcoſum enim illud, quod in lingua relinquit, planè adſtipulatur experientiæ. Adſtipulatur etiam viroſus ille odor, Cynogloſſo, aut Punicæ ferè ſimilis, ut Cordus obſervat. Sed & ſentitur tale quid, tam in infuſo, quàm in decocto.

VI. Purgat, non utramque tantùm bilem, ſed & pituitam: imo, in melancholia & atra bile creditur habere prærogativam quandam. Cui quid opponat Averroës, videre poſſunt apud ipſum, qui volunt.

VII. Meſue in Sena duo agnoſcit maleficia, alterum, quo ſtomacho moleſta eſt: alterum, quo tardè purgat. Illud tollit, facto decocto, infusove in jure carnium: hoc, additis acribus, Zingibere, ſalgemmæ, &c. Hodie ferè datur cum aliis purgantibus.

VIII. Quocumque modo detur, in decocto quidem minus flatulenta eſt, ſed debilior: in infuſo autem flatulentior, ſed fortior. Debet autem decoctio eſſe mediocris, ut Meſue præcipit. Nam cum facultas purgatoria ſit in ſuperficie, ut Maſſaria exponit Meſue, diutina coctione evaneſcit. Quæ cauſa eſt, cur Medici tam diligenter inculcent illud, Occludendum quidem eſſe vas ſedulò: ſed accipiendum tale, quod ſit ſtricti oris. Idipſum etiam in infuſo volunt, quod propterea præferunt decocto, quod ſine violentia detrahat id, quod purgat. Imò verò, debebat decoctum omnino aboleri, & infuſum ſemper fieri. Univerſale enim eſt, ut decoquantur illa, quorum vis in alto ſepulta eſt: contrà infundantur.

IX. Quod ad doſin, Serapio pro decoctione ſumit ʒv. quæ doſis eſt media. Ideo Averroës à ʒiv. it ad v. Meſue ab aur. iij. ad ℥j. Verùm, hec poſtrema doſis pro infuſo eſt. In ſubſtantia Actuarius & Serapio dant ℥j. Averroës à ʒj. ad ij. quam ultimam doſin eſſe Maſſaria ait. Fallopius à ℈ij. ad iv. cum Caſſia, &c.

X.

X. Ex Sena duo fiunt in Officinis *Electuarium diaſenæ* & *Pulvis Senæ præparatus*. *Electuarii* variæ ſunt deſcriptiones, è quibus illa, quæ Nicolai eſt, uſurpatur apud nos, & ferè in affectibus melancholicis, doſi ut plurimùm ʒvj. *Senæ præparatæ* non minus multæ ſunt compoſitiones, ſed in uſu eſt illa, quæ Montagnanæ præfert nomen. Hujus doſis eſt à ʒj. ad ij. etiam in puerperis, ut Trincavellius habet. In robuſtioribus adduntur gr. ij. aut iij. Diagridii. Sine hoc qui propinant, ad ʒ iij. aſcendunt, imo ad v. vel vj. Jamque adeo fit duplex *Sena præparata*, altera cum, altera ſine Diagridio.

XI. Quo loco ſummè notandum venit, *Senam præparatam noſtram*, quæ Montagnanæ eſt, & ſine Diagridio, dici ita aliquando ſimpliciter: *Senam præparatam Braſſavolæ* quæ cum Diagridio, pariter dici. Quin, ne parum confuſionum ſit, eadem *Sena præparata Braſſavolæ* venditur ſub nomine *Pulveris ſancti*. Interim & *Mercurium præcipitatum* οἱ θαυματȣ́ργοι ſub hoc nomine extrudunt. Sena hæc Braſſavolæ datur pondere ʒj. ut Maſſaria habet: aut ʒj. ſem. ut Foëſius aut à ʒ ij. ad iv. ut Caleſtus qui tamen auget Cinnamomum Caryophyllas & Galangam. Diagr. etiam pulvis *Senæ præparatæ Wieri*, *l. de Scorb.* Datur in ſubſtantia ʒj. ſem. aut etiam ij. in vino, aut convenienti alio liquore: in infuſione ad ℥j. aſcendi poteſt, ut definit ipſus. Harum uſus in purgandis humoribus craſſis & aduſtis, præcipue ex capite, ut loqui mos eſt.

CAPUT XXXVII.

DE SOLDANELLA.

I. A Solidando dictam eſſe hanc plantam tam non credo, ut potiùs contraria omnia. Credo autem ab Arabico *Soldan* eſſe, quod *principem* denotat, ob inſignem vim purgandi humores ſeroſos hydropicorum. Dividitur à Botanicis noſtratibus in *Marinam* & *Alpinam*, quarum illa ſubdividitur in *Majorem* & *Minorem*, è quibus altera hæc & poſterior apud Bauhinum *in Pinace*, ingreditur Officinas.

II. Huic (Bauhino) ut non nego pertinere ad *Smilacem* ſeu *Convolvulum levem*: ita do illi ultrò, eſſe *Braſſicam marinam Dioſcoridis l. 2. c.* 148. ſi textus corrigatur, iuquit ille. Correctio eſt apud Marantam 2. *Meth.* 16. & l. 1. c. 7. pro φύλλα quidem μακρὰ legendum eſſe μικρά. Per κλωνία intelligendos eſſe *Cauliculos*, quos ſpargit per terram: Si quæratur quid commune habeat cum braſſicis, quæretur viciſſim, quid Centaurium majus cum minore? Ita poſuerunt antiquiſſimi, ita ſinimus, quia præceptum à Theophraſto habemus, non opus eſſe ἀκρίβεια.

III. Quidquid ſit: Plantæ hujus ſola folia noſtris in Officinis ſunt, alibi etiam ſuccus. Folia, ob amarorem, acredinem & ſalſedinem, creduntur Dodoneo pertingere ad 3 gradum caliditatis & ſiccitatis. Ego verò cum Helidæo ſubſiſto in 2.

IV. Ob dictos ſapores omnia facit, quæ illi ſimilia faciunt, abſtergit, aperit & deobſtruit. Sed prætereà habet vim purgandi peculiarem. Dioſcorides κακοστόμαχον eſſe dicit, quod Plinius vertit, ſtomacho inimiciſſimam eſſe Hoc tantopere exaggerat Pena, ut aſſerat. Experimentum ſucci Soldanellæ in hydropicis notius eſſe quàm tutius. Imò Dodoneus ait, plus incommodi quàm auxilii afferre. Contrà alii. Paſinus *in Matthiolum* affert experimentum ſuum, Non nocere, ſi rectè detur. Huic ut credam Maſſaria facit, vir magnæ apud me auctoritatis. Ait enim *cap. de Hydrope*, Satis facilè & copiosè vacuare, licèt quoquo modo noceat ventriculo. Hoc habere potuit à præceptore Fallopio, quem aliàs libenter ſequitur. Inquit is *l. de Purg.* Non vidiſſe ſe medicamentum præſtantius pro ſiccatione & vacuatione hydropicorum. Hoc amplius confirmat Helidæus *in ſuo Manuſcripto*, Medicamentum eſſe bonum, & carere omni nocumento. Interim eſt ſimile hydragogis omnibus, violentiſſimum inquam. Dioſcorides & Plinius vim ejus obtundunt facto decocto in jure pingui, additis adſtringentibus, ut ſpica, Rhabarbaro, &c. Quidam hodie in vino dant pulverem, additis carminativis, cinnamomo ſemine citri, aniſi, &c.

V. Succus ubi uſitatus eſt, aut datur intrò, aut ἐπομφαλικὸς eſt. Folia aut decoquimus cum ſuis corrigentibus, & decocti ℥ vj. plus minus damus: aut pulveriſata in conveniente liquore damus.

VI. Doſis pro decocto eſt ℥ ß ut eſt apud Maſſariam. Pulveris ʒj. dat Fallopius, ʒj ß. Maſſaria, à ʒj. ad ij. Paſinus, ʒiv. Helidæus. Apud eos eſt pulvis Soldanellæ magiſtralis, ſine auctore & doſi. Ultra ʒj. dari non poteſt in cachecticis & hydropicis. Electuarium de Soldanella in uſu non eſt.

CAPUT XXXVIII.

DE SPINA INFECTORIA,

ſeu Merula.

I. APPELLATIONEM hanc habet à Matthiolo. quod infectores utantur ſucco illius, ut & pictores, quod *Gaſtgrun* vocant. Vide Tragum. An Merulæ baccis illius delectentur, equidem neſcio. Quemadmodum nec illud ſcio, cur ſpina cervi, aut cervina vocetur ab Italis. *Spino zerlino* à craſſo quodam Germano eſt. Recipio plantam pro ſpecie quadam Rhamni, à Veteribus non deſcriptam, & nomino cum Bauhino, Dodoneo & Camerario, Rhamnum catarcticum ſeu ſolutivum.

II. De baccarum qualitatibus ſtatuo cum Dodoneo, calidas & ſiccas eſſe in 2. gr. & accipio de ſecunda manſione. Cum enim amaræ ſint & acerbæ, acerbitas autem ſuperet: non poſſum animo concipere multum caloris. Hos duos ſapores ſequitur & abſterſio & adſtrictio.

III.

III. Vis purgatoria peculiaris eſt. Et eſt non inſignis, qualis ferè infuſi roſ. Dicuntur purgare craſſam, lentam & viſcidam pituitam. Dodonæus quidem bilem addit: ſed negat illi Pena *in Adv.* Vide Solenandrum. 1. *Conſ.* 20. Propter ventriculum dantur cum aqua Cinnamomi, vino, aliis ſtomachicis.

IV. In ſubſtantia dantur baccæ numero xv. ad xx. Pro decocto opus eſt xxxx. aut etiam 60. definitore Dodonæo. Crebior uſus eſt in forma Syrupi vel Julapii quem Domeſticum vocant, Familiarem, Appropriatum, tu puta, podagricis. In hoc diligenter obſervare oportet proportionem ſucci ad mel ſaccarum. Variat enim. Crato dat ab ℥ ß ad ℥ j ß. Solenander Cochlear ejus unum, aut ſtatim initio menſæ, aut manè poſt ſumptum juſculum, quod magis probo. Hæc doſis ferè coincidit cum ℥ j. aut ʒ x. Matthioli.

Caput XXXIX.

DE TAMAR-INDIS.

I. ITa ſcribere oportet, ſi credimus peregrinatoribus, qui dicunt. Tamar quidem eſſe Palmulam ſeu Dactylum: Indum autem ex India. Interim plantm eſſe Palmæ congenerem, nullus credo. Aſſentior autem magno Bauhino, ſociandam eſſe Caſſiæ ſolutivæ, ſuprà deſcriptæ, propter qualemcunque fructus ſimilitudinem. Olim jungebam cum Cordo 4. *Hiſt.* 40. cum Acacia 1. Dioſc. quæ Gummi ſimpliciter dictum fert. Confer utriusque iconem apud Alpinum l. *de Plant. Ægypt.* 1.4.& 10.

II. Affertur ad nos ſolus fructus, in quo ſex conditiones requirit Meſue, 1. ut niger ſit, non tamen cum ſplendore. Naturaliter enim ex obſcuro ruffeſcit. 2. ut villi intus ſint multi, inſtar radicularum. 3. ut recens. 4. ut pinguis, non aridus. 5. guſtu quidem dulcis, ſed cum acore vinoſo. 6. non adulteratus carne prunorum non exſuccus. Affertur non integer, ſed contuſus, ut bene compactus non admittat aërem externum. Garzias ait, ſale condiri, Alpinus ſaccaro. Debent ſervari in vaſe ſtricti oris: quomodo durant apud nos per triennium.

III. De primis qualitatibus non ſunt concordes Arabes. Meſue & Avicenna frigidos & ſiccos ſtatuunt eſſe in 2. gr. At Serapio & Averroës frigidos in 3. ſiccos in 2. Lobelius & Coſtæus ita dirimunt, Frigidi & ſicci ſunt in fine 2. aut principio. 3. Si opus eſt ἀκριβεία, putem utrobique eſſe in medio 2. In activis altius non aſcendo, propter gratum illum acorem, quem habent. qui ſine dubio à calore quodam eſt: In paſſivis retinet me in inferiori loco ſubſtantia aquea. Tu vide, annon mecum ſit Averroës, 5 *Coll.* 55. Compoſiti ſunt ex ſubſtantia aquea, &c. Propter hanc ſubſtantiam tantæ ſunt exiſtimationis apud Ægyptios in ſedanda febrium ſiti, in compeſcenda earundem putredine, &c. Non ſolum

enim refrigerant & ſiccant: ſed & humores ſubducunt. An diuretici etiam ſunt ſubſtantia ſua aquea, ut violæ? Huc me jubet ire Fallopius, qui in gonorrhœa biliosa tantopere laudat. Juvat penetrationem etiam acor, ob quem Syrupo acetoſo præfert Garzias. An autem, quod quidam volunt, in ictero & hydrope calido, in aliis viſcerum obſtructionibus locum habeant, dubito, ſed ita, ut penè affirmem. Attemperatis enim calidis humoribus ſuperveniens adſtrictio juvat.

IV. Sed ut redeam ad vim purgatoriam, licèt ſciam eſſe, qui negent, propter quædam ſua experimenta: Validiora tamen ſunt in contrarium eorum, qui & vegetis uſi ſunt, & in juſta doſi. Sunt autem non ultra Lenientia, in quorum catalogo ſunt ultra Caſſiam & Mannam, propter adſtrictionem & ſiccitatem. Interim, quatenus ſunt inter purgantia, lædunt ventriculum, ut Meſue nos admonet. Propterea corrigit ille maci, maſtice, ſpica, &c. Et quia tardè purgant, porrigit in ſero caprino, cum ſucco fumariæ, lupuli, &c.

V. Doſis tandem in ſubſtantia eſt ab ℥ ß. ad j. ut eſt apud Fallopium. Sed apud Averroem à ʒ x. ad ʒ xv. Hoc fortè verum eſt de exoletis noſtris. Idem paulò poſt ait, Caſſiam purgare, ſicut Tamarindi, aut paulò fortiùs. Et, doſin ejus eſſe ſicut Tamarindorum. Hoc ſuſpectum eſt, partim, quia experientia docet, Tamarindos eſſe longè valentiores: partim, quia nec in Caſſia facilè aſcendimus ad ʒ. xv. quantò minus heic. In infuſione video Garziam ponere ℥ iiij. ſed poſtea dare non expreſſum, ſed Tamarindos. Hoc habeo pro lapſu ſcribæ, & cum Cæſalpino do expreſſum. Ita non longè: abſum à decocto Meſue, quod definit ille ab ℥ij ad v. Necnon Avicenna qui dicit, decoctionem debere eſſe propinquam ℔. mediæ, ſeu ℥ v. vel vj.

VI. Quo ex loco non difficile fuerit Serapionem emendare, qui audet ℔. v. decocti dare: Legendum eſt enim ℥ v. Hoc tamen Fallopius acceptat, qui Tamarindos decoquit ab ℥ ß. ad j. in ℥ iij. ad vj. liquoris, cujus dat ℔. ß. Sed revera hoc nimis parum eſt. Nam ipſemet in ſubſtantia dat, ut dixi, ab ℥ ſem. ad j. Præterea Meſue ait, ob debilitatem illorum, debere dari in ea quantitate ad ʒ ii. ad v. Ubi obſervandum, non eſſe hoc multum, quia facilè exſolvuntur. Ideo in infuſione potiùs dandi.

CAPUT XL.

DE TURBITH.

I. RIDICULUS fit Fuchſius, cum à Turbando deducit. Vocabulum eſt Arabicum Perſicumve, quod Proculdubio etiam πολύσημον eſt, unde tam multis tribuitur plantis, è qua re confuſiones. Turbith Serapionis eſſe Tripolium Dioſcoridis, concedet is, qui deſcriptiones contulerit. Turbith Avicennæ eſſe lignum quoddam, hodieque incognitum, dicet idem. Ita loquor, per-

perſuaſus à Scaligero, *Notis in Garz.* apud Cluſ. *f.* 250. b. Actuario eſt duplex. Album ait ipſemet eſſe Alypum Dioſcoridis: nigrum, Pityuſam ejusdem. Meſue triplex, album, citrinum & nigrum, in quorum explicatione hærent Interpretes. Unam plantam eſſe, Thapſiam Apulorum, dicit in *Com.* Marinus. Alii, ut impleant quovis modo literam Meſue, Turbith quidem album, faciunt Thapſiam Dioſcor. nigrum autem Thapſ. Theoph. 9. *Hiſt.* 100. Mihi quidem perſuaſum eſt, Thapſiam Dioſcorid. & Theoph. non differre: differre autem ab utraque Thapſiam Garz. 1. *Arom.* 36. imò, qualis ſit planta, nec Cluſius audet dicere. Rogatus autem idem Cluſius, quid ſit Turbith Officinalis Alibi aliud, dicet. Deinde, ablegato lectore ad Matthiolum *in Dioſcoridem* tribus locis, in Hiſpania, inquiet, Thapſia eſt: in multis Europæ locis eſſe Scammonii radicem conciſam, Diligentior Pena. Primùm quidem in tabella proponit ſextuplex Arabum & Off. Turbith: deinde autem pernegat, Turbith Alex. Officinale eſſe radicem Tithymali Myrſinitis ſeu fœminæ. Minùs circumſpectus (ſit venia dicto) Bauhinus: primo loco Thapſiæ ſpecies numerat: ſecundo loco in unum ſaccum conjicit omnes hactenus pro Turbith venditas plantas.

II. Ut meam etiam prodam ἀβελτηρίαν, Olim fui ejus ſententiæ, poſſe nos uti omnibus, quæ unquam habuerint nomen Turbith, etiamſi exactè cognitæ non ſint. Judicium præcipitis! Tandem enim didici à Marino, Arabas quidem ſcripſiſſe ſomnia ſua, ob vagam nomenclationem vocis ſemi-Mauræ, ut Pena loquitur: Medicos autem debere oculos apertos habere. Quamobrem non ampliùs colligo, vel notas bonitatis, vel facultates Turbith: ſed ſimpliciter laudo Ruellii illud, *Nulla medicina incertior eſt, quam quæ ex alieno orbe petitur.* Hoc ipſo damno, ultraque Garamantas ablego triplex Diaturbith noſtrum, Pulverem de Turbith, Trageam laxativam, Pilulas de Turbith, & ſi quod aliud commenta eſt curioſitas noſtra.

CAPUT XLI.

DE VIOLIS.

I. VIOLÆ ſunt plurimæ apud Botanicos. In Officinis tres ſunt illarum ſpecies I. Viola aut ſimpliciter dicta, aut cum additione Martia, quod illo menſe floreat. De hac confido me probare poſſe, apud Græcos quoque olim ſimpliciter ἴον vocatam fuiſſe, deinde vel μέλαν-ἴον, vel ἴον πορφυροῦν. Ita λευκόϊον, quod alias etiam ſub ſe ſpecies continet. II. Herba Trinitatis vulgò dicta priori tam ſimilis, ut Bauhinus vocet Violam Martiam foliis oblongis, quæ octuplex apud ipſum. *Stiefmutterlein*, ab Epilepſia, cui medetur, quæ Noverca puerorum dicitur. III. Leucojum-luteum, quod Arabico nomine Keiri vel Cheiri, quod quid ſignificet, neſcio. Leucoium, ſeu Viola alba, non quod vel folia vel flos ſimiles ſit prioribus, ſed quod folia ſunt incana. Unde tollitur riſus indocto-

doctorum, qui λευκόϊον ſit, quod flores habeat luteos? Imò datur Leucoium etiam purpureum, propter folia, inquam, incana.

II. Noſtra viola vel hortenſis eſt, vel ſylveſtris: illa eſt odoratiſſima, hæc tam leviter, ut in odora dici poſſit, vulgo Canina: utraque vel purpurea eſt vel alba. Notandum, tres ejus partes eſſe in Officinis ſed non ſub eodem nomine. Flos enim ſolus Violæ nomen retinet: ſemen & folia Violariæ ſeu Matris-violarum.

III. De primis Violæ qualitatibus viget illa controverſia, quæ de Roſis, tam ob odorem vegetum, quàm ob amarorem. Ideo calidam eſſe dicunt in 1. gr. ut Meſue & Avicenna determinant. Sed revera ſuperant partes frigidæ & aqueæ, unde violæ ſunt frigidæ & humidæ in j. Hoc accipere oportet cum Meſue de partibus heterogeneis, quarum calidæ ſunt in profundo, frigidæ in ſuperficie. Hinc fit, quod in exſiccatis, conſumpta humiditate ſuperficiali, amaror fit evidentior. Hinc pariter fit, quod recentes quidem inter Lenientia ſint, humectando & lubricando: ſiccæ autem inter Purgantia, facultate quadam propria. Hoc cum Meſue dicit, reſtat ut experientia confirmetur.

IV. Sed ut reditum faciam ad primas, Frigiditate commendantur ad omnis generis calores, cum & ſine materia. Dioſcorides ideo & Galenus imponunt ventriculo æſtuanti, oculiſque inflammatis Ano item procidenti, non ut adſtringens aliquod, ſed ut tenſionem laxans, dolorem & conſequenter inflammationem prohibens, ut Lobelius & Dodoneus animadvertunt. Laudantur etiam in capitis doloribus calidis, in catarrhis acribus & ſalſis, ad palatum, fauces & pectus inclinantibus. Quin creduntur apropriatæ eſſe anginæ & pleuritidi, quatenus aſpredinem partium humiditate ſua blanda leniunt, calorem exſtinguunt, leviter purgant, non per alvum tantùm, ſed & urinas. Eſt enim diureticum non propriè dictum, ſed ſubſtantia aquea, qua hydropa quendam calidum curat, cujus rei hiſtoriam habeo penes me. Scribit propterea Meſue, & acceptat Cæſ. 1. *Artis* 6. Violas eſſe ſoporiferas, quatenus vapores incraſſant, & quaſi religant ναρκώσει quadam Ita loquor: quia verum narcoticum non ſunt, ſed hominem, partemque intemperatam refrigerant.

V. Hæc accipenda ſunt, primò quidem de violis recentibus: deinde autem de foliis, nullo autem modo de ſemine, quod calidum in 1. ſiccum in 2. eſt, quamobrem cum ſemine plantaginis comparatur.

VI. Purgant flores, recentes quidem, ut dixi, leniendo: ſicci autem electivè, ſi Meſue credimus, & quidem bilem. Idem Meſue tribuit ſemini quoque vim purgativam, ſed conſtringendo tantum. De correctione florum ſiccorum nihil ille, ut videatur tralatitium: de recentibus ait tarditatem illorum emendare turbith & ſcammonium. Hac de re vide diſputantem Coſtæum in Meſuem.

VII. De doſi decocti, ſyrupi & conſervæ Tagautius litem movet Meſue; drach-

drachmas in uncias mutans. Nos quia ſyrupo & melle ſolis utimur, de his etiam tantùm dicemus.

VIII. Quod ad ſyrupum ſub quo etiam habeo julepum, licet ex aqua tantum ſtillatitia fiat, eſt ille vel ſimplex, vel compoſitus. Simplex, vel ſolutivus, vel non ſolutivus.

IX. Uterque, ut in Roſis, variat numero infuſionum. Ubi notandum, fieri ex ſucco quoque perinde ut in Roſis ad bilis contemperationem, &c. Compoſitus in hoc differt à roſarum ſolutivo quod non purgat, ideo ejus uſus eſt in contemperandis caloribus, in denſandis tenuibus deſtillationibus, qua in re præſtat omnia alia propter malvam, jujubas & ſebeſten.

X. In doſi ſolutivi ſimplicis ſunt fermè eædem diſtinctiones, quæ in Roſarum ſimplici. Eſt autem hoc obſervandum, Frigidior & humidior eſt roſarum, igtur quoquo modo ſoporifer eſt, præſertim, in paulò majori doſi. Peculiaris ejus uſus eſt in affectibus pectoris, propter humectationem, quam in omnibus his quærimus.

XI. In infuſo roſarum ut abſcindimus ungues vocatos: ita heic oportet diligenter auferre virides illos alabaſtriculos, quibus flos inſidet. Relinquunt enim poſt ſe acrimoniam quandam herbaceam.

XII. Eadem eſt ratio ſucci exprimendi. Cum his enim ſyrupus fit ingratior, & minùs floridus.

XIII. Et hæc de ſyrupo. Mel violarum etiam duplex eſt, ſed neutrum apud nos eſt in uſu. Eſt verò in uſu conſerva, ſeu ſaccharum violatum.

XIV. Oleum non debet fieri cum oleo omphacino, etiamſi adſit, ſed cum amygdalino, frigida eloto. Ita poteſt lenire dolores inflammationum, ſomnum conciliare, &c.

XV. Trochiſci violarum etiam duplices ſunt. Aut enim Græco nomine dicuntur Διαΐων: aut Latino, Ex violis. Illi iterum duplices ſunt, ponderibus diſcrepantes: hi pariter ſunt, cum vel ſine ſcammonio. In hoc ſcammonio etiam varietas eſt, cum alii ℈ vj. accipiant, alii viij. Horum uſus ad emolliendam alvum potiſſimum in affectibus pectoris: atque ex violis dicuntur, etiam ad purgandum, in iisdem. Illi dari poſſunt ad ʒ iij. hi ad ij. tantùm. Cùm ſcammonio, ne ad j. quidem. Audio enim heic Maſſariam, dicentem 2. *Pract.* 2. nec ſcammonium nec turbith recte eſſe in illis correcta. Proinde aliis purgantibus fere ſtimulo ſunt.

XVI. Et hæc de Violis, quæque ex illis. Herbæ Trinitatis ſucci & aquæ deſtillatæ ut innui, uſus eſt in Epilepſiis calidis. Eſt etiam in febriculis, ſcabie pruriginoſa, &c. exteriùs hepati impoſita.

XVII. Keirorum intenſus odor indicat intenſam tenuitatem, qua non tantum menſes ciere poſſunt, ſed fœtum quoque pellere, unde medicamentis, quæ Græcis φθόρια dicuntur, accenſentur à Gal. 7. *Simpl.* Propter eandem tenuitatem, ol. Keirinum eſt inſigne anodynum in vulneribus & inflammationibus partium nervoſarum, ut & in malis uterinis interius, &c.

FINIS LIBRI PRIMI.

CASPARI HOFMANNI
DOCTORIS MEDICI,
DE
MEDICAMENTIS OFFICINALIBUS,
TAM SIMPLICIBUS QUAM COMPOSITIS,

DE ALTERANTIBUS.
Liber II. Caput I.
DE ABROTONO.

I. SCribit Hermolaus *Coroll. in Dioſcorid.* 453. Lydos effuſiſſimam in libidines gentem, ſolitos fuiſſe fœminas conſtuprare in hortis, abrotono conſitis, quod ob id vocatum ſit γλυκὺς ἀγκὼν, θηλυφθόριον, quæ tres voces etiamnum ſuperſunt apud Dioſc. l. 3. c. 27. Fuit & Abrotonum apud Athen. l. 13. ſcortum, poſtea Themiſtoclis mater. Quibus locis (ut & apud Plin. Theoph. & alios) cum conſtanter ita ſcribatur, audeo me opponere Bauhino aliisque, qui τὸ α in penultima volunt. Adjuvat me, quod ἁϐρότονον quidem ſignificet *Molle & delicatum robur*: τὸ ἁϐρότανον autem nihil ſignificet.

II. Apud Dioſcoridem & Galenum duplex eſt, *Mas & fœmina*: apud Dioſcoridem iterum *c. de abſinthio*, eſt *Abrotonum parvum*, quod mas eſt, quia κληματῶδες vocat; fuerit ergo & magnum, quod δενδρῶδες: apud alios eſt album & nigrum, quorum hoc mas ſit, illud fœmina.

III. Secundum hanc diſtinctionem Bauhinus duas facit claſſes, quarum prior *Maris* eſt, montani, parvi & nigri, poſterior *Fœmina*, campeſtris, magni & albi. Ex utraque claſſe petitur Officinalis, ex priori illa, quæ tertia eſt in ordine, *Anguſti-folia major*: ex poſteriori prima, quæ *Santolina* Italis, *Cupreſſus* vulgo noſtro, *Chamæcypariſſus* Botanicis quibusdam.

IV. De facultatibus vellem ſeorſim agere: ſed deferor ferè ab omnibus, etiam à Galeno, qui tamen de priore ſatis multus eſt. Is ait 6. *ſimpl.* Calidum & ſiccum in 3. gr. eſſe (Averroës diſtinguit, Calidum in fine 2. ſiccum in 3.) cum ſubſtantia terrea, à multo calore attenuata, quod amaror indicat, abſinthio vicinus. Quibus ex verbis ſatis claret, velle Galenum, eſſe heterogenearum partium, & propter tenues quidem habere egregiam vim digerendi, incidendi, & rarefaciendi, validiorem omnino quam abſinthium habet: propter craſſas etiam, abſtergendi, & meatus ab infarctu liberandi. Illis facit ad omnes affectus frigidos, præcipuè pectoris, ut & uteri: his ad lumbricos. Ob hoc à veteribus quidem ἑλμινθοβοτάνη dicebatur: ab Hiſpanis etiam hodieque *Herba lumbricorum*. In his (ut aliquid aſpergam de poſteriori) Galli uſurpant etiam *Santolinæ* ſemen, ut Pena ſcribit. Matthiolus eſt author, folia ſicca ad ʒß dari in aq. matricariæ, ad ſiſtenda alba fœminarum profluvia. Quod quia eſt ab hepate refrigerato, traho huc illud Archigenis 7. κ. τόπ. 9. ſuccum abrotoni probari in magnis hepatis duritiebus. Apud nos utriusque uſus eſt in inſeſſionibus uterinis.

C A P U T II.

D E A B S I N T H I O.

I. Conſentio Etymologis ἀψίνθιον eſſe dictum quaſi ἀπίνθιον, quod ob amarorem nemo facilè guſtet. Sum etiam cum illis, & deduco 1. *Var. lect.* 18. qui docent, abſinthia non differre ſpecie, ſed natali loco.

II. Is triplex eſt apud Dioſcor. 1. Pontus Aſiæ regio, unde *Ponticum*, quod non eſt amarum, aut certè præ reliquis *minimum*. 2. *Seriphus*, maris Ægei inſula, ranis mutis nobilitata, unde *Seriphium*. 3. *Santonia*, Galliæ Alpinæ pars, unde *Santonicum*.

III. Non debeo diſſimulare, quosdam Sardonicum vocare, qua de controverſia eſt eodem 1. *Var.* 14. His addit Bauhinus Seriphium alterum, quod Montanum vocat, feminam alii. Hæ ſpecies omnes, ut jam ſic appellem, Abrotonis tam ſunt ſimiles, ut Abſinthium quoddam ſit Abrotonum: Abrotonum quoddam ſit abſinthium. Harum facultates comparat inter ſe Galenus *fine cap. de Abrot.* ut & 11. *Meth.* 16. Ubi notandum, quòd Pontico odorem tribuit ſuavem & aromaticum, cùm reliqua abominabilem habeant, propter quod hæc quidem

ven-

ventriculo adverſa ſint, illud ſolum gratum. Quin addit aliam etiam cauſam, illa non adſtringunt manifeſtè; hoc manifeſtiſſime.

IV. Ex *eodem Meth. loco*, oritur illa quoque lectionis varietas, Pontici folia μικρότερα ne ſint, an μακρότερα, de qua eodem 1. *Var.* 15. Scire etiam intereſt propterea, ut certi eſſe poſſimus, An vulgare in Officinis dictum, quod folia habet latiora, ſubſtitui poſſit Pontico, quod minora?

V. Ubi alio opus eſt diſcrimine. Abſinthium Ponticum Officinale duplex eſt, Tenui-folium & latifolium, illud etiam *Romanum* dicitur ex Meſue, & eſt IV. in ordine Pontici apud Bauhinum. Hoc vulgare ſeu ruſticum, & eſt V. in eodem ordine. Neutrum petere neceſſe eſt, vel Roma, vel ex Ponto: ſufficiunt montes Europæi, qua maximè perflatiles ſunt. Nobis vulgare quidem præbent agri noſtri: Ponticum autem, ſeu Romanum, hortus Medicus.

VI. Compertum eſt utrumque eſſe valdè nidorulentum, adeoque καρηβαρικόν: ideo præcipiunt Medici, ante uſum mergendum eſſe aqua ferventi. Hoc Gal. 8. *Meth.* 5. facit etiam in uſu externo. Quantò magis nos in vinis Medicatis facere decet, niſi capita quædam debilia inſigniter lædere volumus? Quidam propterea Carduum benedictum ſubſtituunt.

VII. Cæterùm, in Officinis eſt etiam ſemen quoddam, quod alicubi quidem ex hoc cenſu eſt, alicubi non eſt. In plerisque eſt ex Abſinthio Santonico 1. Bauhini. Aliis ex Abrotono mare ſeu majore, & *ſemen lumbricorum* appellamus. Nos utimur ſemine *Naſt. ſylv. myrioph.* Bauhini, quod Tragus vocat Abſinthium Seriphium, Germanorum *Sophiam Chirurgorum Lobellii*, & vocamus *Semen parvum*, Itali autem *Semenza*, à quo eſt diminutivum *Semenzina*, quod imperiti corrumpunt in *Sementina*, in *Semenzinæ*. ſeu *zedoariæ*. Alii etiam *ſemen ſanctum* adducunt, pro *Santonicum*, puto. *Barbotina* unde ſit, neſcio.

VIII. Quod ad facultates, Galenus 6. *Simpl.* bis de Abſinthio agit, primum comparatè cum Abrotono, deinde ſimpliciter, & *cap. prop.* Ibi, non definiens gradus primæ qualitatis ait. Abrotonum & Abſinthium in ſiccitate quidem paria eſſe: in calore autem ſubſiſtere Abſinthium inferius, idque propter adſtrictionem ſeu acerbitatem, cujus paucæ particeps Abrotanum, copioſæ Abſinthium, ob quam hoc minus tenuium partium ſit, illud magis. Hinc expreſſè inquit, Abſinthium (tu intellige Ponticum) eſſe calidum in 1. ſiccum in 3. Quorum illud ut concedunt Meſue & Avicenna, ita hoc non, in 2. ſubſiſtentes. Sed reſpondet Coſtæus, Galenum loqui de initio 3. Arabas de fine 2. Eodem loco Galenus docet eſſe Abſinthium heterogenearum partium: dici tamen calidum, quod amarori adſit acredo. Hanc heterogeneitatem pulcrè explicat Meſue, quem vide. Addit ſubſtantiam calidam eſſe in ſuperficie, ideo admodum exteriùs calefacere: frigidam in profundo, ideo tardè ſe exſerere.

§. IX. Quo loco addendum eſt ex 5. *Simp.* 12. Quamvis abſtergendi vim ha-

beat à calore, adſtringendi à frigore: non ubique tamen eodem modo oſtendere facultates illas. Vide ut explicet. Utraque hæc facultas cùm ſit in omni Abſinthio, *ut ex* 11. *Meth.* 16. dixi, quo major eſt adſtrictio, & minor amaritudo, eò melior eſt abſterſio: & contrà. Ideo Ponticum præfertur & Seriphio & Santonico.

X. Præfertur & herba quævis ſucco ſuo. Is enim ſtomacho moleſtus eſt propter bauracitatem ſuam, ut Interpres loquitur. *Baurach* autem, nitrum eſt. Idem facit dolorem capitis: quamobrem 2. κ. τόπ. 1. eſt inter fumoſa illa, quæ vitanda ſunt in febribus. Quid igitur laudatur abſinthium in dolore capitis? *ibidem.* Non ſuccus, ſed herba, & tum tantum, cum dolor è ventriculo eſt. Deturbata enim bile, ceſſat effumatio.

XI. Interim ſuccus ad alia omnia, quæ caliditas facit, efficacior eſt, ad attenuationem (inquam,) apertionem, & abſterſionem. Quas ob cauſas plurimùm poteſt in obſtructionibus viſcerum, ictero, hydrope, in vino præſertim. Eò magis etiam exterius poteſt in inflammationibus viſcerum omnium, qua de re videre eſt Gal. 13. *Meth.* 15. 14. *Meth.* 15. 2. *ad Glauc.* 5. Idem fit in inflammationibus externis, epiphoris, ecchymomatis, intertriginibus, contuſionibus, &c.

XII. Quam ipſum laudem habet abſinthium inter illa, quæ concoctionem dicuntur adjuvare, faſtidia abſtergere, cruditates detrahere, ut loquitur Plinius; habet etiam in inflationibus ſtomachi, in borborygmis hypochondriorum, & hepatis: habet quinetiam inter diuretica, & menſes moventia. Poſtquam enim officium fecit, tonum reddit partibus. Ut enim ex Meſue dixi, partes frigidæ agunt ultimæ. Idem fortè fit in expugnatione venenorum, fungorum, ixiæ, cicutæ, &c.

XIII. In his omnibus diligenter videre oportet, ne vel ventriculus, vel quævis alia pars laboret intemperie ſicca. Quod enim Gal. 7. *Meth.* 4. docet exemplo illius, qui, cum laboraret ventriculi ſiccitate, ex uſu longiore abſinthii, & aliorum ſiccantium, in maraſmum inciderat: id poteſt fieri in aliis quoque partibus. Scribit etiam Cornarius, uſum vini abſinthitis longiorem valde exſiccare ſemen genitale, ut videatur dictum quaſi *Wermuth.*

XIV. Rurſus, videre etiam oportet, ne intemperies humida, præſertim cum pituita, alicubi ſit. Hoc docuit Gal 6. *San. tu.* 10. exemplo ventriculi, in quem è capite deſcendit pituita: Cum enim ait, abſinthium hic eſſe adverſiſſimum, quod humorem amplius affigat, ob tantillam (ut puto) vim abſterſoriam, magnam contra adſtrictoriam: vult docere, in aliis partibus idem eſſe obſervandum. Vide *Ferrerium in Caſtig.* Hoc videtur mihi clariſſimè docuiſſe 6. *Simp. c. prop.* cum ait, bilem purgare per alvum & veſicam: pituitam autem, in ventre, thorace & pulmone contentam, non adjuvare. Nam (inquit) adſtringens facultas potentior eſt amara. Quod idem eſt, ac ſi diceret, abſtergere pituitam non poteſt: affigere partibus bene poteſt.

XV.

XV. Idem venit obſervandum, ſi purgandi gratia detur, quod rarò apud nos fit, ideo ne quidem in Catalogo Purgantium eſt. Ut enim partim ex his locis, partim ex Dioſcoride & Plinio, ut & Arabibus, conſtat, bilem purgare poteſt, partim non poteſt, niſi fortè cum ſale duplicato, quomodo Veteres dediſſe Plinius eſt Author. Atqui Gal. 2. *ad Glauc* 14. laudat in lipothymiis à vitioſis humoribus, in ore ventriculi contentis. Et 8. κ. τόπ. 3. videtur abſinthii vim ad omnes ventriculi humores extendere. 7. *Meth.* 11. non quidem ad omnes, ſed ad tenues (ſub quibus etiam frigidi ſunt, ſeu pituita quædam) qui in ore ventriculi ſunt. 6. *San. tu.* 10. comparans cum aloë, inquit, Abſinthium extergere è ventriculo ea, quæ in ſuperficie tantùm: aloën etiam illa, quæ tunicis ipſius imbibita ſunt.

XVI. Reſp. Loquitur indiſtinctè, propterea explicanda ſunt hæc loca ex iis, quibus diſtinctè loquitur. Ea ſunt, ut dixi, 6. *Simp.* 2. κ. τόπ. 1. ubi bilis ſola eſt. 1. *loc. aff.* 4. opponit τῷ *Diatrionp.* quod vacuat pituitam. 1. *ad Glauc.* 9. docet, In tertiana exquiſita, apparentibus ſignis coctionis, adeoque in omnibus ventriculi à bile morſicationibus, ſummum eſſe remedium abſinthium in oxymelite. Inde liquet, quid intelligat *c.* 14. *ſeq.* per vitioſos humores. Patet etiam ex contextu 8. κ. τόπ. loqui illum de calidis humoribus tantùm. Pariter ex 6 *San. tu.* liquet, de bile tantum velle illum intelligi. Et fieri poteſt, ut 7. *Meth.* per tenues humores ſignificet ſolos bilioſos.

XVII. Quod ipſum Meſue etiam voluit, cum ait, Mundificare venas ab humore cholerico & aquoſo. Ut audiendus non ſit Sylvius, & quicunque Meſue mentem extendunt etiam ad pituitam tenuem. Expreſsè enim contra Avenzoar ait, non purgare pituitam. An igitur curat hydropem calidum tantùm? Aut ſi frigidum etiam non purgando aquas, ſed præparando ad futuram per hydragoga purgationem, διὰ τὸ ἔνρεον ποιεῖν τὸ σῶμα. Ita enim puto, ſi verum eſt, quod Matthiolus ſcribit de conſerva florum abſinthii in hydrope; eſſe tantum de hydrope calido. Eodem modo interpretor Bauhini hiſtoriam, quam aliquando ille mihi inter deambulandum. Hoc confirmo *ex* 1. *de Ther. ad Piſ. c.* 15. Agens enim ibi de curatione quartanæ per Theriacam, ait, ſe primo die dediſſe vomitorium: altero ſuccum abſinthii, ut bilem, inquit, contemperarem, & quaſi edulcorarem: tertio, duabus horis ante paroxyſmum, Theriacam. Unde patet, non niſi in illa quartanæ curatione hanc ſuccedere, quæ eſt ab atra bile, facta per exuſtionem flavæ bilis. Hanc enim dum attenuat abſinthium ut fluidior fiat, accidit contemperatio & edulcoratio illa, de qua Galenus loquitur. Ita, dum in hydrope calido abſinthium præparat bilem excretioni, facit, ut facilior ſit ejus vacuatio. Forte, ubi per aliquot dies facta eſt hæc alteratio, eadem conſerva poteſt expellere bilem ſic præparatam.

XVIII. Datur enim ex Matthioli præſcripto, ad ℥ ſem. Feliciùs etiam id fieret, ſi ʒ vj. aut etiam ℥ j. daretur. Feliciùs, ſi conſervæ ſubſtitueretur infuſum ad ʒ vj. & amplius. Licet enim Meſue non ſuperet ʒ viij. fortè, quia Romanum ab-

abſinthium, quod ipſe commendat, omnium maximè purgatorium eſt, ut Coſtæus putat: auſim autem affirmare, non ſecuturum effectum ullum, quod Plinius ſcribat, ʒ vj. vel ſem. vel polentæ dari ſolitas. Proinde placet Sylvii, & qui inde habet, Tagautii emendatio, qua ʒ in ℥ mutant. Quæ cauſa eſt, niſi fallor, quod deſiit abſinthium haberi inter purgantia: non enim niſi in magna doſi vim ſuam oſtendit. Magna autem doſis medicamenti tam ingrati, non niſi ægrè ſumitur. Hodie, cum vina purgantia cum abſinthio facimus, non niſi unum & alterum pugillum capimus, ut tegamus inſuavitatem aliorum. Et quia Abſinthium noſtrum minùs, quam par eſt, adſtringit, de conſilio quorundam, addimus roſas.

XIX. Præter hæc omnia, abſinthium egregiè reſiſtit putredini, & animalcula, ex putredine genita, aut fugat, aut necat. Contra culices, aut, ut Serapio habet, cimices, commendatur, ſi diluto ejus corpus quis inungat. Veſtibus impoſitum tineas arcet, inquit Plinius ex Dioſcoride Libros à murium corroſione tuetur, ſi atramentum infuſo ejus temperetur, docent iidem. Lumbricos, ſive foris impoſitum, ſive intus datum, interficit. Qua in re Seriphium præſtat Pontico, Galeno ſcribente 8. *Simp.*

XX. Quo loco id obſervandum, Eundem 14. *Meth ult.* docere, Abſinthium non in omnibus vermibus, ſed in teretibus tantùm efficax eſſe. Lati enim & rotundi, inquit, vehementiora deſiderant, qualis filix. Monent etiam Dodoneus & alii, ſi eo fine detur intrinſecus, ſemper aliquid Rhabarbari eſſe addendum, quod non tantum necat eos, ſed & expellit. Si enim mortui diutius in corpore hærerent, putreſcerent, & epilepſiam, aliaque inducerent, Hoc doctum fuit à Meſue, qui in hunc uſum Electuarium parat ex Euphorbio, in cujus uſu quia meritò timidiores ſumus, rectè ſubſtituitur Rhabarbarum. Hodie dant vel *Sanctum*, vel *Parvum ſemen*, vel ſaccharo incruſtatum, vel in pane dulciario abſconditum. Melius, ni fallor, Solenander, qui 3. *Conſ.* 30. abſinthium aqua vitæ macerat, eaque umbilicum, & locum circumcirca illinit, inſperſo myrrhæ pulvere: Apul. cum marrubio & lupino ana partes æquales in mulſa coquit, & umbilico imponit. Verùm ut concludam, quo ſalſius & amarius eſt abſinthium noſtrum, eò ventriculo eſt moleſtius, ut peculiarem inimicitiam cum illo exercere credi poſſit. Contra, quo adſtringentius, eo & ventriculo & hepati amicius, ut ſtomachicum & hepaticum recte dici poſſit. Locus eſt apud Gal. 11. *Meth.* 16. ut & 13. *Meth.* 17.

XXI. Ex Abſinthiis quatuor in Officinis uſurpantur. I. *Syrupus de Abſinthio*, cujus variæ ſunt deſcriptiones. Apud nos in uſu eſt Syrupus ex *Abſinthio* non vulgari, ſeu *Pontico ſeu Romano*, & dicitur *Major* Meſue, de quo controverſum eſt pondus vini & ſucci cydon. Noſtri probant judicium Meſue, qui ponit utriusque ana ℔ ij. Uſus eſt in dejecta appetentia, cum & ſine febre, ſed expurgatis primis viis, ex 6. *San. tu.* 10. & in cauſa frigida potius quam calida, propter ea, quæ abſinthio admiſcentur & prævalent.

XXII.

XXII. II. *Conſerva de Abſinthio*, alibi quidem à floribus, quæ magis deobſtruit: alibi etiam ex foliis viridibus, quæ fortiùs adſtringit.

XXIII. III. *Trochiſci ex Abſinthio*, quorum etiam varia eſt deſcriptio. Noſtri habent ex Meſue Antidotario. Ibi verò quis eſt ſuccus herbarum? Potior eſt apud me ſententia illorum, qui *Syrupum Byzantinum* accipiunt. Sed quo ſucco incorporari debent? Perinde eſt, ſive *Endiviæ* ſit, ſive *Eupatorii*, ſive *Apii*. Uſus eſt in aqua appropriata in diuturnis viſcerum obſtructionibus, præcipuè in febribus lentis. IV. Addo *Vinum Abſinthites*, de quo dico, parum efficax eſſe, niſi abſinthium injiciatur, dum muſtum fervet. Sed qua proportione? Docet Cronenburgius in diſpenſatorio Colonienſi. Eſtne verum, quod præbibitum prohibeat crapulam? Non dico ea, quæ contra bonos mores ſunt. Addo V. *Oleum*. Quod cum fieri debeat ex Pontico, quod validam habet adſtrictionem, ſi non adſit, additur tamen dimidium pondus roſarum.

CAPUT III.

DE ACACIA.

I. HEic unicè notandum, *Acaciam* hanc eſſe I. Dioſcoridis *l.* 1. *c.* 18. apud Theophraſtum ſub hoc nomine non quærendum, ſed ſub *Acanthi*. Rurſus apud eundem Theophraſtum *l.* 3. *c.* 4. νοθεύειν hanc, ut ex Dalecampio obſervavi, *Animad. in eum locum*: eſſe autem genuinam *l.* 4. *c.* 3. Rurſus, habere Dioſc. *Acanthum* quoque. Sed ſub longè alia notione, *Acanthi ſativi*, *ſeu mollis Virgilii*, Bauhin. Rurſus utramque dici κατ' ἀντίφρασιν, Ακακίαν quidem quaſi ἀκάκω, *quaſi nemini noceat*, cum ſit ſpinoſiſſima, imo ſimpliciter ſpina dicatur: ἄκανθον etiam ἢ ἄκανθαν, *quaſi minimè ſpinoſam*, ut bellum, *quaſi minimè bellum*, quamobrem *mollem* dixit Virgilius, imitatione Theocriti, cui ὑγρὸς. Rurſus quamvis ita ſit, Acacia (inquam) Dioſcor. ſit Acanthos Theoph. & viciſſim. tamen apud Theoph. 9. *Hiſt.* 1. *Spinam Ægyptiacam* eſſe utramque harum.

II. Rurſus, cum de *Spina Ægypt.* Gal. 6. *Simp.* jam egiſſet: neceſſariò in ſequentibus legendum περὶ ἀκάνθης ἀρα-βικῆς. Hoc verò vel ideo, quia comparat cum ſpina alba, quæ planta eſt annua, prorſus ut ſpina Arabum. Hic error cum ſit apud Paulum & Aëtium quoque, è Galeno ſolitos deſcribere ſua, ut viciſſim ille ex Dioſcoride: fuerit in his quoque duobus tollendum. Interim tolerabile eſt malum, quia & neutrum habemus in Officinis, &, auctoritate Galeni, differunt in adſtrictione tantum ſecundum magis & minus. Et hoc additum volo *Notis in Gal.* Ad rem.

☞ III. Plantæ ut naturæ rerum reſpondeat, apud Dioſcoridem quidem delere oportet τὸ θαμνώδης: apud Theoph. autem legere καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν βλαςῶν μόνον, παρὰ τῶν φ. ἰ. Porrò apud Dioſcoridem deleo totam alteram Acaciam: a-

pud Theoph. inquiro alterum Acanthum. Hoc dico propter Angu. 5. *Sent.* 10. qui Theoph. pro Plinio ſcripſit. In Officinis duo ſunt ex hac planta, *Succus*, & *Gummi*, de quibus ſeorſim.

DE SUCCO ACACIÆ.

V. PRimum quæro, Cur Andromachus ſenior 1. *Antid.* 6. *in Ther.* vocarit δάκρυον? Non ipſe fecit, ſed qui verſus condidit. Eſt impropriiſſima locutio. 2. Cur Damocrates *c.* 17. vocarit *Parætonium liquorem*? Et hoc fecit Poëta. Plin. *l.* 35. *c.* 6. nomen loci in Ægypto eſſe ait. Ego verò non in Ægypto, ſed in Libya invenio. 3. Turbant aliquid ex Dioſc. qui τὸ καρπὸς urgent. Dioſcorides non fuit accuratus, ut in aliis quoque. Ex ſiliquis exprimi ait Alpinus. Hæ verò ſunt λοβοὶ, Caſſiæ fiſtulis proportione reſpondentes. Loquimur enim de primario: ſecundarius enim hodieque ex foliis, & floribus immaturis fit, nimio validior, inquit Plinius, hoc eſt, & ego intelligo, adſtrictione ſola potens, quod intelligetur ex facultatibus.

VI. 4. Reſvera Dioſcorides eſt corruptus qua de differentia ſucci. Lego, εἰχύλισμα ἐκ τȣ͂ πεπείρȣ μέλαν ἔγκιῤῥον δὲ ἐκ τȣ͂ ὠμου. ἐκλέγου δὲ τὸ ἠρέμα κιῤῥὸν, niſi placet ſolum ὑπόκιῤῥον, quatenus opponitur τὸ ὑπὸ, τῷ ἐν, cum auget ſignificationem.

VII. 5. Unguem imprimo illi Dioſc. εὐῶδες, ὡς ἐν ἀκακίᾳ. Denotat enim odorem nativum & proprium, non tibi, mihive gratum. Hoc facit eò, ne cogitemus cum Paſino, de defectu aliquo codicis Dioſcor. Et hæc ferè dicunt nobis, quæ ſit ἀκακία καλὴ Damocratis, 1. *Antid.* 16. Quo ex loco jure addideris, ὑγρὰ ἔτι. Quæ enim ex Ægypto defertur ſicca, & carbonis inſtar dura, nulli rei eſt.

VIII. Quò juſtius eſt, cogitare nos de ἀντιϐαλλομένω. Hoc eſt apud nos pulpa Prunorum ſylveſtrium, quæ dicitur etiam *Acacia Germ.* Hanc, ut ſimplex ſimplici ſubſtitutam, probo: improbo alteram ex ſem. Tamar. & Sumach. Et hæc de ſucco: de

GUMMI.

IX. COnſenſus eſt Veterum, id quod *Gummi* vocatur in Officinis vel ſimpliciter, vel *Arabicum*, eſſe hujus plantæ. Hoc diſertè Theoph. 4. *Hiſt.* 3. γίγνεται ἐκ ταύτης καὶ τὸ κόμμι. Hoc Dioſc. etiam dicit, ſi cum Paſino legatur, καὶ κόμμι δὲ (ἀραϐικὸν) ἐκ τῆς ἀκάνθης γεννᾶται. Sed cur *Arabicum*, quod *Ægyptium*? Creſcit utrobique, & potuerunt Mercatores prætendere hoc nomen variis de cauſis. Interim & *Thebaicum* vocatur. 4 κ γὲν. 7. à Thebis Ægypti Hecatompolis. Fortaſſis etiam *Album* 5. κ. τόπ. 7.

X. Sed cur Galenus ſejungit, 6. *Simpl.* de planta agens, 7. de gummi? Abſur-

ſurdum dictu non eſt, Galenum ignoraſſe veram plantam, licet in Ægypto ſtuduerit, ut hodie loquimur. Et hujus ignorantiam æmulati ſunt Paulus & Aëtius. Hoc qui dicere nollet, confingat aliam cauſam. Mihi perſuaſit Doctor meus *l. de Plant. Æg. c.* 4. & iterum, 4. *de Med. Æg.* 11. cui conſentit Bellonius 2. *Obſ.* 56. Pena *in Adv.* alii, eſſe ita ut dixi. Tantò magis quod argumenta adſunt, non tantum κατασκευαςικὰ, ſed & ἀνασκευαςικὰ, quibus non immorabor. Multo minus tempus teràm in refutando Matthiolo, Scaligero, aliis, qui dicunt, eſſe miſcellam ex variis arboribus gummiferis.

XI. De facultatibus judicare licet ex Galeni verbis, 6. *Simpl.* cum ait, totam plantam cnm omnibus ſuis partibus acerbam eſſe, cm quadam tamen acrimonia. Unde conjectura eſt partium eſſe heterogenearum, his quidem adſtringens, illis autem fundens. Hinc fit, quod parti ſanæ appoſita, protinus illam ſicciorem & contractiorem efficit, nullum caloris ſenſum invehens, nec frigoris admodum valentem.

XII. Hæc de ſucco imprimis ſunt vera. Eſt enim ille, de ſententia Galeni *l. c.* ſiquidem illotus ſit, frigidus in 1. ſiccus in 2. lotus etiam frigidus in 2. ſiccus in 3. Hoc accidit ob terreſtreitatem, ob quam penetrare non ſinit, inquit Julius Alexandrinùs *in Notis.*

XIII. Quod ad gummi, poteſt, quod alia omnia poſſunt, ait Gal. 3. *Simpl.* ſiccare, & ſubſtantia ſua emplaſtica aſperitatibus mederi, ſed & refrigerare, additur *de Ocul. cap.* 5.

XIV. Uſus eſt apud nos ferè tantùm in catarrhis ſalſis & acribus. Partibus enim, quibus allabitur, eſt inſtar tectorii, quod humorum affluentium impetum retundit. Uſus eſt etiam in compoſitis purgantibus, quorum ſerioſitatem, ut Arabum Interpretes loquuntur, aufert. In oculorum affectibus ſuccus vel uritur in carbonibus, vel lavatur in aqua fontana, usque dum clara fiat. Hodie quam varius ſit uſus ſucci in Ægypto ſi videris apud Alpinum locis citatis; imò, ſi contuleris cum Dioſcoride & Pliniò, miraberis. Fac verò ſeriò, non pœnitebit, ſpondeo.

CAPUT IV.

DE ACONITO.

I. Ακόναι. vel proprium eſt, vel appellativum. Cùm proprium eſt, vicum ſignificat Mariandynorum in Bithynia, ubi inde dictum Aconitum copiosè creſcit. Cum appellativum, denotat quemvis τόπον πετρώδη, in quo dicta planta creſcit. Ita enim nunc concilio locum Theoph. 9. *Hiſt.* 16. in quo videbatur òlim mihi ἀνακόλυθον eſſe. Hæc tolli volui parentheſi includens illa, ἄυτη δὲ κώμη τίς ἐςι τῶν.

II. Quidquid ſit, unicum heic deſcribitur *Aconitum*, ſive pro κιχωριῶδες legas πλατανῶδες, ſive βατραχιῶδες, quod fuerit *Lycoctonum* vulgo dictum. Præter hoc eſt alterum apud Dioſcoridem, folio quidem cyclaminis aut cucumeris, radice etiam Scorpii caudæ, quod *Pardalianches* vocant.

III. Hanc differentiam in Aconito quatenus obſervat Bauhinus, eatenus mihi amicus eſt: at quatenus *Doronicum* aſſuit, plantam adeò ignotam; imò quatenus ex triplici Pardalianchi triplex facit Doronicum: plané inimicus mihi ſit. Inimicior cum copulat triplici illi ſex alias *Aliſmatis* ſeu *Damaſonii*, tam variè à Botanicis tracti, ſpecies. Si omnino huc pertrahere volebat, poterat facere tertiam ſpeciem, *Aconitum folio Plantaginis.* Quo ipſo valdè gravabuntur Pharmacopolæ illi, qui pro Helleboro nigro habent, & *Extractum* inde parant, ut dixi *in Helleboro.*

IV. Sed ſint hæc, ut unusquisque eſſe voluerit: ego hoc moneo, fuiſſe ſuperioribus annis, & eſſe in quibuſdam, duas ex hac claſſe radices, alteram *Aconiti lycoctoni*, *Wolfswurk*, quæ eſt Luparia Tragi, quam habent pro veneno, & vendunt venatoribus pro occidendis lupis, vulpibus, martibus, gliribus, aliisque feris: alteram *Doronici*, quod eſt *Doronicum* III. *Bauhini*, & premitur ſuſpicione veneni. Aconitum, quia juſſu Magiſtratus jam exſulat à nobis, poteſt porrò habitare apud venenarios ſuos. Doronico *in Electuario de gemmis*, & aliis, quia ſubſtituere Noſtri didicerunt *Galangam*, ſit id porrò quoque ratum.

V. Verumenimverò, quia de

D O R O N I C O.

PENE inextricabiles ſunt lites, ne ſimpliciores decipiantur, oportet confirmare judicium eorum, qui exegerunt Offic. in quarum quibusdam *Carnabadium* vocabatur. Vocabulum factum eſt ex Arabico *Doronigi* vel *Durungi*, quorum illud Serapionis eſt, *Simpl. c.* 325. hoc Avicennæ 2. 2. c. 210. Horum verba ſi afferam, nihil agam. Tam enim non conveniunt cum *Doronico Officinali*, quam non convenit album cum nigro. Eſt autem *Doronicum III. Bauhini*, ut dixi, illud, quod ut Camerarius habet *in Horto*, Noſtri vocant *Gemſenwurkel*, quod damis ſit familiaris eſca, quæ damæ vel celſiſſimas ſcandunt rupes. Unde argumentati ſunt venatores, fieri hoc beneficio hujus radicis, quam etiam *Schwindelwurkel* appellitant.

VI. De hac planta, ſeu potiùs radice, hoc cum primis controverſum eſt, *Sit ne Venenum?* Quantùm comperi, qui primus illam accuſarit, Maranta fuit. I. *Meth.* 11. Ejus opinionis fuiſſe Aldrovandum quoque, Geſnerus ſcribit, *l. de Acon.* Matthiolus ab initio quidem acriter ſe oppoſuit: ſed demum conſenſit, partim Cortuſi motus auctoritate, partim experimento. Huic iterum ſe oppoſuerunt Geſnerus *l. d.* Pena *in Adv.* Camerar. *l. c.* indemnem eſſe affirmantes: quin poſſe præclarè, quæ Arabes dicunt.

VII.

VII. Mihi hoc præcipuè obſtat, quod Calidum & ſiccum in 3. eſſe ajunt, & ſubſtituunt Zurumbeth, Zedoar. Caryoph. Hoc conſtanter negat Dodoneus, ad ſenſum provocans.

VIII. Quò factum eſſe credibile eſt, ut Geſnerus ipſe in 1. *Epiſt.* 19. ad 2. gradum deſcenderit, quod tamen ipſum in ambiguo eſt. Hoc imprimis valde miror, quod Geſnerus tam timidè agit. Non eſt verum Doronicum (quod Galanga eſt, vel Zedoaria,) ſed pſeudodoronicum, non propterea abjiciendum. Abjiciendum vero? Hoc in quæſtione eſt. An poſſit recipi in Electuario de gemmis, & arom. &c. Quin διαῤῥήδην nego, poſſe. Nec aſſero, quæ ultro citroque jactantur de ingenuitate ipſius: Experientiam volo infallibilem. Unde autem capiam ipſam, quàm ab ipſo Gesnero? Scio, Casparum Wolfium, *in oratione de ipſius obitu* ſcribere, peſte eſſe mortuum: Sed manum mihi injicit Costæus, in Elect. de Arom. Meſue, eſu hujus radicis obiiſſe. Quod ut credam, facit ipſe. Ut enim manifeſtè redargueret Matthiol. (ſic loquitur 2. *Epiſt.* 20. *&* 22.) ſe ʒ ij. rad. hujus ſumpſiſſe, & per octo quidem horas benè habuiſſe: verùm iis elapſis, ventrem & ſtomachum inflari ſenſiſſe, & circa os ventriculi imbecillitatem quandam, & corpus totum infirmius, ita ferè ut aliàs ſemel ac iterum ex nimio frigidæ potu perceperat. Quo ſymptomata cùm biduo durarent, & non viderentur ſponte ceſſura, ingreſſum fuiſſe aquæ calidæ ſolium & curatum fuiſſe. Hoc, aut ſimile quid faſſum eſſe Geſnerum ad Cortuſum, Matthiolus refert.

IX. Hæc ubi cognoris, lector, fac mihi hanc gratiam, & viſe ad Dodonæum, *Pemptadis* 3. *l.* 4. *c.* 8. ut intelligas, annon ſubleſta fide tecum egerit? Quæ enim affert, ſunt ex priori epiſtola *ſcripta ad Occonem*, intra octo illas horas, quibus benè habebat: quæ verò ſubinfero. ſunt ex poſteriori, in qua eventus rei. Quo monitus alloquor Geſneri manes ita: *Eſtne adhuc* γελοῖον *apud te, Aconitum hoc eſſe venenatum? Perſiſtisne in hoc, Nullam ineſſe illi vim malignam, aut homini venenoſam? An potiùs ſymptomatum horum cauſam facis nimiam* (ego dicerem, excrementitiam, qualis eſt in fungis, Colochico, aliis) *radicum humiditatem, ex qua flatus geniti ventriculum offendunt?* Nunquam enim exſiccantur totæ. Præterea, non facilè abire è ventriculo, argumento ſint pilulæ illæ de quibus Camerarius, *die Gemſeintugel.* Atqui ſine periculo utimur *El. de Gemmis*, &c. Non eſt ſatis. Nam & opio impunè utuntur Turcæ? Sed & diverſitas eſt, Opium corrigitur in Theriaca, & aliis Opiatis, quia inter frigida eſt: Aconitum eſt ſepticum. Sed non ſit: vis temerè periclitari? Qua de re dubitas, ne feceris, dicebat aliquando ad me ampliſſimus D. Georgius Volcamerus, poſteà Septemvir Reipublicæ noſtræ cujus memoria ſit in benedictione. Tu vide, an poſſis probare *Meguinum* Penæ, in baldo, fol. 242.

CAPUT V.

DE ACORO.

I. SUB hoc nomine duplex in Officinis radix eſt, quarum altera dudum habuit nomen hoc, quod non debetur ei: altera vocata fuit *Calamus-aromaticus*, cum *Acorus* deberet. De utroque ſeorſim, & primùm de

PSEUD-ACORO.

QUI cum revera ſit *Iris*, & quidem ſpecies illa ſylveſtris, quæ luteos habet flores, & ob id *Iris lutea*, ſeu *Iris paluſtris lutea* dicitur: vehementer miror, Bauhinum abſcidiſſe à congeneribus ſuis, & cum *Acoro* conſtituiſſe novum genus! Radix hæc eſt nodoſa, extus & intus rubra, imprimis cum adhuc viridis eſt, odore nulla, ſapore quidem ignavo, qui, ut Pena notavit, poſt aliquod temporis ſpatium, acrimoniam aliquam in ore relinquit. Calidus eſt in 1. fortè gradu, ſiccus in 2.

II. Caliditatem teſtatur acrimonia illa tantilla, de qua dixi, non ſubitò ſe prodens in ore: ſiccitatem experientia in affectibus cerebri, & generis nervoſi. Hac ipſa ſiccitate prodeſt ventriculo humido, & cruditatibus pleno, tantò magis, quod ſimul adſtringat. Unde in dyſenteria laudatur. Siſtit etiam menſes, Lobelii teſtimonio. Quò factum eſt, ut ſterilitatem credatur facere, qua de re hiſtoriola eſt apud Cluſium, imperiti cujuſdam Medici, qui eam vim adſcribebat Acoro vero.

III. Ex *Pſeud-Acoro* confici debet *Diacoru* Meſue, inſtitutum quippe propter ventriculi debilitates. Quibusdam ſuſpectus eſt *Pſeud-Acorus* in affectibus nervoſis propter frigiditatem: ſed ita eſt, ſatis corrigunt illum adjecta aromata. Malunt etiam quidam compoſitionem noſtram magiſtralem, quæ *Acorum verum* amplius habet. De *Secacul* moneo, *Siſarum* eſſe accipiendam. Jam de

ACORO VERO.

CUJUS radices non valde diſſimiles ſunt alterius, adeoque habent omnia quæ Veteres in *legitimo Acoro* deſiderant. Quo minus laborandum eſt mihi in ſtabiliendo illo. Quo tamen moneo. 1. ſi Dioſcorides non facit mentionem amaroris, non propterea mutandum eſt aliquid in codice Dioſcoridis quod Marcellus Virgilius vult. 2. Rectè Plinius, *Recentium virus majus*. Hoc dum mutat Hermolaus in *Virtus major*, haud bene conſulit honori ſuo. Imo hæc eſt ἐυωδία ipſius.

VI. In facultatibus non concordat cum altero, & neuter neutri ſubſtitui poteſt. Calidus & ſiccus eſt de Galeni ſententia 6. *Simpl.* in 3 gr. aut, ſi libet ἀκρι-

βελο-

ϐολεγεῖν cum Avicenna, in principio ſecundi, uſque ad medium ejuſdem, cum partium heterogeneitate. Dominatur autem ut Averroës ſcribit. 5. *Coll.* 42. ſubſtantia tenuis & ignea ſupra ſubſtantiam terreſtrem. Acrimonia verò eſt major amarore.

VII. Dioſcorides & Galenus commendant in lienibus induratis, unde fortaſſis Aſplênion eſt vocatus. Plinius in duritiebus & collectionibus omnibus. Dioſcorides iterum ad tormina viſcerum, cum quo videtur Avicenna eſſe, qui in flatibus cumino ſubſtituit, aut etiam ana partes æquales accipit. Ad urinæ deductionem valde commendat Fallopius, ſi decoquatur in vino tenui, & detur cum ſucco Borraginis in catarrhis ſiccandis, præcipuè ſuffocativis, ipſa apoplexia, magnas habet laudes præcipuè conditus.

VIII. Ubi noto, quibusdam locis *Galangam* etiam *majorem* condîri, & vocari *Acorum Indicum.*

De Agallocho, *vide infrà*, poſt Aſpalathum.

CAPUT VI.

DE AGNO, SEU VITICE.

I. NIsi fallor, ineptum eſt, quod vulgus jactat, Agnus-Caſtus vocabulum eſt Græcolatinum factum ἀπὸ τȣ̃ ἀγνοῦ, & *Caſtus*, & hinc eſt Germ. *Reuſchelamb*, *odor Reuſchbaum.*

II. Veriſimile eſt, ἄγνον dici, quaſi ἄγονον, quod libidine adverſetur. Hoc, ut Dioſcorides ſcribit, ex antiquiſſimo Athenienſium inſtituto eſt, quo mulieres in Theſmophoriis, Cereris ſacris, jubebantur ſubſternere ramos *agni.* Hoc æmulati ſunt apud Chriſtianos Monachi, quidam ſæverunt in Cœnobiis ſuis, pro cingulo utentes, unde *Kloſter oder Munchpfeffer* vocatus eſt. Serapio etiam *Piper monachorum* appellat. Itali *Piperella*, quod ſemen piperi ſimile gerat, ut Dioſcorides habet.

III. Hujus rami, quia viticium uſum præbent, dicuntur etiam λύγοι (ut planta λύγος, *Vitex*, *Salix Amerina*, malè) quibus etiam gladiatores cædebantur, ut apud Galenum, rhododaphne ſeu Nerio.

IV. Quo loco notandum, Plinium l. 1. c. 9. diligentiorem fuiſſe Dioſc. l. 1. c. 116. cum duplicem facit, alterum, qui arboreſcit: alterum, qui frutex manet. Hoc cum apud noſtres Lobelius meminerit, debuit fortè Bauhinus quoque non intricatè, ut in Matthiolo, ſed nova conſtituta ſpecie, ut *in Pinace.*

V. Sed habuerit facti ſui rationes: in Officinis uſurpantur folia & ſemen, non

facta

facta floris diſtinctione. At apud Galenum ϛ. κ. τόπ. 1. ſub finem bis fit mentio viticis albæ. Tu verò oculos apertos habe, ne pro ſemine Viticis obtrudatur tibi fructus *Chamæceraſi montanæ* Geſneri, quod apud Belgas olim factum eſſe, memorat Cluſius 1. *Rar.* 38.

VI. *Aſparagi* quoque olim erant edules, & commendati, quod ſtomacho eſſent grati, *l. de Vict. att.* ſed & ſemen comedebatur, 1. *Alim.* 3ϛ.

VII. Quo ex loco, ut & aliis Galeni, inſignis oritur controverſia, quatenus, quod Arabes volunt, omnes viticis partes ſint calidæ & ſiccæ? Ego, qui id feci 4. *Var. Lect.* 10. non jam inde repetam, ne vapulem. Tamen id cogor repetere, veram eſſe Galeni ſententiam, viticem eſſe calidam & ſiccam inſtar rutæ 3 (ſiccæ:) verùm hoc diſcrimine, quod vitex adſtrictionem habeat, ruta non habeat. Hæc calida & ſicca eſt cum magna partium tenuitate, ut Galenus monet, quibus tamen adjunctum eſſe aliquid terrenum, abſurdum dictu non eſt. Hinc digerere, attenuare, incidere & deobſtruere poteſt: ſed quod in magna laude poſitum eſt, ſimul adſtringere. Hinc urinas & menſes quoque ciet.

VIII. Galenus monet, caput petere ob partium tenuitatem. Si enim, inquit, fieret ob vaporum elevationem, etiam Venerem moveret, ut Eruca, & alia talia. Et licèt (addit) dum agit in materiam, quam invenit, reſolvat illam in flatus: tam potens tamen eſt, ut flatus illos ſimul diſſipare poſſit.

IX. Quod ita intelligere oportet. Non effert quidem flatus in caput: ſed cùm eò partium tenuitate pervenit, non ſecus ac vinum, cujus odorem ac ſaporem habet, ut Plinius ſcribit, caput occupat, & ſomnum facit. Ejus rei iudicium eſt, quod flatus in imo ventre diſcutiat quidem ſemen, tam crudum, quàm frixum potentiùs, frixo interim non ita petente caput. Nimirum, dum frigitur, pars illa inſigniter ſubtilis diſſipatur.

X. Ubi iterum notandum, intrinſecùs quidem facere dolorem capitis: ſed extrinſecùs tollere, facto vel emplaſtro, vel per embrocham infuſo, ut in lethargo & phrenitide Dioſcorides jubet.

XI. His ipſis facultatibus ſemen etiam imminuit pollutiones nocturnas, gonorrhœam quandam curat, &c. Ubi ſciendum eſt, folia quidem lumbis ſubſtrata, aut ſemen frequentiùs uſurpatum, habere hunc effectum in calidioribus: ſed in frigidioribus contrarium. Ita in his etiam lac àugere poteſt, ſi ſecundum Avicen. à 3j. ad ij. bibatur.

XII. In iisdem menſes movet, & urinas. Eam in rem utimur in inſeſſionibus, etiam cum uterus tumore aliquo propter naturali affectus eſt. Quin additur emplaſtris & cataplasmatis externarum partium, ubi opus eſt emollitione & paulatina diſcuſſione, &c. Alicubi habentur *Trochiſci de agno-caſto* Rhaſis, quod moneo tantùm.

Caput VII.

De Allio.

I. Allium ut nulla habet compoſita: ſic σκόροδον habet plurima, ἀφροσκόροδον ἀγριοσκόροδον, ὀ φιοσκόροδον, ἀμπελοσκόροδον, σκοροδόπρασον, ἀρκτοσκόροδον, quorum primum puto idem eſſe cum *Ulpico* Plinii, cujus uſus præcipue πρὸς μυττωτοὺς, *ad intinctus*, quod, ut Theophraſtus loquitur, tritum cum oleo & aceto, in magnam molem attollitur.

II. Eſt præterea allium aliud domeſticum, aliud ſylveſtre. Rurſus, aliud eſt unica radice, quod putatur eſſe Μώλυζα Hippocratis, aliud diviſum in nucleos, ſeu ſpicas, quas ῥᾶγας vocant Græci, ἄγλιθας, σκόλλεις, γέλγοις, ὄνυχις, fortè aliter.

III. In Officinis eſt *Allium ſativum* multifidum, primum in ordine apud Bauhinum, de quo Galenus *5. ſimpl.* expreſsè, quod calidum & ſiccum in 4. ſit, Averroës in 3. *Avic.* quaſi dubitaret, in 3. usque ad 4. Verùm cùm dubium non ſit, particeps eſſe cauſticæ facultatis, quippe, quod non tantùm veſicas excitat, ſed & cutim corrodit, Coſtæo obſervatore: dubium etiam non eſt, veriorem eſſe ſententiam Galeni. Nec obſtat, quòd in cenſu alimentorum eſt. Nam, ne confugiam ad illud *2. Alim.* 44. *&* 71. obſonium potiùs eſſe: certum eſt, foris quidem cauſticum eſſe, intus autem minimè. Hujus rei cauſam reddit Galenus 3. *Temp.* 3. alteratur interius, & à ſe invicem in plura loca rapitur, aliisque permiſcetur.

IV. Quamvis autem cauſticum revera ſit, & propterea διαβρωτικὸν nominetur 4. *in 6. Epid. 5.* quia partes habet non paucas terreſtres aduſtas, *5. ſimpl.* 14. non eſt tamen eo modo quo eſt Arſenicum. Inſignis enim illa κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον differentia, in modo etiam ſubſtantiæ facit, ut quædam adurant cum paucis, iisdemque tandem vincibilibus partibus. Addi etiam poteſt, quod ſuprà, in quibusdam partes igneas eſſe in ſuperficie, & agere potiùs in ſuperficie, &c.

V. Propterea, allium tantoperè commendatur in affectibus cutaneis, alopeciis, achoribus, breviter, aſpredinibus omnibus. Intus non mediocriter juvat, *5. ſimpl.* 12. vi ſua digeſtiva, attenuativa, inciſiva, abſterſiva: ideo icterum, hydropem, aliasque obſtructiones tollit. In thoracis affectibus pituitoſis egregiè facit ad expectorationem.

VI. Atqui in dyſpnœa improbat allium Hippocrates *6. Epid. 4. textu 5.* Improbat ut alimentum ſimpliciter. Locum autem habere ut alimentum medicamentoſum, probo ex *5. ſan. tu. 6.* quà de pravo ſenum victu. Vehementer enim alterat, *2. Acut.* 34. *1. ſem.* 16.

O VII.

VII. Quæritur, an ſit ſiticuloſum? an etiam flatuoſum? Vide 4 *Var. lect.* 8. ubi præcipuè advertenda hiſtoria Colici 12. *Meth. ult.* cujus occaſione vocat allium *Theriacam ruſticorum.*

VIII. Quomodo, inquit, cùm *fine* 2. *Alim.* ut & *l.* 3.*c.* 32. tantoperè damnet? Damnat, ſi quis, bilioſis humoribus abundans, in quotidianum uſum trahere velit: laudat, ſi pituitoſus ſuo tempore, ut medicamento utatur. Sed quid ad Horatii illud, *Allium cicutâ nocentius*, & quæ alia ibi?

IX. Eſt jocus ad jocoſum Mecænatem. Hunc ego ſeriò refuto *App. Poſt-cur. cap.* 108. Interim verum eſt, allium facere ſodam, ut Avicenna loquitur, oculis obeſſe, ut Dioſcorides ſcribit, σκορδινισμοὺς, *pandiculationes* cauſari, fœtorem totius corporis conciliare, quem in Judæis experimur, ne de Turcis dicam. Reſpondeo nimius uſus id facit. Vide Mizaldum *ſecret. horti*, 9.

X. Quò loci excurrendum paululum in Ruellium, qui 2. *de Nat. ſtirp.* 85. ex Hippocrate 2. *de Diæta*, ait, Allium oculis bonum eſſe. Ego enim video, non reſpondere correctioribus Exemplaribus quæ habent, σκόροδον τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν οὐκ ἀγαθὸν. καθαρσιν γὰρ πολλὴν τοῦ σώματος ποιεύμενον τὴν ὄψιν ἐπαμβλύνει. Unde patet contrarium eſſe verius. Huc Serapio etiam tendit, authoritate Ruffi, non oculis tantùm obeſſe, ſed & auribus. Intellige de partibus ſanis. Qua enim acrimonia & penetrantia perturbat humores oculorum: eadem aërem auri implantatum. Interim, ut oculos fluxionibus vexatos refocillare poteſt: ita vidi Excellentiſſimum Dominum ab Aquapendente βαρυηκοΐαις mederi nucleo allii, ſub cineribus in ſtupa toſto, & per noctem meatui auditorio impoſito. Hoc reperi poſteà apud Galenum 5. κ τόπ. 1.

XI. Et hæc quidem de uſu extrinſeco: decoctum menſes & urinam ciere poteſt. Vermes, ſed præcipuè latos validiſſimè excutit, 14. *Meth. ult.*

XII. Eam in rem locus eſt Avicennæ 6. 4. *tr.* 3. *c.* 33. ubi Interpres ait. Et ſi poſſibile eſt uti multitudine Somni & Vini, fortaſſis excuſat ab omni medicamento. Heic Amatus *in Dioſcorid. l.*2.*c.* 146. ait erratum fuiſſe, & pro *Somni* legendum eſſe *Allii*, quod in Arabico vocabula ſint vicina.

XIII. Hoc confirmatur Serapionis teſtimonio. In eodem caſu ſimilis eſt locus Plinii *l.* 20. *c.* 6. ubi contra Hæmorrhoidas laudatur. At vero Paſinus *in Matth.* 116. pertendit, legendum eſſe *Hæmorrhoum.* An eodem venitur, ſi τὸ *Hæmorrhois* de ſerpente dicto explicetur?

XIV. Innuit tale quid Marcellus Virgilius in Dioſcoridem. Venenis affinis eſt *peſtis*, in qua quæritur, *an allium habeat locum*? Neque in curatione, neque in præſervatione, ſimpliciter. In illa, ſi temperamentum ſit frigidum, & æger ſine febre: in hac tantum abeſt, ut cum Amato concedam omnibus, ut dicam, *In bilioſis facturum peſtem, ſi non adſit.* Et hoc eſt, quod Galenus ait 6. *in* 6. *Epid.* 5. allium reſiſtere iis doloribus, qui ſunt à vehementi frigiditate.

XV.

XV. Vicina rurſus quæſtio eſt, quatenus vitia aquarum emendet? Athenienſes enim navigaturi in commeatu ſuo etiam allium habebant. Apud Turcas idem fieri, puto me legiſſe alicubi. Reſponſio pendet ex ſuperioribus, in crudis præſtat, quales ſunt aquæ quæ borborygmos faciunt, & inflationes.

XVI. Sed purgatne etiam, ut quidam è Veteribus ſcripsêre? Eodem modo, quo Diatrionpipereon, ubi pituita lenta & viſcida, parietibus inteſtinorum hærens, facit moram.

XVII. Quid? augetne etiam ſemen? Quatenus in pituitoſis coctionem promovet. Avicenna tamen putat, flatus excitando propellere. Tum vero decoqui debere, ut omnis abſcedat acrimonia.

XVIII. Quæritur tandem, An domeſtico liceat ſubſtituere ſylveſtre? Vide prius, quid agat in pratis & agris apud Penam, *Adv. f. 69.* & diſpice, an apud Galenum 9. κ. τόπ. 10. in excitandis hyſtericis uti malis ſylveſtribus. Epilepticorum eadem eſt ratio.

XIX. In quibusdam Officinis eſt *emplaſtrum ex allio Aëtii*, in aliis Alexandri, ad emolliendos tumores frigidos, quorum utrumque vel alterutrum velim revocare in uſum.

XX. Addam tria verba de *victoriali mare & fœmina*, quæ eſt allium IX. in ordine apud Bauhinum. Creditur avertere corruptiones aëris, præſertim autumno, cum nebulæ fœtidæ cadunt. Metallarii ſe muniunt illa adverſus ſpiritus immundos, & vocant ideo *Siegwurk*, *Dherharniſch*, *Allermanharniſch*. Vide Cordum. 1 *Hiſt.* 32. Cluſium 2. *Rar.* 34. Simlerum *in Alpibus*.

CAPUT VIII.

DE ALSINE.

I. Ἀπὸ τοῦ ἄλσος eſſe, nemo dubitat. Hujus apud Dioſcoridem & Plinium non niſi unica ſpecies, apud Theophraſtum nulla. Ut mireris quomodo ad numerum 40. evadere potuerit? Veteres tam curioſi non erant, ut & in graminibus. Una illa, quæ in Officinis uſurpata, eſt *Alſine media Bauh.* in Pin. *Bogeltrant*, *Hunerſalb*, quæ & *Piloſella*, & *Auricula muris*, & *Morſus gallinæ* dicitur.

II. Eſt autem attento opus, ne confundatur vel cum *Parietaria*, vel cum *Anagallide*, de quibus infrà.

III. Noſtra illa eſt frigida & humida cum eſſentia aquea. Antiquitùs uſus erat in omnibus caloribus externis: ut & eryſipelatis mediocribus. Noſtris moribus aqua deſtillata datur pueris epilepticis. Quidam etiam in tabificis morbis utuntur.

CAPUT IX.

DE AMMI.

I. AMμι Græcum non eſt, ut κόμμι, & alia. Qui Latinum faciunt, *Ammium*, videant, ne confundant cum *Minio*, quod Αμμιον & *Ammium eſt*, ἀπὸ τῆ ἄμμος, quod ex *arena* quadam *rubente* fieret.

II. Græcis olim ſolum ſemen fuit cognitum, Cumino tam ſimile, ut ejusdem generis putaretur. Hinc quidam *Cuminum ſativum* rebantur, quidam *Æthiopicum* vocabant, quod *Cuminum* ſit *regium* Hippocratis, ut eſt apud Plinium, qua de re *in Cumino*. Venit aliquando ſub nomine Amomi, ut eſt apud Amatum *in Dioſc.* Anguill. 7. *ſent.* 58. Hoc ſatum genuit plantam, quam Ammi majus Bauhinus vocat. Et compertum eſt poſtea, naſci in Gargano Apuliæ, ut in Ilua inſula, ceu Cæſalpinus ſcribit.

III. Noſtro Ammi opponuntur quædam, quæ apud me leviora ſunt, quam ut refutatione ſit opus. Satis eſt, quod Dioſcorides ait, ſapore eſſe origani, hoc eſt ut Galenus explicat ſubamarum & acre. Puto autem, ſi Orientale poſſit haberi, præferendum eſſe Italico, ſi modo non ſit vietum.

IV. Quæritur, an ſubſtitui illi poſſit *Ammi III. Bauhini*, quod eſt folio fœniculaceo? Ait Tragus & Dodoneus, negat Pena. Conſulat Medicus guſtum ſuum. De *Siſone* Dioſcoridis quæritur etiam, an poſſit ſubſtitui Ammi? Credo, ſi utrumque ſemen ſit legitimum.

V. De facultatibus Galenus ſcribit 6. *Simp:* Ammi eſſe calidum & ſiccum in 3. gr. intenſo, cum acrimonia & partium tenuitate, tantillo etiam amarore. Hinc intelligitur, abſtergere quidem leviter poſſe: digerere autem, attenuare & incidere potentiſſimè. Laudatur in frigiditate ventriculi & hepatis, ideo Alexandrini quondam in Ægypto cum panibus ſubigebant, ut eſt apud Plinium. Mirificè enim adjuvat coctionem, flatus diſcutit, &c. Sed & obſtructiones tollit, menſes & urinas cit., doſi ℥ß. in vino calido, ut Tragus habet. Valet etiam in Scorpionis ictibus, ſed ad ℥ij. ut Plinius definit. In fœcunditate magnas habet laudes apud Matthiolum ℨj. pondere, mane ex vino, alternis, ſed non ultra quinquies. Hoc enim ſi fiat, contrarium habet effectum. Unde intelliges, in frigiditate & humiditate tantum habere locum.

V. Renibus appropriatum credunt, præſertim in uſu Cantharidum. Hoc quidem ex Dioſcoride manaſſe dicunt. Contra, quidam repudiant totum, & νοθεύειν dicunt apud Dioſcoridem. Quid? Si quidquam agit, ultra diureticorum tamen vim non ſe extendit. Præceptorum meorum alter Herc. Saxonia, volebat Halicacabum, alter Minadous Cardamomum. Vide Cantharidas *in Paralipomenis meis*, *ſub finem hujusce Operis.*

Caput X.

DE GUMMI AMMONIACO.

I. Ita ſcribere fas eſt, ut diſtingui poſſit à ſale Ammoniaco. Utrumque eſt ἀπὸ ἄμμος, aut Atticè ἄμμος, quomodo Hammoniacum pronunciatur. Utrumque iterum corruptè in Officinis dicitur Armoniacum. Eſt autem ratio nominis, non à quavis arena, ſed à regione Cyrenaica, ſeu Libya, ubi templum Jovis Ammonis, ſeu Cornuti, quem cum Laſerpitio pingebant in ſuis nummis, Cyrenenſes, quos alibi exhibui. Hujus quia magnus in ſacrificiis uſus, vocabatur, aut ſimpliciter θυμίαμα, aut θυμίαμα ἀμμωνιακόν. Ita Latini *guttam*, aut *guttam Ammoniacam*.

II. Hujus planta, *Agaſyllis* nomine, æquè ignota fuit Veteribus ac nobis. Perſuadet autem mihi Pena *in Adv.* omnia hæc gummata, Ammon. Galb. Sagap. Laſerp. Sarcoc. Euph. eſſe ex plantis ferulaceis, quæ differunt inter ſe certis notis, in ſingulis adſcribendis.

III. Noſtrum hoc fieri ajunt inciſa radice, & duplex eſſe. Quod enim purum eſt, & facilè in fruſtilla dividitur, inſtar thuris maſculi, θραυστὸν Græcis, *Carniſina* Arabibus dicitur: quod admiſta habet alia, & in maſſa dura eſt, φύραμα (malè φρύαμα) & *Chironia*.

IV. Hæc igitur prima eſt bonitatis & malitiæ nota. 2. apud Dioſc. eſt, ut ſit εὔχροον, quod vertunt, benè aut valdè coloratum, nullo ſenſu. Attulit hunc Serapio, cum ait, Ammoniacum recens debere ad albedinem approximare. Hinc cùm Damocrates apud Gal. 7. κ. γέν. 16. in quodam Acopo haberet, ἀμμωνιακοῦ τοῦ καλοῦ, vertit Andern. *Ammoniaci quam albiſſimi*. Pulchritudo enim naturalis, quemadmodum etiam color naturalis Ammoniaci eſt, ut, quantum per naturam ipſius licet, ſit albiſſimus. Tale eſt, cum eſt recentiſſimum. Quo magis enim inveteraſcit, eò ſit flavius. Contrahunt autem flavedinem primùm omnium extimæ glebarum, de quibus dicetur, partes, deinde etiam intimæ. Proinde dicunt noſtri, Glebas foris eſſe flavas, ruffas, aut in fuſco flavas, intus candidas aut ſubcandidas, nitidas & ſplendentes. 3. apud eundem eſt καστορίζον τῇ ὀσμῇ, quod explicat iterum Serapio, *ut ſit odore bono* (ſeu naturali) *qui vergit ad Caſtorium.* Quo loco interjungendum mihi eſt propter Geſnerum, qui in Caſtore ſcribit, Galenum tribuere Ammoniaco non Caſtorii, ſed *Coriandri* odorem. Putat autem κορίου ſcribi pro καστορίου, quod Ammoniacum Caſtorio adulterari ſoleat. Sed ubi eſt locus Galeni? Ego hactenus nullum alium invenire potui, quam *in l. de Simp. ad Paternianum*: ſed illum quidem Græcè non habemus; & eſt ibi Caſtorium, non Coriandrum. Stat igitur per Geſnerum τὸ καστορίζῃ, & habet *odorem Caſtorii*, quod recentiſſimum eſt. Quo enim vetuſtius eſt, eò vicinius ſit Galbano, imo etiam acrius galbano, ut Cæſalpinus loquitur. Quod tamen diſſimulandum non eſt, habet ille Caſtorii loco thus, unde forte & nomen & uſus τοῦ θυμιάματος illi con-

contigit. 4. apud eundem debet eſſe πικρὸν τῇ γεύσει, *amarum guſtu.* Et hoc iterum de recenti dicitur. Vetuſtum enim ſubamarum eſt tantum, cum aliqua ab initio dulcedine, qua ſuperante amaror omnis deletur, ut Damocrates *ap. Gal.* ϛ. κ. τόπ. *ultim.* in dentifricio quodam deſideret Ammi ſiccum, non amarum. Non quod ex amarore fieri poſſit dulcedo, ſed quod partes illæ amaræ ſint tenues, at exhalationi habiles. Tum verò ſentitur dulcedo, quæ antea latebat ϛ λιβανωτίζον τοῖς χόνδροις, non *cartilaginibus*, ut imperitè Cæſalpinus, ſed ut Plinius vertit, *maſculi thuris ſimilitudine, glebis minimis & quam puriſſimis.* Et hinc eſt τὸ τραυςὸν. 6. πυκνὸν, habens in ſe, ut Serapio ait, *pinguedinem & ſplendorem cum ſoliditate.* Quod intelligendum eſt, quatenus hæc in parvis illis micis ſeu glebis eſſe poſſunt.

V. Alioquin deterioris notæ apud Plinium eſt, *pingue & reſinoſum*, φυράματος proprium. Nam & Galenus 7. κ. γὲν. 3. pingue & novum ad emolliendum præfert. Ubi notandum eſt, *Molle & reſinoſum* in uſu liquari ad ignem, cum vel vel ſine oleo: durum & exſuccum in mortario lævigari. 7. καθαρὸν, μηδεμίαν ἔχον ῥυπαρίαν, ſpeciatim ἄξυλον, καὶ ἄλιθες, *ſine lignis & arenis*, *quæ veluti naſcendo apprehendit*, ut ex Plinio loqui licet. Hoc καθαρὸν bis eſt in Damocratis carminibus 6. κ. γὲν 12. His notis duas alias Cordus addit. 1. ut cum manibus tractatur, molleſcat cum lentore aliquo 2. ut, cum accenditur, claram flammam edat, & repentino ictu in plures, ſplendidas, nitentesque micas diſſiliat.

VI. Tale Ammoniacum habemusne? Quidam valdè reſtitant, φύραμα qui i-tantes: ego non abjicio, quia plura adſunt requiſita, & præcipuè facultates.

VII. Primarum non meminit Galenus 6. *Simp.* Averroës & Avicenna calidum ſtatuunt in fine 3. gr. ſiccum in 2. ſine tamen mordicatione. Quod additamentum neſcio, an competat illi vel per Avicennam, qui tam validum diureticum eſſe ait, ut ſanguinem faciat ſimul exire. Gal. *l. c.* meminit τῆς μαλακτικῆς δυνάμεως ἐπιτεταμένης tantum: 6. at κ. γὲν. 8. πρωτένει, ait, ἐν τοῖς μαλακτικοῖς, ἐνάμιλλον δ' ἐςὶ τοῖς διαφορητικοῖς, q. d. *in emolliendo ita præſtat, ut cum alio comparari non poſſit: in diſcutiendo habere, cum quibus comparari poſſit.* Hinc paſſim à Medicis celebratur in omnis generis duritiebus, qua foris, qua intus. In affectibus pectoris frigidis ſuos etiam habet deprædicatores. Menſes & urinas pariter movet, credo, ſi ob pituitam ſit mora. Vi eadem ſolvit alvum, expellit lumbricos, fœtum mortuum, &c.

CAPUT. XI.

DE AMOMO.

I. IMMENSIS difficultatibus premitur hæc planta. I. Τὸ ἄμωμον habetur vulgo pro Græco, quod non eſt. Quin hodiernum *Hamama* eſt ab hac origine.

II.

II. Quod ipſum cum πολύσημον ſit, ut oſtendit Autor Not. *in Garz.* 1. *Arom.* 31. unusquisque Interpretum vertit. quod voluit. III. Verſioni iniquæ ſuperſtructa fuit planta iniqua, verbi gratia, Pedi columbino, Int. Serap. ſpecies Geranii illa, quæ *Pes Columbinus* dicitur. IV. Cum olim, ut in Cinamomo, afferretur integra planta; hodie autem ſemen tantùm: quid non auſi ſunt homines noſtri? Dicam autem in fine. V. Cum obſcurus eſſet, & Dioſc. *l.* 1. *c.* 14. & Plin. *l.* 12. *c.* 13. ne de Arabibus dicam: quid non iterum fecerunt? Sed age, periclitemur primum in Notis, poſteà in facultatibus.

II. Quod ad Notas, Dioſcorides differentiam è natalibus petens, Armenium præfert Medico & Pontico. Heic ubi eſt Scythicum 8. κ. τόπ. 10. Reliqua dicam Latinè, ne aliquibus moleſtus ſim. Optimum eſt Armenium, colore ad aureum vergens, lignum ſubflavum, valdè (τῷ ἱκανῶς enim mox ſubſtituitur τὸ σφόδρα) odoratum. Et paulò poſt, Elige recens tenue (ita enim lego cum Marcello Vergilio) & ſubrubrum, denſum & bene implexum, non diſſolutum, non diffuſum (ita enim hæc ordino) ſeminibus plenum, ſimile racemulis, grave, valdè odoratum, absque ſitu, acre, guſtu fervens, unius coloris, non varii. Et *in fin. cap.* In hac proba abjicere oportet fragmenta: accipere autem ramos, ab una radice perfectos.

III. Hæc ſi conferas cum Plinio, primùm de planta (aſſumam enim hanc quoque) hæc difficultas orietur, quod βρυωνίαν mutet in ῥοίαν: quam enim hæc differunt! deinde quam facile cadit τὸ λευκόν præ τῷ λεπτὸν, ut dixi: tam contumaciter τῷ ȣ̓ πεπιλημένον *denſum*, adhæret τὸ ἀντεμπεπλεγμένον, *convoluto in ſe*, maxime, quia Plin. adulterio hæc adſcribit. Sed ita eſt: Jam negativam transpoſui, ut apparet.

IV. Tertio, de odore & ſapore hæc quoque lis eſt. Dioſcorides enim, & qui eum ſequitur Serapio habent modo ὀριγανίζον, modo πηγανίζον. Ego ab Armenio utrumque diverto, vel ad Medicum, vel ad Amonidem.

V. Quarto trahitur & illud ὅμοιον τοῖς βοτρυδίοις. Andromachus enim ſenior habet βοτρυόεντος ἀμώμȣ, Damocrates βοτρυὸς ἀμώμȣ, *de Ther. ad Piſ.* 7. 1. *Antid.* 6. *&* 17. 6. κ. τόπ. 1. in Diabeſaſa Heræ, 7. κ. γέν. 3. in Gleucino Heræ. Fuchſ. facilè ſe expedit, accipiendo *Botryn* & *Amomum*: ſed refellitur à Matthiol. *in Dioſc. & l.* 5. *Epiſt.* Revera enim hæc jungenda ſunt, & intelligendum aliquid, quod uvæ in modum convolutum ſit, cum ſuo etiam ſemine.

VI. Sed & hoc urget Fuchſ. quod *Botryn* in Theriacam recipit. Vide Marantam 3. *Meth.* 9. 1. *de Ther.* *f.* 85. b. Coſt. *in Antid. Meſ.* 108. b.

VII. Jam poſſumusne ex his notis plantam agnoſſe & difficultatibus exire? Credunt quidam. Ego nec *Roſam Hierichuntis* accepto: nec Ribes noſtrum nec *Solanum fruticoſum* baccis rubris Bauhini: nec *Geranium* ab initio laudatum: nec *Myrrhidam* Plinii Lob. quam *Acum Moſchatam* vocat: nec *Siſona* Dioſc. quæ eſt *PetroſelinumMa-*

ce-

cedonicum Fuchſ. & Dod. nec *Chamelæagnum* Dod. qui eſt Elæagnos Cordi, Myrtus Brab. ſeu *Gagel*. Vide Cluſ. *in Garz. l. c.* nec plantam, quam ibi Cluſ. pingit & deſcribit: nec illam quam idem 1. *Exot*. 17. nec demum *Amomum* legitimum Penæ, deſcriptione Baldi f. 50. de quo peculiariter ſcripſit Nic. Marogna, Venet. 16. 17. in 4. & acceptavit Bauh. *in Pinace*. Tu vide an poſſis amplecti illam plantam, qua Ægyptii in ſua Theriaca utuntur apud Alpinum 4. *Med. Ægypt.* 10.

VIII. Mihi incumbit neceſſitas enumerandi etiam ſemina, quæ vel pro Amomo habita ſunt, vel etiam ſubſtituta. 1. eſt *Siſonis* Dioſc. quod *Amomum Germ.* Tragus vocat 2. eſt *Ammi veri*, quod pronuper oſtendi. 3. eſt *Pipercaudatum* Anguillaræ *d.* 1. *ſent*. 17. 4. *Piper Æthiopicum* Matth. quod Lob. oſtentat. 5. *Cubebæ*, quas Cæſ. 2. *Hiſt*. 25. 6. *Caryophylli*, quos idem *in App. c.* 1. 7. *Botryos* ſemen, quod Cordus *in Dioſcor. Acori*, *Aſari*, *granorum Juniperi*, *maccos*, nulla mihi cura. Quid igitur ſeriò ſubſtituis? *Caryophyllos*, licet acriores ſint, quàm par eſt. Quem exceſſum qui corrigere volunt pediculis, quibus inſident, videntur parum cauti eſſe. Quis enim præſtabit illos? Quid, ſi *Cinamomum*, quod Gal. 7. κ. τόπ. 2. 5. *Aph*. 28. comparat cum Amomo?

IX. Ut poſſis uti tuo quoque judicio, hem tibi *Facultates* Amomi, à Veteribus relictas. Gal. 6. *Simp* cum Acoro conferens, nimis cito, fortaſſis etiam perperam ſe abſolvit. Interim obſervandum, cùm Acorum calidum & ſiccum in 3. ſtatuerit, Amomum ait minus ſiccare. Quod arripiens Avicenna etiam calidum eſſe in 2. aſſerit. Hoc an conſentiat Gal. ipſi, dubito. Nam *l. c.* κ. τόπ. in Arteriaca XI. Andromachi, conferens cum Cinamomo, naturam ejus eſſe ait tenuium partium & exſiccantem: ab eo proximum locum habere Amomum, quod ſimul adſtringat.

X. Ne dubites, paulo antè in Art. VI. fortiter ſiccare dixerat. Hoc vero à 2. gr. præſtarine poſſit? An dici debet, Galenum loqui de initio 3. gr. Avicennam de fine ſecundi? Propter has qualitates cum tali modo ſubſtantiæ, poteſt Amomum, quæ reliqua aromata, Caſſia, & conſequenter cinam. coſtus, malabatrum; ſed imprimis penetrare & diſcutere. Et hoc eſt τὸ πεπτικὸν 6. *Simp.* Hinc Dioſcorides laudat extrinſecus in meliceridibus, & omnis generis inflammationibus, præcipuè oculorum & viſcerum: in quibus etiam prærogativam habet tantoperè laudatam, modicam videlicet adſtrictionem. Idem laudat etiam in leniendis doloribus podagricis, & facto inſeſſu, & bibito decocto. Item in obſtructionibus viſcerum. Gal. 3. κ. γέν. 3. laudat etiam in nervorum affectibus, nec non in menſium defectu, 5. *Simp*. 22. Præter hæc eſt inter calida ὑπνωτικά. Mihi heic lubet manum de tabula. Tu videris, quid in defectu tam nobilis medicamenti agendum tibi ſit:

C A-

Caput XII.

DE ANAGALLIDE UTRAQUE, *arvenſi & aquatica.*

I. NIsi ſcirem, ut jam ſupra indigitavi, τρόπον ἐπιστήμης eſſe heic ſuperficialem, ut ſic dicam, ſeu ὡς τύπῳ, ut Theophraſtus ſolet loqui, non concederem, eſſe ſub uno genere. In originationem vocabuli non inquiro: quin potius noto immanem errorem Officinarum illarum, quæ, ut in Alſine dixi, confundunt *Anagallidem arvenſem* cum *Morſu gallinæ* dicto. Quantoperè enim diſſideant facultatibus, ex dicendis apparebit.

II. Puto etiam errari in *Anagallide arvenſi*, cum diſtinctè ſumitur altera pro altera. Cautiores veteres, qui modo marem ſeu phœniceam volunt: modo fœminam ſeu cæruleam. Et apparet diligenter intuenti, differre plantas, non ſolo floris colore, ſed toto habitu. Accedit, quod non facilè utramque oſtenderis uno loco. Unde phœnicea ſola eſt in prima editione Catalogi noſtri: cærulea etiam in altera.

III. Ubi notandum, Paulum *l.* 7. *c.* 11. inter podagrica medicamenta habere unum, nomine διακοραλλίου, quod videtur indicare *Anagallidem*, quæ habet ῥόσιον ἢ ῥόσον ἄνθος, dici *Corallium* à vicino Coralli, plantæ arboreæ, colore. Vide Manardum 3. *Epiſt.* 4. & conſidera, an apud Avic. 22. 3. *tr.* 2. *c.* 9. ſit Bezed ſeu Albezed?

IV. In facultatibus tradendis oportet ſeorſim agere de

AQUATICA.

QUam paucis abſolvo, hoc præhabito. Fuit Veteribus ignota. Quæ enim Tragus & Cæſalpinus de *Sio*; quæ alii de *Auricula muris*, rurſus quæ alii de *Cepæa*; de *Samolo* Plinii alii: nullo nituntur fundamento. Tragus cum *Naſturtio* jungit, quod concedit illi Dodonæus ſed inferiorem eſſe ait. Ideo in ſcorbuto valde parum agit. Id ipſum de menſibus habendum, de calculo, de tumoribus œdematoſis in fotu; & aliis.

V. De

ARVENSI.

AJebat D. Bauhinus, in primis qualitatibus non niſi moderatè calidam & ſiccam eſſe, quod neſcio, an credere debeam, cum particularia intueor opera, quæ jubent me cogitare utrobique de 3. gr. cum partium craſſitie quadam. Et hoc eſt, quod Galenus ait, eſſe ἱκανῶς ῥυπτικῆς δυνάμεως, quod eſt. *Evidenter abſtergere.* Hoc autem vix fieri poteſt abſque mordicatione, quam idem Galenus illi tribuit.

VI. Autor eſt Marcellus Virgilius, Tuſcas mulieres uti pro σμηκτικῷ. Galenus tribuit illi ὑπόθερμον τὶ ἑλκτικὸν, propter quod caput purgat, & per nares, & per palatum, quod profecto à temperato exſpectari non poteſt. Ita quod Dioſcorides ait, βοηθεῖν τοῖς σηπομένοις, *ulceribus putridis, & phagedænicis*. Talia enim deſiderant inſigniter ſiccantia. Idem dixero de ἐχιοδήκτοις. Niſi enim ocyus exhauriatur venenum, repit ad cor. Ita in morſu canis rabidi, in quo pulverem eſſe in ſecretiſſimis ſecretis, ajebat idem Bauhinus. Huc facit, quod Camerarius *in Horto* ſcribit, venatores in ovis frixis Anagallidem dare cani, ab altero demorſo. Putem autem melius ſucceſſurum, ſi decoctum detur. Ita Tragus in decocto dat, & ſudare jubet in peſte.

VII. Eodem decocto utuntur feminæ Weſtphalicæ in menſibus movendis. Vocant illæ *Mierhn*. Idem præſcribit Dioſcorides calculoſis. Archigenes apud Galenum 9. κ. τόπ. ſpleneticis dat ob j. Anag. cœr. Hinc Tragus in viſcerum morbis omnibus laudes habet. Baſileæ in frequenti uſu eſt pro torminibus recens natorum.

VIII. Purgare etiam, Plinius affirmat, fortaſſis abſterſione pituitæ. Summa, eſt medicamentum πολύχρηστον.

CAPUT XIII.

DE ANCHUSA.

I. VOX eſt ἀπὸ τοῦ ἄγχειν, quod in latiori ſignificatu, eſt *quovis modo comprimere & conſtringere*. Heic ſpectat ad laſciviores quaſdam, quæ uſu hujus herbæ mentirentur τὸν κάλυκα, ἢ τὴν κήλικα, quod eſt, τὸ ἄνθος τὸ γυναικεῖον μήποτε ἐκπεταθέν. Hanc originem peſſundant, qui ſcribunt ἄγχουσα.

Eædem, quia rubro radicis hujus colore malas tingebant, factum eſt verbum ἀγχουσίζειν, quod Heſychio authore, eſt *Fuco* ſeu *ceruſſa uti*. Unde patet, verbum hoc factum eſſe à nomine, non contra, quod Pena vult.

III. Cæterum, color hic, neque proprius eſt huic plantæ, neque ſemper & omnibus locis. Cum habet, & quibus locis, Anchuſa eſt: cum non habet, Echium eſt. Eadam ratio eſt (æſtivo tempore) Lycopſidis & Bugloſſi. Invenio *in Lexico*; ſed in vulgatis libris Galeni non eſt, nec Foëſius meminit, Galenum *in Gloſſ.* ſcribere, Hippocratem 1. *de Morb. mul.* τὴν ἄγχουσαν vocare ἐχάδα, & duplicem facere, μεγάλην καὶ μικράν. Hoc Dioſcoridi & Galeno accommodaris. Uterque enim parvam habet: uterque in cognominibus τὸ ονὸ, quod ſequentibus literis ita variat, ut non poſſis eruere certam ſignificationem. An legendum eſt ὀνοχήλη, quod *Anchuſa I. Bauhini* folia habeat magna. Hæc ſi etiam ſpinoſa ſint, ut Paulus deſcribit, recte vocarit plantam χειροπελετρόν. Ita enim ſcribo.

IV.

IV. Heic cautione opus eſt, ne pro Anchuſa accipiamus Alcannam Ægyptiam, quæ Cyprus eſt. Vide Bell. 2. *Obſ.* 34. Penam *Adv. f.* 24.

V. De facultatibus loquens Gal. 6. *Simp.* ſcalam facit quatuor Anchuſarum, omnesque heterogenearum partium eſſe aſſerit: ſed differre ſecundum magis & minus. Hanc cognitam eſſe par eſt iis, qui medicamenta colorare volunt, ne pervertantur ſcopi. Nempe enim, ut olim, ita nunc quoque uſus eſt Anchuſarum, quem diſtinctè ſcire par eſt.

VI. Datur vel ex alto delapſis, vel infantibus, dum exanthemata hodie dicta præ foribus ſunt. In iisdem frequentiſſimum eſt *Unguentum rubrum puerorum*, quod Caſtorium etiam habet, pro movendo ſudore.

C a p u t XIV.

DE ANETHO.

I. Του ἀνήθου, *anethi*, non niſi una planta apud Dioſcoridem & Galenum Apud Theophraſtum 7. *Hiſt.* 4. plura ſunt genera, quæ tamen in digitos non mittuntur. Dioſcorides cùm non deſcribat, Maranta 2. *Meth.* 14. ex aliis ejus locis concinnat, ut Cæſalpinus ex Theophraſto ſolet.

II. Fæniculo tam eſt affine, ut congener videatur. Semen etiam tam eſt ſimile, ut ipſis pharmacopœis imponat, antequàm guſtent. Uſurpatur modò herba tota, modò coma, ſeu flores tantùm, modò ſemen tantùm. Quod in quibusdam *Anethum ſylv.* eſt, ad *Meum* pertinet, de quo ibi.

III. Facultates, pro ratione ſiccitatis actualis, valdè variant. Quod ad primas, viride calidum eſt in 1. aut parum attingit 2. ſiccum in principio 2. Siccatum calidum eſt, aut in 2. intenſo, aut. 3. remiſſo: ſiccum, aut in principio 2. aut in fine primi.

IV. Uſtum ſeu cinis ipſius, calidus & ſiccus in 3. eſt, infrà tamen *Abrotoni* cinerem, ut Galenus docet. Hoc modo placet mihi conciliare diverſas autorum ſententias.

V. Quod ad ſecundas, Viride magis quidem digerit, ſed magis concoquit, magis ſomnum conciliat: ſiccum contrà. Eſt autem ὑπνωτικὸν, ut reliqua calida.

VI. Quod ad tertias, qui ventriculo ſunt humido & frigido viridi potiùs uti debent, quàm ſicco. At ſi de ſemine ſit ſermo, ſiccum & gratius & efficacius eſt, etiam odoratu. Eodem viridi uti debent, qui cataplaſmata parant ad tumores flatulentos diſcutiendos. Et hoc ab initio, dum concoquimus: in fine ad diſcutiendas reliquias, ſicco opus eſt. Si viride non adſit, incoquatur ſiccum o-

leo anethino. Ita 5. *Simpl.* 21. monemur, viride eſſe accipiendum in augmento lactis. Locum autem habet in pituitoſis tantùm: in bilioſis nihil agit. Quod notandum eſt propter Dioſcoridem, qui empiricè de hoc remedio loquitur. Eadem ratio eſt ſeminis augendi. At Dioſcorides ſemen ait exſtinguere? Ita, longiore uſu. Eadem iterum ratio eſt, & diſertè monet Galenus in vigiliis arcendis. Viride enim tantum habet excrementitiæ humiditatis, quantum heic opus eſt. Hoc ipſum oculis inimicum eſt, quia replet caput. Sed & ſiccum ſiccitate ſua obeſt: Inconſiderati igitur ſunt, qui ſemen incruſtatum in viſus debilitate proponunt. Id ipſum tamen inviſcerum obſtructionibus incipientibus habet locum. Dico *incipientibus*. Galeni enim hoc præceptum eſt 2. κ. τόπ. 8. quà filici opponit. Idem in calculoſis eſt obſervandum. Eſt enim inter leviora diuretica 1. *ad Glauc.* 3. 14. In hyſtericis inſeſſionibus ſicco eſt utendum: diſcutere enim volumus.

VII. Cineris uſus eſt in ulceribus humidis, præcipuè pudendorum & ani, 5. *Meth. ult.* κ. τόπ. 8. In laxatis columellis 6. κ. τόπ. 3. ubi etiam ratio urendi eſt.

VIII. De oleo Anethino duo ſunt monenda ex Galeno. *Alterum* ut fiat ex anetho viridi, quia ad concoctionem potiùs, quàm ad digeſtionem paramus. Atqui ex Galeno 3. *San. tu.* 10. & iterum *l* 4. *c.* 8. oſtendi poteſt, fieri etiam ex ſicco. Fit: ſed hoc modo leviter quidem digerit, dolores mitigat, horrores febriles levat: ſed potenter concoquit, tumores duros emollit, &c.

X. *Alterum*, ut Anethum illud benè maturum ſit, hoc eſt flores habeat apertos, ſed nondum deciduos, 4. *ſan. tu.* 8.

CAPUT XV.

DE ANGELICA.

I. POMPOSUM hoc nomen accepiſſe ab agyrtis, qui & *Radicem Spiritus ſancti* vocant, dubium apud me non eſt.

II. Iidem confundunt aliquandò cum *Imperatoria* ſeu *Magiſtrantia*: ſed odor prodit fraudem. Plantæ etiam differunt. Imperatoriæ folium ferè trifidum eſt, ſplendens, apio non diſſimile: Angelicæ multifidum, hippoſelini ad inſtar. De hac quæritur, quid ſit apud Veteres. Eſt *Laſerpitii* ſpecies illa, quam *Archangelicam* vocat Lobelius, Dodonæus, Cluſius, alii, & eſt quinta in ordine apud Bauhinum, eadem cum *Laſerpitio Alpini* 2. *Exot.* 15. & Bodæi *in* 6. *Hiſt. Theoph.* 3. Pro quo cùm acceptarim *in Poſt-Curis*, cum prædicatione nominis Alpini, jam hoc addo, Cæſalpinum, 7. *Hiſt.* 48. ne de reliquis dicam, dudum clarigaſſe pro Laſerpitio. Si quæ differentia eſt, eſt illa à loco natali. Quòd vero *ſativa* noſtra ſubſtitui poſſit *Montanæ*, non credo. Dico *Montanæ*: Aquaticam enim noſtram, ad Nigrum flu. & paſſim locis udis, non intromitto. De cultura ejus pul-

pulcra quædam habet Camerarius *in Horto*. Bauhinus cùm diſtinguit Montanam ab Aquatica, μικρολογεῖ.

IV. De facultatibus jam innui, maximoperè variare ratione natalium. Montana enim non tantum ad 3 gr. caliditatis & ſiccitatis aſcendit, ſed & ad 4 at aquatica in 2. ſubſiſtit. Pro hac varietate vel potentiùs, vel impotentiùs aperit, attenuat, diſcutit, abſtergit, adeoque acrior, mitiorve eſt tam in ſapore, quàm odore. Quæ minus acris eſt, commodior pro juvanda coctione ventriculi, mitigando faſtidio, cruditatibus levandis, fœtore anhelitus ex vitiato chylo.

V. In affectibus pectoris (vocant ideò *Bruſtwurk*) quæ adhuc actu humidiuſcula eſt: quæ enim nimis ſicca eſt, & acris, officit expectorationi craſſorum, & lentorum humorum. Contrà in diſcutiendis flatibus, validior eſt illa. Dat Tragus in eam rem ℨj. in aqua propria. Sed addit, modò alvus non ſit ſtrictior. Eadem in diſcutiendis thrombis ſanguineis & vulneribus internis laudatur, quemadmodum etiam in tumoribus obſcuris, *in innerlichen Geſchweren*. In animi deliquiis creditur unicè efficax eſſe. Pellit enim humores é quibus evaporationes ad Cor, per urinas & ſudores, ne de inſenſili tranſpiratione dicam.

VI. In venenis omnis generis, præcipuè peſtis tam præſervatione, quàm curatione, inſignis eſt. Pro præſervatione radiculas aceto maceratas, aut naribus admovent tantùm, aut ſub lingua habent, aut maſticant, aut acetum bibunt jejuni. Pro curatione, vel ℨj. ſolius pulver. vel ℨß. cum Theriacæ ℨj. in vino tenui, in aq. cardui bened. tormentillæ, &c. propinant, & ſudorem inducunt, idque repetunt ſingulis ſex horis. In ciendis menſibus, pellendis arenis & calculo, in morantibus ſecundinis, in ſudoribus ſuas habet laudes.

VII. In vulneribus τῶν ἰοβόλων, præcipuè canis rabidi, emplaſtrum fit cum ruta, pice, aliis. Quidam pulverem aſpergunt, præluto vulnere aqua deſtillata ex iſtis radicibus. Nam quæ ex foliis, contemnitur.

VIII. Idem fit in phagedænicis. Succus radicis, impoſitus cavis dentibus, lenit dolorem: Idem auribus contra ſibilos inſtillatur. Fuchſius etiam appendit infantibus contra faſcina.

IX. De Angelica ſylveſtri ſeu Podagraria hoc tantùm ex Pena adjicio, Ebuli effectus habere.

X. Habemus *confectionem de radice Angelicæ*, quæ in peſte, præſervationis loco, ab Empiricis valdè laudatur. Sed non minùs fallit, quàm confectio *Liberantis*, quia neutra ſemper liberat.

CAPUT. XVI.

DE ANIME SEU ANIIME.

I. VTRO modo ſcribatur, triſyllabum eſt, media longa. Qui dictum putant quaſi *Mirrham Minæam*, ſuper nuda conjectura ſtruunt magnam molem, *Myrrhæ* ſpeciem eſſe. Alii enim *thuris* eſſe voluerunt, alii *bdellii*. Imo verò nondum conſtitutum eſt, an omnino *Gummi* ſit. Alii enim bitumen faciunt, quale ſuccinum eſt. Ita, alii ex Occidentali India petunt, alii ex Orientali. Imprimis venuſtus eſt ille, qui cùm dixiſſet, ex vera Hiſpania, ſive America eſſe, *Orientalem* vocat. Quare etiam nutant, qui *Cancamum* ſtatuunt: Omnia ſunt incerta.

II. De facultatibus Occidentalis cur etiam dubitem, facit Monardis ipſe, *princ. Hiſt. ſuæ*, Calidum eſſe in 2. ut facilè credo: ita humidum in 1. neutiquam. Quo enim modo curare poteſt frigidos morbos, ſiſtere fluxiones, caput roborare, thuris modo? Eadem ratione quomodo faciet illa, quæ Ceratis & Emplaſtris ſuis tribuit? De Orientali nihil invenio.

CAPUT XVII.

DE ANISO.

I. DE etymo nihil dico: dico autem de confuſionibus, quæ huc ſe infuderunt. Alii enim *Fœniculum* vocant: alii *Abſinthium dulce*: alii *Coriandrum*. Obſervavit Tragus ex Theoph. 7. *Hiſt*. 6. ſemen hoc ultra quadriennium ſervari non poſſe. Vel enim prorſus amareſcit, vel à vermiculis conſumitur. Ideo jure ſollicitus fuit Marcellus, ut reddat Dioſcorides τὸ πρόσφατον fugitivum.

II. De facultatibus judicium ſumere licet ex odore illo jucundo, cum dulcedine & acrimonia non ingrata, nec non amarore tantillo. Quæ cùm conſidero, vix poſſum concedere Galeno & Arabibus, calidum & ſiccum in 3. eſſe, adeout propè ad cauſtica accedat.

III. An verum hoc erat de Cretico? Sed bene habet: Galeno hæc ſit injuria. Ait enim 6. *Simpl*. Calidum quidem eſſe vel in 2. intenſo, vel 3. incipiente: ſiccum autem vel in 2. incipiente, vel in primo deſinente.

IV. Quin ne quid deſideres in ſolida diligentia, ut in Anetho, ita heic, Cinerem quidem definit calidum & ſiccum in 3. viride autem tantùm non humidum pronunciat. Veteres in ventriculo frigido & humido mirificè commendarunt. Pythagoras quanti fecerit, vide apud Plin. *l*. 20. *c*. 17. ubi etiam aliæ ejus dotes deſcribuntur. Hinc in ſiti, quæ à ventriculo, in dolore capitis, in vigiliis ab co-

eodem, in diarrhœis à cruditatibus, &c. laudatur. Lac & ſemen auget, correcta viſcerum intemperie frigida & humida. Dioſcorides ait eſſe εὔπνουν, quod ex Plinio explicant, *commendare oris halitum.*

V. In frigidis pectoris affectibus, attenuando & incidendo craſſam & lentam pituitam, plurimum valet. In obſtructionibus viſcerum, usque ad ſcirrhum progreſſis, in hydrope, quartana, &c. quotidianus ejus uſus multùm proficit. Non minor gratia eſt ejus in omnibus venenis, in epilepſia infantum, in pavoribus eorumdem, &c.

VI. Quæ obſigno Plinii dicto, *ſtomacho inutile eſt*, *præterquam inflato.* Cui addo, viſceribus omnibus grave eſt, ubi nuda & ſicca intemperies. *Troch. de aniſo* uſus eſt in febribus diuturnis. *Ol. de Aniſo deſtill.* in flatibus. *Dianiſu* Meſ. in iisdem *Spir. aniſi* in pectoris anguſtiis.

CAPUT XVIII.
DE ANONIDE SEU ONONIDE.

I. ANTIQUISSIMA hæc ſcripturæ varietas, mea opinione non aliunde profecta, quàm à dialecto. Cùm enim agricolæ dupliciter efferrent, manſit utrumque, nec opus eſt Etymologia.

II. De hac monenda ſunt quædam. 1. Neque ſemper, neque ubique locorum ſpinoſa eſt. Hinc immeritò *Acutella* dicitur. 2. Sed quando fit in ea planta, cui nativum eſt? Poſt ver, inquit Plinius. Hoc ſugillat Amatus, ſed defendit Matthiolus. Perfici autumno, ait, Theoph. Explicat Cæſ. 6. *Hiſt.* 21. poſtquam prima folia defluxerunt, & alia ſubnata. 3. Dioſcorides tribus comparat, lenticulæ, rutæ, loto pratenſi. Reſpondet idem Cæſ. Lenticulæ ſunt in germinatione ſecunda: rutæ ſeu loti in prima. 4. Flos, cujus veteres non meminerunt, eſt modò purpureus ex albido, modò luteus, modò albus. 5. Objicit Ang. 8. *Sent.* 25. Non habet caules nodoſos, nec capitula rotunda. Alicubi fortè habet utrumque. 6. Odor jucundus Plinii de naturali eſt accipiendus: Revera enim hircum olet. Unde eſt *Trifolium fœtidum* apud Cluſium.

III. Uſus eſt in Officinis illius quæ prima eſt apud Bauhin. alicubi quidem herbæ totius, alicubi radicum tantùm, quas Galenus etiam præfert 8. *Simpl.* Idem ait, Radicem in 3. gradu calidam eſſe, abſtergere & incidere, provocare, non urinas tantùm, ſed & calculos, a quo affectu veterinarii vocant *Staltrant.* Hanc in rem uſus eſt decocti: ſed minùs ingratus, at in minori doſi, eſt pulvis cort. rad. in vino albo tenui. Conſtat enim multorum experimento, inquit Matthiolus, qui in calculo hujus uſu priſtinam ſanitatem recuperarunt. Veteres muria condierunt, πρὶν ἀκανθορυῆσαι, ut hodie flores geniſtæ. Uſus in obſtructionibus.

Caput XIX.

DE APIO, PETROSELINO.

Petroſelino Macedonico.

I. Apium (apud Pallad. etiam *Apius* eſt) Græcis eſt σέλινον, unde ſunt compoſita ἀγριοσέλινον, βυσέλινον, quod idem eſt cum ἱπποσέλινον, invito etiam Plinio, ἐλειοσέλινον, ὀρεοσέλινον, πετροσέλινον, & tandem θυσσέλινον, Plinii, quod Latini ignorant.

II. Has plantas ſub uno *Apii* nomine Bauhinus habet: quin includit etiam *Smyrnium* Dioſc. & Theoph. quod unum eſſe vult cum *Hippoſelino*, & *Oluſ-atro* Latinorum. In Officinis ingrediuntur tres ex illo catalogo. I. *Apium hortenſe*, ſub nomine Petroſelini. II. *Apium paluſtre*, ſed nomine Apii. III. *Apium Macedonicum*, ſub nomine Petroſelini Macedonici.

III. Rurſus ſub hoc latet alicubi *Pimpinella*, alicubi *Siſon*: alicubi *Hippoſelinum*, Italis *Macerone*: alicubi tandem verum & legitimum *Macedonicum*, quod eſt Matthioli, Lobelii & Dodonæi.

IV. Rurſus à Petroſelino ſimpliciter dicto tres expetuntur partes, herba, radix & ſemen: ab Apio pariter tres, radix, ſemen & ſuccus: à Petroſolino Macedonico ſemen tantum, & vocatur in *Elect. lithontriptico* (ſic enim ille, ſuo more) Semen Alexandrinum, quod ex Alexandria Ægypti tum temporis peteretur.

V. In univerſum, Facultates ſeminis Apiorum ſunt evidentiores, quam vel herbæ vel radicum: & rurſus, ſylveſtrium, quam hortenſium.

VI. Hoc in primis manifeſtum eſt in Apio Officicinali, quod eſt Helioſelinum, & conſequenter ſylveſtre: minus in Macedonico quod in hortis colimus: iterum minus in Petroſelino.

VII. Ubi de Macedonico monendum eſt: Videant pharmaceutæ, an rectè imponant Ther. hortenſe hoc genus? Amplius illi, qui Hippoſelini. Si Macedonicum Orientale habere non poſſunt, utantur Pimpinella Saxifragia de conſilio Cæſ. 7. *Hiſt.* 57. & Marantæ *in Ther.*. Sed ut redeam in viam, Omnia Apia ſunt calida & ſicca, eouſque, ut menſes & urinas poſſint movere, fortè ad 3. gradum. Eadem digerunt, attenuant, incidunt & deobſtruunt. Imprimis laudem habent in affectibus renum & veſicæ, quod diſpellant, quod ibi impactum eſt. Imo verò poſt univerſalia, ſæpè huc educimus reliquias cauſæ morbificæ.

VIII. Hoc fine & olim Petroſelini radix omnibus juribus innatabat, ut Plin. loquitur. Hoc ipſo potentius eſt Apium Officinale: Hujus ſuccus ingreditur Syrupum Byzant. dictum. Idem ſuccus pro errhino uſurpatur. Sed facit paroxyſmos epilepticos.

IX.

IX. Non nego: ſed non propter auctoritatem τῦ νοθευομένυ Conſilii de puero epileptico. Poſtquam enim probavit Apium & Smyrnium, poſt paucos verſus improbat Petroſelinum & Smyrnium. Qua inconſtantia quid turpius? Quidquid heic fit, ex accidenti fit, ut in vitice & aliis.

CAPUT XX.
DE AQUILEIA.

I. Nescio ſanè quid flori huic commune ſit, vel cum aquila, vel cum columba. De Veteribus tantum non ſomniant Noſtri. Quidam cum *Chelidonium majus* dicere non auſint, affinem dicunt: quidam de *Centaurio minori* eodem modo loquuntur: quidam *Ægylopa* Dioſc. faciunt: quidam *Jaſionem* Theoph. eſſe cenſent, ſed *Laſſinam* ſcribunt: quidam πόθον ejusdem aut διὸς ἄνθος. Tandem Ill. Fabius Columna *initio Phytobaſ. Iſopyrum* Dioſc. facit, cui accedit Cluſ. 6. *Rar.* 27. Diverſitas tantum non infinita eſt in floribus, quam deſignat Bauhinus.

II. Uſus eſt ſeminis tantùm, quod etiam indiſtinctè carpitur modo ex hac, modo ex illa. De facultatibus parum eſt compertum. Dulcedo enim illa cum tantilla adſtrictione in omnibus plantæ partibus, vix ſinit nos aſcendere ultra 1. gradum, tamen opera particularia oſtendunt nobis 3. gr. Tragus & Matthiolus ſcribunt, ſem. pulv. ʒj. cum croco, numi pondere è vino bibitum, certo ſanare icterum, ſi lecto ſe contineat æger & ſudet. Camerarius *in Horto.* ſemen ſaccharo incruſtatum laudat in viſcerum obſtructionibus, in vertigine, &c. Idem Tragus *de aq. ſtillat.* ait, icterum curare, syncopen avertere, abſceſſus interiores rumpere, tormina mitigare, venenum ad ſuperficiem pellere, unde *Theriactstraut* noſtratibus. Cluſius ſemen tenuiſſimè tritum, & in vino datum, promovere partum ſcribit. Si primus hauſtus non ſit efficax, repetatur. Idem Camerarius decoctum herbæ totius, cum momento ambræ, contra ἀδυναμίαν facere. Idem tradit, Calculoſos in Hiſpania ſolere primo mane radicis aliquid manducare. Autor eſt Pena, vulgus uti contra faucium & aſperæ arteriæ affectus calidos.

CAPUT XXI.
DE ARISTOLOCHIA.

I. Λεχὼ, ἡ λοχὸς, *puerpera* eſt, hinc verbum λέχω, λοχέω, λοχεύω, unde λοχία, ἡ λοχεύτρια, *obſtetrix*, τὰ λοχεῖα, *purgationes puerperales*. Hinc etiam ἀριςολοχία, aut poëtice apud Nic. ἀριςολόχεια, herba quaſi ἀρίςη ταῖς λοχούσαις, ut Ariſt. & Plin loquuntur. Hoc eſt quod Cic. ait 1. *de Divin. Plan-*

ta nomen invenit ex inventore, inventor ex ſomno. Ubi quid ſi legam *inventrix*? Interpres enim Nicandri *in Ther.* expreſsè ait, Ariſt. ſcripſiſſe à muliere inventam eſſe herbam cognominem *Ariſtolochiam.* Sed revera, non eſſe hoc neceſſe, oſtendit hoc hemiſtichium ex 1. Antid. 6. —— καὶ λεπτὴν ῥίζαν ἀριστολόχου. Vide Victor. 6. *Var.* 3. Cagnat. 1 *Var.* 26. Brod. 2. *Miſcell.* 2. περὶ τῶν λεχουσῶν, Marcel. Virg. *in Dioſc.* Coſt. *in Meſue.*

II. Species Dioſcor. *initio lib.* 3. tres facit, *Rotundam, longam, & ſarmentitiam,* quas vellem retinuiſſet Bauhinus *in Pin.* nec confuſionem illam admiſiſſet. Dicitur *rotunda* & *longa*, comparatione inter ſeipſas facta. Interim longa etiam ἀδρὰ dicitur, quaſi παχεῖα. In ſpecie δακτυλῖτις vocatur, qua de re Cluſ. videatur 4. *Rar.* 47. κλῆμα eſt *ſarmentum vitis*, hinc κληματῖτις. Additur his ex Plinio πιστολοχία, quaſi majus quid promittens cæteris.

III. Sed quæ ex his Theriacæ debetur? Quia & *loc. cit.* & poſtea *c.* 17. Damocrates λεπτὴν vocat, omnes conſentiunt in Clematitin. Additur ratio ex Gal. imponitur theriacæ odoris gratia: hæc verò cæteris fragrantior. Ubi duo moneo. 1. Gal. addit mirabile ἐπείσαγμα, *Sed infirmior.* 2. Dioſcor. quidem radicem vocat ἀρωματίζουσαν: Sed de longa dicit, βρωμώδη eſſe. Accedat Scalig. *in* 9. *Hiſt.* 13. cum quo Dodon. & Cluſ. *Vineas noſtras populatur peſſimo odore.* Accedat & hoc. A Theoph. *loc. cit.* deſcribi hanc ſolam, & eſſe ſimpliciter Ariſtolochiam. Hæc eſt, quam *Creticam* vocat Gal. 9. κ. τόπ. 2. ſ. κ. γέν. 11. & vidit Bellon. in Creta 1. *Obſ.* 17. laudante etiam Bell. non longè à princ. Epiſt. Apud Bauh. eſt numero 6.

IV. In Officinis quibusdam confuſiones ſunt, quæ opus habent cautore. Facilior extricatu eſt illa, *Rotunda duplex eſt*, alia vera, alia adulterina. De vera agam heic: de adulterina in Auctario heic. *Longa etiam duplex eſt*, longa vera, & Clematitis, de quibus etiam 5. lib.

V. Ergo, quod ad primas qualitates, ſubito oritur turba concertantium de illis. Ut paucis me expediam, Quam verum eſt, calidam & ſiccam eſſe: tam falſum eſt utrobique aſcendere ad 3. gr. Ita autem, veluti ſupra quoque de Iride ex Gal. 3. *Meth.* 2. & 3. ratiocinor, calidam & ſiccam eſſe aut in primo intenſo, aut in ſecundo vel incipiente, vel certè ad terminum non perveniente. Et ita quidem, tam rotunda, quam longa, ut iterum apud Gal. 6. *Simp.* eſt tenuium partium; ſed comparatione inter ſe, rotunda eſt tenuiorum, longa craſſiorum. Ideo longa videtur eſſe calidior. Quid de Clematitide? Illa ferè unguentis nardinis erat deſtinata, propter odorem: viribus interim valdè infirma.

VI. Ex his pendet alia differentia, & amaror & acredo tantilla eſt in omnibus tribus: ſed in longa uterque ſapor eſt manifeſtior, præcipuè amaror. Diſcutiunt igitur, attenuant, aperiunt cum modica abſterſione, quæ in longa eſt ſtrenuior.

VII. Commendatur igitur longa in ulceribus & vulneribus ſordidis, in vitiis cu-

cutis, in purificandis dentibus. Ad viperarum morſus *Gal.* laudat 2. *Antid.* 14. indiſtinctè ℥ ij. cort. rad. (an Clem.) in hemina dimidia vini vel aceti.

VIII Quæ doſis, quam Avicenna etiam habet, facit mihi ſuſpectam ℨ j. Dioſcor. & Plinii: longa in affectibus pectoris, à craſſis humoribus, in flatibus, in doloribus ventriculi, in ſingultibus, in ruptis, ubi ſanguinis grumi diſſolvendi ſunt, in obſtructionibus lienis, &c. ſuas habet laudes. Educit enim per urinas, menſes, cutim, varia excrementa.

IX. Quam laudem habeant Ariſtolochiæ in expellendo fœtu mortuo, in ſecundinis reſtantibus, dicet tibi Pena, *Adv. f.* 265. In vermibus etiam necandis ſingulare quid habent. In extrahendis ſpiculis Cluſius laudat.

X. Purgantne? Arabes & recentiores Græci volunt. Plerique adſtringunt ad fructum Clematitidis, qui gravatur ſuſpicione veneni. Cocculi enim *di Levante* in Officinis dictæ putantur eſſe ex hac Ariſtolochia. NESCIO, Meſue dat à ℥ j. ad aur. j, Paul. & Aët. ℥ ij. porrigunt. Manardus reſtringit ad ℨ.j ß.

AUCTARIUM DE ARISTOLOCHIA FALSA,
quæ eſt Radix cava Herb.

XI. QUæritur an ſi nulla adſit Ariſtolochia, poſſit ſubſtitui? Vix. Tenuitate enim partium longiſſimè diſtat. Interim in vermibus locum habet, & præfert Pena, *Adv. f.* 339. minorem. Egregiè enim ſiccat. Quo nomine nota eſt ruſticis, *wann die Pferd' gedruckt ſein.* Quidam etiam adſtrictione laudant in profluviis alvi puerorum. Ego ſiccationi transſcribo.

CAPUT XXII.
DE ARTEMISIA.

I. NIsi fallor, error eſt, τὴν ἀρτεμισίαν, herbam, dici ἀπὸ τῆς ἀρτέμιδος, quæ *Diana* eſt. Non fallor, ſed ſcio, eandem confundi cum *Parthenio*, quæ *Matricaria* eſt *uſualis*, præſertim ſi derivetur vox ἀπὸ τῆς παρθένος ἢ παρθενὶς, quatenus ſignat Dianam τὴν ἀειπαρθένον. Major confuſio foret, ſi aliò traheretur vulgi illud, *Mater herbarum*, & *herba Mulierum*, *Muttercraut.* Dantur enim hæ appellationes, non alii, ſed huic noſtræ.

II. Quidquid ſit. Non mihi curæ ſunt heic diviſiones in ὀνόκλωνον καὶ πολύκλωνον, in παραθαλασσίαν καὶ μεσόχθονα, in πλατόφυλλον, καὶ λεπτόφυλλον: apud nos, & ſatis eſt, ſi *Artemiſia* non ſtrigoſa ſit, & exſucca, ſed vegeta, caule & flore ſubpurpuraſcente potius, quàm albido, qualis apud nos paſſim fruticat. Et hæc eſt *Artemiſia marina* Dioſcoridis. Tenuifoliæ caput νοθεύει.

III. Hæc, inprimis quidem qualitatibus apud Gal. 6. *Simpl.* tendit ad 2. gradum caliditatis 1. ſiccitatis in 1. intenſo, cum modica partium tenuitate. Quo loco unguem imprimo in τὸ μετρίως. Revera inſignis eſt partium illa tenuitas, cui etiam debetur laus omnis in affectibus mulierum, in renum & veſicæ malis, in aliis omnibus, in quibus familiaris eſt, quocunque modo uſurpata.

IV. Ego duo quæto. *Alterum*, cur credatur laſſitudinem itinerantium prohibere? Audivi, qui in jocum traheret. Non facilè defetiſcit, qui habet *Beyfuſs*, hoc eſt quatuor pedes equi validi. *Alterum*, cur à D. Præcurſore nomen habeat! Dicunt, quia Epilepſiæ medetur. Hinc etiam in feſto ipſius Sancti quæruntur carbones ad radices ipſius, quorum Bauhinus in Matthiol. meminit. Uno verbo eſt ſuperſtitio. Vide Tragum. Idem judicio de iis qui ſuſpendunt contra incantationes hominum & pecorum. Idem de beſtiis venenatis, aliiſque venenis, etiam intro ſumptis.

V. De *Syrupo de Artem.* Matthæi de Gradibus, dico tria verba, Uſus ipſius eſt in uteri malis frigidis, præcipuè *wann er auffſteigt*, ut nugantur, ſed oportet dare ℥ ij.

CAPUT XXIII.

DE ARO.

I. UT è re confuſiſſima me expediam, faciam hinc exordium. Quod ἀρον, ἄῤῥον, ἄρος, ἄῤῥος, Græcis eſt, *Jarum*, *Jarrum*, *Aaron*, *Penis ſeu virile Aaronis Off. Luph. planum Arabibus*: Serpentaria ſeu Dragontea minor eſt nobis Arum. I. II. & III. apud Bauhinum.

II. Quod ὁ δρακόντος ἢ δρακοντίας, ἡ δρακόντια, τὸ δρακόντιον iterum Græcis Dracunculus & Serpentaria Latinis, Luph. criſpum Arabibus: Serpentaria ſeu Dragontea major eſt, Dracunculus πολύφυλλος ſeu II. apud Bauhinum, quem caule ſuo anguium in modum belliſſimè variegatum vidimus in horto noſtro Medico annis ſuperioribus.

III. Has duas plantas Theophraſti etiam ſæculo confuſas fuiſſe conſtat ex 5. *Hiſt.* 11. & præſumendum eſt 9. *Hiſt.* 22. idem ſubintelligendum eſſe. Apud Dioſc. *l.* 2. *c.* 196. & 97. ut Sarac. numerat. duo ſunt capita, contra quorum alterutrum validiſſimè pugnat M. Virg. *c.* 156. ut ipſe collocat. Nec hilum proficit Cæſalpin. 5. *Hiſt.* 32. qui caput illud ita concinnat, ut Aro quadrare poſſit. Multò minus Anguill. qui 2. *Sent.* 51. Cratevam advocat. Plin. *l.* 24. *c.* 16. & mox *l.* 25. *c.* 2. quatuor porrigit nobis dracunculos, complexus fortè cognomines (per ignorantiam) alias quoque plantas.

IV. Quod præcipuum hîc eſt quæritur, An Aro ſubſtitui poſſit Dracunculus

lus ille in rei veritate pulcherrimus? Poteſt, & apud Dioſcor. Empiricum & apud Gal. dogmaticum, qui tamen addit, Dracunculum eſſe calidiorem Aro.

V. Tu verò hoc etiam cape *ex* 2. *Alim.* 63. ſi modò Arum eſt acre. In Ægypto enim, ait, edule eſt inſtar raporum. Et hoc ſatisfacere debet Matthiolo, qui objicit Gal. Arum noſtrum, quod non procul abeſt à 4 gradu caloris & ſiccitatis, qui Cauſticorum eſt. Summa, eſt magna in his latitudo pro diverſitate natalium.

VI. Agnoſco utriusque uſum in affectibus pectoris pituitoſis, in aſthmate, dyſpnœa, &c. Securior eſt uſus in externis, quale eſt unguentum Citrinum, in quod ingreditur Gerſa (Ceruſſa) ſerpentaria, modo ex Dracunculo facta, modo ex Aro. Oportet enim Medicum talia ſcire, propter perſonas nobiles, ait alicubi Galenus.

VII. Ari vim purgatoriam qui ex Ariſt. probant 9. *Hiſt.* 17. Et iterum *l.* 9. *c.* 5. Plutarcho, Æliano, Plinio, falluntur. *Carum* enim eſſe legendum, apud omnes iſtos, videor mihi probaſſe *App. Poſt-Cur. c.* 66. Interim & in craſſis & in viſcidis humoribus aliquid præſtare, planè veriſimile eſt.

CAPUT XXIV.

DE ARUNDINE SIMPLICITER DICTA, *Arundine Saccharina & Calamo Aromatico.*

I. NON ignoro τὸ δόναξ καὶ τὸ κάλαμος diſtingui apud accuratè loquentes: ego vero cum Bauhino aliisque Botanicis, non quæro heic ἀκρίβειαν, ſed ex univerſalibus ſumo particularia, in Officinis uſurpata, uſurpandave.

II. Primum igitur hoc moneo de

ARUNDINE.

INter inodoras I. & II. apud Bauhinum, eſſe illam, quæ olim præbebat *Spodium Arabum*, longe quàm diverſiſſimum *à Spodio Græcorum*, quod res eſt metallica. Quo errore profligato, non videtur reſtare aliud, quam ut οἱ χαρίεντες ſciant, qua occaſione huc irrepſerit Arundo.

III. *Alcanna* Arabibus eſt planta illa, ex qua illi parabant ſpodium ſuum. Hæc pingitur ab Alpino *l. de Plant. Ægypt. c.* 13. Cluſio *in Bell.* 2. *Obſ.* 47. Rauwolſſio 4. *Hodæp. numero* 60. & habetur à Bauhino *in Pinace* pro *Liguſtro.* Ex Arabico *Alcanna*, abjecto articulo, cum *Canna* Latinum in promptu eſſet, id verò etiam Interpretes Græci (& inter hos Gaza) Arundini accommodent: admiſſa fuit abſurda illa ſubſtitutio, de qua dicendi locus heic non eſt. His duabus ſpeciebus ſociandam eſſe dico

ARUNDINEM SACCHARINAM,

QUæ in horto noſtro Medico creſcit, phragnitidi non diſſimilis. Ubi ſi quis ſiſtat mihi iracundum Penam, qui *Adv.f.*19. & *Icon.f.*49. pingit & deſcribit nobis longè aliam arundinem, illum ego palpo placabo, Euge, amice! neque tua heic culpa ulla eſt, neque mea. Jam enim compertum eſt, non unam eſſe ſacchariferam arundinem, imò verò, non eſſe ſuccum hunc proprium huic ſpeciei, ſed communem quoque plantis.

V. Hoc probo primum ex laborioſiſſimo Cæſalpino, qui 4. *Hiſt.* 56. deſcriptam nobis dat *Cannam melleam*, Melicæ ſeu Sorghi ſimilem. Quo accepto, funditus perierit Bauhini conjectura, qui *in Pinace* (in Phytop. enim tacet) cannam hanc vult eandem eſſe cum Arundine Penæ. At ubi *folia Sorghi*? Quin ubi comoſus flos, ac *veluti Sorghi*, quem Pena in deſcriptione quidem habet, in pictura non? Hanc amplius urgeo. Si Dodonæus notat plantam eſſe legitimam, quod videtur velle in editione Gallica, cur in Belgica ne meminit quidem? Adeo verum eſt illud, Fures ſemper eſſe timidos! Ad quam vocem ſi ſtupes, ſcito, accuſari Dodonæum à Scaligero, Cluſio aliis, hoc nomine. Deinde ex Arabibus, qui diſtinguunt ſecundum arbores, *Tabaxir*, (*Tabarzet*) *Albuſar*, *Mambu*, &c. Quin Strabo *l.* 15. ait, Magnarum in India arborum, præcipuè arundinum, natura, & decoctione dulces eſſe ſuccos.

VI. Sed deſino plura, & venio ad

SACCHARUM.
ipſum.

TErminatio hæc eſt Latina: apud Græcos eſt σάκχαρ, ἢ σάκχαρι, quorum hoc puto eſſe melius illo. Plerique omnes μέλι vocant, quidam cum additione καλάμινον, *arundinaceum*, pauci quidam ἅλα ἰνδικὸν, ἢ ἀραβικὸν, *ſalem Indicum ſeu Arabicum.* Horum authorum catalogum ſi fecero, nihil amplius præſtitero, quam quod ruborem incuſſero illis, qui dubitant, Fueritne Veteribus cognitum? Inter hos Manardus, *Epiſt.* 24. colligit argumenta, quibus negat. Huic totidem opponit reſponſiones Cordus in Dioſcoridem *l.* 2. *c.* 104. Fruſtra pæne uterque.

VII. Ita enim eſt. Saccharum eſt duplex, naturale & factitium. Illud eſt, quod in parvis grumis exſudat ſponte plantis ſuis: hoc, cui decoctio & depuratio accedit. Hoc artificium multiplex eſt, & fiunt diverſæ Sacchari ſpecies, ut quidam loquitur inconſultò, Sunt accidentalia omnia, quæque ad Materialiſtas pertinent: quæ ſi cognoſſe voles, adeas licet Cordum 4. *Hiſt.* 3. & , qui inde deſcribit, Bauhinum *in Phytop. f.*41. addendo quædam ex Penæ *Adv. l. c.*

VIII. Mihi enim incumbit neceſſitas exponendi facultates ſacchari, & ſi quid in illis mutat præparatio. De primis tam eſt res dubia, ut invenias, qui calidum di-

dicant, qui frigidum, qui ſiccum, qui humidum. Sed pro ratione ætatis, & vel diligentioris purgationis, vel minus diligentis. *Saccharum* recentiſſimè tractum, & ideo rubedinis non expers, quale *Thomæum*, calidum & ſiccum eſt vix ultra 1. gr. *Saccharum* recentiſſime purgatum, & ita quidem, ut lixivii veſtigium nullum inſit, non eſt ultra temperiem. *Saccharum*, ante aliquot annos purgatum, temperiem ſuperat, in primis autem partium tenuitate præpollet. Saccharum, non bene purgatum (quale eſt illud, quod extrinſecus eſt album, intrinſecus nigrum, cum odore & ſapore quodam rancido) quo vetuſtius, eo calidius & ſiccius: ut dicere auſim, in utraque combinatione ſuperare ſecundum. In quo collocarim etiam ſpumam illam, quæ *Melazzo* dicitur Italis. Ut enim ſpuma mellis eſt acrior & calidior melle: ita etiam heic.

IX. Unde intelligitur, quid ſit ſentiendum de illo effato: *Quo impurius Saccharum, eò temperatius: quo purius & defæcatius, eò intemperatius.* Contra enim potius ſe res habet, quod & ſenſus & ratio perſuadet.

X. Quæris, cur frigidum fecerint quidam? Comparatè cum melle. Quo cùm minus dulceſcat, ut Galenus docet 7. *Simpl.* minus etiam calidum eſſe ſequetur. Hoc vero ſæpè frigidum dicitur. An potius comparatione cum calidis affectibus, ut in roſa? Cur humidum? Quia alvum ſiccam ſolvit, & quaſi humectat. Hinc εὐκοίλιον dicit Dioſcorides latè ſumpto vocabulo. Ideo etiam ſubjicit, εὐςόμαχον eſſe, ſi aqua dilutum bibatur. Abſtergendo enim & humorum acrimoniam contemperando æſtuantem ventriculum demulcet. Unde ſunt, qui poſt ſingulas purgationes, præcipuè vehementiores, dilutum ſaccharum propinant. Hinc Galenus præfert melli, quod non, ut mel, ſtomacho noceat; nec ut mel ſitim faciat; quin contrà ſtomachum juvet, ſitimque ſedet.

XI. Accipiendum autem hoc eſt de ſaccharo bene purgato. Quod enim pingue & rancidum eſt, facilè bileſcit, unde & ſanguis uritur, & caput gravatur, ut Pena loquitur: adde, ſitis intenditur. Quare qui in febribus dant ſaccharata, videant, quid agant: præcipuè, ſi Syrupi ſint facti, vel cum ſaccharo rancido, vel etiam cum Melazzo dicto. Sed & optimæ notæ ſaccharum in ventriculis calidioribus bileſcit, perinde ut mel. Quod ſi boni quid habet, ut habet, in obſonatrice medicinæ parte habet ferè. Videant autem, qui utuntur, ne calce viva ſit adulteratum.

XII. Quid itaque ſit de *Oxyſaccaro*? Corrigitur utrumque à ſucco granatorum. Interim rarus ipſius uſus eſt, & malunt plerique oxymel alterutrum. Tu inſpice Diætetica Inſtitutionum noſtrarum, quà de condimento hoc utroque. Supereſt fortè ut exponam tres ſacchari affectus, ut ſic appellem, & quo ſcopo à Saccharo diverſo introducti ſint *Saccharum* inquam, *Penidium*: *Saccharum candi*: *Syrupus Saccharatus*, &c. Non eſt operæ meæ: quære tu in Diſpenſatoriis.

DE

DE CALAMO AROMATICO.

XIII. QUID ſit ſub hoc nomine in Officinis dixi ſuprà in Acoro: quid debeat eſſe, jam dicam. Quamvis autem Dioſcorides multis paraſangis ſeparet ab Arundinibus: ſequor tamen judicium Bauhini mei, qui huc collocat. Dicitur hic ab Hippocrate & Galeno μυρεψικὸς, *unguentarius*, Theophraſto & Plinio εὐώδης, *odoratus*, Plutarcho Αραβικὸς Celſo *Alexandrinus*, Dionyſio, *de ſitu orbis* ἐρύθρειος. Ita ille *in Pin.* & paulo aliter *in Matthiolum.*

XIV. Cui paro has animadverſiones: Quod de Hippocrate dicit, ex aliena fide eſt. Foëſius enim nondum invenit. Eſt tamen vox apud Galenum 2. *Antid.* 2. in deſcriptione Cypheos Ruffi. Quod de Galeno amplectitur & ille denominationem Dioſcorid. 1. *Simpl.* 12. 7. *Simpl. c. prop.* 7. κ. γέν. 14. ubi addo. In 1. illo Simplicem vocari & Indicum. Quod de Theophraſto ſciendum, Eſſe quidem 9. *Hiſt.* 7. *initio*, τὸ κάλαμος: ſed nonniſi ex contextu colligi, εὐέδμον eſſe, ἢ εὐόδμη, quæ vox eſt apud Galenum 1. *Antid.* 10. in Trochiſcis hedychrois. Eſt igitur vox hæc adſcriptitia, ex Plinio fortè *l.* 12. *c.* 22. ex quo quidam interpretes etiam Galeno obtrudunt. Nos ad veterem appellationem compellunt etiam Arabes hodierni, ut eſt apud Scaligerum (ita enim nunc puto) *Notis in Garz.* 1. *Arom.* 32.

XV. Cujus indicio cum perventum ſit ad plantæ integræ notitiam, quam nec Veteres, nec Recentiores habuerunt: operæ pretium fuerit adire Alpinum 2. *Exot.* 7. qui & pingit & deſcribit, referendo ſe ad illa, quæ 4. *Med. Æg.* 10. ſcripſerat. Vide etiam Bell. 1. *Obſ. ult.* & Cluſ. 16. Hæc an ſit legitima, ut ſciamus, accommodemus ſanè τὸ μέτρον λίθῳ. Verba Dioſcoridis *l.* 1. *c.* 17. ſunt, κάλλιϛος αὐτοῦ ὁ κιῤῥὸς, πυκνογόνατος, καὶ εἰς πολλοὺς σκινδαλμοὺς θραυόμενος, γέμων ἀραχνίων τὸν σύριγγα ὑπολεύκων, (ita enim legendum eſſe Paſino videtur, ut reſpondeat quoquo modo τῷ κιῤῥὸς) ἐν δὲ τῇ διαμασσήσει γλίσχρος, ϛυπτικὸς, ὑπόδριμυς, πικρός. Theophraſtus *loco citato* celebrat natales ejus tantùm, Syriam, unaque εὐωδίαν præſignem. Plinii *locus citatus* indiget correctione, quam talem molior. Reliqua probatio, ut ſit integer, niger damnatur alicubi. Melior quo brevior & craſſior, lentuſque in mando. His conſenſit Avicenna 2. 2. c. 161. & Serapio *c.* 205.

XVI. Hæc quàm latè abducunt nos ab *Acoro vero*, tam propè adducunt nos ad Alpini iconem, ſub nomine *Caſſabelderiræ*, ut Scal. corrigit *loco citato.* Cum qua cùm ſit idem Calamus Garziæ, ut & Paludani, quem Bauhinus laudat, & vocat *Calamum aromaticum Syr.* in aperto eſt, quid ſit ſtatuendum, ſtandum ſcil. nobis cum Ægyptiis, qui, Alpino auctore, utuntur illa planta in Theriaca, & ſunt cum illis, eodem teſte, Germani, Itali, Galli, alii.

XVII. Contrà, cùm Matthioli icon, aut ſit fictitia, ut Bauhinus auguratur; aut, quod ego puto, eadem cum *Arundine ſativa Bauhini* poſſumus deſerere gregem illum, qui ſequitur Matthiolum.

XVIII.

XVIII. De qualitatibus primis tenebræ ſunt apud Galen. 7. *Simpl.* Cùm enim dixiſſet. Calamum in calore & ſiccitate temperatum eſſe, ſubjungit, Ponatur in 2. gr. calidum & ſiccum. Mihi videor expedire poſſe negotium ex Serapione & Avicenna. Ubi enim Galenus ait, Maximam ejus partem eſſe ſubſtantiæ terreæ & aëriæ, in calore & ſiccitate temperatæ: dicunt illi, Has duas ſubſtantias eſſe æquales pondere, quaſi ita legerint, τὸ δὲ πλεῖστον ἀυτȣ̃ γεώδοις ȣ̉σίας, ἔτι καὶ ἀερώδοις; ἔυκρατον, omiſſis iis, quæ ſequuntur. Propterea etiam conſtanter cum Galeno dicunt, calidum & ſiccum eſſe in 2. gr. Sed ita, ut ſiccitas ſit major caliditate. Ratione ergo partium aërearum, egregiè aperit, incidit, attenuat, & deobſtruit: ratione terrearum adſtringit, &, ſi fides Avicennæ, abſtergit. Laudant ideo veteres, in viſcerum obſtructionibus, in renum & veſicæ malis, ut & uteri, in inſeſſibus, in peſſis, & tum præcipuè cum Terebinthina, quæ potenter ſiccat.

IX. Olim valdè laborabatur in quærendo ſuccedaneo: nunc nihil opus eſt, niſi valdè amarus ſit. Hunc enim reprobant Medici, & putant, locum Dioſcoridis eſſe mutilum. Quæ enim vox πικρὸς in quibusdam deeſt, putatur fuiſſe integra oratio, πικρὸς δὲ φαύλος. Talis ſi adſit, utantur Galanga alterutra. Non repudio etiam *Angelicam campeſtrem*, quam Oddus habet in Theriaca.

CAPUT XXV.

DE ASPALATHO ET AGALLOCHO.

CONJUNGO hæc duo ligna, quia utrumque æquè incertum, æquè obſcurum.

ASPALATHUM.

I. SPinoſam eſſe plantam, & Plato notat, & Theocritus, & multi alii: verùm, quomodo ſit diſtinguenda à reliquis, tam eſt obſcurum, quàm quod obſcuriſſimum. Imò vero cùm Hippocrates vocaſſet ῥίζαν μέλαιναν, auctore Galeno *in Gloſſ.* Plinius appellat *Spinam candidam.* Cùm Dioſcorides ἄνοσμον dixiſſet, Plinius *odorem Caſtorii* habet. Cùm idem Dioſcorides amarorem illi tribuiſſet, Galenus ne meminit quidem. Hinc nata eſt Botanicis tanta plantarum copia, quanta unquam eſſe poteſt, adeoque Bauhinus inconditam potiùs farraginem nobis dedit, quàm ſpecies unius generis.

II. Quamobrem, colluſtratis omnibus, videor mihi dicere poſſe alterutrum, vel, Aſpalathus quidem eſt una planta: ſed cujus, ratione natalium, tanta eſt diverſitas, ut heic quidem niger ſit, heic non, heic amarus, heic non. Huc traho illud Galeni 8. κ. τόπ. 7. *de Aſpalatho* παρ' ἡμῖν γεννωμένω. Item illud Matthioli ex relatu Cypriorum, ex centum, plantis vix unam eſſe odoratam. Id ve-

ro in vitio habet Dioſcorides. Vel diverſæ ſunt plantæ, quarum ligno tribui poſſunt à Dioſcoride ſcriptæ notæ ut ſit βαρὺ, μετὰ τὸ περιφλασθῆναι ὑπέρυθρον ἢ πορφυρίζον, πυκνὸν, εὐῶδες, πικρίζον ἐν τῇ γεύσει: ut dici poſſit. Quodcunque lignum vel omnia hæc habet, vel pleraque, id pro Aſpalatho haberi poteſt. Qua in re conſenſum habeo Penæ *Adv. ſ.* 427. Itaque concludo contra Cæſ. 3. *Hiſt.* 36. Nec Sandalum habet, neque lignum Braſilianum, ergo. Sed neque Acacia altera Mathioli habet, licèt & Maranta velit, 2. *Meth.* 12. & Alp. 4. *Med. Æg.* 10. & Fallop. *in Dioſcorid.*

III. De Aſpalatho altero Dioſcoridis cum Bauhino ſecurus ſum. Non minùs quieſco de altero Lobelii & Cluſii, qui eſt Geniſta-Spartium Bauhini, qui aliquot ejus ſpecies habet.

IV. Quod ad facultates, ait Avicenna calidum eſſe in 1. ſiccum in 3. Ubi ſi quis miretur tam magnum intervallum, reſpondebit Galenus 6. *Simpl.* partium eſſe heterogenearum, quarum quædam calidæ & acres ſunt, quædam frigidæ & auſteræ: utriſque cum ſiccet, non poteſt non vehementer id facere. Hinc commendatur à veteribus ad ulcera ſordida, ad quæ aliàs aqua forti utimur, ad aphthas, inquam, ozænas, in ano, & pudendis. Commendatur etiam ad ſtringendam alvum propter adſtrictionem, cujus Galen. meminit 5. κ. τόπ. 7. item in ſanguinis ſputo, Plin. *l.* 24. *c.* 17. in difficultate partus, ſi peſſus inde fiat, in inflationibus, dyſuriis, &c.

V. Ad hæc opera quo propius accedit

LIGNUM RHODIUM,

Sive Oleaſter Rodius Ruellii, eò ſecurius uti illo poſſumus, etiam in Theriaca, cum Oddo *c.* 12. Viciſſim (ut hoc obiter addam) quo longiùs abeſt Viticis ſemen, eò minùs.

AGALLOCHI.

VI. Fortunam eandem eſſe, & propterea huc collocatum, non negabit is, qui conſiderarit pauca illa, quæ tam veteres, quàm recentiores habent. Inter Græcos veteres ſolus Dioſcorides habet. Theophraſtus & Plinius tacent. Galenus etiam. Inter Græcos recentes. eſt Aëtius & Actuarius. Inter Arabas Avicenna & Serapio. Inter noſtros Garz. eſt. 1 *Arom.* 16. cui addi poteſt. Lud. Werdeman, Helvetius, quem Itali Vartomanno dicunt, cognomine Romanum.

VII. Hujus quatuor genera, quæ Serapio habet *c.* 197. & Ruel. *l.* 1. *c.* 36. ut & tria Vartomanni, quin 10. Sethi, nihil aliud ſunt, quam diverſæ arbores, è quibus petitur ξύλον, θύινῳ ἐοικὸς, ἐστιγμένον εὐῶδες, παρασύφον ἐν τῇ γεύσει μετὰ πσσῆς πικρίας, ut Dioſcorides nobis præſcribit.

VIII.

VIII. Is odoris tantum implicitè meminit, cum ait θυμιᾶσθαι ἀντὶ τοῦ λιβανωτοῦ Verum differt ſuaviſſimus ille odor tantum à thure, quantum juniperi noſtri à thure, quamvis nec thuris odor mihi gratus ſit.

IX. Sed enim plura alia ſunt, quæ non permittunt me credere, noſtrum *lignum Paradiſi* eſſe Agallochum Dioſcoridis. Non credo etiam eſſe odoramentum illud in ſacris, quo meretricula conſperſerat lectulum ſuum apud Salomonem, ut Bauhinus loquitur. Fuit ſuccus aloës noſtræ, ſed odoratiſſimæ, cum aliis aromatibus. Quare etiam non opus erat compoſito vocabulo, ξυλαλόη, quo arbor ſignificaretur. Contra quam valet etiam argumentum Scalegeri *Notis in locis citatis.* Hodie circa Babylonem, & Euphratem, ubi fuit paradiſus terreſtris, nulla talis arbor eſt, Ergo. Sed & ille ſcire debebat, hortum funditùs eſſe deletum, unà cum arboribus, à Deo plantatis. Eſt arboris tædaceæ, quæ flammam tam claram dat cum ſuavitate odoris indicibili.

X. Huc nos comitatur ἡ θυῖα, credi ſpecies. An eſt ipſe κέδρος εὐκέατος Homeri, cum quo jungitur æquipollens θύον, per ſyncopen, & in neutro? An ἀλόη lingua Indica ſignificat odoramentum, ut hinc dicatur etiam arbor noſtra, ceu apud Vartomannum & Linſch. ut eſt apud Bauhinum.

XI. De facultatibus nihil dico, quia omnia ſunt incerta. Quo minus laudare poſſum *Confect.* διαξυλαλόης *Meſue*, quam commendat in affectibus viſcerum quibuscunque.

CAPUT XXVI.

DE ASPARAGO.

I. Ἀσπάραγος, aut Atticè ἀσφάραγος, aut latè accipitur, aut preſſe, aut preſſiſſimè. *Latè* ſignificat omnem tenerum caulem, primùm erumpentem, & eſt, ut Galenus definit 2. *Alim.* 58. aut τῶν λαχάνων, aut τῶν λαχάνων, aut τῶν ἐπετειοκαύλων. *Preſſè*, Aſparagi propriè ſic dicti tam domeſticum, quàm ſylveſtre genus, quod propriè *corruda* eſt. *Preſſiſſimè* Aſparagi domeſtici tantùm.

II. Hoc loco accipitur in media ſignificatione, & illud quidem dicitur *Aſparagus folio molli*: hoc autem *Aſparagus*, *Corruda dictus.*

III. De differentiis non idem dicunt Authores. Theophraſtus 1. *Hiſt.* 1. & 6. ſimpliciter *Aſparagum* habet, & videtur deſcribere *Corrudam* tantùm dictam. Dioſcorides *l.* 2. *c.* 52. eundem ſolum deſignat, ſed vocat, aut *aſparagum petræum*, aut uno verbo μυάκανθαν, *Murinam ſpinam.* Plinius *l.* 19. *c.* 4. & *alibi*, Aſparagum factum eſſe domeſticum ait ex Corruda ſylveſtri, quod nondum credo. Idem *c.* 8. Aſparagum Germanicum dicit eſſe mediæ naturæ inter aſparagum &

corrudam. Quod mireris Galen. *l. c.* & *de Vict. atten. c.* 4. tertium facit genus βασιλικὸν, *regium* cui addit ἕλειον, *paluſtrem.* 6. *Simpl.* At cum Dioſcoride eſt, ut & Aëtius & Paulus *l.* 7. Athenæus l. 2. ἕλειον καὶ ὄρειον, *paluſtrem* & *montanum* habet. Ex utraque planta, & Officinæ petunt ſibi radices cum ſemine: & culinæ aſparagos dictos. Volunt autem Officinæ auctoritate Plinii & Athenæi, Corrudæ potius partes, quod efficaciores ſint.

IV. De his bellum Galeno movet Avicenna: ego autem video, utrumque velle idem; Radices videlicet Aſparagi ſylveſtris eſſe calidas, & quantò ſicciores actu, eo ſicciores quoque poteſtate: & calidas quidem non ultra 2 gr. ſiccas non ultra 1. Fortaſſis autem aſparagi humidi potiùs ſunt *ex* 2. *Alim.* 59. Et radices & aſparagi ſunt quidem cum inſigni partium tenuitate: non tamen ſine craſſitie aliqua habent, ut abſtergeant. Ideo laudantur in viſcerum obſtructionibus, præcipuè urinæ mora à craſſa pituita.

V. Hoc cum ſit id, quod Dioſcorides ait, prodeſſe nephriticis, opponunt ſe quidam Plinio, qui ait, veſicam exulcerare. Qua in re conſentit illi Lobelius *in Obſerv.* Habet verò & Athen. *l.* 2. tale quid.

VI. Verum *Caſaubonus in Animadverſionibus* legit, καὶ οὐκ ἀδικεῖ. Qua de re quidquid ſit, & Venerem ſtimulare poſſunt, & ſemen augere. Hoc fit in pituitoſis, cùm in bilioſis ſubducta materia contrarium facit Et *in his* ἀτόκον καὶ ἄγονον eſt, ut loquitur Dioſcorides. In flatibus etiam diſcutiendis tribuitur ab aliquibusdam iis multum.

VII. Ex his judicare licet, quamvis hujus loci non ſit, quid præſtent Aſparagi in uſu cibario? Ubi ab initio hoc non præterire oportet. Corrudam quibusdam locis præferri Aſparago. Parum nutrire certum eſt: ſed inter olera optimè. Quare Galenus ait, ſi bene conficiantur, tanto meliùs nutrire reliquis ſui generis, quò ſicciores. Rectè, ſi bene conficiantur. Eſt enim lignoſum quid, quod validum deſiderat ventriculum.

VIII. In qualem ſi incidat, educet ſabulum è renibus & veſica. Alvum ſolvere non credo: quin contrarium, quia diureticum eſt medicamentum. Apud Galenum utiles ſunt ſtomacho: tu accipe in prima menſa. 2. non coqui ad tabem usque. Apud Veteres condiebantur, ut etiam hyeme haberi poſſent. Hac de re vide Mizaldum 2. *Secret. horti*, *c.* 5.

CAPUT XXVII.

DE ASPHODELO.

I. IN Etymol. magno reperio, differre ἀσφόδελον καὶ ἀσφοδελὸν; illud velle fructum aſphodeli plantæ: hoc locum aſphodelo conſitum. Ego video, hoc

hoc poſterius velle ἀσφοδελῶν, ὄνος. Interim apud Homerum *Iliad.* λ. & ω. lego ἀσφοδελὸν λειμῶνα, quem Euſtath. exponit ἀσφοδελώδη λ.

II. Hujus pleræque partes antiquitus veniebant in uſum cibarium, habebantque peculiaria nomina, ut eſt apud Theophraſtum 7. *Hiſt.* 12. Apud eundem, caulis dicitur ἀνθέρικος, quæ vox *l.* 1. *c.* 7. toti plantæ datur, ut apud Dioſcoridem flori. Apud Plinium *l.* 21. *c* 7. *aſphodelus* radicis eſt, *albicum* caulis, *haſtula regia* totius plantæ. Galenus 2. *Alim.* 56. habet Aſphodelum etiam inter alimenta, & addit, coctione miteſcere poſſe, Scillam non poſſe. Diſtinguunt in marem & fœminam, alii in bulboſum & non bulboſum.

III. Inter 10. ſpecies Bauhini non eſt ille, qui in noſtris Officinis uſualis eſt. Nec immeritò: Eſt enim *Martagon Matthioli*, quod lilii ſpecies eſt, ad mures potius necandos, ut ex Plinio docet Amatus *in Dioſcoridem.* Aliis locis aliæ ſunt radices, in quibusdam *Aſphodeli veri*, in quibusdam *Hyacinthi*, in quibusdam *Lilii albi*, quas quis bonus patiatur confundi? Abeat in malam rem!

CAPUT XXVIII.

DE ASA DULCI ET FOETIDA.

I. ASAM *dulcem* voco gummi illud recens ex Indiis allatum, ſub nomine *Belzoin*, aut potius *Benjoin*: fœtidam autem uno verbo *Teuffelſdrekt. Aſæ.* vel ut alii, *Aſſæ* nomen quomodo huc intraverit, non auſim divinare. Multò minùs de Laſere ſeu Laſerpitio.

II. Quin deſero jam etiam, quam diu fovi, opinionem, fœtidam eſſe deteriorem ſuccum, vel Cyrenaicum, vel Medicum à Bontio quippe doctus, *initio l.* 1. *de Med. Indorum*, eſſe ſuccum plantæ Perſicæ inter Laram & Gamaron, civitates hodie dictas, quæ incolis & vicinis Indis ſit inſtar cerebri Jovis. Videſis Garziam, *Arom.* 3. *de Altith*, aut potius cum aſpiratione *Haltith.*

III. De *Benjoino* ſcribit idem Garz. *c.* 5. *ſeq.* & *Benivi* appellat, & ait eſſe ex arbore procera, quæ propter metum tigridum facilè accedi non poſſit. Verùm refutat utrumque Bontius *in ſeq.* Arborem quidem dicens, Smilacis aſperæ eſſe ſimilem ſeu Sarſæ pariglię: tigridem autem nihil minus, quam velox eſſe animal, ſed ferox & immane, quod ex inſidiis hominem aggrediatur.

IV. De eorum opinione, quæ *Aſam dulcem* ex Agallocho derivat, quòd odor ei non diſſimilis ſit, non habeo quod dicam. Idem dico de iis, inter quos Anguil. 1. *Sent.* 23. qui *Cancamum* Dioſcoridis eſſe volunt.

V. *Benjoin* poſtulant pharmacopæi noſtri tranſparens, albis maculis thuri non diſſimilibus, odore grato Agallochi, ut dixi.

VI, Ex odore hoc judicium quodammodo ſumere licet de facultatibus. Videtur calidum & ſiccum in 2. gr. myrrhæ inſtar. Uſus eſt in exterioribus, in emplaſtris, ſcutis, cucufis, &c.

VII. Aſæ fœtidæ notas nemo quærit, niſi qui nunquam odoratus eſt. Eſt autem odor ille non planè idem, ut Pena tradit *Adv. f.* 312. Uſus in abigendis beſtiis, & ingratis hoſpitibus. Calida & ſicca in 4. cum tanta partium tenuitate, qualis in Euphorbio, cui vetuſto ſubſtituit alicubi Galenus *Laſer Cyrenaicum.*

C A P U T XXIX.

DE ATRIPLICE.

I. AN vox hæc Latina ſit, facta è Græca ἀτεάφαξις, ἡ ος, neſcio. Apud Veteres duplex eſt, *ſativa & ſylveſtris.* In Officinis uſurpatur tota *Atriplex ſylveſtris*, quandoquidem coli apud nos deſiit.

II. Quare non negligenda eſt diſtinctio Galeni 6. *Simpl.* eſſe hanc ſupra hortenſem veterum. Et poſſe ampliùs quid in diſcutiendis incipientibus phlegmonis, quàm veterum: quin nonnihil poteſt etiam in induratis quibusdam.

III. Licèt enim verum ſit, frigidam eſſe in primo, humidam in ſecundo: habet támen partes quasdam aërias, quibus paululùm diſcutit, inquit Galenus.

IV. Obſervandum autem diligenter, cùm ne frigiditatis gradus ſit is, qui in roſis eſt, imò is ipſe, qui in glycyrrhiza & chamæmelo, eſſe illam *Tepidam caliditatem* Gal. quæ remittit intenſam.

V. Cum hac ſive frigiditate ſive calore eſt humiditas quædam, qualis in malva, blito, aliis, qua alvum ſolvit; non autem propria quædam, qualis in purgantibus. Quo fine qui comeſſe volet, faciat cum aceto, ut Galenus præcipit, 2. *Alim.* 45. Ita minus locum habebit dictum Pythagoræ apud Plinium *l. & c.* 20. quod ſtomacho ſit contraria, &c. Clarum autem eſt, quò atriplex eſt humidior, eò magis hoc facere: quò ſiccior, eò minùs. Et hæc eſt conciliatio inter Hippocratem & Dioſcoridem, de qua Tragus cogitat.

VI. Neſcio ſatis, an hæc humiditas in Pede anſerino (apud Bauhinum eſt III.) tam ſit intenſa, ut ſuibus noceat, unde *Sautodt* dicitur.

VII. Certè quidam ab hac abſtinere jubent. Et queritur Plinius cum Pythagora, atriplicem omnem tam eſſe avidam humidi, ut in hortis juxta illam nihil creſcat, niſi languidum: quin ſata etiam juxta illam minùs læta eſſe. Quæ cauſa eſt, non alia, curidem Plinius coquendam illam eſſe velit, ſæpiùs mutata aqua.

VIII.

VIII. Et hæc quidem de planta eſt animadverſio: Semen habere acrimoniam, & ideo abſterſivum quid, ſit argumento, quòd Galenus laudat in ictero. Imò Serapio ſcribit, auctoritate Rhaſis, ʒ ejus ij. purgare ſurſum & deorſum, non ſine violentia. Inde habuit Pharmacopola ille, qui apud Matthiolum *in Dioſcoridem* ita purgabat ruſticos ſuos.

CAPUT. XXX.

DE BALSAMO.

I. VIDEO ſtudioſos linguarum Orientalium conſentire in eo, eſſe ab Hebraïco, *Baal*, ſive *Bel*, qui eſt *Belus*, Aſſyriorum Rex, qui deificatus ab iſtis, Jupiter eſt appellatus. Hinc *Bel-ſemen*, *dominus remediorum*.

II. Hujus hiſtoriam ubi ex rei veritate texero, dicam breviter, quid nobis ſit faciendum. Revera, naturalis ejus locus & fuit, & eſt, hodieque *Arabia*, non *Felix* illa, ad quam nimis facilè procurrimus: ſed *Petræa*, à *Petra* urbe ita dicta. Hinc in *Palæſtinam* translata, longo ante Salomonis imperium tempore, duravit ibi usque ad Cleopatram, quæ, conſenſu Herodis magni, in Ægyptum tranſtulit. Ibi ut hodieque vivit: ita quoties hortulanorum incuria perit, reſtauratur ex dicta Arabia per Baſſas Cairinos, beneficio illorum, qui ſingulis annis ad ſepulchrum Machometis peregrinantur.

III. Ab his cùm anno 1640. in ſat magna copia Romam allatus eſſet ſuccus, Pharmocopœi quidam, conſilio Medicorum in Urbe præcipuorum, Theriacæ indiderunt. Reclamantibus cæteris adeo, ut ad ſummum Pontificem res devolveretur: tandem, utriusque partis conſenſu, electus fuit, tanquam judex honorarius, PETRUS CASTELLUS, Medicus Meſſanenſis, qui edito ſcripto publico, pro affirmantibus pronunciavit. Fecit idem paulo poſt FRANCISCUS PERLA. Ad me quoque cum aliquid hujus balſami miſiſſet CL. JOH. RHODIUS, quòd aliquid mihi tribueret in hac Medicinæ parte: putavi mei officii eſſe, *in Poſt-curis meis* conjungere me cum ajentibus. Quod igitur ſcirem, obſtare potiſſimùm negantibus diſſenſum veterum in hoc negotio: ſumſi mihi Dioſcorid. *l.* 1. *c.* 18. & collatis locis parallelis, *App. Poſt-cur. c.* 104. oſtendi, quatenus conſentiant & diſſentiant prædeceſſores noſtri.

IV. Hac in re maximum robur offendi in quatuor ætatibus balſami, deſcriptis diligentiſſimè ab Alpino, doctore olim meo *in Dialogo de Balſamo* & concluſi, ſiquidem haberi poſſit hic ſuccus, omnino imponendum eſſe Theriacæ, unà cum Carpobalſamo & Xylobalſamo: ſin, utendum Terebintho. In hac ſententia maneo, & tranſeo ad alia, cum præmonitione, Eſſe in Officinis & naturalia Balſama ex utraque India, & artificialia, de quibus pauca.

AUCTA-

AUCTARIUM DE BALSAMIS,
quà naturalibus, quà artificialibus.

V. Mihi libet heic ſtabilire iterum aſſertionem illam, quam contra Alpinum & Cluſium in Monardin, tueor *in Poſt-Curis*, Verum balſamum & antiquitùs, & nunc allatum fuiſſe ex Arabia Petræa, ita dicta ab urbe Petra, quam Dioſcorides nominat, quæ hodierna Mecha eſt. Neque terrent me illi, qui dicunt, Petra fuit urbs in Nabathæa. Ingens fulmen! *Nabathæa* & *Arabia Petræa* ſunt idem. Hoc probabo, ſi opus ſit, non ſemidoctis, ſed doctis.

VI. Deinde quæro, An ex quatuor ſpeciebus balſami, quæ hodie ex America afferuntur, poſſit ſubſtitui una balſamo huic legitimo? Tu lege deſcriptionem ſingularum apud Bauhinum, *vel in Matthiolum*, *vel in Pinace*, & diſpice, An poſſis mecum eſſe, qui dico, Non poſſunt.

VII. Duæ aliæ plantæ ſunt, quas Bauhinus *in Pinace f.* 306. ſub nomine Balſaminæ jungit, & alteram quidem *Marem* vocat, quæ *Momordica* eſt Officinalis, alteram autem fœminam, quæ *Charanza* eſt, apud diſtinctè loquentes, Officinis ignota, cujus etiam facultates, qui generis nomen illi dat, Dodoneo ignotæ ſunt.

VIII. Alia hujus nominis inter *Menthas aquaticas* eſt, ſeu *Nepetas*, ſeu *Siſymbria*, quam Bauhinus habet *f.* 228. Alia rurſus eſt inter *Menthas ſativas*. Alia iterum inter *Agerata*. *Balſamum Alpinum Geſneri*, quod eſt *Ledum Alpinum Bauhini*, neſcio, quis huc traxerit.

IX. Sed ſatis de naturalibus: *Artificialia* duo habemus in Officinis, Conciliatoris alterum, Magenbachii alterum. Reliquorum ingentem ſylvam legeris apud Evonymum, qui Geſnerus eſt, parte quidem prima, quæ Lugduni prodiit anno 55. in 16. *f.* 328. *& ſeq.* altera autem, quæ Tiguri, anno 69. in 8. *f.* 76. *b.* *& ſeq.*

CAPUT XXXI.

DE BASILICO SEU OCIMO.

I. PERIIT quidem in Officinis *Ocimum Veterum*, & regnat ejus loco *Baſilicum*, ex Aëtio arrepta occaſione: nobis tamen integrum non eſt, deſpicatui habere antiquitatem.

II. Apud illam duo ſignificat *Ocimum*. 1. Omne veterinorum pabulum, quodcumque è ſegete viridi deſecatur, antequam geletur, ut Hermolaus loquitur, *Cor.*

Cor. 374 2. 2. Plantam quandam peculiarem. Horum alterutrum an ſcribi debeat per y, ἀπὸ τῦ ὠκὺ, an potius ſit alterutrum dicendum Ocinum: neſcio equidem.

III. Mihi hoc ſuccurrit. Intolerabiles videri, qui *Ocinum* plantam dividunt in hortenſe & ſylveſtre, quod *Clinopodium* & *Acinus* ſit. Sint hæ duæ plantæ, quod ſunt apud Veteres, nec ponatur alius limes.

IV. Intolerabiliores, cum utrique interponunt *Erinum.* Revera, ut alibi oſtendi, ſcriptura eſt vitiata, & pro ἔρινος legendum eſt ἐχῖνος, ut ſit idem cum τῷ ἄκανος, cum generalem ſignificationem habet pro omnibus acanaceis. Hac ratione Ocini ſpecies manebunt, manebunt etiam ſeorſim, quæ qualemcumque ſimilitudinem cum illo habent. Et hoc Botanici officium requirit, quod conſtat ſine omni ἀκριβολογίᾳ.

V. Verum, ut ad Materialiſtas redeamus, eſt apud illos triplicis ocimi triplex ſemen, quod *Baſiliconis* vocant, *Caryophyllati*, *Citrati*, & *Vulgaris.*

VI. De horum qualitatibus primis controverſa ſunt quædam. Avicenna *l. de Viribus cordis*, calida facit & ſicca in primo. Averroes in ſecundo, alii calida in ſicca in 2. An diſtinctione opus eſt? Caryophyllati quidem calet in 1. citrati autem in 2. In paſſivis putarim omne Baſilicum aſcendere ad 2. gr. ſiccitatis. Habet enim partes calidas tenues multas, è quibus odor quidam aromaticus exſultat, qui oculis quidem crebriori uſu gravis eſt: cerebro autem & cordi prodeſt.

VII. Quo loco quæritur, quem ſenſum habeant illa Avicennæ, *Finaliter uſus ejus in lætificando non eſt laudabilis*? Hunc puto. Lætificat partibus ſuis calidis & aromaticis, in cerebro quidem pituitam diſpellendo: in corde autem vapores melancholicos diſcutiendo. Verumenimvero, habet præter illas, crudas quasdam & inconcoctas, quæ in flatus converſæ mirificè turbant ſanguinem, & paroxyſmos melancholicos concitant.

VIII. An apud Veteres hoc fiebat, qui in cibis uſurpabant? Præterquam enim, quod eſt (ut Dioſcorides ſcribit) δυσμετάβλητον, ventriculum quidem diſtendit flatibus, cerebrum autem miſerè implet.

IX. Sed & factus inde ſanguis tam pravus eſt, ut Dioſcorides & Galenus nolint habere in cenſu alimentorum. Hinc ſunt illa Chryſippi apud Plin. *l.* 20. 12. vituperia, quæ Plin. avertere vult, ſed locum apud me non invenit, vel ideo, quia non prorſus fabuloſum eſt, quod de ſuperioribus ſcribit Galenus 2. *Alim.* 56. In contrarium enim eſt obſervatio Hollerii, ſummi Viri 1. *Pract.* 1. Addo, quod Camerarius ſcribit *in Horto*, Venetiis ſe vidiſſe ſcorpiones libenter ſtabulari circa vaſa, in quibus creſcit Baſilicum.

X. Sed ut expediam me, Foris quidem diſcutit, ſed non validè, 2. κ. τόπ. intus autem penetrat, deobſtruit, menſes & urinas movet, &c.

XI. Habet ſemen foris mucaginem quandam, quam Tragus commendat in calidis oris affectibus cum aqua roſ.

XII. Sed eſtne verum, quod dicitur, Alvum ſtringere & ſolvere? Humain apud Serapionem credit, & per braſſicam explicat. ἀλλ' ἐγὼ μὲν ὀπέχω.

CAPUT XXXII.

DE BDELLIO.

I. Ἀπὸ τῦ βδέω videtur eſſe βδέλλα ἢ βδέλλος καὶ βδέλλιον, quod & *ſanguiſugam* notat, & *gummi* ſui generis.

II. De hujus arbore Veteres quidem nihil nobis reliquerunt certi: inter recentiores autem Pena, *Adver. f.* 428. truncum nobis dat ſpinoſum, de quo incertus eſt Bdellii ſit an Myrrhæ?

III. De fructu Bdellii ad Dodoneum à Cortuſo miſſo, accepto Cluſii in Garz. *l.* 1. *c.* 8. judicium, Cuci eſſe Theophr. 4. *Hiſt.* 2. qui fructus eſt palmæ, *Fauſel* hodie dictæ in India, de qua Garz. *l.* 1. *c.* 16. & ibi Cluſius.

IV. Sed quid ſibi vult βδέλλα ὄνυξ, ἢ βδέλλας ὄνυχος? Diu dubitavi: ſed poſtea didici ex Maranta 2. *de Theriac.* 15. totam quidem maſſam vocaſſe veteres, βδέλλαν ἢ βδέλλιον: partem autem ejus pellucidam (qua de re mox) ὄνοχας τῆς βδέλλης, ἢ βδελλίε. Quo admiſſo, plures alii loci Galeni in libris medicamentariis, corrigendi fuerint ad normam illius, quem 8. κ. τόπ. 10. in ult. Damocratis malagmate, ita emendavi, ductu ejusdem Marantæ, βδέλλης τῶν ὀνύχων τὰς ἴσας—

V. Heic occurrit lata, ſed non magni momenti difficultas, Unde Bdellii tot differentiæ? *Indici*, *Arabici*, *Mechii*, *Judaici*, *Siculi*, *Scythici*? Omne Bdellium eſt ex India: ſed prout huc vel illuc mari defertur, *da die Stapel*, *die Niderlag iſt*, inde accipit nomen. Antequam India Orientalis aperiretur Hiſpanis, Luſitanis, Anglis, Belgis omnia aromata deferebantur ex Oceano in Mare rubrum, ubi Ormuz, Aden, &c. Hinc terreſti itinere in Arabiam, ex Arabia in Ægyptum, ex Ægypto Venetias. Poſtquam Hiſpani oſtenderunt breviorem viam, hac itum eſt. Ita, in ſpecie, *Bdellium Indicum* dicitur, ab origine ſua nativa: *Arabicum*, & rurſus in ſpecie *Mechicum* ſeu *Petræum*, quod ibi vendebatur: *Judaicum*, cum naves Salomonis & Hirami afferrent illuc, & Arabes à Judæis peterent. Unde verò *Siculum*? Mera conjectura eſt eorum, qui Scythico ſubſtituebant. Hæc ſit deſpicabilior, cum ex *Chamæriphes* ſeu *Cephalione* petitur, planta exſucca & membranacea: De *Scythico* ita ratiocinor. Si abſurdum non eſt, Succinum & Vernicem ex Boruſſia, aut certe ex maris Balthici urbibus, veniſſe aliquando in Græciam, qua de re vide Animadverſiones noſtras *in 6 Hiſt.* 4. §. 21. *Theophraſti*; non erit etiam Bdellium ex India in Scythiam noſtram delatum, iviſſe

iviſſe inde in Græciam. Hoc iter ſi nimis longum videbitur, pete ex Bactris, Scythiæ provincia ultra Aſſyriam. Plin. *l.* 12. *c.* 9.

VI. Sed tempus eſt, ut ad notas legitimi Bdellii veniamus, unde etiam dicatur. Harum prima apud Dioſcoridem *l.* 1. *c.* 80. eſt, τὸ τῇ γεύσει πικρὸν, *guſtu amarum*, *citra* (quod addit Plinius) *acorem*. Quo loco per *Acorem* oportet intelligere *Acrimoniam*, quæ in recenti quidem non eſt, in vetuſto autem eſt, ut ex Galeno conſtat. Secundum, διαυγὲς, ταυροκολλῶδες. Conjungenda enim hæc eſſe optimi quique conſentiunt, & vertenda *Pellucidum*, *inſtar glutinis taurini*, non autem *ceræ*, ut malè Plinius. Huc pertinet, quod mox dicitur, ἐοικὸς ὄνυχι, de cujus ſenſu litigatur. Serapio enim, & qui cum eo, Hermolaus, Saracenus, alii, detorquent ad *odorem Unguis odorati* Dioſcor. *l.* 2. *c.* 8. qui *blatta Byzantina* Officinis dicitur. Sed revera oportet Plinium audire, qui multos candidos ungues in Bdellio deſiderat. Ideo ſimpliciter Ruellius, *Ungui ſimile*, ſed intelligentius Marcellus Vergilius *Ungui humano ſimile*. Nimirum id eſt quod nuper dixi, βδελλίȣ ὄνυχες 2. *Antid.* 2. in Confect. Cyphi, ex Ruffo, qui cum τῷ διαυγὲς jungunt *l.* 6. *c.* 4. in antidoto Charmidis, cum 8. κ. τόπ. *ult.* 7. κ. γέν. 7. ſimpliciter ſit βδέλλη διαυγὴς, καὶ βδέλλιον διαυγὲς. Atque heic turbas ciet Serapio, qui *Colorem albicantem* requirit, cujus auctoritate Paſinus audet Dioſcoridis codices arguere. Eſt idipſum, quod dixi. Tertium λιπαρὸν διὰ βάθοις καὶ εὐμάλακτον, *interius pingue*, & *facilè tractabile*, *non liquabile*, ut Ruellius. Ex hoc factum eſt τὸ ῥυπαρὸν, quod vitioſè legitur 7. κ. γέν. 7. in malagmate Philonidis. Mox enim expreſsè Dioſcorides vult ἀμιγὲς ξύλων καὶ ῥυπαρίας. Sequitur quartum εὐῶδες ἐν τῇ θυμιάσει, *ſuffitum boni odoris*. Hoc inconſideratè junctum ſequenti ἐοικὸς, fecit Serapioni & aliis umbram. Eſt autem bonus hic odor intelligendus de naturali, qui apud Avicennam *Picis* eſt. Reprobat quintum Dioſcor. & pro ſecundario habet τὸ μέλαν ἢ ὑποπέλιον, item τὸ ἁδρόβωλον παλαθῶδες, *non nigrum tantum*, *ſed & ſublividum*, *quod ipſum in magnis maſſis eſt*, puta, jam non diſtinctum in ungues albos. Æquipollentia enim ſunt iſta duo, nec ullo modo admittunt τὸ ἀσπαλαθῶδες.

VII. Noſtrum bdellium cum mirificè variet ſubſtantia, odore & colore, vix tuetur locum ſuum. Hinc Cordus 4. *Hiſt.* 18. & Bauhinus *in Matthiol.* ſex faciunt ejus genera. Interim Maranta 2. *Theriac.* & *Mithrid.* 15. cum Imperato ſuo, magnifacit.

VIII. De facultatibus ſcribit Galenus 6. *Simpl.* & repetit 7. κ. γέν. 7. habere vim emolliendi, & eam quidem potentiorem, dum recens eſt. Eſſe autem ſignum, hinc quidem humiditatem, ſiccitatemque actualem: illius autem auctum amarorem, acredinemque. Conſentiunt in his Serapio, Avicenna & Averroes. Ex quibus quis ulterius collegerit, etiam inſigniter diſcutere, aperire & abſtergere, ſed alia atque alia ætate magis, minus. Si emollire quis velit tantum, recentiſſimum & pinguiſſimum, quod idem eſt molliſſimum, aptius erit: ſi diſcutere etiam, aut accipiat mediæ ætatis, aut recenti addat vetuſtum: ſi diſcutere

& abſtergere tantum, quo vetuſtius, eò commodius. Hoc quia negligunt noſtri, emplaſtra etiam noſtra emollientia ſunt pigriora, quin diſcutiendo plus mali, quàm boni faciunt. De recenti igitur tantum verum eſt, quod ait Dioſcorides *Malagmatis inſeritur*, *&c.* De vetuſto, quod idem, & cum eo Gal. de vi diſcuſſoria, extrinſecus in bronchocelis, intrinſecus in flatibus, in menſium & urinæ ſubſiſtentia, in grumis ſanguinis, in venenis.

IX. Cum eodem additamento, purgat apud Arabas pituitam, doſi à ℨß. ad ℨij. quamvis Averroës in j. ſtet. In uſu ſunt apud nos *Pilulæ de Bdellio majores* Meſue, de quibus moneo, videant boni, an vera ſit laus illarum in cohibendis menſibus? Videatur Coſtæus *in Antid. Meſue.*

CAPUT XXXIII.

DE BEN ARABUM.

I. QUAM certum eſt, fructum hunc Arabicum eſſe βάλανον Theophraſti ſimpliciter dictam, Dioſcoridi, Galeno, Aëtio, Tralliano, Plinio βάλανον μυρεψικὴν, aut uno verbo μυροβάλανον: tamen nihil illa commune habet cum *Myrobalanis Arabum* ſupra dictis: βάλανον ſimpliciter dici de *dactylis* quoque, probabo ex Galeno *l de Cibis* 4. Apud Plinium *l.* 13. *c.* 4. eſt, palmulas plebejas vocatas fuiſſe Populo Ramano *Balanos.* Hanc Galenus 5. κ. τοπ. 1. βάλανον αἰγυπτίαν vocat. Sed neque ipſe, neque Veterum quisquam plantam vidit: inter Recentiores vidit, & betulæ comparat Bellon. 2. *Obſ.* 61. 66. 78. Vidit & Rauwolf. Pingit, & deſcribit latè Caſtellus *in Horto Farneſ.* à qua quantum differat Bell. illa apud Penam *in Batdo f.* 69. conſideraſſe libeat.

II. Tu verò ſcito, cum duplex ſit apud Meſuem, *magnum* & *parvum*, *magnum* quidem eſſe *Avellanam purgatoriam* Monardis, *c.* 47. *parvum* autem hoc noſtrum, quod pingit Pena, *Adv.* 414. *& in Icon. tomo* 2. *f.* 101. Hujus notæ ſunt apud Dioſcor. *l.* 4. *c.* 154. ut ſit νέα καὶ πλῆρης, λευκή τε καὶ εὐλέπιστος, *recens & plena*, *quæ*, *niſi fallor*, *eſt eadem cum pingui*, 10. κ. τόπ. *ult.* in malagmate Damocratis, *quæ facilè dimittat corticem ſuum.*

III. Sed cur Meſue vult antiquum? Quia plus olei dat. Vide Coſtæum *in Meſuem.* In facultatibus ſeorſim ponere oportet carnem, ſeorſim oleum inde expreſſum, ſeorſim corticem, ſeorſim reliquias, ab expreſſione ſuperſtites. De his moneo, vere quidem dici πίεσμα, ἢ ἐκπίεσμα, ἢ ἀπόθλιμμα: dari tamen loca, quibus ipſi oleo tribuitur, 11. *Meth.* 16. 12. *Meth.* 15. 2. *ad Glauc.* 5. 1. κ. τόπ. 8.

IV. De carne ait Galenus *in libr. de Simpl.* vomitus facere & dejectiones, ſed viſcerum obſtructiones expedire. In hoc implicitè latet cautela Meſue, non eſſe facile uſurpandam interius, quod ſtomacho ſit inimica, propter excrementitiam, eam-

eamque acrem humiditatem, qua ventriculum ſubvertit, viſcera turbat. Quod ne facile comtemnas, audi Avicennam, cujus Interpretis verba ſunt, *Propter illam eſſe in illa virtutem cauteri-ſativam.*

V. Hic apud nos extrinſecus uſurpatur tantum. Porro, de oleo ait Galenus facultate calidum eſſe, quod Avicenna accipit de 2. gradu. Nimirum uſtio illa eſt in modo ſubſtantiæ potius quam in gradu caloris, ut in Arſenico, quod guſtu dulce, inſtar ſacchari eſt. Oleum hoc *Balaninum* vocatur in Officinis, *Myrobalaninum* ab Aëtio. Quod cum ignoraret Paulus *l.* 7. *c.* 20. Oleum Balaninum parat ex glande querna, quod valde reprehendit Cornarius in Dolab: & lectionem mutat. Neſcio, an non ex aliena fide ſcripſerit Theoph. 4. *Hiſt.* 2. & hunc ſecutus Plinius, cum ſcribunt ex cortice fieri, καρπὸν δὲ ἀυτȣ̃ ἀχρεῖον. Hinc adeo Hermolaus apud Dioſcoridem, & cum eo Manardus, per ἐντὸς (nimirum ille ex carne facit) legit ἐκτὸς. Quod ut defendat Coſtæus in Meſuem, ineptam comminiſcitur rationem, cum Ben noſtro attribuit duplicem corticem, veluti in juglandibus, & duplex oleum. Hoc ex inſpectione fructus noſtri Pena refutat, *l. c.*

VI. Ego video, confuſionem eſſe hujus Ben cum magno, ut ex Cluſio in Monardin diſcere eſt, Sententiam meam de aliena fide confirmat id etiam, quod ait, oleum εὐῶδες eſſe. Non eſt, ſed alios odores facile recipit, & diutiſſimè conſervat.

VII. Uſus duplex eſt, alter ad ſanitatem, alter ad voluptatem. Ad ſanitatem, cum adhibetur cutis vitiis: ad voluptatem, cum coria pro chirothecis & induſiis eo inficiuntur. *Profumo* vocant Itali. Hoc enim præ aliis peculiare habet, quod vix unquam ranceſcat. Ideo ambram, moſchum, alia hoc oleo excipiunt.

VIII. Et hæc de oleo: De retrimentis hoc habendum, in cutis vitiis longè efficaciora eſſe oleo, præſertim cum farina aliqua ſiccante, lolii, erui, &c. De cortice tandem Galenus valde adſtringere ait.

CAPUT XXXIV.

DE BEHEN UTROQUE ARABUM.

I. DESCRIBUNT Serapio *Simpl.* 213. Avicenna 2. 2. *c.* 86. & iterum 2. 86. & iterum 2. *Virt. Cord.* 3. & ingrediuntur compoſitiones quaſdam magnas, *De gemmis*, *Diamoſchu*, &c.

II. Subſtituit Tragus *Roſam Marianam*, quæ eſt *Polemonium flore albo & rubro:* ſeorſim *pro albo* habent quidam *papaver Spumeum* vulgò dictum, quod eſt *Lychnidis ſylveſtris* ſpecies: pro *rubro* Cluſ. 3. *Rar.* 3. habet *Lychnidem ſylveſtrem*,

1. ipſi dictam in Hiſpania, quæ eſt *Armoraria altera.* Lobelii, *Flos Armerius IV.* Dodonei, *pro rubro* itidem *Ocimaſtrum* | *Valerianthes* Lobelii, *Lychnidem rubram*, *Valerianam* dictam Bauhino, pro eodem iterum *Limonium majus* Bauhini, *Limonium* Lobel. & Cæſ. In omnibus his nulla eſt certitudo.

III. Quare cogitant plerique de *ſuccedaneo*, quod rurſus vel unum eſt vel duo. Qui unum ſufficere putant, varie ſcinduntur. Alii enim *Helenium* volunt: alii *Eringium*, inter quos Sylvius: alii *Pimpinellam*: alii *Quinque-folium*: alii *Polygonatum*: alii *Siſarum*: alii *Paſtinacam ſylveſtrem*: alii *Hermodactylos*: alii *Zurumbet.* Qui duabus radicibus duas ſufficiunt, pro *albo* quidem, vel *Angelicam*, vel *Caryophyllatam*, vel *Valerianam minorem* dant, vel *Bugloſſum*: pro *rubro* autem, vel *Tormentillam*, vel *Biſtortam*, vel *Hydrolapathum*, vel *Borraginem.* Me pudet ineptiarum.

IV. Conſentio quidem Melichio & Coſtæo, *Ben rubrum* eſſe *Carottam rubram* Italorum, album *Paſtinacam tenuifoliam flavam*, propter rationes evidentiſſimas, quas habent in uſu autem abdico: Facultates enim non reſpondent.

V. Arabes quidam potuerunt admirari, quia exoticæ, ex Germania quippe allatæ: nos, quia indigenæ, ad culinam relegare poſſumus. Sed compoſitiones fiunt mancæ? Non refert in tanta ingredientium multitudine, ob quam faſtidio totum.

CAPUT XXXV.

DE BERBERIS.

I. QUAM Officinæ cum Averroë vocant *Berberin*: illam Serapio & Avicenna appellant *Amiberberim*, aut *Amirbarin*, nomine adhuc in Oriente uſurpato. Itali vocant *ſpinam Sanctam cruciatam* Chriſti, quod vulgus putet coronam Servatoris fuiſſe inde? Sed veriſimilior eſt ſententia de Paliuro.

II. Sed quid apud Græcos eſt? Fortaſſis *Oxyacantha* Galeni, non Dioſcoridis dicunt. Mihi & inanis diſtinctio, & res ipſa eſt falſa. Et hoc ſatis eſt.

II. In diſquirendis facultatibus oportet diſtinguere partes, ut in Ben. De primis qualitatibus ait Serapio, ex auctoritate Meſue frigidam & ſiccam in 2. eſſe Avicen. in fine 3. An ille de ſeminibus, foliis & cortice loquitur? hic de fructu, aut potius ſucco expreſſo? Quamvis & de hoc dubitem, an eò uſque progrediatur. Nam licet egregiè refrigeret: habet tamen non minus quàm Oxyacantha, partes quaſdam tenues, acres & calidas, quibus egregiè aperit, incidit & deobſtruit.

IV. Uſus proinde eſt ſucci in febribus bilioſis, ardentibus, malignis, in quibus

bus non ſitim tantùm exſtinguit, exhalationes ad caput prohibet: ſed & ſiccat putredinique reſiſtit, & ſimul viſcera ab infarctu liberat.

V. Non minùs commodus eſt uſus in febribus, quæ ab inflammatione viſceris alicujus: ſed in principio tantùm. Eodem modo in calidis ad fauces deſtillationibus. Potiſſima laus ipſius eſt in adſtringendo. Hinc conſulitur illis, qui debilem habent coctionem, ideoque à cruditatibus laborant fluxibus alvinis, item in dyſenteria, in quibus egregiam opem præſtat ſuccus berberorum, cum pane expreſſus, quo ex Alpino 4. *Med. Æg.* 1. feliciter utebatur SCHERBIUS, piæ memoriæ, pro potu ordinario. Proponitur & illis, qui urinæ incontinentia laborant, menſium profluvio, ſanguinis ſputo, dentium mobilitate, &c. Tu verò ante omnia vide, ne ventriculus ſit frigidior. Et hæc de ſucco.

VI. Acini ſeu ſemen vocatum, multò valentiùs ſiccant & adſtringunt, pulveriſati, in aqua aut decocto convenienti.

VII. Corticis interioris lutei (quo tinctores etiam utuntur) pulverem in aphthis puerorum laudat Camerarius in aceto mediocriter acri. Cluſius pro ſecreto habet, ſi per trihorium ſuſpenſus ſit in vino tenui, deturque vinum. Mirificè enim purgare ait.

VIII. *Rob berberis* in Officinis noſtris duplex, *ſimplex* & *compoſitum* eſt, cujus uſus ferè in ſiti febrili. *Vini*, ut vocant, idem uſus.

IX. *Trochiſci de Berberi*, Meſue poſterioris deſcriptionis præferuntur in fluore alvi calido, ut & in dolore hepatis ab eadem cauſa.

CAPUT XXXVI.

DE BETA ET SPINACHIA.

I. TO βῆτα, *Beta*, eſſe à balatu ovium omnes ſciunt: at quo modo & ratione ad plantam detorta vox ſit, nec ego ſcio, nec alii multò minùs, quo corium ovillum. Σεῦτλον καὶ τεῦτλον dialecto differre, pleriqué ſciunt; quomodo differat ἡ τευτλὶς (quod Diphilus Comicus aſſerit apud Athen. *l.* 9.) nemo. Nam alioqui primitiva apud Græcos idem ſunt cum diminutivis, *μάννα*, *μάννιον*, *λίβανος*, *λιβάνιον*, *κάχρυς*, *καχρύδιον*, &c. At hoc in Beta & Betula non ſuccedit: ſunt enim diverſæ plantæ. An falsò mediam facimus brevem?

II. Betulla enim præferunt Veteres MS. libri. Officinæ noſtræ corrumpunt in Bleta. Et cum duplex ſit, *Candida & nigra*, hæc quidem nomen retinet: illa *Sicula*, & iterum corruptione duplici, *Sicla* & *Cicla*. Interim & *Nigræ* tribuitur per errorem: quin utrique. Eſt autem differentia hæc coloris in foliis, non in radice, quæ *Pes* dicitur, & *Pedes Betacei* apud Varronem ſunt radices.

III.

III. Hinc patet error illorum, qui *Betam* noſtrum *rubram*, *unſere rothe Ruben*, ex radicis colore petunt.

IV. Sed & alius latet error, à Fuchſio manans, qui rapis connumerat, unde noſtra appellatio. Eſt Betæ ſpecies, quam Geſn. rectè vocavit σευτλοςαφυλῖνον.

V. Planta ipſa & olim & nunc familiaris fuit plebi, unde *Fabrorum prandium* Martialis appellat. In Officinis ſunt folia Betæ, & foliorum ſuccus, præterea radix triplex, *Candidæ*, *rubræ* & *nigræ*, quæ foliis plus poteſt, 2. *Alim.* 61.

VI. VII. De facultatibus primis lis eſt, orta ex partium heterogeneitate. Scribit enim Gal. 3. *Simpl.* 15. 8. *Simpl. c. prop.* è quo Avicenna. I. Omnem betam in ſuperficie habere ſubſtantiam quandam nitroſam, qua per coctionem depoſita, digerit quidem etiamnum, ſed non tam fortiter ac anteà. II. Comparans albam cum nigra, illam validiùs digerere ait, hanc adſtringere. Hinc fortè illud eſt, quod Dioſcorides ait. *Nigram cum lentibus coctam alvum ſiſtere.* Intelligo autem coctionem effuſa ſemper aqua repetitam; quod ex Serapione docet Paſinus. Confirmat id Plin. quoque *l.* 20. *c.* 8. *Validiùs coctam fluctuationes ſtomachi ſiſtere ventris.* Unde explicare oportet alterum illud Plinii l. 19. *c.* 8. candidis ſolvi alvos, nigris inhiberi: Licèt enim in utraque ſit nitroſitas quædam, quæ alvum ſolvere nata eſt: in candida tamen eſt major, & in prima aqua evidentior. Et quò illa obſcurior eſt in nigra: eò faciliùs deponitur, & manet adſtrictio.

VIII. Unde intelligitur illud Hipp. 2. *de diæta*, τεῦτλα ὁ μὲν χυλὸς διαχωρέει· τὸ δὲ λάχανον ἵσθόμενον ἵστησι. Scilicet ſuccus betæ familiaris erat Hipp. pro leniente medicamento, cujus rei argumento ſint hæc duo loco: 7. *Epid.* 6. in puero Cydis. Quod autem addit Hipp. αἱ δὲ ῥίζαι τῶν τεύτλων διαχωρητικώτεραι, ſtabilit id, quòd dixi ex Galen. *in de Alim.*

IX. Ex hactenus dictis ita infero: Beta omnis revera eſt calida, quià multùm habet nitri, quo, & digerit & abſtergit, præſertim ſucco, & caput purgat: ſed enim, ſi auferatur nitroſitas illa, ut poteſt auferri, manet aqueum & terreum quid, quod in cibis uſurpatum, & parum & malè nutrit, ut omnia alia olera, 2. *Alim.* 43. alvumque ſiſtit.

X. Non igitur ſine ratione Dodoneus dicit, *Alimentum hoc etiam lactucæ alimento deterius eſſe.* In lactuca enim elementa calida meliùs ſunt permiſta frigidis, ut ſeperari non poſſint: heic contrà, adeoque non injuria beta diceretur frigida.

XI. Ideo Avic. dicit, *Sicla eſt calida & ſicca in* 1. *apud quosdam eſt frigus*, & *non eſt dubium, quin in ejus radice ſit humiditas.* Rectè igitur Galenus. Medicamentum potiùs eſſe quàm alimentum, maximè cùm integra ſumitur. Tum enim partibus ſuis acribus, & ſalſis ſtomacho eſt moleſta, præſertim, ſi is qui ſumit, ventriculum habeat ſenſiliorem: ubi autem ſtomachum ſuperavit, obſtructiones hepatis & lienis potentiùs aperit, quàm malva, & hoc rursùs quò adultior; iterum, quo abundantius addiderit *vina piperque coquus.* Imò quod tu mireris, ℥vj. fo-

foliorum crudorum, cum myrrha, &c. purgabunt, ut Archigenes habet apud Gal. 9. κ. τόπ. 1. de ictero.

XII. Et hæc quidem de intrinſeco uſu: Extrinſeco abſtergit & diſcutit, ſed non niſi modicè. Ita enim Serapio, laudato Galeno *Reſolvit reſolutione pauca*. An locus eſt 1. κ. τόπ. 8. in examine medicamenti cujusdam Apollonii ad Achoras? Ex hoc intelligitur, quos perniones, quæ eryſipelata, quos ſerpentium morſus, quos tumores inflammatorios apud Dioſcoridem & Plinium curet.

XIII. Ex oppoſito, abſtergere poteſt, ſic ſatis fortiter, ut errhinon ſit, ceu innui, & commendetur in furfuribus, lentibus, pediculis, vitiliginibus, alopeciis, nomis, ambuſtis, multis aliis. De radice rubræ betæ, menſis adhibitæ, hoc moneo, Niſi raphanus conciſus addatur, non ſatisfacere exſpectationi appetitum ciendi. Sed ſatis de Beta.

SPINACHIAM.

IV. VEl ideo huc collocatam volo, quia non minùs nitroſæ qualitatis particeps eſt, & prima aqua effundi debet.

XV. Temperatam eſſe Averroës & Rhaſis dicunt: frigidam & humidam in fine primi. Serapio & Avicennna in fine 2. Iſaac, cum quo tandem ſe conjungit Averroës Temperatam eſſe, non credo; niſi frixam in oleo aut butyro. At verò addito zinzibere, pipere & aliis calidioribus, migrare in contrarium. Laborat, inquit Mizald. 2 *Secret.* 7. *ex Ruellio l.* 2. *c.* 53. excrementitiæ humiditatis tanta copia, ut ad ignem coquatur ſine affuſa aqua. Addit Bruyerinus 8. *Cib.* 12. exprimi debere omnem illum ſuccum, & parari illi aliud jus, niſi inflationes & nauſeam exſpectare velimus.

XVI. Quamobrem judico, rectè Dodoneum ſtatuiſſe frigidam, & humidam in 2. eſſe, ſed humidam magis. Quo minùs Rhaſi credo, nutrimentum præbere, non tantùm bonum, ſed & optimum. Ut neque Averroi, valde bonam & temperatam eſſe. Magis arridet comparata locutio, Melius nutrire, quàm atriplex.

XVII. Unde pendet illorum ſententia, qui dicunt, laxare ventrem, non abſtergendo, ut beta, braſſica: ſed abluendo, idque in calidis & ſiccis. Huc Dodoneus tendit, cùm ſubſtantiam det illi aquoſam, quæ non minùs fatuam ipſam reddit, quàm ipſa beta eſt.

CAPUT XXXVII.

DE BETTONICA.

I. ITa ſcribo, ratione originis; *Vettones* enim ſeu *Vectones* populos fuiſſe Hiſpaniæ conſtat. Et quia εὐέτλωνες ſcribunt, fuerit etiam εὐετλωνικὰ, & apud Latinos ſecunda producta. De hac ſingularem librum ſcripſit Antonius Muſa, Auguſti Imperatoris Medicus, unde in tanto pretio cœpit eſſe, ut Italico proverbio diceretur. *Vende la tonica è compra la betonica.* Iidem laudaturi aliquem, *plures dicunt habere virtutes quàm Betonica. Carcanus* 3. *de vuln. cap.* 12. miratur unde habeat hanc laudem? Unde omnia temperata. Cum enim ſucceſſivè agant, ut ipſa natura, effectus edunt inſignes, licèt tardiuſculè.

II. Fortaſſis hinc Κέϛρον etiam dicitur, καὶ ψυχότροφον: illud quaſi ἄκεϛρον: hoc quaſi *vitam ſuſtentans.* τὸ ψυχρότροφον enim damno, quia hactenus in calidis potiùs locis & ἐνηλίοις vidi, quàm frigidis.

III. Tamen differre, non uno ex loco probari poteſt. Gal. 5. *San. tu.* 5. agens de vino ſenibus commodo, præcipuè calculoſis ἐπὶ δὲ τῶν λιθιώντων, καὶ τῆς βετλωνικῆς τὶ πόας μίγνυται, καὶ κέϛρου, τῦ παρὰ τοῖς γαλάταις γεννωμένυ. καλῦσι δὲ τὴν βοτάνην ταύτην σαξίφραγον, *Steinbrech.* Eadem habet Aëtius *Tetrab.* 1. *l.* 4. *c.* 30. Paulus *l.* 7. videtur difficultatem ferere, cùm duas facit betonicas, quarum prior Ceſtrum ſit. Unde Betonica Pauli apud Botanicos. Sed & apud Dioſcoridem duplex eſt Betonica An altera eſt Betonica altera Dodonei, Caryophylli noſtri altiles; Cantabrica Plinii, Herba tunica Officinarum? An potiùs eſt Betonica aquea Sept. Lobel. Scrophulariæ ſpecies altera apud Bauhinum, à Vigo Chirurgo ita celebrata, ut in mundificativis ulcerum præferatur reliquis?

IV. De Galeno hoc ſciendum, in β. quidem nihil eſſe, eſſe autem in K. κέϛρον cum additamento, ῥωμαιϛὶ βετονίκη, quæ verba pleriſque ſunt ſuſpecta, ut dixi in Notis ibi. Quicquid ſit, uſurpamus omnes plantam, hoc nomine ab Herbariis receptam, & vocat vulgus *Braun Betonict*, ad differentiam Pæoniæ, quam ſimpliciter vocant *Peonien.* Datur tamen & flore albo apud nos, quæ, meo judicio, non eſt deterior purpurea.

V. Huic tria objiciuntur. 1. Non eſt odorata. Eſt. 2. Non habet flores thymbræ. Habet. 3. Non habet folia querna. Judicium cœci. Vide Anguillaram 14. *Sent.* 1. Marantam 2. *Meth.* 5. & 7.

VI. Quin, quod omnium graviſſimum eſt, radix premitur invidia maxima, quòd non tantùm ſtomacho ſit adverſa, ſed & ſurſum deorſumque purget, hellebori modo. Fac, quod omnes faciunt, abjice.

VII. De qualitatibus primis non videtur adhuc ſatis certi eſſe. Licet enim concordes ſimus in calore & ſiccitate, non ſumus tamen de gradu. Quidam in 1.

gr.

gr. ſubſiſtunt, quidam ad 3. imò 4. profectò tragœdis ſimiles. Eſt calida & ſicca in 2. ferè. Ita loquor: quia aliquo modo temperiem excedere, abſurdum dictu non eſt. Gradus enim non ſunt lineæ Mathematicæ. Hunc innuit Galenus cum timidè loquitur, eſſe πικροτέραν, καὶ ὑποδριμεῖαν, quod capio de amarore & acredine tantilla.

VIII. Hinc judicium licet ſumere de ſecundis. Penetrat enim, diſcutit, incidit & abſtergit, ſed non ultra mediocritatem. Particularia opera venari tibi licet ex Muſæ libro, & qui deſcribit omnia Lobel. *Obſ. f.* 278. Nam apud Dioſcoridem multa deeſſe, Paſino aſſentior. Fortaſſis etiam apud Plinium.

IX. Syrupi de Betonica variæ ſunt variis locis deſcriptiones, ut & *Ceroti* (non *Emplaſtri*, non *Unguenti.*) Utriusque uſus eſt in capitis & uteri malis, & eſt operæpretium antequam uſurpes, qualia ſint ingredientia videre. Conſerva eſt medicina capitalis.

CAPUT XXXVIII.
DE BISTORTA.

I. Radix eſt ſerpentis modo intorta. Quidam pro *Oxylapatho* Dioſcoridis habent. Alii pro *Molybdæna* Plinii. Olim pro *Dracontii* ſeu *Dracunculi* ſpecie habui cum Dodoneo, aliis. Nunc cum Cluſio 4. *Rar.* 46. declaro pro *Britannica* Dioſcoridis *l.*4.*c.*2. & Plinii *l.*25.*c.*3. Quæ Matthiolus objicit, ad ea reſpondet Pena, *Adv. f.* 120.

II. Tota planta (uſus eſt *Majoris*, quæ duplex apud Bauhinum) vehementer refrigerat, & ſiccat, (ad 3. usque gradum) cum vehementi item adſtrictione. Qua de ut primo loco dicam, præcipuè radice, quæ validior eſt foliis & ſemine, in dentium mobilitate, in ſeminis fluxione, in vomitionibus, maximè bilioſis, in ſiſtendis menſibus, & prohibendo abortu, &c.

III. In incipientibus etiam inflammationibus faucium repulſorium eſt, ut & in recentibus vulneribus. An autem in collectionibus & thrombis ſanguineis aliquid poſſit, valde dubito. Interim, poſtquam hoc factum eſt, conſolidare rupta vaſa poteſt.

IV. Siccando etiam in phagedænicis præſtat, in polypo, non minus quàm ſabina & alia. Hoc fine datur etiam pueris verminoſis, in fortuita ſumptione ſepticorum, ut arſenico. Hoc fine eodem, ad prohibendam putredinem in peſte exhibetur, non autem ad ſudorem ciendum. Nihil enim heic poteſt. Interim per accidens aliquid tale præſtat. Nullus dubito in ſudore etiam ſanguineo multum poſſe.

CAPUT XXXIX.

DE BLITO.

I. DUo heic ſunt vocabula, quæ ſe invicem impediunt. Alterum ὁ βλητὸς, ἀπὸ τῦ βάλλω, cum Apoplecticum ſignificat, aut paulò ſapientiorem apoplectico, qua de re vide ſis, poſt Foëſium, Animad noſtrarum Montan. 14. Alterum ὁ βλίτος, ἡ τὸ βλίτον, cùm herbam ſignificat non minùs inſipidam, quàm beta ſit. Hinc Comici occaſionem ſumpſerunt jocandi in homines nullius rei, quos *Bliteos* vocant, & *Blitomammas*. Inde ſunt *Bliteæ* (non Bliteræ) mulieres, *blitea* ſcorta, &c.

II. Hujus herbæ effigiem nemo veterum deſcribit, quod notiſſima eſſet. Solus Hipp. 2. *de Morb. mul.* ὡς γλῶσσαν εἶναι, quod non intelligo. Plerique omnes unicum tantum habent genus, ſolo excepto Tralliano qui *l.* 8. *c.* 7. inter olera habet *Blitum nigrum*, quod recipere ipſa natura nos jubet. Hoc tam fœcundum eſt ſucco ſuo rubro, ut ſcribi eo poſſit, non ſecus ac decocto ligni Braſilii, ut Pena habet, *Adv. f.* 94. Bauhin. *in Pin.* quinque facit ſpecies, quarum foliis indiſtinctè utuntur Officinæ in clyſteribus refrigerantibus. Nimirùm, nimis liberaliter dictum eſt à Dioſcoride οὐδεμίαν ἔχειν φαρμακώδη δύναμιν: Galenus enim 2. κ. τόπ. 1. in examine remediorum Apollonii ad dolorem capitis ait, ἀσθενῶς, *debiliter* refrigerare & humectare. Ubi tu nota, eundem 6. *Simpl.* explicare hanc debilitatem de 2. gradu in utraque combinatione.

IV. Qua in re ſequuntur illum Arabes. At Hippocrates 2. *de diæta*, βλῖτον (ita enim ſcribendum eſt) θερμὸν. Et addit, ϗ διαχωρητικὸν. Quorum utrumque cùm pugnet, partim cum dicendis, imò cum ſenſu: liceat mihi augurari transpoſitionem, βλίτον ϗ θερμὸν, διαχωρητικὸν.

V. Commendant Arabes in inflammationibus externis, dolore capitis ex adore Solis, tuſſi calida & ſicca, &c. Plin. *l.* 21. *c.* 22. laudat Hippocrates, qui crediderit menſtrua eo ſiſti, ſi in cibo apponatur. Hoc rationabile eſt, ſiquidem fluxus fit ex calidiore & tenuiore ſanguine. Rationabile etiam eſt, quoddam profluvium muliebre ſic ſiſti.

VI. Quare non multum agit Cornar. cùm *Embl. in Dioſcorid. l.* 2. *c.* 105. ſugillat Plinium. Nam Hippocrates 2. *de morb. mul.* ἐν ῥῷ γυναικείῳ in lana apponit. Quò magis miror Matthiolum, qui ſuffumigio inde facto, menſes, molas & ſecundinas eo ducere vult. An per accidens fit? Calidus enim ille vapor aliquid facit. An in dyſenteria apud Tragum bene facit, quod fervorem hepatis refrigerat, 4. *de Artic.* 40.

VII. Qua in re videndum, ne alimenti, ſed medicamenti modo apponatur. Tantum enim abeſt, ut quod Dioſcorides ait, ſit εὔκοιλιον, ut contrà potius ſit.

Ven-

Ventrem adeo turbat, inquit Plinius, ut choleram faciat aliquibus. Qua de re Matthiolum conſulas licet. Imò Galenum 2. *Alim.* 45. ubi cum Attriplice comparans, utrumque olus ait aqueæ eſſe ſubſtantiæ, & ob id ἄποιον, ideoque adjuvandam eſſe lubricitatem addito aceto, aut tali aliquo, ut vis expultrix ſtimuletur. Hoc qui facit, rectè ſibi conſulit: ſed non ob id tutus eſt.

CAPUT XL.

DE BRANCA URSINA.

I. Branca *d'orſo* Italis eſt *pes Urſinus*, cujus ſimilitudinem habere volunt plantam quandam, de qua dicere occipimus. Hanc cùm non noſſent Germani, ſubſtituerunt aliam. Hinc de duabus agendum eſt, quarum illa, *Branca urſina Italica*, eſt *Acanthus* Dioſcoridis: hæc *Branca urſina Germanica*, *Sphondylium ejusdem eſt.*

II. De

ACANTHO.

Repetere oportet quæſtionem, quam *Animad. in Teophr.* 1. *Hiſt.* 16. tractavi, quæ ſit *ſpina ſimpliciter dicta*, Græcis. Oportet diſtinctè reſpondere. *Alia eſt Theophraſti, alia Dioſcoridis.* Imò verò, uterque habet ambas. Dioſcorides *l.* 3. *c.* 17. *Acanthum l.* 1. *c.* 18. *Acaciam.* Theophraſtus 4. *Hiſt.* 3. *Acanthum* habet, ut ſuprà notavi in Acacia; alibi (vide Cæſ. 8. *Hiſt.* 24. *Acaciam.*) Differunt præcipuè, quod Acacia *ſupra c.* 3. arbor eſt. Acanthus hic dicendus herba, eaque mollis, ut ex Theocrit. & Virgil. dixi. Ecce tibi autem verſus, ſi curioſus es:

πάντα δὲ ἀμφὶ δέπας περιπέπλαται ὑγρὸς ἄκανθος. Idyll. 1.
Et molli circum eſt anſas complexus acantho. Ecl. 3.

III. Hui verò, quomodo igitur *ſpinoſus* & *mollis* ſimul? Ne quid diſſimulem, ſum ejus opinionis, dici quaſi ἀνάκανθον. Si non acceptas, conſidera. Quemadmodum *Acacia* ſpinas non habet, niſi ad exortum ramulorum, quod Weslingius noſter feliciùs expreſſit, quàm Alpinus: ita *Acanthus* eſt ſpinoſus illis foliis tantùm, quæ in ſcapo, quod Cæſ. eleganter ita, *inter flores in caule membranas habet, procedente tempore aculeis acutis armatas.* Et ita in ſativo ſe habet res: in ſylveſtri folia tota ſunt ſpinoſa. *Sativus* eſt pinguis, lentus & mucaginoſus, unde factum, ut operibus topiariis adhiberetur.

IV. Colligit inde Medicus facultatem habere emolliendi, & leni quodam calore fovendi partes dolentes. Quare Dioſcorides & Plinius commendant ambuſtis & luxatis. Conveniunt enim talibus, ut Pena *in Adverſ.* docet, ſuaviter

emollientia, & caliditate actuali leviter digerentia, atque ita dolorem ſedantia. Laudant iidem ruptis, convulſis & phthiſicis Subſtantia enim ſua lenta, quale ſymphytum quoque majus habet, denſa remittere, & rupta conſolidare poteſt. Privatim docent iidem, Dioſcor. quidem urinas ciere, ſed alvum ſiſtere: hic autem podagris illini calidis. Quæ cum cogito, deſcendo fere in ſententiam dicti Penæ ea, quæ habet Gal. 6. *Simpl.* non deberi Acantho, ſed Acanthio. Acanthum enim noſtrum digerere vix credo, niſi actu calidum: at radicem eſſe ſiccam, inciſoriam, & tenuium partium, ne credo quidem. Imo verò credo Dodoneo, qui in activis quidem temperatum eſſe ait: in paſſivis autem inclinare ad humiditatem. Talia autem tenuium partium eſſe nemo ſanus dixerit.

V. Quo ipſo vocatur in dubium ſuccedaneum ipſius.

S P O N D Y L I U M.

DE quo jam dicendum eſt Σπόνδυλος, & Atticè σφόνδυλος, ut & diminutivum Σπονδύλιον, καὶ σφονδύλιον, *Ventriculus* & *Verticillus* dicitur, fortè, quia mulieres utebantur, ut Atractylide. Nam ἡ σπονδύλη, *inſectum fœtidum*, incipit mihi fieri ſuſpectum. Apud Veteres eſt ſpecies unica: at Bauhinus plures habet, quas ſino. Hanc *Acantho* ſubſtitui poſſe non credo: Qui mecum eſſe nolet, inſtituat comparationem facultatum, quod facile eſt. Hoc addo ex Dodoneo Polonis & Lituanis lupuli loco eſſe in concinnanda cerevíſia. Perinde enim ut lupulus calidum & ſiccum eſt.

CAPUT XLI.

DE BRASSICA.

I. DE Braſſicæ etymo cum Varrone non contendero: ut neque de variis ſpecierum ejus apud Catonem, Plinium, alios, appellationibus. Hoc palmarium eſt, apud Græcos olim τὸ ῥάφανος quidem ſignificaſſe *Braſſicam* hanc noſtram: τὸ ῥαφανὶς autem *raphanum ruſticanum*, ſeu majorem, *Meerrettich* noſtrum. Poſteà *Braſſicam hanc* peculiare nomen accepiſſe, κράμβη, relictis reliquis, ῥάφανος καὶ ῥαφανὶς raphano noſtro. Eſt autem κράμβη, quaſi κοράμβλη. Hinc apud Columellam *l.* 10. eſt

—— oculis inimica coramble.

Hæc permutatio tam certa eſt & ſolida, ut Galenus 2. *Alim.* 44. dicere auſit, ἐπὶ τριπλῶν ψευδοπαιδείαν eſſe, nolle κράμβην dicere, ſed ῥάφανον, quaſi cum Græcis loqueretur, qui 60. annis ante nos fuëre.

II. Antiquitùs dicebatur nomine *Oleris*, inquit Varro, ut & à Noſtris *Kraut.* Item *Kohl*, à Latino *Caulis*, quod rurſus eſt à Græco καυλὸς, quod ipſum quomodo à genere ad ſpeciem venerit, neſcio.

III.

III. Differentiæ pragmaticæ Braſſicarum ſunt, Alia eſt *Sativa*, alia *Sylveſtris. Sativa* rurſus alia eſt alba, alia rubra: alia capitata, alia non capitata. *Sylveſtris* iterum, alia campeſtris, alia marina. Ita vellem ego, ut Bauhino perſuadeam, Soldanellam, de qua ſupra, non fuiſſe tam longè projiciendam, idque propter auctoritatem Veterum, qui utcumque poſitas nomenclaturas ſervatas voluerunt, quod τρόπος ἐπιςήμης heic ſit ὡς τύπῳ εἰπεῖν, ut Theophraſtus ſæpiſſime loquitur. Quamobrem ſi detur Betonica flore albo, non ſubitò dicere oportet, Ergo eſt alia ſpecies. Si detur Sphondylium glabrum, Ergo eſt ſpecies ab hirſuto diverſa.

IV. Ex omni numero, in Officinis quidem venit Braſſicæ capitatæ albæ I. ſemen & folia: in culinam autem & hæc, & V. quæ eſt *Braſſica gongylodes*, à vulgo *Caulirapa* dicta, artificio introducto, quod Coſtus narrat 1. *Nat. ſtirp. c.* 40. quamvis alii ex Plinio *l.* 19. *c.* 10. aliud doceant; & VII. Bauhini, quæ eſt *Cauliflora*, *caulifior* Italis & nobis. Præter has tres venit quoque ad menſam *Braſſica non Capitata I.* Bauhinus non videtur agnoſſe: ancillæ verò focariæ unà cum dominabus ſuis tantopere affirmant, ut videantur furcillis exacturæ culina eum, qui non diſtinguat *Kraut* à *Kohl*. Ita enim volunt, *Kraut* ſive *weiſs* ſive Cappus *Kraut* appellant. I illam capitatam Bauhini, *Kohl*, I. itidem non capit. Bauhini, quam *Welſch Kohl* aliquando vocant, & in extremo appetitûs lapſu obtrudunt ægris.

V. Obſervant etiam hoc diſcriminis, quod *Kraut* in prandio dent, *Kohl* in cœna. Eſt & differentia, *Kohl* eſt nitroſior & dulcior altero. Præterea *Kohl* non conditur: at *Kraut* eſt id, quod *Saurcraut*, poſt inciſuram vocatur. Italorum vulgus cum riſu noſtrorum dicit, *ſaure di Kraut*, *ut ſtoctle de Fiſch.*

VI. Alia eſt ratio Braſſicæ compoſitæ, Thuringis meis uſurpatæ, *Compuſcraut*. Utriusque brodium tam fœtidum eſſe conqueritur Cluſ. *in Bell. l.* 3. *c.* 27. ut aërem inficere poſſit vaſis recluſis. Nec mirum: nam & in hortis putrefactæ braſſicæ non benignius olent, ſcribente Galeno, ſi modo Galenus eſt, 3. *Humor.* 3.

VII. Præter omnia hæc olim quoque edules erant cymæ ſeu aſparagi 2. *Alim.* 58. quos 10. κ. τόπ. 1. ex Archigene *Prototomos caules* vocat. Sub hoc nomine etiam Romæ vænibant, ut eſt apud Columellam & Martialem. Neſcio ſanè, an ita appellare debeam *Cymas raporum*, & *paſtinacarum*, quas per hyemem una cum braſſicis in cellis ſubterraneis emiſerant. Certè ſub initium veris publicè venduntur Noribergæ, nec abhorrent ab aliis magnates. In Officinis præter *Braſſicam capitatam* ſemen eſt *Mabathematicum*, in Diacaſt. Nic. Myrepſi vox ipſo tremenda ſono! Cordus ait eſſe Braſſicam ſylveſtrem, quare ſimpliciter acceptat Manlius *in Lum. maj.* Ego ab amiciſſimo Bauhino libenter ſciſcitarer quam ex 10. ſpeciebus huc collocatam velit?

VIII. Sed jam tempus eſt ut veniam ad facultates, in quibus iterum inculcandæ ſunt partes heterogeneæ, de quibus nuper in Beta. Non minus enim, imo ma-

magis, folia Braſſicæ in ſuperficie habent ſalſum quid, nitroſum & leviter amarum, cum acredine quadam, cum in fundo aquea & frigida ſint.

IX. Ne quid erretur, in eadem diverſitate magna iterum diverſitas, non tantum inter ſylveſtres & ſativas eſt, ſed & inter ſativas ipſas. Ut enim Pena ſeriſcribit *Adv.f.* 91. quo candidiores, eò minus habent ſalſedinis & nitroſitatis: contra, quo rubriores: Illæ itaque cibis aptiores ſunt: hæ enematis, & aliis abſtergentibus.

X. Sylveſtris tantoperè abundat calidis illis partibus, ut Galeno authore 7. *Simpl.* non amplius inter alimenta ſit.

XI. Jam, ſi de ſemine dicendum ſit, partes frigidæ prorſus ablegandæ ſunt, calidum quippe totum, & quidem rurſus hac differentia, quod agreſte longè ſit ſupra ſativum. Quare Galenus ſcribit 9. κ. τόπ. 4. eſſe ex maximè attenuatoriis; quæque multum ſiccare & diſcutere poſſunt.

XII. Verum, ut ad heterogeneitatem redeam, ſcribit idem Galenus multis locis, braſſicam habere contrarias vires ſolvendi & ſtringendi alvum. Si enim (ait) illud voles, aut leviter coctam cum ſuo jure dabis, aut jus ipſum: ſi hoc effuſo jure primo, affundes aliam aquam calidam (hoc enim peculiariter monet) eaque poſt coctionem iterum effuſa, edendam dabis Braſſicam ipſam. Quod tanto melius fiet, quo ſæpius effuſa fuerit aqua, & repetita coctio, ut jam non δίσεφθος ſit, ut Galenus vocat, ſed τρίσεφθος, &c. Hoc norat & antiquiſſimus Cato, ut facilè demonſtrari poterat. Hoc noſſe volunt etiam Ἰαμεύτριαι noſtræ, quæ braſſicam inciſam & conditam nunquam percoquunt, ut alvum cieat, inquiunt.

XIII. Hinc intelligitur, cur Averroës dixerit, *Caules ſunt frigidi (aliàs calidi) & ſicci.* Sunt enim frigidi & ſicci, ſuaque frigiditate & ſiccitate alvum ſiſtunt, ſi de corpore & carne loquare: ſunt calidi & ſicci, ſi de ſolo juſculo.

XIV. Revera etenim partes calidæ & ſiccæ in tota planta ita prædominantur, ut recte Avicenna dixerit, *caulem eſſe calidum & ſiccum.* Determinatio autem illa, calidum in 1. & ſiccum in 2. pertinet ad ſolam braſſicam ſativam albam. Nam & rubra & ſylveſtris excedunt hos terminos.

XV. Recte proinde etiam Hippocrates ſcripſit 2. *Diæt. Braſſica calefacit, movet, & bilioſa cit.* Quod ultimum explicatur per illa, de Morb. ext. *braſſica acrimonia quadam lubricat.*

XVI. Intelligitur inde, quomodo applicanda ſint encomia Catoniana, *Mirificè concoquit*, &c. Revera enim non de braſſica tantum, ſed & de aliis hujus generis verum eſt, quod Galenus ait 1. *Alim.* 1. quando una cum ſucco ſolidum ipſorum corpus ſumitur. Tormina enim & inflationes oriuntur, dum illud quidem, quod acre & calidum eſt, exire nititur: illud autem, quod frigidum, hæret & cunctatur. Et hoc eſt Hippocrati ἄραδον ἐμποιεῖν, qua de voce Foëſius conſulatur.

XVII.

XVII. His rectè intellectis, non fuerit difficile componere ea, quæ hinc inde vel in laudem, vel in vituperium braſſicæ dicuntur. Cato ruſticus laudavit cibum & medicamentum ruſticum. Noribergæ tantus eſt uſus braſſicæ condîtæ, ut non pauci rem faciant, hoc ſolo obſonio. Ego paucis contentus ero. Sumitur vel ut alimentum, vel ut medicamentum. Si illud verum eſt, quod Galenus ſcribit 2 *Alim.* 44. Quocunque modo præparetur, facit in corpore χυλὸν μοχθηρὸν καὶ δυσώδη. Hunc 3. *loc. affect.* 7. μελαγχολικὸν vocat, confuſa notione: ego diſtinctè, atram bilem ſpeciatim ſic dictam, cum à melancholia contra diſtinguitur. Urit enim ſanguinem braſſica. Si hoc, cum debito præparationis modo mane, in juſta doſi, &c. poteſt violentia ſua (ἀφάδῳ.) graviſſimos quosvis affectus curare, non minus, quam ligni decoctum, alia. Quam in rem cum Plinio uterer ſucco, qui præcipuè ſiccando eſt efficax. Interim decocti in vino nigro auſtero in ſanandis ulceribus ſinuoſis, mirifica vi, vide experimentum Camerarii *in Horto.*, & Jul. Alexand. *Notis in Gal.* 7. *Simpl. c. proprio.*

XVIII. Semen commendant omnes ad lumbricos. De eodem accipit Paſinus *in Matthiolum*, quod Dioſcorides ait de flore ἰατίκιον eſſe.

XIX. Habemus in Officinis *Looch de Caulibus* ſeu *ſucco caulium*, quod *Pectorale* vocant quidam. Uſus eſt in raucedine præcipuè, ſed & tuſſi ex cauſa frigida. Crocus enim valdè attenuat. Veteres enim ſcribunt, habere vim clarificandi vocem, quò facit imprimis Crocus, ut dixi.

CAPUT XLII.

DE BUGLOSSO ET BORRAGINE.

I. BOύγλωσσον, τὸ, aut etiam Βέγλωσσα, ἡ Βέγλωσσος, duo ſignificat apud Græcos, aut piſcem, aut plantam. *Bugloſſus* piſcis apud Galenum eſt *l. de Cibis*, 3. & 7. *Meth.* 6. ut & Athenæum *fine l.* 7. ubi Dalecampius *ſoleam* vertit, ex Plinio fortè *l.* 19. *c.* 15. Plautus *in Caſin. Lingulacam.* Fruterius 1. *Veriſ.* 11. putat eſſe *Tonge Belgarum*, & *Solla Gallorum.*

II. *Bugloſſum* herba eſt, cui congener eſt *Borrago*, Veteribus ignota, quam vocem à Bugloſſo deduci, non patitur ulla veriſimilitudo. Interim ex Bugloſſi tabula apud Bauhinum duæ plantæ ſumuntur, facultatibus ſimiles, I. & III. quarum tres partes uſurpantur, radices, herbæ & flores.

III. De facultatibus primis paſſivis utriusque, conſenſus eſt, diſcedere à temperie, & ferè ſuperare 1. gradum humiditatis, de activis litigant, his quidem frigidas dicentibus, illis autem calidas. Apud me vera eſt ſententia Galeni. In utraque combinatione eſſe calidum in 1. humidum in 2. Illud indicat dulcedo: hoc lentor quidam, præcipuè in radice.

V IV.

IV. Modico hoc calore faciunt quædam, quæ alias à frigidis ſunt. Galenus in tuſſi, ab aſperitate gulæ (hæc à colore eſt) uſurpat. Tragus laudat aquam in inflammationibus oculorum, repellentis ſcil. loco. De aliis fluxionibus, ut in recentibus vulneribus, idem judico. Iisdem facultatibus folia in cibo alvum molliunt, quatenus bili frenum injiciunt. Hinc trahuntur ad omnes cordis affectus bilioſos, non magno tantum errore, ſed & effectu fruſtraneo. Audivi hypochondriacos valde ſe adjutos dicentes ab eſu florum borraginis in acetario. Medici in febribus peſtilentibus etiam eò confugiunt: imo in ictu ſerpentum, aliisque venenis Cor iis ſolicitè muniunt, fruſtra, ſat ſcio.

V. Huc trahuntur & ſyrupi & conſervæ, flores & radices conditæ. Videat unusquisque quomodo conſulat conſcientiæ ſuæ, nec fingat ſibi quod in rei natura non eſt.

CAPUT XLIII.

DE BURSA PASTORIS.

I. A Loculamentis triquetris dicitur hoc nomine planta, mulierculis noſtris conſita inter illas, quas infantibus cholericis (*wann ſie den Bils haben*) ſubſternunt *Teſchelcraut*. Perinde autem eſt, utra utaris, ſive illa, quæ integra habet folia, ſive illa, quæ lacinata. Hanc Criſpulam quidam vocant, & unguento Martiato magno Nicol. Alexand. indunt.

II. Hi, ſiquidem frigidam eſſe volunt, errant. Eſt enim non minus calida, quam ullum Thlaſpi, quibus Bauhinus ſubjicit. Ut enim hoc addam, cognita fuit Veteribus in genere, & poteſt locum habere in dicto Unguento prorſus, ut & Cotula non fœtida, ſeu Chamæmelum inodorum.

III. In dictis facultatibus confirmet te Pena, *Adv. f.* 76. Si quis ex Trago objicere volet, ſanguinem ſiſtere: reſpondebit pro te idem. Non frigida tantum, ſed & ſicca id poſſe. Si quis alius ex Cæſalpino 8. *Hiſt.* 74. ſaporem inſipidum, ſubſtantiam glutinoſam & emplaſticam: principio dicam, multipliciter ſæpè falli guſtum in his, præcipuè cum in inferioribus plantæ partibus aliud eſt, aliud in ſummis. Deinde quæ de vi cohibitoria ſanguinis (hinc *Sanguinaria* dicitur) objiciuntur, poſſunt referri à Pena ad ſiccitatem, tum tepore quodam junctam. Unde dubia etiam evadit adſtrictio commentitia. Siccitas enim cogit in ſe partes, Pena dicet. Commendant in omnibus internis ſanguinis profluviis, in decocto vini chalybeati, in clyſteribus cum plantagine & bolo Armena, in inſeſſibus pro dyſentericis, ſucco naribus iuſuſo in hæmorrhagiis, linteis ſucco illo madidis, foris impoſitis, herba ipſa manibus detenta, contuſa & carpis impoſita, comeſta in acetario, ſubſtrata capiti. In vulneribus recentibus creditur inflammationes arcere, quin vulnera ipſa glutinet, ſi decocto abluantur, unde

de etiam *Vulneraria.* Ab his progreſſus fit ad incredibilia quædam, quæ non attingo.

Caput XLIV.

DE BUXO ET LYCIO.

I. BUxus Latinis eſt à Græco πύξος, unde πύξις καὶ πυξίδιον, quamvis etiam ex alio ligno ſit. Hujus ſpeciem facio πυξάκανθαν, *buxum Spinoſum*, qui eſt *Lycium Dioſcoridis.* Sub quo nomine habemus in Officinis ſuccum denſatum, de quo difficile eſt judicium, quid ſit?

II. De planta Buxi quam nota res eſt, tam ignota *Lycium* eſt. Ego pro legitimo accepto Rauwolfii Lycium 4 *Hodœop.* 285. quod eſt VII. in ordine Bauhino, vel ideo quia Serapionis nomen *HadHad* retinet. Qua aſſertione ſimul excutio omnes alias plantas, quæ ſub hoc nomine latent.

III. De Buxi facultibus non ero longior, quia nemo hodie pro Guajaco utitur. Si quis ſuccedaneum velit, & quidem ex noſtro orbe, illi Fraxinum porrigam, cum atteſtatione, effectum, qui ſecuturus ſit, non tam fore fraxini, quam violenti, repetitique ſudoris, cum victu tenuiſſimo.

IV. Lycii alia ratio eſt. Cum enim ingrediatur compoſita quædam, ſcire fas eſt, quas notas legitimo ſucco Veteres tribuerint. Primum autem ſcire oportet, qualis ſit ſuccus, utrùm ſit is, qui expreſſo ſemine fit, per inſolationem? An potius is, qui ex tuſis ramis, & in aqua præmaceratis, per decoctionem fit, accepta ſeorſim ſpuma, pro medicamentis ocularibus. Hujus I. apud Dioſcoridem nota eſt, quod κατὰ σβέσιν τὸν ἀφρὸν ἐνερευθῆ ἔχει, *quod accenſum ſpumam rubicundam habet.* Et hinc petere oportet ſenſum Plinianum, qui *ſpumoſum* vult. II. Quod ἔξωθεν μέλαν ἐςι διαιρεθὲν δὲ κιῤῥὸν, quod egregriè vertit Plinius, *Indici Lycii differentia glebis extrinſecus nigris, intus ruffeſcentibus, cum fregeris, citò nigreſcentibus.* III. Quod eſt ἄβρωμον, *odoris non ingrati ſeu viroſi.* IV. Quod eſt ςύφον μετὰ πικρίας, *quod adſtringit cum amaritie.* V. Χρώματι κροκῶδες, *colore croci.* An licet Dioſcoridis codicem ex Serapione ita ordinare, διαιρεθὲν δὲ χρώματι κροκῶδες, ἢ κιῤῥιν? Addit Serapio *Quod non ſit pingue.*

V. In India tam callidè adulteratur, inquit Galenus 1. *Antid.* 2. ut nemo poſſit dignoſcere fraudem. Hodie non minus fraudum eſſe apud noſtros aromatarios, ſcribit Braſſavolus *Exam. Simpl.* ut Lycium ſit, quidquid illi eſſe volent.

VI. Quo poſito, quid certi de facultatibus ſcribi aut dici poteſt? Quia Monàchi *in Pilulis Lucis* non ſine ratione dicunt, Præſtare omittere. Tanto magis, quo longius abſit ſuccus, in deliberatione poſitus, à veri facultatibus.

VII. Scribit autem Galenus 7. *Simpl.* heterogenearum eſſe partium, & quidem ita, ut calidæ præponderent. Scribit idem, in activis vix eſſe ultra temperiem: in paſſivis vergere ad 2. gradum. Addit digerere inſigniter, adſtringere leviter. Idem 4. κ. τόπ. 2. & 3. habet inter concoctoria, qualia crocus, myrrha, thus & caſtorium. 3. κ. τόπ. 1. in aurium affectibus, idque ob digeſtionem. Adſtrictionem commendat idem 7. *Simpl.* in alvi fluxibus, in hæmorrhagiis, in aliis.

VIII. Periclymeni ſuccus, qui ferè apud nos ſubſtituitur, longiſſimè abeſt à temperie Lycii, nec ſine periculo uſus ipſius eſt.

CAPUT LXV.

DE CALENDULA SEU *Caltha.*

I. QUOD ſingulis Calendis videatur florere, dicitur Italis etiam *Fior d'ogni meſe*, quamvis etiam Senecionis ſit appellatio. In inquiſitione quid ſit apud Veteres, pervenitur ad *Caltham* Virgilii & Columellæ. Ab hac ad *Chryſanthemum* Dioſcoridis quem juvat Pena correctione Cod. M. S. Pellicerii, cui licet parum tribuam, accipio tamen pro *Chryſanthemo* Dioſcoridis non ignarus, quid Ill. Columna de *Clymeno* ejusdem Dioſcor. diſcor diſcurrat. Aliorum opiniones Bauhinus *in Pinace & Phytoph.* narrabit. In Officinis habemus non Caltham Pal. ſed Caltham-paluſtrem Bauhini, quam polyanthon vocat, alicubi flores tantum, alicubi aquam ex tota planta, abjecta radice, elicitam.

II. De facultatibus res eſt valde tenebricoſa. Tragus tam calidam & ſiccam eſſe plantam ait, ut rarus ſit ipſius uſus, præſertim intrinſecus. Modeſtior Dodoneus, florem quidem, præcipue ſiccum, calidum eſſe vult in 2. propemodum gradu, folia autem amplius, propter acrimoniam quandam frigidam, quæ tamen in lingua non ſtatim ſe ex ſerat. Atteſtatur ſapor dulcis & ſuavis, ut Cæſalpinus, cum amaritudine modica, quam Fuchſius ſenſit. Dodoneus etiam gravem odorem urget.

III. Contra quæ, quæ dicat Fabius Columna *in Phytob.* & quomodo ſtabiliat Clymenum ſuum, videri poſſunt à volentibus. Summa, frigidam eſſe ſtatuit & adſtrictoriam, cujus uſus in nimiis menſibus, in albo fluxu, in aliis, in quibus opus ſit vi narcotica, vel ſemi-narcotica.

IV. Quomodo igitur menſes ducit, rei cujus experimenta habet Matthiolus? In calido & exuſto ſanguine, inquit. Huic calculum ſuum tradere videtur Pena, cum uſum illius adſcribit virgunculis, quæ icteritia, & fœdis coloribus laborant. Nec longè abeſt Cæſ. Quo obtento, obtinebitur fortè etiam, in febribus

bus

bus peſtilentibus cordiale eſſe, quo ſine juſculis imponi folia de Gallis ſcribit Bruyer. *in opere de Re Cib.* Contra vermes dant ſemen, ſed cum aliis ſeminibus frigidis.

V. Quid igitur? inquis. Calida, an frigida eſt? Ut roſa, quæ calida cùm ſit, remittit tamen majores calores.

Caput XLVI.

De Capillo Veneris et *Capillaribus.*

I. Complector hoc Capillo Veneris Adiantum, Polytrichum & Ceterach, itaque induco. In Officinis Capillus Veneris aut contra diſtinguitur ab Adianto, aut non. Cum illud, Capillus Veneris eſt Adiantum Dioſcoridis, quod ipſum eſt Adiantum nigrum Theophraſti & Plinii Adiantum eſt hoc poſterius tantum. Cum hoc, eſt una & eadem planta, ſub duplici nomine. Raræ quædam, ignorato Capillo Veneris habent Adiantum utrumque? Polytrichum, ſive Callitrichum (vide ne confuſio fiat cum Hormino ſeu Scarlea) eſt Trichomanes Dioſcoridis. Ceterach tandem eſt Aſplenium ejusdem; non autem Phyllitis, ſeu Scolopendria, ſeu lingua cervina, *Hirſchrung.*

II. De ſingulis acturis opus eſt ſingulari induſtria, quam præſtabo καδδύναμιν.

III. Capillus Veneris Officinalis vel Bauhino judice, eſt ἀδίαντον Theophr. *Hiſt.* 13.9. quod οὐ διαίνεται, *non humeſcit*, *aquas reſpuit*, ut Plinius loquitur *l.* 22. *c.* 21. Et hoc apud Nicandrum quoque eſt *in Theriac.* Sed cùm falſum ſit, experientia Braſſavoli & Brodæi, quid dicemus? Pierius *in Hierogl.* explicat τὸ διαίνω, *marceſco.* Neque enim inquit, ut herbæ reliquæ, marceſcit.

IV. Sed ſit: Apud eundem Theophraſtum duplex eſt, λευκὸν καὶ μέλαν. Plinius *loco citato.* videtur Theophraſto addere, quæ Dioſcor. *l.* 4. *c.* 131. habet de Trichomane. Auget confuſionem Tragus, cùm Adiantum facit Trichomanes. Apud Dioſcoridem in dubio eſt, unumnè an duo habeat Adianta? Si unum, eſt illud Nigrum. Tum verò delenda fuerint illa, ὅμοια πτέριδι, quod jam fecerunt quidam: Sin duo, alterum habebit folia Coriandri, & Album erit: alterum Felicis, & Nigrum. Eam in rem Cornarius inſtituit correctionem Dioſcoridis quam vide, ſis. Mihi prius illud probabilius eſt, partim propter Serapionem, partim propter contextum qui non niſi unam plantam admittit, *Nigrum.* Idem de Galeno dixero. Quidquid conſtitutum fuerit, *Capillus Veneris Officinalis* & *Adiantum nigrum* earundem eſt, una planta, ſcil. quam Bauhinus ponit primo loco: *Adiantum album Officinale* eſt *Ruta muraria*, ſeorſim à Bauhino locata.

V. Utraque hac contententi ablegare poſſumus Filiculæ genus quoddam, quod plerique onerant nomine Dryopteridis Dioſcoridis, quamvis illi avertant infamiam, longam cauſati experientiam. Bauhinus inter filices habet, Quernam vocans. Atque hæc ita ſe habent.

VI. *Polytrichum Officinale* proculdubio eſt *Trichomanes Dioſcoridis & Theophraſti* quod ipſum cum *Adianto nigro* quidam confundunt.

VI. *Ceterach* tandem Arabum, non eſt, (ut dixi) *Scolopendrion*, ſed *Aſplenium* Dioſcoridis. Quo loco video poſſe mihi objici, Atqui Scolopendrion, Aſpleniumque ſunt idem? Non ſunt: ſed eſt confuſio nominum, de qua ego alibi. Differentia plantarum non meliùs cognoſcitur, quàm ſi juxta ſe ponantur.

VIII. Cæterùm, ut omnes enumeratæ plantæ in hoc conveniunt, quod naſcantur è ſaxis, murisve bene humectis, neque ulla, vel caulem (propriè dictum) habeat, vel florem, vel ſemen: ita facultates valde ſibi vicinæ ſunt.

IX. Quod ad primas, & modum ſubſtantiæ. De *Adianto* ſcribit Gal. 6. *Simpl.* σύμμετρον eſſe, quamvis aliquantulum ſiccet, attenuet & diſcutiat. Idem *l.* 8. de *Trichomane* penè idem dicit. De *Aſplenio* ibid. eſt, tenuium partium eſſe, ſed non calefacere. De *Capillo Veneris* ex auctoritate Galeni Meſue ait Non procul abeſſe à temperamento: Serapio ſiccare, ſed non calefacere: Avicenna calidum & ſiccum eſſe, tu confer cum dictis Serapionis.

X. Nimirum, omnes vel temperatæ ſunt, vel non ultra 1. gr. cum partibus tenuibus, in quibus penè omnium capillarium laus eſt. Medentur enim capitis doloribus, 2. κ. τόπ. 2. de ſententia Archigenis, curat alopecias, ophiaſes, defluvia capillorum quædam, achoras, ſtrumas, abſceſſus omnis generis, præcipuè in corporibus tenuioribus.

XI. Et hæc extrinſecus: Intrinſecus cruditates ſtomachi leniunt, ſingultus & diarrhœas inde pendentes curant, pituitam in pectore ſtagnantem ad expectorationem præparant, in viſceribus concluſos humores, & obſtructiones cauſantes, longiori uſu abſtergunt, præcipuè lieni tam ſunt amicæ, ut pene appropriatæ illi credantur: in menſibus reſtitantibus, in calculo, ſuas habent laudes.

XII. Sed ſterilitatem faciunt? Inanis fama, niſi accedat abuſus.

XIII. Purgantne? Arabes, præcipue Meſue, id ſcribunt: verùm non intelligendi ſunt de vi quadam peculiari, ſed communi omnibus calidis. Qui diſſentire volet, illum acerbitas Adianti (ut de hoc ſolo dicam) cautiorem faciat. Hæc verò in Scolopendrio (ſiquidem huc pertinet) tam manifeſta eſt, ut apud Galenum diarrhœas & dyſenterias curet.

XIV. Habemus in Officinis *Syrupum de Capillo Ven.* duplicem, *ſimplicem* & *compoſitum*, quibus plerique Practici parum fidunt. Habetur & *Syrupus de quinque*

quæ capillaribus, cui ſubſtituunt *Syrupum Adiantinum Fernelii*, & *Polychreſtum* vocant. Pax!

Caput XLVII.

De Capparibus.

I. Capparis planta eſt apud Græcos, Latinos & Germanos, cujus rudimenta florum (ita loquor) *Capparen* dicuntur. Duplex cùm ſit, ſpinoſa & non ſpinoſa, ab illa potiùs quàm ab hac. Quæ aliæ ſunt ejus varietates, peti illæ poſſunt ex Bauhino.

II. Præter florem dictum, qui eſt inter condimenta menſarum, Officinæ petunt ſibi & radicem integram, & corticem radicis. Olim natalibus diſcernebantur, & damnabantur Arabici, Libyci, Marmarici, Apuli, &c. quicunque facultatis cauſticæ eſſent, ut de Arabicis loquitur Gal. 7. *Simpl.* Hodie videntur omnia genera eſſe mitia, undecunque illata, ſi modò à ſale & aceto bene ſint domita, ut Hermolaus loquitur, Coroll. 405.

III. Cæterum, cum duplices ſint, majores & minores, coqui & mulierculæ eligunt ferè minores, quòd majorem gratiam cum palato ineant. Sed revera præſtant majores, quippe integriores. In hunc uſum alicubi ſpontaneæ plantæ ſufficiunt: alicubi ſeruntur, qua de re videri poteſt Quiqueranus 2. *laud. Provinc. f.* 49. b.

IV. Ita autem habendum eſt, ſive ex ſpontaneis legi debeant cappares, ſive ex cultis, animadvertendum, ut quamprimum è medio foliorum ſinu pediculi exſiliunt acuminati, acumine ſuo capparin geſtantes, colligantur. Longiore enim mora ex ipſis capparum volgis flos emergit, qui jam inutilis eſt ad condituram.

V. Conditura ratio apud alios ſimplicior, apud alios operoſior eſt, de qua nolo pluribus agere. Hoc attingo tantùm, An omnes, antequam menſæ apponantur, ſint præcoquendæ.

VI. Macerationem majorum in aqua, ut probo, ut ſal marinus bene abluatur: ita coctionem non probo, niſi nimis acres ſint. In minoribus, ne anima illis pereat, contentus ſum ſola ablutione. Oportet autem, ex præcepto Galeni 2. *Alim.* 34. 14. *Meth.* 16. edere ante alios cibos, medicamenti potiùs loco, quàm alimenti.

VII. Belgæ ad nos attulerunt morem condiendi in aceto flores geniſtæ vulgaris, qui difficillimæ ſunt digeſtionis, alioqui facultatibus non inferiores.

VIII. Sed quæ illæ? Galenus 7. *Simpl.* Corticem radicis quaſi in exemplo ſu-

ſumit, & ſubjungit, fructum proportione ei reſpondere, niſi quòd ad omnia ſit imbecillior. Docet autem guſtu deprehendere partium in cappare heterogeneitatem. Cum amara, acris & acerba ſit, amara quidem maximè, minùs acris, minimè acerba: apparet inde, habere partes quasdam igneas, quasdam terreas, ut Averroës ſcribit. Amaror enim à partibus terreis aduſtis eſt, quæ quò prævalent magis, eò medicamentum fit καυστικώτερον. Acerbitas etiam à terreis, ſed crudis adhuc: Acrimonia eſt ab igneis, à quibus etiam eſt tenuitas illa, in flore valde conſpicua.

IX. Calida igitur proculdubio planta eſt & ſicca: ſed quousque? Galenus non exprimit gradum. Avicenna ſecundo contentus eſt, fortaſſis finem reſpiciens. Ideo cum Averroë facilius conciliari poteſt, qui calidam in 2. ſiccam in 3. ſtatuit. *Propter amarorem*, in abſtergendis ſordidis & calloſis ulceribus, multùm poteſt, nec minùs in lumbricis, ut & putredinibus, quæ Theriaca aliàs opus habent. *Propter acrimoniam* duriſſimos quosvis tumores diſcutit, obſtructiones obfirmatas aggreditur, caput purgat, pituitam ubicunque locorum ſit, incidit, attenuat, &c.

X. Inter appropriata, ut ſic dicam, viſceribus, ut in hepate ſuum locum habet. 8. κ. τόπ. ſæpe: ita in ſplene primum habet, 2. *ad Glauc.* 5. Imò proprietatem habet ad ſplenem, inquit Averroës. Vacuat enim collectos ibi humores, non per alvum tantùm, ſed & urinas, Galeno doctore. Facit id autem foris, & intus, per aliquot dies uſurpata. In Iſchiade & collectionibus aliis arthriticis inditur etiam clyſteribus. Ita in menſibus ſtagnantibus, hoc eſt cum vel ob ætatem, cumulata melancholia, jam nutant, vel ob victum crudum & otium non procedunt, inſigniter laudatur. In quibusdam etiam ad coitum facit, ubi ſcilicet pituita eſt. In eadem alvum ciet. Inditur etiam apophlegmatiſmis & errhinis.

XI. In *Trochiſcis de Capparibus* præfertur deſcriptio Meſue, ſed cum duabus cautelis. I. ne pro *Eupatorio* ſumamus *Gratiolam*, quod Cordus voluit. *Agrimonia* enim debet accipi. 2. ut *Ammoniaci* indamus duplam doſin, ℥ß. inquam, loco ʒij. Tertium poteſt addi, de foliis ſalicis, in quorum decocto dat Meſue. Revera enim non licet excuſare, quod opus ſit adſtrictione. Ut enim Trincavella deducit, jam eo ſcopo adeſt Capparis ipſa, Agrimonia, Scolopendrium ſeu Ceterach. Uſus eſt in ſcirrhis hepatis, & lienis, & præcipuè ab ſucco melancholico, à quo ortos etiam flatus diſcutiunt.

C A P U T XLVIII.

DE CARANNA.

I. GUMMI eſt ex India Occidentali à ſolo Manarde (Tragus enim ex ipſo habet) *Simpl. c. 7.* deſcriptum, quod effluit ex arbore vulnerata.

II.

II. Tacahamacæ ſimilis eſt, colore, albo, ſed ſplendidiore, denſiore, odore etiam eodem, ſed graviore. 2. Subſtantia pingui & oleaginoſa, tenaci, ſine multa adhæſione & colliquatione, ut loquitur Interpres Cluſius.

III. Facultatibus etiam, ſed fortioribus. Quæcunque enim mala ab influxu humorum pituitoſorum ſunt, ea feliciſſimè diſcutit, feliciùs & citius ipſa Tacamahacâ, calida ultra ſecundum.

C a p u t XLIX.

DE CARDAMOMO.

I. Quam Galenus comparationem inſtituere voluerit inter *κάρδαμον*, *naſturtium*, & hoc noſtrum *καρδάμωμον*, & quo fine, equidem à nullo explicatum vidi hactenus. Multò minus expedierunt alii *Naſturtium ſuave*. Ut cogar contra animi ſententiam deſcendere eò, vitium ibi latere Tantò magis, quod perſuadere mihi ne nunc quidem poſſim, *τὸ ἄμωμον* eſſe Græcum! Imò verò, ut *τὸ κάρδα*, fortaſſis etiam *τό κίννα* ſunt Perſica: ita etiam *τὸ ἄμωμον* eſſe firmiter credo. Non quòd ex Perſide immediatè ſint iſta tria aromata: ſed quod luxurioſi Perſæ, ex vicino Chinæ regno delatis, cùm frequenter uterentur, nomina hæc illis dederint, & ſub eorum velo ad Græcos miſerint.

II. Heic in primo ſtatim limine offendunt Interpretes, quærentes. Lignum an ſemen deſcripſerint illi? Ego in lucem meridianam protraho ſemen, ſimulque trado Notas à Bauhino deſideratas in Matthiol. 2. *Antid.* 2. in Antidot. Mithrid. Damocratis deſideratur, *καὶ καρδαμώμου, καὶ μαράθρου σπέρματος*. Ibid. in Cyphi Ruffi ponitur *σπέρματος καρδαμώμου*. *cap.* 3. *ſeq.* in Antid. altero eſt idem. Et *cap.* 10. in Theriac. Zen. Laod. eſt *καρδαμώμου κεκαρθαμένυ, καὶ ἀφηρημένου τῶν λοβῶν*. Unde intelligitur, quomodo ordinanda ſint verba ejusdem Zen. in Ther. ad morſum canis rabidi *καρδαμωμυ, τῶν λοβῶν χωρὶς, ἐντεριώνης*. Hinc etiam corrigitur Aetii locus *l.* 12. *c.* 47. animadverſore Cornario in Dioſcoridem *καρδαμώμου χορὶς λοβῶν, τῆς ἐντεριωνης*.

III. Ex his intelligitur, quid ſit *καρδάμωμον ἐξεντερισμένον*, 7. *κ. τοπ.* 3. in Confect. arteriac. Pamphili, ſcilicet *λελεπισμένον*, ut contrarius ſit ſenſus à Glyc. *ἐξεντερισμένη*. Quò ſenſu apud Scribonium & Marcellum Empiricum & *Naſturtium* dicitur *Animatum*, & *cachry* & miſy, niſi ſi *Inanitum*, ſcribendum eſt, ceu Cornar. *loc. cit.* putat. Interim hæc duo loca de ſiliquis accipi poſſunt, quæ & ipſæ ſunt ſine odore & ſapore aromatico.

IV. Hæc dicta dant nobis ſimul momentum ad acceptandum Cardamomum noſtrum pro legitimo veterum, quò ducit nos etiam Bontius *Notis in Garz.* Qui contrà eunt (uno verbo) nimis accurati ſunt, non ſecùs ac in Cinnamomo &

Caſſia. Qui enim deguſtarunt, præcipuè minus, recens non evanidum, animadverterunt, habere illud 1. acredinis non parum, ut cum naſturtio comparari poſſit. 2. quiddam etiam amaritudinis (& hoc eſt τὸ ὑπόπικρον Dioſcor. & ἔχει τὸ πικρότητος Gal.) ut vermibus infeſtum eſſe poſſit, accedente in primis ſiccitate. 3. odoris in maſticatu (ita enim intelligere oportet) multûm, ſi non vehementis, certè talis, qui evidenter caput petit, unde tantus ipſius uſus in hujus partis affectibus, è qua non raro etiam pituitam ducit. 4. habet etiam colorem albicantem, quem tribuit illi Paulus. 5. ut & reſiſtentiam ſub dentibus non exiguam, ſi modò δύσθραυστον illud Dioſcoridis non ad totum lobum referendum eſt, quod ſequatur τὸ μεμυκός.

V. Atqui inquiunt, veterum Cardamomum non afferebatur ex India? Pudeat! Dioſcorides expreſſè dicit, Andromachus ſenior 1. *Antid.* 6. *Theriac.* 7. ἰνδαῖον vult non ἰδαῖον ut corrupta habent exemplaria. Atqui Cardamomum veterum erat nigrum. 9. κ. τόπ. 2. in potione Antipatri ad ſplenicos. Turpis error, quamvis frequens, à Cornario notatus, καρδάμου debet eſſe. Atqui Plinius *Amomo* dixit. Dixit etiam *Cinnamomo.* Idem deſcripſit 4. genera? Nihil refert: nam apud nos plura ſunt, quæ vide apud Cluſium *in Garz.* Matthiolum, Lobelium, alios. De quibus dico accipiatur ex illis, quod plures bonitatis notas habet.

VII. Nomina Arabum, *Grana Paradiſi*, *Malaguetta*, *Cacala*, *Heil*, *Heilbane*, *Cordumeni*, &c. non curo. Vide Garz. & in eum *Notarum* ſcriptorem, qui Scaliger putatur.

VIII. Plantæ picturam exſpectemus à Bontio, quem dixi. Interim accepto Penæ μύνησιν, *Adv. f.* 145. plantam quidem Zingiberi eſſe ſimilem conceptaculum autem (quod in Iconibus eſt tom. 1. f. 71.) Xyridis ſeu ſpatulæ fœtidæ, & aliarum iridum, quas ego addo.

IX. De facultatibus qui ambigunt, vetuſtum & evanidum præ oculis habent: ſed enim, quia recens eſt ἄμωμον, non debet etiam curare Momos, ut Cæſ. loquitur.

X. De Galeno jam dixi, comparare cum Naſturtio, quo tamen minus calidum ſit cauſticum quippe: ſed quantò ſit illo ſuavius, & ἀρωματικώτερον, tantò minus calidum eſſe. Poſſe tamen attrahere, (inquit,) ſi emplaſtri modo applicetur, & habere aliquid amaroris, quo vermes occidat, & pſoras validè abſtergat.

XI. Quæ cum ſuprà inclamarim, multo magis inclamare cogor Aver. qui 5. *Coll.* 42. & 46. duo de Naſturtio capita habet, in quorum poſtremo eſt inter illa, quæ Galeno ignota fuere.

XII. Dico audacter, & ipſe & Avicenna falluntur, qui calidum & ſiccum in 3. faciunt: revera non eſt ultra 2. In contrario errore Serapio eſt, qui in 1. ſubſiſtit. Eſt autem calor hic in ſubſtantia tenui, qua confortare poteſt ſtomachum, concoctionem promovere, lipothymias ex cruditatibus tollere, &c. Hac

ipſi

ipſa prodeſt epilepticis, tuſſientibus, paralyticis, colicis, iſchiadicis, venenatis, &c.

XIII. De ſuccedaneo præter rationem ſoliciti ſunt noſtri. Ego omiſſis aliis, ſi opus ſit, ſubſtituo Nigellam citrinam, tam familiarem Cardamomo, ut in poſſeſſionem nominis venerit.

CAPUT L.

DE CARDUIS.

I. NOn diffiteor, fuiſſe me quaſi in longinqua peregrinatione, dum inquiro quid apud Græcos ſit *carduus*? Nam quò minus crederem illis, qui vel τὸ σκόλυμον, vel τὸν κάκτον porrigebant, cauſa erat, quod τὸ σκόλυμος quidem certam cardui ſpeciem mihi ſignaret: τὸ κάκτος autem eandem, ſed nomine Siculo.

II. Perſuaſit tandem Honoratiſſ. Belli, *Epiſt.* 5. *ad Cluſ.* & expreſſit mihi ejus rei profeſſionem Theophr. 6. *Hiſt.* 1. τὸ ἄκανος eſſe, ita tamen, ut cum generali ſignificatione habeat etiam ſpecialem. Dixi igitur *Animadv. in dictum locum* τὸ ἄκανος in genere quidem eſſe omnem plantam aculeatam, quæ in caput aſſurgat aſperum, adeoque ἀκανάζεια eſſe, quæ hujuſmodi caput gerunt: in ſpecie autem carduum iſtum, qui deſcribitur ibidem, & pingitur à Pena *in Baldo*, *f.* 210. Hanc deſcribere etiam Anguillara 8. *Sent.* 30. autor mihi eſt ἀξιόπιςος Bauhinus.

III. Hinc intelligitur, quid ſit differentiæ apud me inter ἄκανθαν καὶ ἄκανον. Apud me (Theophraſto enim & Dioſcoridi aliis, ἄκανος eſt ἄκανθα, & contrà) ἄκανθα eſt arborum, & poteſt eſſe in tota planta: ἄκανος eſt pars herbæ annuæ, caput videlicet echinatum. Nam quod fortaſſis heic quoque dicendum, quod apud Theophraſtum ἄκανος, apud Dioſcoridem ἐχῖνος, ſed corruptum in ἔρινος. Sed ambagum ſatis: in diſponendis carduis officium facit Bauhinus *in Pinace*, ſed ut non pauca deſideres. Quis enim tam horridæ materiæ cultum ſufficientem det? Et quorſum ubi factum eſt? Ad rem noſtram: quatuor ſunt in Officinis cardui, præter *Carthamum*, de quo ſuprà, *Carduus benedictus*: *Carduus Mariæ*: *Carlina*: *Eryngium*. His ſuperaddere oportet aliquid de *Bedegnar* Arabum.

I. DE CARDUO BENEDICTO.

V. AB immenſis viribus, quas habere creditur, & hoc nomen accepit, & *Sancti*: imò ad Fredericum III. Imp. ex India miſſus fertur. Quod ut non nego: ita compertum fuit poſtea, in Europa etiam ſpontaneum eſſe. Locum oſtendit Pena, *Adv. f.* 373. in Gallia. Tu verò ſcito, *Senecionem* etiam hoc nominis habere apud Cæſalpinum 13. *Hiſt.* 51. In *Cnico* ſeu *Cartamo* dixi, quatenus Veteribus fuerit cognitus.

VI. Sed nonniſi implicitè, quod jam explico. *Cnicus* apud Theoporaſtum 6. *Hiſt.* 4. & Plinium *l.* 21. *c.* 15. duplex eſt, *Sativus* & *Sylveſtris.* Hic iterum duplex mitior alter, hirſutior alter. Sativus eſt *Cnicus Dioſcoridis* ſimpliciter dictus, *Cartamus Officinalis.* Sylveſter *alter*: & mitior, eſt Atractylis ejusdem Dioſcoridis ſimpliciter dicta: Sylveſtris *alter* & hirſutior eſt carduus hic noſter.

VII. Quæ ex Cordo, Fuchſio, Trago, Dodoneo, Cæſalpino, Anguillara objici poſſunt, leviora ſunt, quam ut huc pertrahi deqeant. Uſus eſt in Officinis herbæ & ſeminis.

VIII. In facultatibus non longe abeſt ab Abſinthio; Quemadmodum enim habet illud partes heterogeneas: quasdam calidas, quasdam frigidas: ita ex ſapore, odore & operibus particularibus diſcimus, Carduum benedictum fere eodem modo diſpoſitum eſſe. Habet enim & calidas, partim terreſtres, unde amaror; partim tenues & aëreas, unde acredo tantilla, cum odore (præſertim floris) moſchi, ut Cæſalpinus advertit: & frigidas, unde illi adſtrictio in lingua ſatis evidens, quam tamen Cordus non ſentit.

IX. Ex his colligere eſt, collatione facta cum ſimilibus, quid in viſcerum obſtructionibus poſſit. Credo Dodoneo ultra 2. gr. caliditatis & ſiccitatis non eſſe. Tenuitas enim partium facit, ut ob penetrationem calidior videatur eſſe, quam eſt; & ſiccior ob diſcuſſionem. Plurimum poteſt in decocto, præſertim in vino, cum febris abeſt: minus in pulvere: iterum minus in aqua deſtillata. Laudatur in pituitoſis capitis affectibus, hemicrania, ſurditate, vertigne, epilepſia, deſtillationibus ad pectus quin in hydrope, quartana, omnibus febribus longis, quippe ab obſtructionibus pendentibus.

X. Laudatur in colicis, nephriticis, iſchiadicis, partim diſcutiendo, partim ad vias urinarias deducendo.

XI. Præcipua ejus laus eſt in peſte, foris & intus. Intus pro præſervatione & curatione, ſudoribus ciendis: foris pro ruptore bubonum: Ideo in aliis etiam apoſtematis uſurpatur.

XII. Vinum tempore autumnali cum eo factum, paulo minus, quam panacea apud vulgus eſt. Præfertur abſinthiti, quia cordiale, caput non petit, ventriculo non minus, imo magis prodeſt. Niſi enim fallor, non tantum in bilioſis locum habet, ſed & pituitoſis. Validius enim abſtergit. Adſtrictione tantum creditur poſſe, ut in hæmorrhagiis locum invenerit.

XIII. De *Syrupo ex ſucco Cardui*, judicium fiat ex dictis. De *conſerva.* ex comparatione cum Conſerva abſinthii.

II. DE

II. DE *CARDUO MARIÆ*.

XIV. HUic quoque ut auctoritatem pararent Empirici, D. Mariæ nomen conciliarunt ei, cum *Carduus albus* ſeu *lacteus* diceretur, à candore macularum, quibus variantur folia ejus.

XV. His forte inductus Tragus, ἄκανθαν λευκὴν, Dioſcor. eſſe cenſuit, quemadmodum Matthiolus λευκάκανθαν, & rurſus λευκόγραφιν Plinii, Lobelius. Anguillara ſuſpicatus eſt *Silybum*, aut *Sillybum* Dioſcoridis & Plinii quem Cæſalpinus (de Acano enim non dicam) & tandem Bauhinus ſecutus eſt. Verum cum deſcriptiones Veterum tam conciſæ ſint, fas eſt nos audire Penam, monentem, nihil temerè ſtatuendum eſſe de facultatibus.

XVI. Utimur, ut & ſuperioris, herba & ſemine, cujus etiam facultates fere prædicamus, niſi quod adſtrictionis non ſit mentio. Calidus quippe & ſiccus dicitur cum multa partium tenuitate, qua & obſtructiones tollit, & menſes, urinas, ſudores movet. Vide quid Matthiolus, Tragus & Pena dicant. Noſtris fere appropriatur pleuritidi.

III. DE *CARLINA SEU CARDOPATIO*.

XVII. CArolinam dicunt, quod Carolo Magno ſit oſtenſa ab Angelo, cum exercitus ejus peſte laboraret. Alii tamen dictam volunt quaſi *Carduinam*, ſeu *Cardinam*.

XVIII. Heic, quod mireris conſenſus eſt omnium, Chamæleonta eſſe Theophraſti & Dioſcoridis: ſed viciſſim diſſenſus, uter ſit, albus, an niger? Quædam Officinæ, ne errent, utrumque habent: quædam neutrum quod venenum ſit. Ego, *Animadv. in Theoph. 6. Hiſt.* 4. *num.* 18. latiuſculè diſputavi, ſimul abſolvi Chamæleonta album à ſuſpicione maleficii.

XIX. Jam pene delabor in eam ſententiam, Omnes ſex ſpecies à Bauhino *in Pinace* cenſitas, poſſe in Officinis recipi, ſi modo cautum ſit uſuro, calidam & ſiccam eſſe radicem ad 3. gr. cum magna partium tenuitate, qua ſudori movendo ſit apta. Habent verò foris etiam abſtergendi vim inſignem in ulceribus malignis & dyſepulotis, in quibus Galenus uſurpat. κ. γέν. 4. 5. κ. γέν. 2. 6. κ. γέν. 2. 10. κ. τόπ. 7. & alibi.

IV. DE *ERYNGIO*.

XX. IRingum vocant Officinæ viciniore Græcis vocabulo. ἤρυγγος enim & ἠρύγγιον eſt *barba caprina*, ſub mento dependens, de qua narrabo τῶν βεκκεσελήνον τι. τῶν δ' αἰγῶν ὅταν τίς ϛόματι λάβηται τὸ ἄκρον τȣ̃ ἠριγγίȣ, αἱ ἄλλαι ἱϛάσιν ὥσπερ μεμωρομέναι. Ita enim lego apud Ariſt. 9. *Hiſt.* 3. & explico, *Si continga*;

caprarum alicui inter paſcendum hærere ore aliquid arunci, totus grex quaſi obſtupefactus ſtat. Hoc an veroſimilius de Eryngio herba dicatur, quò Plutarchus tranſtulit; diſpice tecum, priusquam rideas. Si me audis, cogitabis tecum, annon fabellæ augmentum ſit, dictum eſſe ἠρύγγιον, quaſi ἐρύγιον ἀπὸ τῆς ἐρυγῆς, quod capram neceſſe ſit, ructu prægreſſo herbam iterum evomere.

XXI. Apud Bauhinum *in Pinace*, novem ſunt ſpecies, è quibus in uſum venit radix II. quod eſt *Eryngium vulgare* & *montanum* Matthioli, Lobelii, Dodonei & Cluſii. Quædam tamen primum volunt, quod eſt *Eryngium marinum* Matthioli, & reliquorum trium. Rurſus quædam radicem *Cardui ſtellati Bauhini*, qui ſequitur, & eſt *Cacatreppola.* vel ut alii, *Calcatreppola* Ital. *ſtellaria* Augenii, tantopere celebrata ab ipſo in calculo. *Eryngium* Vegetii, Archigenis & Aëtii, *Eryngium luteum Monſpelienſe*; *Carduus Chryſanthemus*, Dodonei & Lobelii.

XXII. Ubi noto, Vegetium tribuere ſuo illi Eryngio colorem *galbineum*, Aëtium *aureum*. Ex hoc (Aëtio) diſcimus, Gorop. *in Gall.* (ut de aliis non dicam) rectè arguere Turnebum, qui *cæruleum affert.* Dixi ego alibi. Rurſus, aliæ Officinæ capiunt radicem *Crithmi IV.* Matthiol. *Eryngii mont. recentiorum*, Lobel. Eryng. IV. Dodon. Ergo jam *quatuor* ſunt plantæ, in quas intentos habeat oculos oportet Pharmacopæus.

XXIII. Imprimis facultates diſtinctè proponantur neceſſe eſt. De *Eryngio* ſimpliciter, quod primo loco heic poſui, ſcribit Dioſcorides cum Galeno, in activis temperatum eſſe; in paſſivis declinare ad ſiccitatem. Ut ſine errore ſcribere poſſit Sylvius, calidum in 1. eſſe, ſiccum in 2. Ideo ad æſtuantem ſtomachum commendare poteſt Archigen. 8. κ. τόπ. 4.

XXIV. Quod notandum eſt hodie illis, qui indiſtinctè in roborando ventriculo præſcribunt. Quemadmodum enim verè calidum juvare valet: ita valde frigidum amplius lædere poteſt tepiditas hujus cardui Eryngii. At qui in medio ſtat horum, quoquo modo juvare poteſt. Eſt autem hoc, quidquid eſt, cum partium tenuitate, ut Galenus monet. Ideo locum præcipuè habet in quartanariis, cachecticis, hydropicis, lienoſis, & nephriticis.

XV. Affirmabat (inquit Aëtius) quidam, aſſiduo Eryngii uſu nunquam poſtea minxiſſe calculos, qui diu ita vexatus fuerat. Eodem modo urinas movet, menſes cit, partum adjuvat, inflationes diſcutit, venena diſpellit. Atqui laudatur etiam ad abortum prohibendum? Extrinſecus in emplaſtro diſcuſſorio. Ita contraria facit in menſibus. Si nimium eant, ob cruditates, ſiſtit: ſi ſubſiſtant, ob pituitam ita collectam, ordinem illis reddit. Hinc Rondeletius, authore Cluſio, conceptionem promovere ajebat in uteris frigidis, tu puta, ut antea definivi, ſi intemperies non ſit longè progreſſa. Hac cum conditione in epilepſia laudatur, in tetano, iſchiade, tumoribus quibusdam.

XXVI. Et hoc præſtat montanum: ubi marinum eſt in uſu, ſecus ſe habet.

Li-

Licet enim non ſit *Secacul* (hoc enim quidam cauſantur) viribus tamen valdè vicinum eſt, quod oſtendit & ſapor & odor Bauciæ ſeu Paſtinacæ. Quibus ipſis flatus movere poteſt in calidioribus quibusdam, & Venerem ciere. Ita humiditate ſua ſolatur ventriculos æſtuantes.

XVII. Longiſſimè ab utroque abeſt *Cacatreppola* ſeu *ſtellaria Augenii*. Si enim ex ſemine & flore licet judicium facere, hanc potius, quam *Eryngium montanum* conferre debet cum Anonide Tragus. Calet enim & ſicca cacatreppolæ radix ad 3. uſque gradum. Tale ferè diſcrimen eſt inter Eryngium I. & II. Bauhini, & Crithmum IV. Dodonei. Et hoc in primis locis illis, quibus cum odore vehementiſſimo ſaporem habet valdè ingratum. Ubi autem gratum quid ſpirat, & ſapore eſt initio dulci, poſtea acri: ibi fortè tolerari poteſt ſubſtitutio, quamvis & tum calidior ſit montano I.

XXVIII. Hæ diſtinctiones adhibendæ ſunt in radicibus etiam conditis.

V. DE *BEDEGUAR ARABUM.*

XXIX. SEorſim colloco, quia incertum eſt, ſitne unus ex jam dictis carduis, an peculiaris quis? Quin, annon alius generis planta? Vellem eſſe cum illis, qui *Spinam albam* Dioſcoridis eſſe cupiunt, ſi conſtaret, quæ planta hodie locum ejus rectè tueri poſſit. Interim, breviter enumeratis facultatibus, occaſionem præbebo indagandi, ut compoſitiones Arabum, qui volunt illam, ſint integriores.

XXX. Scribit Dioſcorides & ex eo Galenus 6. *Simpl.* Radicem quidem ſpinæ albæ (calidam) & ſiccam eſſe, & prodeſſe cœliacis, hæmoptoicis: ſemen autem calidum eſſe cum partium tenuitate, ut potum convulſionibus puerorum prodeſſe poſſit.

XXXI. Hoc explicant Arabes, totam plantam conſtare partibus heterogeneis, calidis quippe & frigidis, prævalentibus tamen illis. Hoc præhabito, finio litem, quæ eſt inter Braſſavolum & Matthiolum, An *Syrupo de Eupatorio Meſ.* ſit imponenda *Spina alba*? Dico, ita. Sed tu dubitaſti de *Spina alba*? Jam dico expreſſè, *Spina alba Dioſcoridis & Galeni* non eſt *Sphærocephalus* noſter: Sed *Carduus tomentoſus latifolius Bauhini*, ſeu I. qui eſt in catalogo noſtro, *Carduus ſylveſtris Cæſalpini ſpina alba ſylveſtris* Fuchſii, *Onopordus* Anguillaræ & Lobelii, *Acanthium* Matthioli & Dodonei.

XXII. Ad hanc opinionem induxit me præcipuè foliorum odor ſuaviſſimus, Moſcho non cedens, cujus Botanicorum nemo meminit, ne acutiſſimus quidem Cæſalpinus, quod nemo voluerit, vel manibus terere, vel naribus admovere plantam tam deſpicabilem. Ego vero in primis meis herbationibus baculo fortè cædens plantam, & odorem percipiens toto eo loco diffuſum, convocatis collegis & auditoribus oſtendi illis, quod res eſt, qui catervatim circumfuſi admirati

ſunt

ſunt divitias Naturæ, ſimulque conſenſum præbuerunt, *Bedeguar* Arabum eſſe. Hinc enim tenuitas partium totius plantæ vel imprimis manifeſta fit.

CAPUT LI.

DE CARO SEU CARUI.

I. CREDAM Plinio *l.* 19. *c.* 8. à Caribus nomen habere hanc plantam. Credam etiam, patronymicum primum eſſe καρῶον, unde omnia alia corrupta, κάρεον, κάρων, κάρον, κάρος, Offic. *Carui*, fortè etiam *Carnobadium* Sethi genere eſt *Daucus ſylveſtris* ſeu *Paſtinaca ſylveſtris* nec non *Staphylinus*. Ut mirer Bauhinum ſe junxiſſe! cum odor & ſapor tam manifeſtè conjungat! ne de facie externa dicam.

II. Unde venio in has cogitationes, apud Athen. *l.* 9. ubi dicitur τὸ καρωτὸν eſſe *Paſtinacam magnam*, legendum etiam κάρον.

III. Vulgo & in Officinis, ſemen vel ſimpliciter *Kummel*, vel *Wieſen-oder Feldtummel* dicitur, cum major cum anetho ei ſimilitudo ſit. Olim radix etiam in culinas veniebat, ut ex Galeno & Paulo liquet.

IV. Errat Hermolaus *in Cor.* cum vocem in Chara corrumpit, & ait, Jul. Cæſaris milites, Dyrrachii obſeſſos, ut ſcribit 3. *de bello Civil.* hac radice famem toleraſſe. *Lapſana* enim ſeu *Lampſana* fuit, ut ex Plutarcho & Plinio etiam notum eſt.

V. Facultates tota quidem planta calidas & ſiccas habet, cum partium tenuitate, qua concoctionem ventriculi juvat, & flatus diſcutit: ſed præcipuè ſemen, quod calidum & ſiccum ſtatuitur in 3. gr. Hinc cum pane ſubigitur, ſaccharo incruſtatur.

VI. Ubi hoc noto, Eſſe, qui ſemina hæc in uſum vocare nolint, niſi calida abluantur, ob neſcio quam veneni ſuſpicionem. Ego aliud ſubeſſe puto, habere ſcil. aliquid excrementitii, ob quod opus ſit diligenti exſiccatione. Oportet autem hoc fiat in umbra. Si enim in Sole ferventi, perit illi ſimul anima.

CAPUT LII.

DE CARYOPHYLLATA.

I. QUOD plantæ hujus radix odorem quendam habeat Caryophyllorum, qui ſequuntur, dicta eſt ita. Huic accreverunt aliæ, ut jam ad numerum novenarium perventum ſit. Habet autem odorem dictum prima tantum apud Bauhinum, ſed neque omnibus locis, neque omni tempore.

II.

II. Certamen certatur, quid ſit apud Veteres. Aliis alia dicentibus, obtinent ferè illi, qui *Geum Plinii l.* 25. *c.* 9. eſſe volunt.: ſed revera brevior eſt deſcriptio, quam ut aliquid certi inde haberi poſſit.

III. Uſurpatur in Officinis noſtris radix tantum in raris quibusdam, & folia. De facultatibus quærentem remittit Pena ad *Agrimoniam*, cui facie ſimilis eſt, Quod ut concedo quoquo modo de ſecundis & tertiis, ita non concedo de primis. Quo minus enim temperata ſit in activis, 1. Odor facit, exquiſitè nares feriens. 2. Sapor acriuſculus. 3. Opera particularia.

IV. Conſentio autem Cæſalpino, qui Albertum Magnum ſtatuiſſe ait, calidam & ſiccam in 2. eſſe. Eidem non difficulter concedo, partium eſſe heterogenearum, de quibus jam ſæpè. Commendatur in ſubſtantia, in infuſo, in decocto, in debili ſtomacho, in fluxibus alvinis, in nimiis menſibus à frigiditate, in vulneribus internis, &c. Tenuitate partium laudatur in obſtructionibus viſcerum, in nimiis menſibus, ut dixi, in catarrhis exſiccandis, ſi ſuffumigetur æger, in grumis diſſolvendis, &c.

C A P U T LIII.

DE CARYOPHYLLIS.

I. ΚΑΡΥΟΦΥΛΛΟΝ, *Nuci-folium* quidem ſignificat: ſed quis accommodat rebus ſubjectis? Duo enim ſunt in Officinis 1. Caryophylli aromatici, *Nagelein, oder Wurknagelein.* 2. Caryophylli flores ab odore aromaticis non diſſimili, *Garten oder Graſsnagelein.*

I. *DE CARYOPHYLLIS AROMATICIS.*

II. ID primum eſt ſciendum, duplices eſſe, *Majores*, qui etiam mares, *Mutternagelein*, quia ſemen in ſe habent, *Anthophylli*, neſcio cur: & *Minores*, qui etiam Fœminæ. Deinde, illos quidem temperatiores, hoc eſt, minus acres eſſe: hos autem longè acriores. Tertio inſidere ut plurimum pediculis quibusdam, qui peculiariter *Fuſti* ſeu *Fuſtichi* appellantur, aliquid acredinis habentes.

III. Ex his eligunt Officinæ qui ex nigro rubeſcunt. Qui enim prorſus nigri ſunt, damnantur. Illi ſubito ſunt optimi & acutiſſimi odoris juxta, & ſaporis amariuſculi, qui acu confixi oleum emittunt, non minus, quam nuces moſchatæ.

IV. Hi tales fueruntne Veteribus noti? Cæſ. *Carpeſium* nobis exhibet, hoc argumento, quod Cinnamomo ſubſtitui poſſint, ut eſt apud Galenum 7. *Simpl.* & 3. κ. τόπ. 1.

V. Hoc quam debile ſit, quivis videt. Scribit Garzias & ex eo fortè Ortelius, necnon Maxim. Tranſſylv. *in Ep. de Moluc.* creſcere in ſolis Inſulis Moluccis, non omnibus tamen, ſed tribus. Lud. Romanus dictus Wartomannus, inſulam Monoch. producit. Paulus Venetus regionem Canicla vocat. In planta quam fallere nos voluerit Acoſta, notum eſt. Vide Cluſ. *in Garz.* 1. *Exot.* 16. *& in Auct. f.* 376. Bauhinum *in Pinac.* Inter Græcos recentiores ſoli Paulo innotuêre. tum Arabibus, qui in facultatibus non ſatis conſtantes ſunt, Paulus ipſe calidas & ſiccas eſſe putat in 3. gr. propemodum.

VI. Inter Arabas Averroës ſubſiſtit in 2. ſed ita, ut attingant 3. Opus eſt diſtinctione: Anthophylli ultra 2 gradum non ſunt: caryophylli minores ultra principium tertii. Ita de ſecundis ſtatuo: Omnes ſunt tenuium partium (non ita tamen ut cinnamomum. Mandenti enim lentor quidam ſe offert. Jul. Alex. 18. *Salubr.* 20.) cum paucis quibusdam craſſis & terreſtribus partibus. Inter eſt autem hoc. In anthophyllis tenuitas præpollet craſſitie, in caryophyllis contra. Illi cum minore caliditate plus penetrant, ſed minus abſtergunt, fortè nihil adſtringunt: hi cum majori caliditate minus penetrant, quia comites habent partes craſſas ſatis multas, quæ hoc boni ſimul habent, quod amarore tantillo abſtergunt, adſtrictione non multa tonum reddunt partibus: In ſuffumigiis præſtant anthophylli, in capitis præcipuè & oculorum morbis. Caryophylli in roborando ventriculo, vomitibus cohibendis, lienteriis ſanandis, appetitu reſtituendo, viſcera deobſtruendo, nervoſum genus recalefaciendo, &c. egregiam præſtant operam. In hunc finem paratur in Officinis *Aromaticum Caryophyllatum Meſue.* A quo non longè abeſt *Aromaticum Roſatum Gabrielis* dictum. Sed ut ad Caryophyllos redeam.

VIII. Averroës proprietatem habere dicit in confortanda virtute digeſtiva. Hanc cum ſequantur facultates aliæ omnes, mirum non eſt laudari tantopere in curandis morbis omnibus frigidis, in conciliando colore vivido, in aliis.

IX. Ubi hoc obſervandum, ne intemperies ſint nudæ. Niſi enim medicamentum tam calidum inveniat humores frigidos, quos diſſipet, tabem inducit.

X. Qui cum nuce moſchata comparant, eos paulo vigilantiores eſſe oportebat. Longe enim calidiores ſunt, non gradu quidem, ſed modo ſubſtantiæ quem præcipuè oſtendit acumen illud, quod in lingua relinquunt.

XI. Oleum Caryophyllorum alicubi balſami loco eſt, a quo tamen diverſum Balſamum in peſte nimioperè commendatum. De gummi non habeo quod dicam.

II. *DE CARYOPHYLLIS FLORIBUS,*
Tunicæ in Officinis dictis.

XII. UT nomen traxiſſe ab odoris affinitate qualicunque, dubium non eſt: ita neſcio ſanè, quæ & unde ſit barbara illa vox Officinalis Scaliger. *Exerc.* *con-*

contra Cardan. in Africam, & quidem Tunetum uſque navigat. Ego cum Caſſ. ero, qui truncam eſſe vocem putat ἀπὸ τῆ Betonica, herba tantarum laudum, & repeto ex ſuperioribus, nomen habere à Vettonibus Hiſpanis.

XIII. Hoc ipſo me abſolvo à *Flore Jovis* Theophr. à *Flamma* ejusdem: ab *Iphyo* ſeu *Tiphio* ejusdem: è *Polemonio* Dioſcoridis: à *Papavere ſpumeo* ejusdem: à *Ruta ſylveſtri* ejusdem: à *Bacchari* ejusdem: à *Cantabrica* Plinii, quamvis alicubi ita vocarim.

XIV. E diverſo cùm alligarim Betonicæ, non certè πολυχρήστῳ illi, de qua ſuperius: incumbit mihi neceſſitas dicendi, quæ ſit illa. Uno verbo, Altera Dioſcoridis.

XV. Quæ cùm ſit tam contemptibilis, ut ne quidem ſit in ultima Saraceni editione, anni 1598. cogar illam afferre alicunde. Βετlονικὴ γεννᾶται ἐν χορτοκοπείοις καὶ ὀρεινοῖς τόποις, καὶ καθαροῖς, καὶ ἡμέροις περὶ τὰ γεννήματα· ἔχει δὲ τὴν μὲν ῥίζαν ὅλην ἐρυθρὰν καὶ εὐώδη· τὰ δὲ φύλλα πράσινα, καὶ τὸ μέσον τῶν φύλλων φοινίκουν καὶ εἰς τὸ ὀρθοκάλαμον τριγώνια· καὶ ἐπ' αὐτῶν πορφυρίζοντα. Habuiſſe hanc deſcriptionem creditur Antonius Muſa, ſed confudiſſe cum primæ, non hiſtoria tantùm, ſed & facultatibus.

XVI. Et de hac accipi verba Gal. 5. *Sanit. tuen.* de Ceſtro Gallico. Quæ licèt ſint fortaſſis de ſylveſtribus tantùm: non ob id tamen cedam, quin pertendam, hos quidem primos fuiſſe cognitos, altiles autem & plenos poſteà, arte Naturam adjuvante. Inde verò eſt mirificè mira varietas, quam admirentur, qui volent, apud Bauhinum *in Pinace.*

XVII. Utimur autem in Officinis noſtris *Caryophyllo hortenſi quam odoratiſſimo.* Interim quibusdam placet *Papaver ſpumeum* Dioſcoridis aut etiam *Flos cuculi*, ſeu *Armoraria platenſis*, Lychnis utraque. Quod perinde eſſe in uſu præcipuè in venenis, credat Penæ, qui volet.

XVIII. In facultatibus compone florem noſtrum cum roſa. Quemadmodum enim illa inæſtimabilem odoris gratiam habet, ad guſtum amara eſt, ſine tamen ungue ſuo: ita flos noſter. Quemadmodum in roſa odor & ſapor in ſuperficie eſt, peritque in ſicca: ita in flore noſtro. Quare, quemadmodum roſæ ſunt cordiales, reparatis ſpiritibus animalibus, ob benignas è ventriculo ad caput evaporationes: ita heic. Veruntamen hac differentia, Roſæ calidis affectibus ſunt aptiores: tunica frigidis. Hoc enim affirmo, ut roſa temperata vix eſt: ita tunica ſuperat temperiem, verumtamen non eſt ἀξιόλογον τι.

XIX. Ideo uſus obtinuit in lipothymia, palpitatione cordis, &c. in febribus peſtilentibus dato vel ſucco expreſſo totius herbæ ad ℥iij. vel pulvere rad. ad ʒiij. Eodem tempore nares contingere oportet aceto caryophyllato, geſtare linteo-

teolà, eodem madefacta. Idem fit in Epilepticis, in metu convulſionum, præcipuè in vulneribus partium nervoſarum. In parturientibus etiam magni fit.

XX. Conſervæ uſus eſt ad parandos Julepos. *Sylveſtrem* ſimplicem nullum novi: at *Caryophyllatus* compoſitus Heroldi eſt purgatorius ferè panchymagogus, ſed ſine violentia.

CAPUT LIV.

DE CASTANEIS.

I. KΑΣΤΑΝΟΝ urbs eſt Magneſiæ, quæ modò Theſſaliæ, modò Macedoniæ adjudicatur. In hac viſæ primùm ſunt Caſtaneæ nuces. Viſæ poſtea & in Eubœa Inſula, unde κάρυον εὐβοϊκὸν, quod magno errore confunditur cum juglandibus noſtris, deducta inde usque à Macrobio ignorantia. Idem committunt, qui vocem hanc Latinam *Jovis-glandem* efformant. Mihi potior eſt ſententia illorum, qui διὸς βάλανον Theophr. non aliam eſſe cenſent ab hac noſtra. Alii *Sardianas* vocant, quod in Lydia circa *Sardes*, Cræſi regiam, credantur repertæ. Alii denique *Sinopicas*, à Sinopi, Ponti urbe. Invenio apud Galenum *l. de Cibis* 4. fuiſſe quasdam *Leucenas* vocatas, à loco quodam montis Idæ in Troade. 1. κ. τόπ. 1. fine medicam. Sorani ad alopec. ſunt οἱ πώγωνες τοῦ λοπιμοῦ, de quarum vocum ingenuitate fruſtrà dubitatur. τὸ λόπιμον, ἀπὸ τοῦ λέπος, eſt ἐχῖνος, fructum tegens, οἱ πώγωνες ſunt aculei cortici infixi. Et eſt res una, echinatum ſcilicet illud exterius, quod ambit corticem purpureum.

II. Heic aliquis, quid factum ſit, quòd tot habeat præ aliis nucibus ſeu glandibus nomina; Quin prima fuit, qua uſi ſunt in cibis Arcades. Præter vulgares habemus ex Gallia, qui *Maroni* vocantur. Ab his differunt *Equinæ*, quæ Conſtantinopoli primùm allatæ Matthiolo, nunc etiam virent in horto noſtro Medico. Dictam puto, ut alia, quæ cum ἵππο componuntur.

III. De facultatibus lis eſt. In activis Averroës ait; arborem eſſe frigidam in 1. gr. Serapio modice frigidam eſſe concedit: ſed addit: Poſſibile eſſe, quòd ſit in hoc, ſicut medicinæ tepidæ in 1. gr. Unde fortè conjectavit Dodonæus fructum quoque temperatum eſſe. At Sethi calidam in 1. eſſe voluit, ſicut Iſaac in medio primi. Mihi videtur, Folia quidem & cortices eſſe ſiccos & frigidos: fructus autem præbere opinionem quandam caliditatis, ob dulcedinem tantillam, quam calor, in ſubſtantiam terreſtrem agens, 4. *Simpl.* 8. illi conciliavit. Verumtamen, ſi bene conſideres, tam prævalent partes terreſtres & aqueæ, ut vix inter calida haberi poſſit. Terram arguit ſoliditas, aquam flatulentia nullo modo corrigibilis.

IV. Eadem lis eſt de paſſivis. Averroës enim humidas facit, Serapio ſiccas,

&c

& Iſaac in 2. Sethi in 1. Mihi iterum videtur, & folia & corticem proculdubio eſſe ſicca, ob vim adſtringentem: fructum, recentem quidem ob copiam humoris aquoſi, potentia humidum eſſe, vetuſtum ſiccum, cùm pro panificio apud Gallos Petragoricenſes pinſitur.

VI. Fructus, ſi crudus comedatur, mirificè multos gignit flatus, qui & ventriculum extendunt, & caput turbant: ſin elixus, utut debilitentur flatus, tantùm tamen abeſt ut ſint innoxii, quod Iſaac credit, ut humor, in quo elixatur, augeat malitiam. Aſſo igitur uti oportet, & tamen ſibi metuere. Ut rectè dixerit Galenus *l. de Vict. atten.* 10. Quocunque modo parentur caſtaneæ, ſunt pravæ, multò magis ſi crudæ ſumuntur. Tamen, heic pravitatem accipere oportet ſecundum ſubjectam materiam. In libro enim dicto pravum illi eſt, quod non eſt tenue. At cùm univerſim agitur de Alimento; etiam craſſum quoddam eſt laudabile. Propterea *l. de cibis* 4. præfert Caſtaneas aliis glandibus, quod minùs adſtringant, faciliùs concoquantur, minùs craſſum ſuccum gignant. Et diſtinctiùs *cap.* 8. Exceptis, inquit, glandibus caſtaneis, omnes arborum fructus ſunt mali. Caſtaneæ enim, ſi ventriculo conficiuntur, alunt, & craſſum quidem ſuccum faciunt, ſed non malum. Et 2. *Alim.* 38. *Omnium glandium caſtaneæ ſunt præſtantiſſimæ, quia ſolæ alimentum dant corpori memorabile.* Hinc Trallianus *l.* 8. *c.* 3. de dyſenteria hepatica loquens, *Caſtaneæ tutò ſumuntur*, ait. *Nam boni ſucci ſunt & non citò à calidis intemperiebus vincuntur.* Sed enim ſermonem hunc iterum accipere oportet, non ut ſimpliciter prolatum, ſed in comparatione ad glandes, ut Iſaac monet.

VII. Ut *ut enim hoc reſpectu ſint bonæ: fugienda tamen ipſarum copia eſt*, & verba ſunt Galeni *de cib.* 4. non tantùm, quòd non ſecus ac aliæ glandes, ſuccum craſſum faciant, ſed & quod ventrem ſupprimant, ægrè concoquantur, & flatus gignant, addo ex Dioſcoride & Iſaac, caput turbent. Nimirùm, quantumvis bene torreantur (oportet autem incidere, ne cùm calorem ſentiunt, proripiant ſe) & quidem ſub cineribus, (nam in ſartagine fumoſum quid concipiunt) edanturque etiam cum pipere & ſale, aut ſaccharo.

VIII. Infeſtæ ſunt in primis iis, qui viſcerum obſtructionibus obnoxii ſunt, calculoſis, colicis, &c. Infeſtæ etiam iis, qui, cùm ad phthiſin proni ſunt, ſemper habent inanem tuſſiculam. Quod enim ex Athen diſcas licet, (quamvis Dalecampius obſcuret, tribuendo juglandibus, ex imperitia helleniſmi, ait Caſaubonus) habent etiam Caſtaneæ κερχνῶδες illud (ita enim deduco *in Var. lect.*) quod in faucibus inducit aſperitates quaſdam miliaceas (3. *Artic.* 61.) ob quas cogimur edere ſonum illum, qui nomine caret, niſi ſtrepitum, aut ſtertorem appellare velis.

IX. Interim hoc boni habent in aliquibus, quòd ventrem fluidum exſiccant, vomitum & nauſeam tollunt, alba profluvia ſiſtunt, &c. Denſitas enim humoris terreſtris ipſos quidem humores morbificos incraſſat, partes autem firmat. Hoc fine quibuſdam Galliæ locis panis fit Caſtaneus, ut ſic dicam.

X. Sed hæc quidem ad Diæteticum pertinent. *Cortex* ſiccando & adſtringendo facit, quidquid facit. Uſus ipſius in gargarismis ad dentium dolores, in malis cœliacis & dyſentericis, in hæmoptyſi.

XI. Cineris uſus in alopecia & ophiaſi eſt.

XII. Montagnana *Unguentum* parat *ex corticibus* dictis, cujus uſus in nimiis menſibus, in hæmorrhoidibus, in metu abortus. Habet hos cortices etiam *Unguentum Comitiſſæ Varignanæ*, & poteſt ejus locum ſubire.

Caput LV.

DE CENTAURIO UTROQUE.

I. A Chirone Centauro, Achillis præceptore, profeſſione Medico, nomen eſſe, citra dubium eſt. Fuit is, non monſtrum biforme, ut fabulantur, ſed vir in Theſſalia ſplendidus, ideo equo vectus ægros viſitabat: propter quæ merita immortalis fuit, & in cœlum tranſlatus, Sagittarium repræſentat. Creditur apud Theophraſtum & Plinium inter Panacis genera eſſe, quod non obſervaſſe Bauhinum admiratione dignum eſt. Nam (ne de aliis dicam) & Plinius *Panax Chironium* dixit.

II. Heic quæſtionem moveo Grammaticam, Utra ſit ſcriptura regularis, κενταύρειον, ἢ κενταύριον? Illa qua utimur, poëtica eſt. Nec moror *graveolentia* & *Theſſala* Centaurea. Utuntur enim licentia ſua, cum volunt potius, quàm quando opus eſt. Ita χειρώνειον, ἀσκλήπειον. Nec mirum, ἐν πέζῳ λόγῳ admitti poëtica.

I. DE CENTAURIO MAJORE.

III. SCiendum eſt, non dici tantùm μέγα, ſed & ἁδρὸν, 1. *Antid.* 14. Quod verò majoris momenti eſt, in ſuperioribus omiſſum, Rhaponticum in Officinis duplex eſt, verum & vulgare. Illud ibi deſcriptum eſt: hoc deſcribendum eſt.

IV. Qua in re ne cui ſomnus obrepat, repetendum eſt, *pro Rhapontico* quidem *vero* habere me *Rhaponticum Thracicum Alpini*: non pugnare tamen, ſi quis uti velit vulgari, quod eſt, ut dixi, Centaurium majus. Quibus verbis cùm tacitè huc iverim, facere incipio quod debeo.

V. Eſt igitur *Centaurium majus* heic, quod I. eſt in ordine apud Bauhinum legitimum Dioſcoridis uti reor, cujus propterea notas affero.

VI. Hujus radix, in Officinis expetita, eſt. 1. παχεῖα, *vaſta*, ut Plinius vertit, ſextantem aut ſeſquiunciam, cùm craſſiſſima eſt, quantum poteſt implere ma-

manum, ut Cordus explicat. 2. περὶ πήχεις δύο, *ad binos cubitos*, intellige *longa*. 3. στερρὰ καὶ βαρεῖα *ſubſtantia ſolida & gravi*, ſive, ut Cordus, *denſa*, *ponderoſa*, *æqualiter carnoſa*, *circulos*, *cùm per transverſum inciditur*, *ſibi ſuperinductos plurimos habente*, *pro numero ſcilicet annorum*, *ut in arboribus*. 4. μεστὴ χυλοῦ *ſucco madida*, ut Plinius reddidit, qui ſuccus, ut idem Cordus ait, ruffus eſt, ſubſtantia pinguis, oleoſus, viſcoſus, aquæ innatans. Dicitur in quibusdam Dioſcoridis libris ἐρυθρὸς, à Theophraſto, 9. *Hiſt.* 1. αἱματώδης, ſi Scaligeri correctionem non aſpernamur.

VII. Non poteſt autem dubium eſſe, pro diverſitate natalium, magis, minùs rubere, alicubi etiam flaveſcere tantum, croci inſtar, ut de ſuis radicibus ſcribunt Pena & Cluſius. Hinc Plinius Rubeſcens habet, puta interiore ſubſtantia. 5. δριμεῖα μετὰ ποσῆς στύψεως καὶ γλυκύτητος, quod totidem penè verbis, ſed ad naturam rei accommodatiùs dixit Galenus 7. *Simpl.* κατὰ γεῦσιν δριμεῖα τε ἅμα καὶ στύφουσα, μετά τινος βραχείας γλυκύτητος.

VIII. Nimirum ut dicetur in facultatibus, eſt heterogenearum partium, ſcilicet quadam tenus acris & mordax, cum dulcedine tamen, quorum utrumque à calore eſt: quadamtenus adſtrictoria, quod a frigore. *Acredinis* loco habet Plinius *Amarorem*, quod valde exagitat Matthiolus objiciens illi confuſionem *cum Centaurio minori*: qui amaror cùm ſuperet in noſtro acredinem, ſunt, qui nolint pro Centaurio majori acceptare.

IX. Sed neque Plinius heic eſt accuſandus, neque Centaurium, cum locus natalis faciat hanc differentiam. Tantum enim abeſt, ut amaror ille aromaticus ſit in vitio, (tribuit hunc Luſitanico Cluſius) ut etiam egregie adjuvet facultates, de quibus jam dicetur. Tandem, ubi inaruit, in medio ex albo rubricat, hoc eſt. albas & rubras maculas invicem diſtinctas habet, ut Raphanum juxtà & Rhabarbarum.

X. Cum quibus cùm magnam habeat affinitatem Centaurium, non malè dixerit Oribaſius *Bene ſentire eos*, *qui Rheum* (intelligit Ponticum) *Centaurium magnum* appellant. Imò, & de *Centaurio magno* Galenus 7. *Simpl.* & de Raphano *l.* 8. *ſeq.* dixit, partium heterogenearum eſſe. De quorum operibus particularibus cùm toties jam dixerim, non ego actum agam, hoc dicam tantum, in primis qualitatibus, vel pervenire ad 3. gradum incipientem, vel deſinere in 2. *Syrupus ex ſucco hujus Centaurii* eſt inſigne deobſtruens.

XI. Imò, ſi ſuſpendatur tantum in potu eorum, qui ſentiunt punctiones in dextro latere, juvat.

XII. Sed purgatne? Fortaſſis conjicere licet ex affinitate cum utroque Rha, ſi detur in doſi ſatis magna. Qui *Centaurium minus* ſubſtituunt, ineptiunt. Qui *Lyſimachium cæruleam*, etiam delirant.

II. *DE*

II. DE CENTAURIO MINORE.

XIII. JUngi, tanquam congeneres, non ægrè fero. τρόπος enim ἐπιςήμης permittit. Quam ob cauſam à Theophraſto *Hiſt.* 4. πάναξ λεπτόφυλλον dici putatur. Anguillar. 12 *Sent.* 17. tergiverſatur, quò minus *la Biondella Italorum ſit Centaurium minus*: ſed reſpondit ei Pena, *Adv. f.* 179. cui adde Marantam 2. *Meth.* 3. Bauhinus *in Pinace* exhibet quatuor ſpecies, ſed uſus eſt comæ 1. tantùm, cui III. ſeu luteum ſubſtitui non debet, ut Lobelius docet *Obſ. f.* 219.

XIV. De qualitatibus primis conſentio Meſue, non eſſe ultra 2. gradum caliditatis & ſiccitatis aut certè in initio 3. Siccitas heic eſt lima caloris, ut Averroës ſolet loqui.

XV. Eſt & hoc Centaurium non minus quàm præcedens, de Galeni ſententia, heterogenearum partium, ideo & heic abrumpo. Sunt autem partes ipſius ſiccæ ſine morſu, ideo commendatur, foris quidem in vulneribus & ulceribus: intùs autem in affectibus rheumaticis. Opera particularia recenſentur ab Avicenna & autore libri de Centaurea apud Galenum.

XVI. Dubium eſt, an quia partibus quibusdam adſtringit, poſſit purgare, & quidem tam violenter, ut ſanguinem ducat, quod Arabes volunt? Reſp. Exempla ſimilia in Rhabarbaro, aloë, aliis, docent. Partes enim calidæ agunt priores. Dixerunt autem non Arabes tantùm, ſed & Græci. Quod autem Dodoneus cauſatur confuſionem Centaurii hujus cum *Gratiola*, inane eſt. Licèt enim Centaurium noſtrum fortè minus purget quàm Veterum: non obid tamen non purgat. Videmus enim, ſi debita quantitas detur, quòd purget. Fortaſſis ſit malum illud, ſi ſupergrediatur Medicus legem naturæ. Purgat autem bilem craſſam. Vide autem Meſue quomodo corrigat.

XVII. Doſis pulveris vulgò in Italia pro hydropicis, & tertio quoque die, eſt ʒj. ut Camerarius habet *in Horto* Meſue porrigit, me conſentiente, *à* ʒj *tertia parte ad* ʒj ſ. Idem Meſue in decocto dat ab ℥j ad iij. Intelligunt autem, non de *Centaurio* ad decoctionem imponendo: ſed de *liquore* decocto. Centaurium decoquendum definit Aëtius ʒ ij. in hemina aquæ ad dimidias. Hemina autem cùm contineat ℥ ij. accedet medietas decocta ad doſin Meſue. Doſin Plinii vide *lib.* 26. *cap.* 8.

XVIII. Ego heic obiter illis, qui laſciviunt contra Arabes, quod confuderint utriusque Centaurii facultates, impono hoc laboris, conferant & exponant errorem Soli meridiano, Ego tam vicinas reperio, ut credam alterum alteri ſubſtitui poſſe.

Caput LVI.

DE CÆPIS.

I. ITA ſcribo, quaſi certus τὸ κῆπος heic locum non habere. Hinc diminutivum *cæpula*, cujus veſtigia manſere apud Italos, Gallos, Hiſpanos, denique nos Germanos.

II. Summa differentia eſt, quod alia cæpa capitata eſt, & differt natalibus, è quibus & ſaporis & coloris diverſitas, retinetque nomen generis: ita non capitata, & longo veluti collo conſtans, quæ à Latinis *Condimentariæ* cognomen habet, à Græcis etiam peculiare nomen γήθυον (& hæc, niſi fallor, vera ſcriptio eſt, quæ apud Theophr. etiam eſt 7. *Hiſt.* 4. ubi additur τὸ καλούμενον) unde diminutivum γηθυλλὶς, quamvis apud Athen. *l.* 9. tribuatur porro capitato, ut poſſit eſſe *cæpa porracea*.

III. Omnis cæpa ex membranis conſtat, quas Feſtum vocare *Tallas* intelligo. τὸ κρόμμυον Varroniani dictum putant, ἀπὸ τοῦ τὰς κόρας μύειν ποιεῖν. Ridiculè!

IV. Bauhinus VII. habet ſpecies, quarum I. vulgaris eſt, & radice & foliis in culina, in Officinis autem ſemine. Et ut folia (niſi mavis coma) non exiguam varietatem à ſolo natali accipit: ita radix. Licèt enim ubique ſit acris: tamen variat tantopere, ut, quod Veteres etiam obſervarunt, alicubi ſit dulcis. Non eſt autem, quod quis putet, totum conſiſtere, vel in flavedine, vel in albedine, multò minus vel in rotunditate, vel in longitudine, ut Dioſcorides videtur velle: quin rotunda quædam eſt mitior longa, & contrà: & alba quædam flava, & contrà.

V. Hoc verum eſt, omnis cæpa ſicca eſt acrior viridi: omnis contrà cruda coctâ aut conditâ. Nimirum, condiebant Veteres, non ſale tantùm, ſed & aceto, ut poſt Dioſcor. Gal. 2. *Alim. ult.* Vide etiam Columellam *Reiruſt.* 10.

VI. Hoc etiam verum eſt, quò cæpa eſt mitior, eò aptior eſt condiendis cibis, & contrà. Puta, prout cibum paras pro tali vel tali individuo. Pro cujus diverſitate etiam magis, vel minus eveniet id, quod 5. *San. tu.* 11. dicitur, ab ejus uſu ſentiri in extimo corpore calorem acrem & mordacem.

VII. Hinc etiam pendet diverſitas in facultatibus. Galenus *in 7. Simpl.* & ex eo Averroës & Serapio de acerrimis loquentes, calidas eſſe dicunt in 4. Avicenna de minùs acribus, in 3. Aëtius iterum de minùs acribus in 2. Quo loco non oportet ineptire cum illis, qui, ſimul atque audiunt calidum, addunt ſiccum, &, quod pejus, eſt in eodem gradu.

VIII. Si enim Galenum rectè legas, videbis illum docere, Cæpas etiam eſſe partium heterogenearum, & habere partes calidas duplices, craſſas, terreasve,

& tenues, aëriasve, unà cum frigidis, aqueis & lentis. Illæ valde ſunt conſpicuæ in magmate illo, quod poſt expreſſionem ſucci remanet: hæ autem cum aëriis in ſucco. Et addit, Temperamentum capæ flatus gignere. Id verò ſicca non faciunt, ſed humida, quibus cæpas annumerat Iſaac. An autem quod vult idem, ad 3. gradum veniant, dubium apud me eſt. Quia enim humor ille ferè excrementitius eſt, hoc eſt, non bene miſtus cum calidis partibus, non videtur ſuperare 2. gradum ut plurimùm. Hoc verbi addo propter latitudinem in activis, quæ huc quoque ſe extendit. Extendit verò ſe & latiùs.

IX. De conditura (qua non egemus) ut non dicam, multùm refert, crudæ an ſiccæ ſumantur. Multùm etiam, ſi, quemadmodum de braſſica dixi, prima aqua abjiciatur. Sub cinere ſi torreantur, minus quidem flatulentæ ſunt: ſed augetur acredo, inducto empyreumate, quod oleum & acetum mitigant. Cum carnibus vel coctæ vel ſuffocatæ minus etiam acres ſunt. Qui crudas volunt, præmacerant in aqua aliquando per totam noctem, quæ aqua lumbricos interficit. Cum fabis aliisque flatulentis & corrigunt, & corriguntur.

X. Crudæ nullum corpori præbent alimentum. Coctæ non niſi medicamentoſum, utile ſcilicet iis, qui frigidis & viſcidis abundant humoribus, 2. *Alim.* 7. In quibusdam ſomnum faciunt, coctionem juvant, acidos ructus ſedant, alvum modò movent, modò ſiſtunt (redi ad Carduum benedictum) obſtructiones expediunt, menſes & urinas cient, tranſpirationem inſenſilem promovent, uno verbo, frigidos undiquaque juvant.

XI. Contra, in bilioſis omnia mala inducunt, caput præcipue valde petunt, ſomna inquieta faciunt, oculis adverſæ ſunt, &c.

XII. Summa, *cæpa viſu bona, eſu mala*, Hippocrates ait. Et hæc quidem de uſu interiore: de exteriore judicabit, qui non ſit iners. De ſemine hoc tantùm ſuggero, Flatulentia ſua Venerem ciet, ideo ingreditur Diaſatyrium.

CAPUT LVII.

DE CERASIS ET CORNIS.

I. CERASA ſeu *Ceraſia*, cum arbore ſua *Ceraſo* dici à Ceraſunte, Ponti oppido, è quo Lucullus, devicto Mithridate & Tigrane, Romam tulerit, certæ penè fidei eſt. Ego vero ſcio, & probo ex Athen. *l.* 2. & Servio *in Virgilium*, fuiſſe hunc fructum Romæ longè ante Lucullum, ſed ſub alio nomine. Corna enim primitùs appellabantur ut poſtea miſta appellatione, Corna Ceraſa.

II. Qua de re dicendum eſt, quod res eſt, illud quidem in re nihil mutat: hoc verò merito eſt ſuſpectum Hermolao in Dioſcoridem: Confundit enim Servius Cornum cum Ceraſo, cujus Corni (ni mavis Cornus) fructus hodieque à nobis *welſche Kirſchen* dicuntur.

III. Hoc etiam diſputatur, An, quemadmodum Ceraſus Dioſcoridis eſt ceraſus noſtra, ita etiam Theophr. ſit, 3. *Hiſt.* 13. Vide Ang. 4. *Semi.* 11.

IV. Ceraſorum differentiæ apud Romanos ut erant plures, ceu ex Plinio liquet *l.* 15. *c.* 25. ita apud nos pauciores ſunt, niſi fallit nos Bauhinus. Ego, relictis Chamæceraſis, duas tantum propono. 1. Ceraſa alia ſunt ſativa ſeu hortenſia: alia ſylveſtria. 2. Sativorum alia ſunt dulcia, alia acida, alia acidodulcia, alia amara. Sativa ut veniunt in menſas ſecundas: ſic ſylveſtria damnantur, quod nauſeam & dolorem capitis faciant, tormina, febres peſtilentes, diarrhœas & dyſenterias, ob ſubitam & malignam corruptionem.

V. Rurſus quemadmodum Officinæ etiam habent, vel Ceraſa ſativa integra, condita, vel ſuccum eorundem, modo in Rob, (ut loquuntur) denſatum, modo in orbiculos coactum glycyrrhizæ in modum: ita ex ſylveſtribus nigris dictis, contuſis cum nucleis ſuis, parant aquam ſtillatitiam magni uſus in deſtillationibus omnis generis. Præterea habent & nucleum oſſiculi, & ex eo paratum per deſtillationem oleum. Tandem vendunt quoque gummi ceraſorum.

VI. In facultatibus diligenter videre oportet, quo ſapore ſint Ceraſa? Si enim aquea ſint & inſipida, lubricitate tantum ſua alvum movebunt; ſin mediocriter acida, acor ille ſtimulus erit lubricitatis.

VII. Si valde acida fuerint, & amplius, ſi auſtera, ſiſtent potius alvum. Hoc pendet non tantum ex natura arboris, ſed & ex maturitate majore, minore. Hinc eſt diſtinctio apud Dioſcoridem. Viridia alvum ciere, ſicca ſiſtere. Licet enim verum ſit, ſicca in omni genere magis adſtringere: verum tamen & hoc eſt, magis adſtringere illa, quæ acida, vel etiam auſtera. Ita de ventriculo, quæ humidiſſima ſunt, egregiè quidem æſtuanti ſtomacho ſuccurrunt, & ſitim ſedant: ſed quæ ſimul acida ſunt, reddunt viſceribus tonum, quem calor corruperat.

VIII. Quam bene igitur habet de arbore 7. *Simpl.* non omnem ceraſum æqualiter adſtringere: tam male, quod inde colligitur, omnia ceraſa adſtringere. Inſipida enim carent omni adſtrictione, & ſtomacho valde ingrata ſunt. Eadem, niſi in ventriculum purum inciderint, facillimè corrumpuntur. Si bene cadat, citiſſimè tranſeunt & alvum molliunt, modo aliis cibis præmittantur.

IX. Ut rectè Galenus fecerit, 2. *Alim.* 12. cum, intuens latitudinem temperamenti ceraſorum, quædam comparat cum moris, quædam cum rubis.

X. Quo loco quia amarorum non meminit, veriſimile eſt, non fuiſſe tam nota: forte, quia inſitio in laurum nondum fuerat tentata. Hinc enim eſſe illa plerique putant.

XI. Ex his jam conſtituere aliquid oportet de qualitatibus primis. Quæ enim aquea & inſipida ſunt, frigida & humida ſunt, & augetur utraque, ſi ex aqua

 fri-

frigida ſumantur, magis ſi roſcida ex arbore decerpantur. Quæ dulcia & acida, jam aliquid caloris habent, ſed mitis, quo infarctus à bile factos in hepate expediunt, ipſa interim bile ab humido illo tepido mitigata.

XII. Quæ ex his fiunt paſſa, paucarum ſunt virium & in alendo & in alterando. Imo puto, contra Diphilum apud Athen. nihil alere. Condita, ut & ſuccus, ſerviunt febricitantibus, & pica laborantibus. Nucleus, quia amarus, valde abſtergit, & uſurpatur in emulſionibus renalibus. In eodem malo potentius eſt oleum Meſue. Gummi etiam abſtergere, indicio ſint lichenes puerorum, quibus medetur aceto liquefactum. Idem calculoſis prodeſt, non partium tenuitate, quæ nulla heic eſt, ſed partim abſterſione, partim viſcoſitate, qua partes læſas oblinit, humores acres contemperat. Quomodo autem colorem commendet, viſum acuat, appetentiam excitet, quæ Dioſcorides tribuit illi, equidem ignoro.

A U C T A R I U M.

XIII. AN Ceraſorum amarorum veſtigium manſit in *Amarenis* ſeu *Amarellis* noſtris? Ex his ſupereſt nobis duplex *Di-Amaraneton*, ita differens, ut *Dia-Cydonium* ſimplex, & cum ſpeciebus. Hoc commodius fit ex 1. genere apud Bauhinum, quæ fert *Ceraſa acida* Turingis dicta *Saure Kerſchen*, Franconibus ſimpliciter *Kerſchen*. Fit enim inde ſuccus non minus gratus aciditate ſua, quam vel Ribes, vel Berberis. Amarellæ vero, quod nomen promittunt, non habent. De Cornis conditis (ut & Rob, ex pulpa illorum factum) res eſt clara. Habent enim inſignem vim refrigerandi & adſtringendi, ut Galenus 7. *Simpl.* ſcribit.

C A P U T L V I I I.

DE CHÆREPHYLLO SEU CERIFOLIO.

I. INVENITUR hæc vox apud Columellam & Plinium, ſed tantopere torta, ut nemo auſit originationem ullam inde petere. Ego ita me expedio, ſive Latina, ſive Græca vox ſit, ſive Græco Latina, eſſe inde noſtrum *Korfel*, (non autem contra) per manus ita tradita nobis.

II. Quo minus ſolicitus ſum, quid ſit apud Dioſcoridem & Plinium. Si quis tamen urgeat apud Dioſcoridem quidem dicam eſſe *Oreoſelinum*: apud Plinium autem *Anthriſcum*. A qua voce, an ſit εὐθυσικὸν Theophr. *Hiſt.* 7. neſcio.

III. Speciem ejus non niſi unicam eſſe, cum venia Bauhini dixero. Hæc apud pleroſque cum lactuca datur, ad corrigendam ejus frigiditatem, ut alibi thlaſpi, *das ſaure*.

IV.

IV. Aqua etiam deſtillata in uſu eſt.

V. Facultates, niſi fallit & odor, & ſapor, vicinæ ſunt Petroſelino noſtro. Dulcis enim eſt cum acredine tantilla, tota alioquin odorata. Non credo Trago, qui in activis temperatum eſſe ait, in paſſivis ad ſiccitatem inclinare. Et quei poſſunt ſimul ſtare inſignis vis diſcuſſoria & penetratoria, quam tribuit illi, tam in internis, quam in externis?

VI. Mecum eſt Cornarius *Com. in Macrum*, qui acerrimum illum ſaporem, igneosque effectus, à Macro adſcriptos Chærefolio, petit ex mendoſo Plinii loco *l.* 19. *c.* 8. *fine*. Pertinent enim, quæ allata ſunt, ad ſinapi ſequens, ut etiam ex exemplari Galeni patet. Sed & Dalecampius ita diſtinguit, ut non poſſint non ſinapi propria eſſe.

VII. Hic error, ut jam ab aliis obſervatum, etiam ad Plinium Valer. manavit. Ego cenſeo, Chærefolium noſtrum eſſe calidum & ſiccum in primo gr. deſinente, cum partium tenuitate aliqua. Hinc affectus quosdam pituitoſos vincere poteſt colicam v. g. non valde intenſam, & ſucco intrinſecus dato, & herba in oleo convenienti frixa, umbilicoque impoſita. Talis affectus etiam quandoque in iſchuria eſt, decocto quidem in vino bibito, herba autem perinæo appoſita, ut Dodoneus ſcribit. Eodem modo menſes reddit, à pituita modica cohibitos. Eo modo arenas disjicit, tumores quosdam internos & externos diſcutit, cruditates & lienterias curat, &c.

CAPUT LIX.

DE CHAMÆCISSO, SEU HEDERA TERRESTRI.

I. ΚΙΣΣΟΣ eſt *Hedera*, & dicitur Plinio ὀρθόκισσος, *Hedera rigens*, quæ ſine adminiculo ſtat ſola: χαμαίκισσος, *Chamæciſſus*, *Hedera humilis*, quæ humi repit.

II. Heic ſubito tumultus oritur an planta, quam Botanici omnes, & cum iis Officinæ vocant, ſit *hedera terreſtris Veterum*? Quidam enim *Elatinen Dioſcoridis* faciunt, quidam *Aſclepiada* ejusdem. Mihi non obſtat. 1. Quod non videatur eſſe congener hederis, ſed ſimilis, quod ex Marc. Vergilio objiciunt quidam. Satis enim eſt, quod viſa fuerit Bauhino, cum I. loco habet. 2. Quod Anguill. 14. *Sent.* 114. ajat, ſibi eſſe incognitam. Huic enim uni magna turba opponi poteſt. 3. Quod apud Dioſcoridem pro μικρότερα legatur μακρότερα. Jam enim omnium conſenſu receptum eſt illud. 4. Quod flores leucoiis ſint diſſimiles. Jam enim tacitè reſpondit dictus Marcellus in verſione. Et ſufficere poteſt ſola venuſtas. 5. Quod non habeat ramulos dodrantales. Habet: quia vix dodrantem progrediantur, quin radiculas ſuas in terram defigant. 6. Quod non ſit πικρὰ ἰσχυρῶς.

III. Magis & minus eſt à ſolo natali. Sed quid? Eſtne etiam *Chamæciſſus* Plinii? Non eſt, ne cogar audaciam audere Dodonei. Quid ſit, dicat Cæſalpinus 11. *Hiſt.* 36. Eſtne *Malacociſſos* Democriti (non Damocratis) *in Hydroſcopio*, apud Ruellium *l.* 2. *c.* 95. Non eſt, eſt *Tamus* ſeu *ſigillum Mariæ*, ſupra in Bryoniis. Vide etiam Anguillaram 5. *Sent.* 15.

IV. In primis qualitatibus calidam & ſiccam eſſe arguit ſapor & odor. Cum acrimonia enim quadam amara eſt odoris non injucundi. Ut putem, in utraque combinatione aſcendere ad 2. gr. Propter has dotes habet ſuam prærogativam in obſtructionibus viſcerum, in calculo, menſium mora, in doloribus colicis infantum. Chirurgi pro *Vulneraria* habent *in den Wundtrancken.* Mulieribus etiam frequentatur decoctum in aphthis puerorum, in intertriginibus pudendorum & ani, in diarrhœa, dyſenteria, &c.

V. *Syrupum ex ea* habemus duplicem, ſimplicem & compoſitum, quem *pulmonarium* vocant. Illius uſus eſt in viſcerum obſtructionibus: hujus in phthiſi, aſthmate, tuſſi defluxionibus omnibus.

CAPUT LX.

DE CHAMÆDRY ET TEUCRIO.

I. TAM ſibi vicinæ ſunt plantæ, ut *Chamedrys* ſit *Teucrium*, & contrà. Hoc à Teucro inventore dicitur, Plinio teſte: illa, quaſi *Humilis quercus*, unde etiam *Quercula. Chamædrops* aut vitium eſt, aut dialectus ruſticana. *Triſſago* quare vocetur, ignotum mihi eſt. Qua igitur in re diſſimilitudo eſt? Conſiſtit non tantùm in foliis, ſed & in habitu ipſarum plantarum.

II. De Chamedry Theophraſtus ait 9. *Hiſt.* 10. folia illius eſſe ὅιαπερ δρυὸς, τὸ δὲ ἀνάςημα τῆς ὅλης ὅσον σπιθαμιαῖον. Quod explicans Dioſcorides *l.* 3. *c.* 96. θάμνισκον eſſe ait σπιθαμιαῖον, cujus folia σμικρὰ τῷ χήματι καὶ τῇ σχίσει δρυὶ ὅμοια.

III. Quæ ſi quis contendat cum Plinio, videbitur habuiſſe aliud Exemplar, quod ἀντὶ τȣ͂ μικρὰ, legerit μίνθης; & ἀν τὶ τȣ͂ σχίματι, χρώματι.

IV. De Teucrio ait Dioſcorides πόα ἐςι ῥαβδοειδὴς, ἐοικυῖα χαμαιδρύϊ, λεπλόφυλλοςε. ἔχουσα ἐρεβίνθῳ πέταλον ὅμοιον. Retineo enim publicatam lectionem, contrà quam Cæſ. 11. *Hiſt.* 41. Hinc concludo, in illa utriusque ſimilitudine ſic ſe res habet, ut Teucrii folium ſit longè minus, quale videtur ciceris domeſtici.

V. Hac habita hypotheſi, plantas omnes huc tractas, divido in duo ſumma genera, *Chamædryos* & *Teucrii*, quæ Bauhinus quoque habet. Ex claſſe *chamædryos* in Officinis vel II. vel III. petitur ex *Teucrii* I. Accipiunt autem ſummitates, flore & ſemine prægnantes.

VI.

VI. De facultatibus ita ſentio. Non differre quidem inter ſe: ſed non aſcendere in noſtro climate natas, quò olim Creticæ, vel Romanæ.

VII. Quod igitur Galenus ait, 8. *Simpl.* Chamædryn eſſe calidam & ſiccam in 3. ſed ita ut ſiccitas prævaleat, accipio de exoticis. Quod autem Averroës ſubſiſtere in 2. de noſtra. Summa, amplector Tragi judicium, Chamedryn idem poſſe quod Betonicam, & rectè indi decoctis & vinis deobſtruentibus, & inde pendenti ictero, hydropi, &c.

VIII. Scribit Veſalius *in epiſt. de China*, decoctum Chamædryos fuiſſe commendatum à Medicis Genuenſibus Carolo V. Imp. pro perpetuo podagræ exilio, facto decocto, ſive ex vino, ſive ex aquâ ſtillatitia. Experiatur qui volet.

CAPUT LXI.

DE CHAMÆPITY SEU IVA *arthritica, quæ & Moſchata, Ajuga, &c.*

I. UT Chamædrys eſt *parva quercus*: ita *Chamæpitys* eſt *parva pinus*, *piceave*. Quàm autem difficile dictu ſit, utra ſit vel πίτυς vel πεύκη, Græcorum, diſputatum fuit *Animadverſ. in Theophr. Hiſt.* 15. Hoc intereſt, hæc non dicitur à ſimilitudine foliorum, ſed odoris. Ivæ nomen barbaricum unde ſit, veratore opus habet.

II. Hoc admiratione non caret, quod tot in Officinis plantæ ſunt ſub hac indicatura! 1. Eſt *Chamæcypariſſus* Tragi, ſub abrotono habita ſuprà. 2. *Chamædrys* Officinarum jamjam deſcripta. 3. *Chamædrys* foliis laciniatis Lobelii ſub eodem titulo. 4. *Chamæpeuce* Cordi, quæ eſt Roſmarinus ſylveſtris Matthioli, Ciſti ſpecies Cluſii. 5. *Herba Judaica* Dodonei, quæ Sideritidis eſt ſpecies. 6. *Chamæpitys vermiculata* Lobelii, quæ Anthyllidos. 7. *Vermiculatæ varietas* ejusdem Lobelii, quæ Sedi. Unde apparet, ſi uſpiam opus eſt oculis apertis, heic eſſe. Ego cum illis ſum, qui viâ regiâ incedentes, *Chamæpityn III. Bauhini* capiunt. Ea verò eſt Chamæpitys I. Matthioli & Dodonei, *Chamæpitys mas Lobelii*, quæ ut loco, ita facultatibus valdè vicina eſt Chamædrys. Ideò ero brevior.

III. Eadem differentia eſt inter Europæam noſtram & Orientalem.

IV. Galenus 8. *Simpl.* quem ſequuntur Arabes, calidam eſſe ait in 2. ſiccam in 3. cum acredine minore, amarore majore. Ideo non minùs, quàm Chamædrys, imò potentiùs, propter odorem reſinoſum, aperit, incidit, attenuat & abſtergit: quin ſimul adſtringit.

V. Ut dicere fortè quis auſit, utramque eſſe heterogenearum partium, & locum

cum habere in viſceribus obſtructis, in ſtagnantibus menſibus & urinâ, in iſchiade, in paralyſi præcipuè. Exteriùs abſterſione promovet vulnerum & ulcerum ſolidationem, diuritierum diſcuſſionem, &c.

VI. Purgare etiam, ex Dioſcoride, Plinio, & Aëtio pertendunt quidam. Hinc apud Matthiolum *in Dioſcorid. l. 3. c. ult.* ſunt *pilulæ ex iva*, de quibus promittunt, ſi quis utatur in podagra ſingulis menſibus fore immunem. Simplicior deſcriptio apud Lobelium eſt, *Obſ. f.* 208.

CAPUT LXII.

DE CHAMÆMELO, COTULA, BUPHTHALMO, *Parthenio, Chryſanthemo, &c.*

I. IN Officinis uſurpata Chamomilla detorta eſt à Græco χαμαίμηλον, quod *Malum terreſtre* ſignificat. Tu cape *Malum* ſeu *Pomum Cydonium.* Hujus enim odorem quodammodo refert herba propoſita. Hanc *Anthemum* aut *Anthemium* Theophraſti. ἄνθεμιν Dioſcorides vocat: Hippocrates *lib. de Nat. Mul. &* 1. *de Morb. mul.* εὐάνθεμον appellaſſe videtur, Trallianus 8. *c.* 2. ἀνθεμίσιον. Hujus Sylveſtris genus eſſe videtur *Cotula:* ſed Germ. originis, ut rentur quidam, *Rubedill. Anethum vaccinum.* Buphthalmus quaſi βȣ́φθαλμος, videtur eſſe *oculus bovinus*, à floris rotunditate. His accenſetur χρυσάνθεμον, ἐράνθεμον, κευάνθεμον, λευκάνθεμον, καὶ μελάνθεμον, modò ut peculiaris planta, modò ut epitheton.

II. Hæc in univerſum ſtrues quo conſtet inter ſe ordine, dicat tibi Bauhinus. Mihi uſum reſpicienti incumbit neceſſitas dicendi, quæ & quot uſurpentur? Ex Chamæmeli claſſe II. primæ petuntur. *Vulgare* & *nobile* ſeu *Romanum*: Sub hac cum ſint *cotulæ*, duæ inde petuntur, VII. ſeu *Chamæmelum inodorum*, quod ſolo odore differt à vulgari VIII. ſeu *Chamæmelum fœtidum*, *Cotula fœtida* ſeu *alba* Dodonei, *Parthenium* Lobelii his accenſeo III. quæ eſt *Buphthalmus I. Bauhini. Cotulis* cum valdè vicini ſunt *Buphthalmi*, in Officinis quibusdam hoc nomen occupant *duæ Cotulæ priores*, fœtida & non fœtida. Idem accidit *Parthenio* in aliis. Heic tu. Quod & quantum heic confuſionum pelagus! Dolendum malum magis, quàm corrigendum. Enatabis verò, ſi facultates diligenter diſtinxeris.

III. Quod ad

CHAMÆMELUM.

IV. VUlgare dicunt, non eſt ultra 1. gr. caliditatis & ſiccitatis ex Galeno 6. *Simp.* Quinimò eſſe naturâ humanâ frigidius, probarit aliquis, & ex ſuperioribus capitibus de Roſâ & Atriplice, & ex inferioribus, capitibus de Glycyrrhiza & ſemine lini. Cum enim hæc omnia dicantur eſſe tepidæ caliditatis; illa

illa autem reſpectu naturæ humanæ ſint frigida: fuerit etiam Chamæmelum tale. Verum ego hoc non diſputabo ambitioſius: *Nobile* (ſicut & id quod capitula habet ἄφυλλα, quod eſt VI. apud Bauhinum) in utraque combinatione tranſcendit 2. gradum. Utrumque inſignem habet partium tenuitatem, ſed majorem *Nobile*, quam præcipuè teſtatur odor amaraci aut abrotoni, ut Pena ſcribit.

V. Sed addendum ex Dodoneo, ſi loco vulgaris uſurpetur, vel nobile, vel ἄφυλλον, fieri quidem medicamentum fortius in digerendo, rarefaciendo, ſudorem ciendo: ſed in leniendo & mitigando debilius. Caloris enim gradus jam excedit temperiem olei, animali viventi (ob calorem temperatum) tam amici & familiaris, ut *ex* 3. *Simpl.* 10. doceri poteſt.

VI. Quo loco, ut & *c.* 16. *ſeq.* de tenuitate Chamæmeli ampliùs nos erudit, roſis eâ in parte eſſe ſimile, in calore habere vires olei communis. Ideò foris impoſitum tenſa remittere, ſtipata rarefacere, dura emollire, breviter, in cuti ſtagnantibus ibi excrementis viam facere.

VII. Addit, febres, quæ ſine viſceris alicujus inflammatione ſunt, præcipuè, & feliciſſimè bilioſas, & ex cutis ſtipatione ortas, reliquas autem melancholicas & pituitoſas, non ita feliciter ſanare (non obeſſe etiam illis, quæ ex inflammatione ſunt) ubi poſt purgationem, concretis humoribus, pro ſudorifico adhibetur, vel foris inunctâ ſpinâ, vel indus dato decocto.

VIII. Et hoc eſt, quod 11. *Meth.* 9. repetitur. In febribus putridis, poſt purgationem, rarefaciendum eſſe corpus medicamento aliquo, cui tepidus inſit calor, quale eſt (addit) quod ex Chamæmelo fit.

IX. Et hoc eſt, quod dudum Dioſcorides ſcripſerat, Uti quosdam inunctione Chamæmeli cum oleo in febribus periodicis. Legendum heic eſſe, non ἐνσυγκλίσμασι ſed ἐν συγχρίσμασι, & docuit Cornarius *in Dioſc.* & confirmavit poſteà Paſinus *in Matthiol.*

X. Verumenimverò, non in febribus tantùm hypochondriacis, ſed in omnibus hypochondriorum malis, ſyrupus Chamæmeli ex ſucco paratus, eſt præſtantiſſimus. Ideo Galenus 3. *Simpl.* ait, hypochondriis eſt gratiſſimus. Et Averroës, habere proprietatem in mitigando dolore ventris. Intelligo enim, non tantùm dolorem ex flatu, aut pituitâ, in quo Dioſcorides laudat: ſed & obſtructiones hepatis, lienis, uteri, non tantùm bibito decocto, ſed & facto emplaſtro, inſeſſu, balneo, &c.

XI. Revera, eſt medicamentum πολύχρηστον, ob calorem, ut Avicenna inquit, calori humano valde affinem, quo aperit & diſcutit, &c. Hac ratione prodeſt & dolori capitis ex cauſa frigida, foris tantum impoſita, 2. κ. τόπ. 2. Et hæc de Chamæmelo utroque:

II. *COTULAS.*

XII. OPortet primùm diſtinguere à ſeipſis. Fœtida enim non facit, quod non fœtida: imò plus facit. Deinde, à Chamæmelis. Non-fœtida eſt calida in 1. gr. ſed minimè tenuium partium, imo craſſarum. Fœtida ad 3. pervenit, inſtar vermicularis, ſeu ſedi minoris. Præterquam enim quod exulcerat, odorem habet graviſſimum, unde craſſities partium æquè manifeſta ſit.

III. *BUPHTHALMUS.*

XIII. S*Anct Johannes Kraut, oder Strichlum. Cotulis* affinis eſt in facultatibus. De

IV. *PARTHENIO.*

XIV. VIdendum, ne confundatur cum *Matricariâ*, infrà dicenda. Rèvera *Parthenium* (ut ibi dicitur) Dioſcoridis, eſt Matricaria noſtra: quam autem pro Parthenio vendunt Officinæ, nihil aliud eſſe video, quam cotulam alterutram. Ideo noſtræ aſpernantur, ut & Chryſanthemum. Heic video, antequam receptui canam, agendum mihi eſſe de varietatibus

OLEI CHAMÆMELINI.

XV. NOn agit idem, quod 1. ex vulgari fit, & quod ex nobili. 2. quod è foliis; 3. quod ex alterutris ſolis, & quod ex utriſque. 4. quod è totis floribus & quod è luteis tantùm ſtaminibus, abjectis foliis ambientibus. 5. quod ex floribus recentibus & quod ex ſiccis.

XVI. Ubi notandum, recentes per 24. horas primum tabeſieri. Rurſus præparatio non parum facit diſcriminis. Non facit idem quod fit ſine certa proportione florum & olei cum eo, quod cum certâ. 2. quod decoquitur cum eo, quod inſolatur. 3. quod inſolatur tantum, ſine expreſſione, cum eo, quod poſt inſolationem exprimitur. 4. quod poſt inſolationem finitur ebullire in balneo Mariæ, & poſtea vel ſine expreſſione colatur, cum eo, in quo alterutrum deeſt. 5. quod triplici alternatim facta inſolatione, ebullitione, & expreſſione. 6. quod ſeptem & quod 40. diebus inſolatur. 7. quod, dum inſolatur, tenui linteo tegitur, ut poſſit tranſpirare, cum eo, quod arctiſſimè clauditur. 8. quod inciſis tantùm floribus, cum eo, quod contuſis etiam.

XVII. Præſtantiſſimum fit ex Chamæmeli vulgaris floribus recentibus, ablatis albis foliolis, certâ ad oleum proportione. conciſis, contuſis, poſt diutinam inſolationem, tecto ad Solem Simplici linteo, vaſe expreſſis, terque repetita hac opera. Ita enim fit oleum plurium uſuum, quod verè *Sanctum* & *Benedictum* Vigo Chirurgus appellat, quia efficaciſſimum, cum aliqua adſtrictione, qua partes iterum colligit. Hoc non olet garum, ut id, cum vas nimis diligenter clauditur. Nec eſt, quod verearis adſtrictionem, quam Galenus & Meſue non

quæ-

quæſiverunt. Eſt enim tantilla, & quæ in recenti ſolo ſeſe exhibet, & initio morborum locum habet, cum metuitur affluxio. Habet autem illa, ſi Coſtæo *in Antid.* fides, à contuſione, quæ facit, ut terreæ partes melius deponantur in oleum. Agit autem tantilla adſtrictio tantò validius, quò debilior eſt calor attrahens. Ait enim Avicenna bis habere hanc præ omnibus aliis medicamentis, quod non attrahat.

XVIII. Temperamento eſt hoc oleum paulò infra Chamæmelum ipſum. Oleum enim retundit calorem & ſiccitatem plantæ, ut ferè temperatum evadat, quale eſt corpus, cui applicatur. Propterea, quod ex 3. *Simpl.* 11. docet Foëſius *in pharmacop.* & in calidis & infrigidis affectibus locum invenit. Imò, aliquando ſubſtituitur oleo roſato, in corporibus ſcilicet mollibus, & frigidis qualia quæ ſunt, nolunt ampliùs refrigerari, ut ex 2. κ. τόπ. 1. *fine* docet idem Foëſius in febribus etiam non admodum vehementibus, pro leniendis doloribus capitis plus poteſt roſato.

XIX. Addam tria verba de

SYRUPO DE CHAMÆMELO.

IS duplex eſt in Officinis noſtris. *Simplex* fit ex ſucco, alibi ex floribus, cum aut ſine vino, ad hydropem & icterum. Sed eſt ingratiſſimus. *Compoſitus* eſt magiſtralis Joan. Prunſtereri, Medici olim Noribergenſis cujus uſus in affectibus nephriticis, optimo cum ſucceſſu, ut ajunt.

DE CHEIRIS. Vide Violas inter Purgantia.

CAPUT LXIII.

DE CHELIDONIO UTROQUE.

I. NON ut apud Græcos alias, ἡ χελιδονία, tempus adventûs hirundinum, & τὸ χελιδόνιον, herba circa tempus illud apparens, diſtinguitur: ita in Botanicis.

II. Ita quoque neglectui eſt ἀκριβεία in conſtituendo genere. Ut enim Centaurium majus, ceu dixi, cum minore coit in unum genus, quamvis externo habitu longè differant: ita duplex Chelidonium conjungi debet propter cauſam dictam.

III. Eodem modo locum habere poteſt fabula de reſtitutione oculorum in pullis hirundinum, quamvis ἀπιςόρητον ſit, 4. *Gen.* 6. 6. *Hiſt.* 5. Celſus *lib.* 6. *c.* 6. *fine.* Vide Animad. *in Theoph.* 5. *Hiſt.* 9. *num.* 27. Eodem iterum modo non obeſſe debet his duabus, quod aliæ multæ appareant hoc tempore, habeantque idem no-

nomen, v. g. Chelidonia phragmitis & capnitis, quæ eſt Fumariæ ſpecies, *Caltha pal.* Geranium Robert. Aquilegia, &c.

IV. Ita ambiguitates apud Arabas ſunt, v. g. apud Rhaſim *Memithe*, quod Glaucum eſt, fit Chelidonium majus, apud Serapionem *Menithen* (ita enim ibi ſcribitur) fit Chelidonium minus. Ita Othonna apud Paulum eſt Chelidonium majus, apud alios *Othonna Dioſc.* eſt *Flos Africanus* vulgo dictus. *Tanacetum Africanum Bauh.* Apud Chymiſtas Chelidonium majus transfiguratur in *Cæli-donum*, & fit inde quinta eſſentia, cujus Matthiolus meminit. Sed vanitatum ſatis.

I. CHELIDONIUM MAJUS.

V. Corrumpitur ab Officinis barbaris in *Celidonia* & *Cæli-donum.* Eſt herba muralis, omnibus nota ſub nomine *Schollcraut.* Chelidonium majus I. Bauhini, cujus foliis utimur. Olim in frequentiſſimo uſu erat ſuccus denſatus, in affectibus oculorum tantoperè celebratus, ut collyria quædam dicerentur *Chelidonia.*

VI. Galenus 9. *Simpl.* calidum & ſiccum eſſe ait in fine 3. gr. Et quia Dioſcorides, de ſucco ait, eſſe δριμέα, δηκτικὸν, καὶ πρᾳσῶς ὑπόκικρον: intelligitur quodammodo, qualis ſit in ſecundis qualitatibus. Acredo enim illa, quam expreſſit duobus verbis, indicat partes calidas tenues plurimas, quibus egregiè penetrat & aperit. Amaror, quem Dioſcorides extenuat, qui tamen quibusdam locis excellens eſt, pariter indicat partes calidas, ſed craſſas & terreas, quibus ἰσχυρῶς ῥύπτει, ut Galenus loquitur. Hinc intelligitur, eſſe τῶν ἑτεροιωμένων, quorum efficaciam inſignem jam ſæpè prodidi. Eſt autem illa evidentior in externis malis, quam in internis, licet in viſcerum obſtructionibus multum præſtare poſſit.

CHELIDONIUM MINUS.

VII. In facultatibus nihil habet commune. Dicitur *Scrophularia minor*, quod Scrophulis medeatur. Dicitur *Ficaria*, quod ficubus in ano, hoc eſt, hæmorrhoidibus tumentibus auxilio ſit. Dicitur etiam *Schorbuictcraut*, à morbo, qui nunc regioni noſtræ nimis quàm familiaris ſit.

VIII. De hoc obſervandum, fieri quod in Aro, Aſphodelo, aliis, ut radix quibusdam locis valdè acris ſit, quibusdam dulcis & edulis.

IX. Et hoc, alicubi purpureas maculas in foliis oſtendere, quas quidam pro ſignatura Scorbuti agnoſcunt. Ob has habetur pro *Amello* Virgil. 4. *Georg.*

X. Quod qui credere non volet, eat

—— *Ad curvæ flumina Mclæ.*

Ubi autem ſit Mella, ne Pontanus quidem Commentator novit. Me Baccius *in op. de Thermis* docuit, eſſe in agro Brixiano Lombardiæ.

XI.

XI. Galenus 9. *Simpl.* poſt alia ait, cutim exulcerare, ſcabros ungues abſtergere, errhinon eſſe. Itaque calidum & ſiccum in 4. gradu. Hæc à Dioſcoride eſſe fatebitur, qui conferet. At Serapio quaſi corrigens Galenum in 3. ſubſiſtit, & quidem non completo.

XII. Hoc de Arabico eſſe, veriſimiliter quis dixerit. Verè de Europæo dici, teſtatur omnium noſtrum ſenſus. Habet enim noniſi ſubacrem & aſperum ſaporem. Qui cum neutiquam accedat ad fervorem ranunculorum, quod poſt Tragum Dodonæus ſcribit: dubito etiam, an poſſit ἀποφλεγματίζειν.

XIII. Hoc autem ſcio ex fide dignis, radices tam eſſe aptas hæmorrhoidibus, ut appropriatæ dicantur. Ideò non tantùm abluunt decocto ex vino, ex urinâ propriâ: ſed vel per pulverem aſpergunt, vel emplaſtri modo imponunt. Imò amuleti loco geſtant. Audivi, qui diceret, non exterius tantum extinguere dolorem, ſed & interius, in reddendo conſueto illarum fluxu.

CAPUT LXIV.

DE CHINA.

I. DE pronunciatione hujus vocis dixi ſuprà *capite de Rhabarbaro*. Jam hoc addo, Chinam dicere, eſſe idem, ac ſi dicam Indiam ultra Gangem, in Orientali puta Indiâ, ſi fortè rudiores in Geographicis. Eſt regio vaſtiſſima, quæ, Ortelio auctore, ab Oriente habet mare Indicum, quod idem Chinenſe dicitur; & inſulam Japan: ab Occidente Indiam citra Gangem, & quæ huic contermina, Perſia: à Meridie partem Indiæ itidem citra Gangem, in qua *Malaca*, eique oppoſita *Sumatra*, olim *Taprobana*: à Septentrione *Tartariam*, ſeu Sarmatiam Aſiaticam, quæ ipſa Scythia eſt, & quæ huic affinis Moſchovia. Quem loquendi modum, ut rectè intelligas, vide Notarum ſcriptorem in Garziam *l.* 1. *c.* 39. Fieri tamen poteſt, ut in aliis quoque dictæ Indiæ locis, ut Acoſta: quin in India etiam Occidentali creſcat, ſponte, an eò tranſlata incertum, ut Nicolaus Monardes ſcribit.

II. Sed qualis eſt planta? Garzias, qui Goæ unam ſe vidiſſe ait, & qui cum Goæ compellavit dictus Acoſta, ſuppleturumque promittit, quæ deſunt, ajunt: Herba eſt prædita multis tenuibus & ſpinoſis ſarmentis, Smilaci aſperæ non diſſimilibus, quibus proximas arbores ſcandit, foliis, vel mali Citriæ junioribus, vel plantaginis latifoliæ, quibus radix ſubeſt, aliquando pugnum craſſa, aliquando minor, ſolida alioqui, gravis, nodoſa, inſtar arundinis, modò foris & intus rubra, magis rubeſcens, modo foris tantùm, intùs autem candida, &c.

III. Hæc de radice verba ſi tam benè convenirent Smilaci aſperæ (quam Sarſamparillam eſſe probabo infrà, ſi velit Deus) quàm bene conveniunt illa de

ſarmentis: ſana eſſet aſſertio illorum, qui *Chinam* & *Sarſam* volunt eſſe eandem plantam. An dici poteſt, in alterutra India eſſe, in altera non eſſe? Sunt in eam rem argumenta aliquot, quæ non affero, quia veriſimilitudinem non tranſcendunt.

IV. Ejusdem generis ſunt, quæ de Arundine jactantur, de Galanga, de pſeud-Acoro, de Biſtorta, de radice Rhodia, de aliis.

V. Majoris momenti eſt poſſe diſcernere veram à falſa. Judicium eſt duplex, alterum à priori, alterum à poſteriori. Illud, ſi radix ſit gravis, ponderoſa, ſolida, plena humore quodam pingui & unctuoſo, quidem ſatis evidens ſit, in decocto autem evidentior. Hoc decoctum ſi ſit aromaticum, cum ſapore modò acri, modò amaro, cum adſtrictione aliqua, cum odore etiam aliquo, modò non ab adjectis aromatis traxerit, colore inter album & nigrum medio.

VI. Quo loco detegere oportet fraudem imperitorum. Deterior cùm ἄποιος ſit, *exqualis*, quidam putarunt eſſe ἄποιον Dioſcoridis *l.* 4. *c.* 170. qui eſt, non *Chamæbalanos* noſtra, *Erdnuſs*: ſed *Tithymallus tuberoſus*, quem Bellonius 1. *Obſ.* 42. ex Atho monte in Galliam attulit, ſed inventus poſtea fuit in Apulia ab Imperato.

VII. Quod ad facultates, ſine illarum notitia, conciliata fuit radici huic autoritas à mercatoribus Chinenſibus, poſt annum 1535. Hi enim affirmabant, ſcribente Garzia & Acoſta. Curare illam luem Veneream, podagram, alios multos morbos, ſine accurata illa victûs ratione, quæ vulgò obſervatur, non tanto etiam tempore, nec tanto cum faſtidio. Qua re apud Indos cognita, maximo pretio fuit coëmpta. Hoc nomine cum commendaretur ab Hiſpanis Carolo V. Imperat. ut eſt apud Avilam *lib.* 1. *Belli Germ.* & Veſalium *in Epiſt. de hac radice*, uſus eſt ille, propria voluntate, ſine ullius Medici cubicularii conſilio: ideo ſine ſucceſſu, cum neque ſervaret debitum vitæ modum, neque continuaret. Quo factum eſt, ut facili momento relaberetur ad Guajacum. Nihilominus negotio palam facto, non tantùm Medici Principum volebant ſcire à Cæſarianis rationem exhibendi: ſed Principes ipſi ſolicitabant Cæſarem, pateretur rem innoteſcere. Tantum poterat inanis ſpes adipiſcendi ſanitatem absque methodo medendi! Quæ cum apud plerosque omnes decollaret, cœpta fuit verti licentia temerè decantata, in rigorem Guajacanum, ſimulque laboratum, quomodo China ad temperamentum Guajaci deduceretur.

VIII Quæ res licet impoſſibilis videretur ſapientibus: fluctuatum tamen fuit variè à Practicis, tam in activis qualitatibus, quàm in paſſivis vehementius tamen in his. Quod ad activas, qui inſipidam & vietam habuerunt, & ſenſum tamen ſecuti ſunt, frigidam eſſe volebant in 1. gradu. Qui talem quidem, ſed addiderunt rationem (quod videlicet humiditatem præ ſe ferat oleoſam & pinguem, difficulter à ſubſtantia terrea ſolubilem, adeo, quod ℥j. non ſemel tantùm tingeret aquæ ℔. xv. ſed ſexies) temperatam eſſe cenſebant. Qui ſucculentam &

pin-

pinguem tractarunt, cum præterquam quod vel acredinem, vel amarorem perciperent, obſervarent etiam humiditatem illam lentam & aëriam in maſticatu, aut certè in decocto: calidam in 1. gr. collocarunt. Mihi videtur, huc pervenire recentem & ponderoſam, quæ ſimul odorata ſit & ſapida: vetuſtam quamvis & inſipidam & inodoram, frigidam tamen non eſſe, ſed temperatam. Nunquam enim amittit unctuoſum ſuum tenue, quod deponit in decoctum, ſed tam invita, ut cogenda ſit. Quod ut agnoſco, argumentum eſſe balſami valde vividi, ut Chymicus aliquis loqueretur: ita puto, parum poſſe, quia tam parvum, in tam multam aquam deponit. Hoc perſuadet ſubitus decocti acor, quod omnes, excepto Saxonia, queruntur. Niſi enim, poſtquam ab igne remotum eſt, bene tegatur pannis, & calido loco ſervetur, eodem die aceſcit.

IX. Nimirum & aquæ hordei, cum glycyrrhiza factæ, id accidit, cum qua, non tantùm in primis qualitatibus, ſed & in effectu ſudoris movendi comparat Veſalius. Ut enim aqua illa eſt ſudorifica in iis tantùm in quibus cutis eſt laxa, & humores tenues; ut non eſt, ubi vel alterutrum, vel utrumque abeſt: ita etiam decoctum hoc. Neque enim concedo, aquam hordei talem, ſi referatur, ut debet, ad hominem temperatum, eſſe frigidam.

X. Et ita quidem de activis. In paſſivis dicunt plerique omnes inſigniter ſiccare, & quidem ad 3. uſque gradum, propter ſitim, quam facit in quibusdam majorem Guajaco. Sed & propter effectum, quem præſtat in ſiccandis corporibus, quibus rectè adhibetur. E contrario non pauca ſunt, quæ humidam eſſe pertinaciſſimè perſuadent. Fallopius cùm dixiſſet, ſe non dubitare, quòd ſiccet: *cap. ſeq.* ait, ex uſu illius homines valdè pingueſcere. Ejus rei cauſam rejicit Cardanus in humidum multum pingue, quod ait firmare ſolida membra, hoc eſt, ut poſtea ſe explicat, impinguare corpus.

XI. Hujus rei oculatus teſtis ſit Alpinus, 3. *Med. Ægypt.* 16. & iterum *lib.* 4. *cap.* 1. ubi teſtatur, vidiſſe ſe plurimos emaciatos, decocti hujus uſu corpus recepiſſe. Quin Turcas, qui delectantur uxoribus bene habitis, eodem decocto craſſe facere delicias ſuas. Hoc admittunt etiam ij. qui in atrophia dant, quamvis ſiccam eſſe dicant Ij. etiam, qui Venerem ſtimulare. His in ſcopulis cum hæreret navis Cardani, non auſus affirmare humidam eſſe, quamvis conceſſiſſet, ſubſtantificè humectare corpora: valde ait illam ſiccare, ideo ſalſa & acria omnia in victu eſſe vitanda. Liberalior Amatus, cum ſiccam eſſe dixiſſet 3. gradu, ſimul humidam eſſe ait in 1. Quomodo ineptire cùm nollet Veſalius non poſſe nos reddere, ait, cauſam contrariorum effectuum, niſi confugiamus ad occultam proprietatem. Ad hanc, poſt Veſalium confugiſſe Saxoniam *lib. de lue Vener. cap.* 25. non mirabitur, qui reliqua ejus ſcripta legerit. Cum enim ait, exſiccare humores excrementitios, & conſervare alimentales: quid aliud eſt, quàm facere Chinam rationalem propter occultam proprietatem?

XII. Quid igitur? Ego confugio ad modum ſubſtantiæ, quia ut dixi, partibus

bus terreis & crudis miſtum eſt aliquid aërium, pingue, unctuoſum, ſeu quomodocunque vocare velis, adeo exactè, ut non niſi multa maceratione & coctione extrahi poſſit: ſed ne tunc quidem omnia. Et in hoc conſiſtit illa efficacia, quam Ferrerius jactat, quæque facit ut non facilè aliud medicamentum cum hoc comparari poſſit, quod Cardanus urget. Tenue ſcilicet eſt, natum fundere humores, & ſudores movere vehementiſſimè, in iis præſertim, qui vel à natura, vel uſu prægreſſorum medicamentorum jam diſpoſiti ſunt, ut Veſalius loquitur. Conſiſtit autem diſpoſitio fere in hoc, ut qui utuntur, bilioſis, aut certè aliis acribus humoribus abundent. His enim, quod ad artis methodum ſpectat, bene ſucceſſiſſe novi, inquit idem, putatque ab his commendationem incepiſſe. Et hoc (niſi fallor) eſt, quod Fallopius poſtea dixit, contemperare humorem melancholicum. Intelligo enim atram bilem, exuſtione flavæ factam. Hoc etiam eſt, quod Alpinus ſcribit, Ægyptios uti decocto ad ſanguinis, hepatisque calores contemperandos, maximè in longis tertianis, &c. Tales omnes, quemadmodum etiam Ægyptii, cùm graciles ſint, & macilenti: quid admirandi, ſi obtuſo calore illlo igneo, à tepido decocti calore fiant habitiores? Tollitur his difficultas, quomodo & ſiccare & humectare poſſit. Utrumque facit per accidens. Siccat, quatenus partibus aëriis præeuntibus, & ſequente multa decocti aqua, eluit excrementa corporis calida & acria. Humectat, quatenus obtundit calorem, qui humectationem ſubſtantificam prohibebat. Intelligitur ex his etiam, quid & in quibus morbis pituitoſis laudetur: quid in bilioſis & atrabiliariis inveteratis, elephantiaſi, lepra, tumoribus omnibus, qui pendent ab hepate ſicco & torrefacto, quale habent melancholici. Tum, ſiquidem præceſſerint debitæ præparationes, ſuperveniens tepidus ille humor, & obtundit quidem humores morbificos, intemperiem autem partium mitigat. Hoc modo, non ulla occulta proprietate, ut fusè probat Alex. Petronius, luem quandam veneream curat, & hac quidem præ omnibus appropriatis prærogativa, quod non cogat & induret partes, ut medicamenta difficulter penetrent, ſed contrà potius humectet, cum aliqua adſtrictione, quæ reddit partibus tonum.

XIII. Quid autem poſſit in ulceribus internis, pulmonum, renum, veſicæ, uteri, neſcio. Præter enim humorum contemperationem, & partium delinitionem, nihil à China exſpecto. Hinc erudiri poſſunt illi, qui vel pro cœleſti auxilio habent, vel prorſus contemnunt. Ἀποτυχίαι accidunt etiam inde, quod alligamus nos formulis Empiricis, contempta mutatione doſium & aliorum, quæ methodus præſcribit. Nimirum obſervatis obſervandis, jam non agit à tota ſubſtantia, ut cum Galeno loquar.

C A-

CAPUT LXV.

DE CICERIBUS.

I. RES intricata. Ἐρέβινθος *Cicer* eſt. Hoc apud Dioſcoridem & Galenum *triplex* eſt. Sativum duplex, ſylveſtre unum. Eſt etiam apud Theophraſtum 8. *Hiſt.* 5. ſed excluſo ſylveſtri κριὸν (non κρίον) ὀροβιαῖον, καὶ ἀνὰ μέσον. Ubi de nominibus notandum, τοῖς κριοῖς dici quidem *Cicer arietinum*, ſed non ad mentem veterum. Ij enim non plantam exprimebant, ſed ſemen, quod habet eminentiam quandam inſtar cornu. Ὄροβος diminutivum facit ὀρόβιον, unde ὀροβιαῖον, non ὀροβαῖον. Quid verò eſt τὸ ἀνὰ μέσον? Puto referri ad colorem, & *Arietinum* quidem eſſe *Nigrum* ſeu *fuſcum Cicer* : ὀροβιαῖον autem candidum : medium, quod participat de utroque colore. *Arietinum* rei ruſticæ Scriptores appellant *Vernaculum*, *Orobiæum Punicum* ſeu *Peregrinum*. Rurſus, arietinum, meâ opinione, eſt *Venerium*, quod præſtet in hoc genere: *Orobiæum* eſt *Columbinum*, quia ſervatur avium cibo. An *Venerium* à contrario ſenſu dicitur quaſi minimè? Plinius enim ait pervigiliis adhiberi, *l.* 10. *c.* 12. An ita legendum ibi? Unde ita appellatur, nigrumque. In arietino enim candidum eſſe Dalecampius *in Plin.* negat. Vide Bauhinum *in Pin.* Sed ſatis tenebrarum.

II. Cicera apud Veteres erant in cibario uſu, ut hodieque apud Italos, quid faciant? quæritur. Sunt ζυμωτικὰ τῆς σαρκὸς, inquit Diocles apud Athen. *l.* 2. Et eſt hoc nihil aliud, quam flatuoſa ipſorum natura qua non minus, quàm fabæ inflant, 1. *Alim.* 22. *Cicer*, inquit auctor 4. Acut. 93. *flatum parit & laborem*, i. dolorem ex flatu, ut Galenus explicat. Incitat eodem modo ad Venerem.

III. Tamen Galenus dubios nos facit, annon alio quoque modo id præſtent? Videatur 5. *Simpl.* 23. *de Cibis* 7. 6. *Simpl. c. prop. Alim. l. c.* Verùm expedit nos ipſus, cum de cibis ait *Cicer ut alat ſatis, mali certè ſucci eſt.* Et *de Vict. atten.* cibum vocat *excrementitium & concoctu difficilem.* Cùm aliter ſentit, loquitur ex aliena ſententia.

IV. Secundo loco quæritur, qua ratione ſint εὐκοίλια apud Dioſcoridem & Galenum, cùm ſint πνευμάτων γεννητικὰ ἢ φυσώδη? Quia, ut dicetur, propter ſubſtantiam quandam terream abſtergunt & alvum movent, non ſecus ac beta, braſſica, alia hujus generis.

V. Tum verò edere oportet cicera non ſicca, ſed decocta, & quidem cum prima aqua. Sicca enim, qualia etiam frixa ſunt, alvum ſiſtunt. Idem dicere oportet de vi diuretica, quæ in ſubſtantia nitroſa habitat.

VI. Sed & hoc oportet addere ex Galeno *de Alim.* Nigra & exigua tantùm huic rei eſſe commoda.

VII. De facultatibus in univerſum habendum eſt id, quod jam cœpi dicere,

& dicit Avicenna ex Hippocrate 2. *de diæt.* 8. apud Marinell. partium eſſe heterogenearum, habere quasdam ſalſas, & ſuperficie, quas etiam in decoctione deponunt: quasdam dulces, quas in centro. Hoc Theophraſtus etiam habet 8. *Hiſt.* 6. & Plin. *l. c.* Vide Cæſalp. 6. *Hiſt.* 16. Cordum 1. *Hiſt.* 40.

VIII. Præter ſalſedinem habent etiam amaritiem, qua inſigniter abſtergunt, verùm non æqualiter. Nam quo candidius eſt Cicer, eo minus habet: & contra, quo nigrius.

IX. Hinc judico de primis qualitatibus, cùm diſtinctione. Candida ſunt temperata: nigra ultra 1. gradum.

X. Modicè ſicca eſſe Galenus ait. Quod cum pugnet cum Servio & Averroë, qui humida faciunt, fuêre quidam tam audaces, ut mutarint ſcripturam Galeni. An igitur humida ſunt humiditate illa excrementitia & flatuoſa? Siccitati atteſtantur opera particularia. Attrahunt, digerunt, diſcutiunt, aperiunt, de obſtruunt ϛ. κ. τόπ. 1. in ſugillatis, 9. κ. τόπ. 1. *ſub finem*, in ictero, urinam movent, & calculum frangunt. Abſtergunt etiam pſoras, lichenas, parotidas ſanant, ulcera maligna conſolidant.

XI. Quas vires dum Aëtio tribuit Cæſalpinus, quem carpit, quod ſoli Ciceri tribuat effectus, qui ſimul debeantur eruo, tanquam fortiori: indicat ſe neglexiſſe & Galenum & rerum naturam. Nam & Galenus id ipſum ſcripſit, & ratio abundè illam juvat. Adde, locus Dioſcoridis quo nititur, non eſt ſine gravi ſuſpicione mendæ.

XII. Apud nos tantùm ferè uſurpatur decoctum Cicerum rubrorum in impedita urina: ſed monent Practici, ne uſurpetur frequentiùs in iis, in quibus exulcerationes ſunt dictarum partium. Idem datur, vel ſolum, vel cum maci, petroſelino, aliis, ad cienda τὰ λοχεια. Imo etiam ad augendum lac, ſi Diis placet. Galenus enim, ſed ex aliorum ſententia, ſubſtantiæ comeſtæ id tribuit. Sed quomodo εὐχροίας περιποιητικὸν ὁ ἐρέβινθος? Abſtergendo cutis vitia.

C A P U T LXVI.

DE CICHORIO ET CICHORACEIS.

I. KIKΩP eſt apud Nicandrum in Alex. 1. *originis Ægypt.* Plin. *l.* 19. *c.* 8. *c. iterum l.* 20. 8. Hinc à κιχώρη eſt diminutivum κιχώριον, poëticè apud Horatium κιχώρεια. Inde apud Theophraſtum 7. *Hiſt.* 11. inter ἐπετειόφυλλα καὶ ῥιζόφυλλα ſunt τὰ κιχωριώδη, quæcunque ſcilicet τῷ κιχωρίῳ πῶς ἐμφερῆ ἔχει φύλλα, *ibid. c.* 3. Eſt autem Cichorii folium θριδακῶδες, hortenſe quidem quàm ſimillimum, ſylveſtre autem quodam modo. Similitudini accedit apud Cæſ. 13. *Hiſt.* 1. 1. Quod pleraque omnia talia ſint temperamento frigido & humido. 2. Quod

ſuc-

ſuccum quendam lacteum habeant, magis, minùs amarum pro ratione ætatis. 3. Quod flores gerant numeroſis foliolis conſtantes. 4. Quod iidem in pappos ſoluti abeant, quod Theophraſtus παπποσπρέματον vocaret.

II. Horum numerum qui inire volet, 10. inveniet, ſi quidquam video, *Cichorium*, *Chondrilla*, *Cyanus*, *Sonchus*, *Lampſana*, *Hieracium*, *Piloſella*, *Senecio*, *Lactuca*, *Tragopogon*. De omnibus placet ſeorſim agere, quamvis non omnes in uſum veniant. De

I. *CICHORIO.*

III. Ut res planior fiat, oportet hinc initium capere. Σέρις apud Dioſcoridem *l.* 2. *c.* 125. & alios, Græca vox eſt, licet alii à ſerus, a, um, deducant. Expreſſa Columellæ verba ſunt *l.* 8. *c.* 18. *Seri genus Intubi, quam Græci σέριν vocant.* Hæc duplex eſt, hortenſis & ſylveſtris. Illa Latinis Intybus ſeu Intybum eſt, teſte Galeno 2. *Alim.* 41. 2. κ. τόπ. inter amuleta Archigenis ad dolorem capitis. Hæc κιχώριον ἢ πικρίς.

IV. Intubum à pleriſque omnibus Veteribus pro Seride hortenſi tantum habebatur: at noſtro ab uſu tantoperè extenditur, ut *Cichoracea* omnia ſint *Intybacea.* Idem obtinet in Cichorio, ut ex inſcriptione patet. Idem in Seride.

V. Ab hac Græca voce, de omnium penè conſenſu, eſt vox barbara, Italica, *Scarola* ſeu *Scariola*, penultima elevata, quaſi *Seriola.* Pariter, ab *Intubus* eſt vox Italica *Intubia* ſeu *Entivia*, & quod uſitatius, *Endivia.* Iterum, quia utraque hæc planta eſt τρώξιμος, *edulis*, vocatur ab Arabibus corrupta voce Ταναχοκον.

VI. Intubi ſeu Cichorii ſpecies Bauhinus *in Pin.* mirificè planè dividit in Intybos, Cichoria, Cichoria ſylveſtria lutea, & dentes leonis. Quid enim? Sed ἀκρίβεια heic locum non habet, & ſufficit, plantas congeneres in unum acervum congeſtas eſſe, ut ſub uno adſpectu ſint.

VII. Ex hac itaque farragine quatuor ſumuntur in uſum, tam domeſticum quam medicamentarium, ex *Intybis* quidem I. & II. & vocantur *Endiviæ*, major & minor, latifolia & anguſtifolia: *ex Cichoriis* autem II. ſub nomine Cichorii: ex *dentibus leonis* tandem ille, qui I. eſt ſub voce *Taraxaci.* Hæ quatuor plantæ ſunt 4. Serides Dioſcor. *l. c.* Verba enim ejus loci corruptiſſima ita interpretantur eruditiores: *Seris aut ſativa eſt aut ſylveſtris. Utraque duplex eſt, & utrinque vel latifolia vel anguſtifolia. Seris ſativa latifolia eſt Endivia omnibus vocata: ſeris ſativa tenuifolia eſt Scariola Officinalis Seris ſylveſtris latifol. eſt Cichor. ſylv. Off. unſere Wegwarten: Seris ſylv. tenuifol. eſt Taraxacon, Ambubeja, caput Monachi*, &c. Tu qui hæc legis, circumſpice diligenter, an ubique locorum eædem plantæ uſurpentur; Debebant quidem: ſed, ut in affinibus fieri ſolet, ut hallucinentur parum periti, ita heic quoque.

VIII. Superioribus ſæculis pro *Cichorio ſylveſtri* utebantur *Soncho*. Hac in re parum omnino ſitum eſſe intelligitur ex facultatibus. Alii ſumebant *Hieracium majus* Matthioli, quod I. in ordine eſt apud Bauhinum. Hos ait Matthiolus Tireſia cæciores eſſe. Quod ut de notitia plantæ verum eſt: ita de facultatibus non eſt, adeoque iterum parum refert. Alii rurſus *Lactucam ſylveſtrem* Matthioli æquat illis, paulò verius. Nam & planta nullatenus reſpondet, & facultates neutiquam conſentiunt. Iterum alii, pro *Endivia*, ſeu Cichorio hortenſi ſolum uſurparunt eandem *Lactucam ſylveſtrem Matthioli* qua in re valdè peccatum fuit. Cum enim odore & ſapore planè papaveraceo ſit, cum ſuccus, opii inſtar, partibus conſtet tam heterogeneis, ut quibusdam linguam vellicet & exurat, quibusdam ſomnum conciliet: quei poſſit locum tueri plantæ alimentalis, & tantùm non temperatæ? An autem loco *Endiviæ noſtræ* uſurpari poſſit *Cichorium ſylveſtre* illud, quod ex agro in hortum translatum mite factum eſt, non eſt difficile judicatu. Sed cum hac cautela, quod calidius ſit & ſiccius.

IX. Huc pertinet diſputatio. Quid ſit *Scariola* in *Syrupo de Cichorio cum Rhabarbaro?* Non loquor in genere, ſed de hoc Syrupo, & dico. In omnibus quidem aliis conpoſitionibus poteſt accipi *Cichorium hortenſe* vel *latifolium* vel *tenuifolium* in hoc Nicolaus vult *lactucam ſylv. Dioſcor.* Matth. Hui tam acrem plantam? Accipio παραμυθίαν Penæ & Dodonei: Ita corrigitur in compoſitione, ut fiat hepatica: tum verò ſtimulus etiam fit congenerum pigriorum. Interim non contemnò Chondrillam, qua noſtrates utuntur in hoc Syrupo pro Scariola. Ex his 4. plantis; ut finiam, in Officinis venit Radix, herba & ſemen utriusque Endiviæ, Radix, flos & ſemen Cichorii utriusque ſylveſt. Herba & ſemen Scariolæ, quæcunque illa ſit.

X. Sed quid in Culinam? 1. Endivia latifolia ſolis foliis, quam colligatam hyeme obruunt terra, arenave, ut fiat candidior, & tenerior. 2. Endivia anguſtifolia, etiam ſolis foliis, dum in Aſparago ſunt, Cæſalp. 13. *Hiſt.* 2. 3. Cichorium domeſticum apud nos quidem ſolius radicis cortice, abjecta medulla, *Wegwarten*: *apud Italos etiam foliis Radiki.*

XI. Sed quid agunt? Heic ſubito litigatur de primis qualitatibus. De activis ait Galenus 8. *Simpl.* frigidam eſſe in 1. gr. diſtinctius ex Iſaac, domeſtica quidem in fine, ſylveſtria autem in principio. Sed enim quia idem ait 8. κ. τόπ. 8. non obeſſe frigidæ hepatis intemperiei, dixerit quis calidam eſſe. Accedit, quod Avicenna ait, propter amarorem accedere ad parcam caliditatem. Reſpondeo, partium ſunt heterogenearum, ſed ita, ut frigidæ præpolleant. Ideo Avicenna ait, *caliditatem eſſe talem, quæ non faciat impreſſionem.* Et Galenus non ſimpliciter ait juvare, ſed *non lædere*: quin ne hoc quidem ſimpliciter ſed οὐ μεγάλως βλάπτειν. Hoc explicat Maſſaria *Pract.* 11. Si ſit intemperies frigida exilis, ut non magnoperè proſunt Cichoria, non magnoperè tamen lædere: ſi ſit inſignis, prorſus eſſe abdicanda. Eſt autem amaror, & qui eum conſequitur, calor major vel minor. 1. prout hortenſia vel ſylveſtria ſunt. 2. ſpeciatim in Endivia, prout

ma-

magis albicat. Et ita de activis qualitatibus: de paſſivis major & multò difficilior controverſia eſt. Galenus enim *Simpl. l. c.* expreſsè ait, ſicca eſſe in 1. cum eadem diſtinctione, inter domeſtica & ſylveſtria. At verò 2. *Alim.* 41. ait, Seridas & intubos facultatem habere Lactucis ſimilem. Lactucæ autem ſunt humidæ. Et 2. *ad Glauc.* 2. Seridis ſuccus eſt inter illa quæ refrigerant cum humiditate. Quod deduxerit quis etiam *ex l. de Maraſ.* 8. ubi cuti illinit. Ita 1. κ. γέν. 8. idem ſuccus eſt inter Eryſipelatis remedia. Avicenna & Taraxacon facit humidum.

XII. Vidit & ſolvit difficultatem ipſe Galenus *Simpl* 1. Seridas domeſticas, plus refrigerare ſylveſtribus, quod in domeſtica major ſit copia humiditatis excrementitiæ, quæ ſiccitatem obtundit. Et hoc eſt, quod Aver. ait, *Domeſtica frigidior & humidior ſylveſtri*, quia, cùm utraque adſtringat & amara ſit, in domeſtica tamen adſtrictio ſuperat amarorem, & contrà. Hoc dixit etiam Avicenna. Hoc Serapio ex Meſue diſtinguens inter æſtatem & hyemem. Ita diſtinguere inter viride & ſiccum oportet.

XI. Ex his intelligitur, non minorem latitudinem eſſe in ſecundis & tertiis qualitatibus. Quò enim Cichorium eſt amarius, eò minus adſtringit, & refrigerat: ſed magis abſtergit & deobſtruit. Si igitur medicamentum quæris ſtomachicum, puta, cum ſtomachus calore ita æſtuat, ut nauſeet & malè coquat, exſpecteturque, vel lienteria, vel cholera: in promptu erit Cichorium dulciſſimum quale eſt Endivia illa dealbata. Si à modico frigore malè habeat, ex uſu erit Cichorium amariſſimum quale eſt ſylveſtre. Ita ſi medicamentum vis hepaticum, in bile craſſa & uſta, idem amariſſimum fuerit opportunum. Fuerit & in exiguo frigore. Tu lege Averroem de Endivia, ut expedias te ab illo, quod non procul abeſt ab occulta proprietate, quomodo ſcil. Endivia juvet hepar totâ ſubſtantia.

XIV. Quod ſi adſit calor quidam hecticus, proderit aqua decoctionis, quæ alioquin abjicitur. Et hoc debeo D. ab Aquapendente. In uſus alimentarios, non habeo quod prædicem. Vide 2. *Alim.* 40. & 41. *de Cibis.* 8.

II. DE CHONDRILLA.

XV. Ἀπὸ τȣ͂ χόνδρος, cum *grumum* ſeu *glebam* ſignificat. 1. Eſt autem ἡ χονδρίλλη, ἢ τὸ χονδρίλλον (quod apud ſcriptores variè corrumpitur) à ſucco quodam maſtichi non diſſimili, quem poſt Dioſcoridem & Plinium deſcribit Bellonius & Columna. Hæc ſequitur, quia apud Dioſcoridem eſt Cichorium ſylveſtre. Seris & intubus. Quin habet locum Scariolæ in Offic. Bauhinus ratione florum dividit in luteam, purpuream & cæruleam. Mallem in bulboſam & non bulboſam. Ex hac, non ex illa, eſt uſualis, I. in ordine apud Bauhin. quæ nobiſcum etiam hoſpitatur, inventa poſt illam Catalogi editionem. Hæc (ſiquidem eadem eſt cum Galeni 8. *Simpl.*) debet ſiccantior eſſe Cichorio, & non minus adſtringere, quam Seris, ut eſt c. de Seride.

III. *DE CYANO.*

XVI. Κύανος ἢ κυάνεος, εἶς, eſt *cæruleus*, cujus colorem plerumque refert flos Italis, ut & Officinis quibusdam, *Battiſecola*, (aliis *Baptiſecula*, aut *Battiſovera*, aut alio modo vitiata, ut Lobelius *Obſ. ſ. 95.*) Videtur Hermolao vox à Latino derivata, *Batuo*, ſeu *bato* & *ſecula*, à percutiendo, & remorando meſſorum ſeculas, quas falces nunc dicimus. Hinc Germanicum *Sechel*, ut Turingi mei pronunciant. Sequitur *Chondrillam*, quia Lobelius dubitat, an non ſit Chondrillæ ſpecies? Quibusdam *Seris triticaria*, & *Scariola ſylvatica*, qui ipſi vicini nobis eſſe volunt.

XVII. Quo magis miror, Bauhinum meditari tam latum ſeceſſum! Apud hunc eſt II. in ordine.

XVIII. Tribuunt ei plerique vim refrigerandi, ſiccandi, adſtringendi & repellendi, non ſecus ac plantagini Ideo uſus eſt aquæ deſtillatæ in oculorum inflammationibus incipientibus. Eryſipelatis etiam inſpergitur pulvis ex floribus una cum capitibus factus.

XIX. Hoc ſcopo dicunt æſtus febriles reſtinguere, putredini reſiſtere, contagium compeſcere, & neſcio quæ alia facere.

XX. Laudant experimentatores etiam in venenis araneorum, Scorpionum & aliorum ἰοβολῶν, in palpitatione cordis, in ſuffocatione uterina, &c. Quæ ſi vera ſunt, oportet Cyanus partium ſit heterogenearum. Amaror enim qui ſatis evidens eſt, ut & acredo in foliis, non frigidum, ſed calidum teſtantur. Vis etiam illa penetrandi & deobſtruendi, manipulo ejus decocto in Cereviſia, vinove, in hydrope, ictero, in iis qui ex alto delapſi ſunt, aut contuſi, & quacumque de cauſa ſanguinem concretum intus habentibus, contrarium ſuadet.

XXI. Sed neque vis purgandi aquas, compertiſſima mihi ex longo uſu, alio tendit. Non faciunt tamen hæc, quatenus ſit planta cichoracea, nec poſſit in dicto Syrupo locum invenire. Nam & Cichoria cum Chondrilla ſunt amara & inde habent, quod viſceribus ſunt grata, adeòque hepatica ſunt, & dicuntur.

IV. *DE SONCHO.*

XXII. Σόγχος, *Sonchus*, primitivum eſt, *Lactucula* ſeu *Lactuncella* à ſucco, quo turget, quique apertè adjudicat illum Cichoriis. *Cicerbita* an ſit Latinis, neſcio. Bauhinus dividit in Aſperum & Lævem, in montanum & hirſutum, cui adhæret Album & Nigrum. Quidam ex Galeno 8. *Simpl.* contendunt, omnem Sonchum juvenem eſſe lævem, omnem ſenem eſſe aſperum.

XXIII. Sed deterret me conſenſus cæterorum, qui de natura plantæ dicunt eſſe, talem vel talem. Sed & aſper eſt amarior lævi. Inde capio occaſionem taxandi ignaviam illorum, qui ab Officinis indiſtinctè acceptant alterutrum.

XXIV.

XXIV. Sonchus, omnium conſenſu, vim habet refrigerandi, ſiccandi, & adſtringendi. Ideo Dioſcorides imponit ſtomacho æſtuanti & in roſionibus propinat. Idem ait lac elicere, quod explicat Dalecampius *in Plinium*, cùm præ calida hepatis, venarum habitus (hoc enim ſubſtituo mammis) intemperie, lac ſiccatur, minuitur & ſpiſſatur. Plinius addit, facere colorem meliorem infantium, quod intelligo ex jam dictis, correcto lactis fervore melius nutritur infans, melius coloratur, exſtincta bile.

XXV. Idem Plinius ex Eraſiſtrato docet, Sonchum album commanducatum corrigere oris graveolentiam. Quod iterum explicat Dalecampius cum accidit à putridis vaporibus & humoribus. Frigida enim & ſicca ſunt putredini inimica. Ideo laudatur etiam Sonchus in febribus putridis.

XXVI. Oportet autem hoc accipere de tota planta, & toto ſucco ſimul expreſſo. Quia enim lac, ſeorſim exceptum, eſt valdè amarum, & ob id ſic ſatis calidum, edit effectus evidentiores: prodeſt orthopnœæ in embammate, prodeſt calculo. Huic etiam (lacti) potius competit quàm toti ſucco, quod Plinius ait, partum adjuvare, aurium morbis præſidio eſſe, ſtranguriam curare, &c. 2. Oportet accipere de planta viridi. Galenus enim 8. *Simpl.* expreſse docet, conſtare ex eſſentia duplici aquea (ob lac) & terrea, utraque leviter frigida, ſed magis illa quàm hac. Ideo ſiccatum, ob prædominantem jam terram, modicam habere caliditatem. Et tum crediderim, poſſe Sonchum prodeſſe ſua diſcuſſione, præcipuè ſi emplaſtri modo apponatur.

V. *DE LAMPSANA.*

XVII. ET hoc primitivum eſt apud me. Quod enim Pena *de laſano* ſomniat, voluntarium eſt. Hæc apud Bauhinum tam eſt affinis Sonchis, ut cauda ipſorum ſit. Hoc utique de externa facie ſolùm eſt verum. Qui enim *nobiles Sonchi vires* tribuere illi voluerit, inventus nondum eſt.

XXVIII. In uſu alimentario viliſſimum eſſe olus, vel milites Julii Cæſ. ſint teſtes, quiritantes, ſe Dyrrachii lampſana victitaſſe. Alimentum eſſe tam pravi ſucci, ut febres putridas accendere poſſit, non ſecus ac alia, cæpæ, &c. ut ſcribit Galenus 7. *Simpl.* 1. *Diff. febr.* Abſtergendi & diſcutiendi foris facultatem dat illi Galenus *in de Simpl.*

VI. DE HIERACIO.

XXIX. Ἱέραξ *accipiter* eſt, unde ἱεράκιον, καὶ ἱερακία, quod *accipiter* oculis ſuis conſulat ſucco inſtillato, ut eſt apud Plinium, Hieraciorum magna eſt ſeges apud Bauhin. è quibus uſurpandum puto I. illud, quod σογχίτης dicitur, quod Dioſcorides eadem illi ſubſtituitur in defectu. Addo, Hieracii ſpeciem eſſe *Coſtam* Camerarii (aliam habet Cæſal. 7. *Hiſt.* 50. quæ ipſo judice, eſt *Hieracium I. latifol.*

tifol. Cluſii, ſed diſcedit ab ipſo Bauhinus. Hujus in Miſnia magnus uſus eſt in phthiſi.

VII. DE PILOSELLA.

XXX. HÆc ipſo nomine ſe prodit. Videtur eſſe μυοσωτὶς Dioſcoridis. Sunt ejus ſpecies ſeptem apud Bauhinum, quæ non habent eaſdem prorſus facultates. Majorem credo Cichoraceis eſſe ſimilem. Minorem ſuperare illa, ob acredinem. Illa eſt II. Bauhini, hæc III. inter quos Mediam pono, quæ I. eſt.

XXXI. *Hæc potentiſſimè ſiccat & adſtringit*, inquit Lobelius. Uſus propterea ejus in alvi fluxibus rheumaticis, in nimiis menſibus, in phthoë (pro qua Galli *Syrupum magiſtralem* habent) in ulceribus phagedænicis. Uſurpatur etiam, Dodoneo autore, in viſcerum obſtructionibus pituitoſis, in calculo, ubicunque opus eſt penetratione, abſterſione, adſtrictione. Ob hanc præcipuè laudatur, quod partes tenues ad interiora promoveat.

VIII. DE SENECIONE.

XXXII. INvenio alicubi eſſe idem quod *Seniculus*. Si analogia quid poteſt, dicere oportet eſſe eum, qui ſubitò ſeneſcit. Ita enim ἠριγέρων Græcis eſt, qui ἐν ἦρι, *in vere*, hoc eſt, *in juventute* caneſcit. Et hoc fuerit τὸ ταχέως Dioſcoridis. Aſſiduò enim & per totam æſtatem flores emittit, qui ſubito in pappos abeunt, & calvitium oſtendunt, ut ex Theophraſto 1. *Cauſ.* 27. loquitur Bauhinus 7. *Hiſt.* 7. eſt inter cichoracea.

XXXIII. Duplex eſt *Major* & *minor*, quorum hic nomen generis retinet: ille *flos Jacobeus*, ſeu *Jacobea.* Quo loco ſummè obſervandum, cum, *Carduncello* Italis dicatur, & *Senecio* & *Carduus benedictus*, in Unguento Martiato majore ſumendum eſſe *Senecionem:* in Oleo Hyperici de Vigo *Carduum bened.* Accipitur autem *Senecio vulg.* qui eſt I. Bauhini, in aliis Jacobea huc venit.

XXXIV. Differunt facultatibus ſecundum magis & minus. *Senecio* quia inſipidus, cùm modica caliditate digerit: *Jacobea*, qui amara, cum majori caliditate diſcutit & abſtergit. Illius uſus in incipientibus inflammationibus eſt, in vulneribus, præcipuè nervoſarum partium, ad prohibendam inflammationem in doloribus ſtomachi bilioſis. Calore enim ſuo moderato remittit calorem intenſum, ſimulque, quia in emplaſtri forma adhibetur, vel digerendo curat, vel ad ſuppurationem perducit.

XXXV. Et hoc eſt, quod à Galeno dicitur, ſenecionem habere miſtam facultatem, refrigeratoriam, & modicè digerentem, cui ſuccedens adſtrictio robur addit parti. Apud nos, fortaſſis ex Plinio, magnus eſt uſus aquæ ſtillatitiæ in colicis, unde *Grimmcraut* dicitur. Hæc quia evidenter amara eſt,

men-

menſes ciere poteſt, & ulceribus ſordidis cum melle ſubvenire. Gargariſmus ex ea bene facit in tumoribus faucium & gulæ, partim repellendo, partim diſcutiendo. Uſus etiam eſſe poteſt in viſcerum obſtructionibus, 7. κ. τόπ. 9. ex Archigene, in calculo renum & veſicæ, in doloribus iſchiadicis, &c.

IX. DE LACTUCA.

XXXVI. A Lacteo ſucco ita dici Latinis notum eſt. Apud Græcos duo ſunt vocabula θρίδαξ καὶ θριδακίνη, quorum illud hortenſem denotat, hoc ſylveſtrem, ut definit Galenus 2. κ. τόπ. κ. γέν. 4. Ipſemet tamen ait 2. *Alim.* 40. ſe diſcrimen non obſervare. Exempla ſunt. 2. *Temperament.* 2. *& lib.* 3. *cap.* 4. *ut &* 3. *loc. aff.* 5. 3. *Simpl.* 18.

XXXVII. Neque obſervaſſe videtur Theophraſtus 7. *Hiſt.* 3. *& ſeq.*

XXXVIII. Præterea, Athen. ſcribit, eſſe vocem Atticam. In facultatibus ne quid erretur, oportet ante omnia diſtinguere domeſticam à ſylveſtri. Poſt hoc, cujuſque adoleſcentiam à pubertate. Mox ſuccum a ſubſtantia, tandem ſuccum adoleſcentis à pubere.

XXXIX. De domeſtica Galen. 6. *Simpl.* λάχανον ἔιται ὑγρὸν, καὶ ψυχρὸν, οὐ μὴν ἐχάτως γε ἀλλὰ κατὰ τὴν τῶν κρηναίων ὑδάτων μάλιςα ψυχρότητα.

XL. Imprimis quæritur, quæ ſint ὕδατα κρηναῖα? vel ideo, quia Arabum Interpretes hallucinantur. Sicut οἱ φιλέλλωες, τὸ κρηναῖον opponi τῷ χλιαρὸν ἢ γλακτῶδες, hoc quidem ſignificantem *Tepidum* (non *Calidum*, non *Frigidum*) quale lac eſt ex uberibus tractum: illo autem *egelidum, frigidum revera*, ſed non in ſummo gradu. Et hoc à modo loquendi eſt argumentum: ab effectibus lactucæ alterum eſt. Sunt illi tales, quales exſpectari poſſint à medicamento tepido, chamæmelo v. g. ut ſuprà dictum eſt & intelligetur porrò ex ſeq.

XLI. Unde ſubitò deprehenditur error Averroïs Lactucam in primis quidem qualitatibus vel in 1. frigidam, vel in principio 2. eſſe: in paſſivis autem temperatam. Melius Averroës & Iſaac. (quamvis hic vacillet) qui in 2. frigidam. 1. & Serapio, qui in eodem humidam eſſe affirmat. Et qui fieri id poteſt, cum Lactuca noſtra præcipuè capitata papaveraceum quid oleat? Nec fuiſſe aliam Veteribus arguit cognomen μηκωνὶς, quod & apud Galenum eſt *in de κ. τόπ.* & Plinium *lib.* 19. *cap.* 8.

XLII. Dico igitur, lactucam noſtram juvenem eſſe frigidam & humidam in fine 2. gr. Dico *Juvenem*: quia Hippocrates *lib. de diæta* ait lactucam eſſe frigidiſſimam (hanc vocem explicare oportet ex Galeno) priusquam ſuccum habeat. Quid hoc verò? Credo id eſſe, quod Dioſcorides ait, *Antequam cauleſcat. Tum enim fit ſimilis ſylveſtri*, pergit idem, hoc eſt, ut Iſaac exponit. Habet lac valde acre, quod & ſtomachum vellicat, & ſomnos graves facit, ad inſtar ſylveſtris. Hanc autem quia Dioſcorides in omnibus facultatibus comparat papaveri; & ve-

Cc rò

rò lac ejusdem componit cum lacte tithymali licet addatur, non perinde acre eſſe: dici forte poteſt, lactucam ſenem jam frigidam eſſe ad 3. usque gradum.

XLIII. Verùm ut ad Juvenem redeam, non facit illa, quæ dicta eſt frigida & humida, quò minus ſit alimentum: eſt alimentum, ſed valde medicamentoſum, quippe, quod primo ſtatim uſu manifeſtè alterationem ſuam prodit, ut Galenus loquitur, 3. *Temperam.* 4. Eos inquam, quibus ventriculus æſtuat, manifeſtè juvat refrigerando atque à ſiti vindicat: eos, quibus refrigeratus eſt, manifeſtè lædit, &c.

XLIV. Nimirum quod latè deducit Galenus dum coquitur Lactuca, ita reagit in calorem, ut ad ſenſum fiat ille minor: dum concocta eſt, faceſſit in ſanguinem. Quod intelligendum eſt, non quemadmodum Dudithius *in Epiſt. Crat. Ergò non refert calidis poteſtate, an frigidis utar.* Si enim frigida, inquit, bonum ſanguinem efficiunt, æquè bene illis uti poſſum ac calidis, quia potiſſimus alimentorum uſus eſt, ut ſanguis procreetur, ut calor innatus foveatur, &c. Sed intelligitur, quomodo Medicorum ſchola interpretatur vocabulum ὡσαύτως, quo Galenus utitur. Significat heic *Similiter*, ſeu *ſimili modo*, non *Æquè*, quaſi ex omnibus cibis, calidis & frigidis, ſanguis fiat eodem gradu calidus: ſed quod alimenta omnia, calidum & frigidum ſanguinem faciant, qui calidus eſt, ſed modò magis, modò minùs. Ex lactuca, puta minùs calidus, ex origano magis calidus.

XLV. Et hoc eſt, quod Galenus reprehendebat in veteribus, diſtinguite, ajebat, duplicem calefaciendi modum, quorum alter in ſubſtantia eſt, alter in qualitate. Sanguis eſt, quocunque gradu ſit calidus, quia detractio ipſius refrigerat: ſanguis eſt, vel calidior, vel frigidior, pro ratione individuorum, alimentorum, &c.

XLVI. Et hæc eſt prærogativa lactucæ inter omnia olera, 4. *San. tu.* 4. quod ſanguinem faciat frigidiuſculum (& eatenus minus laudabilem) non tamen malum, 2. *Alim.* 40.

XLVII. Succus enim neque tam tenuis eſt, ut betæ, *ib. cap.* 42. Non etiam ſiccat ut braſſica, neque tam humectat, ut blitum & atriplex: ſed medium obtinet inter hæc. *ib. cap.* 45. Non tantum autem corrigitur frigiditas ipſius, ſed & ſuavior fit palato, ſi cum acri aliquo, ut cæpis, porro, thlaſpi, &c. ſumatur *ib. cap.* 52. Facit verò pleraque, quæ facere dicitur, dum concoquitur, ut dixi. Si enim incidat in ſtomachum calidum & æſtuantem, fit εὐςόμαχος, ut Dioſcorides loquitur, ſitim ſedat, dolorem capitis, ex æſtu illo ortum, tollit, vigilias ex eadem cauſa curat, ſomnia turbulenta, & Venerea arcet, &c. Alia facit, cum concocta eſt, pollutiones nocturnas cohibet, fervorem ſanguinis in calidioribus contemperat, ut lac generetur accommodatius fœtui, &c.

XLVIII. Heic duo occurrunt dubia, *Alterum*, an alvum movere poſſit? Galenus

lenus 2. *Alim.* 40. apertè negat, quod neque ſalſi neque acris quidquam habeat, quemadmodum contrà, ait, neque ſiſtere poteſt, quod neque auſteri quid habeat, neque acerbi. At Dioſcorides expreſſè ait, eſſe κοιλίας μαλακτικήν. Loquitur autem de lactuca ipſa, de qua Martialis in Epigramm.

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis.

Reſpondeo. Prorſus ita eſt, movet (inquam) alvum, in primis Romana ſeu dulcior, ſi bene coquatur, ut alia humida, malva, atriplex, &c. Galenus autem non recenſet omnes modos inter quos etiam eſt calor nimius, abſumens partem illam, ſeu quæ huic rei deſtinata eſt.

XLIX. *Alterum*, an urinam ciere poſſit? Iſaac enim poſt Athen. affirmat, quibus videtur objici poſſe, quod diuretica ſit calida & ſicca. Sed facilis eſt reſponſio, etiam aquea faciunt, ut vinum tenue, ſuccus cucurbitæ, violar. &c.

L. Verumtamen, heic iterum tria ſunt obſervanda. 1. Ne abluatur lactuca, ſi modò per arenas liceat. Fit enim flatulenta, ut noceat potiùs ſtomacho. Atqui etiam fructus horæi abluuntur, 2. *Alim.* 2. Cum ipſi flatulenti non ſint, non timetur etiam hoc. Quod verò non credas, fortè ſiunt feliciores in operatione, quod de hecticis monſtrari poteſt, *ex lib. de Maraſm.* 2. Ut juvenes, & valde calidi utantur cruda, non ſenes & edentuli. Hac de re in medio eſt hiſtoria ipſius Galen. 2. *Alim* 40. 3. Ne in uſum veniat ſenior, & jam cauleſcens, ut nuper innui.

LI. Cavendus verò nimius lactucæ uſus, etiam in iis, qui dextrè utuntur. Oculos enim hebetat, & graves ſomnos inducit, 3. *Loc. aff.* 5. ſterilitatem etiam inducit, unde εὐνοῦχος, καὶ ἀςυτὶς, (ita enim legendum eſſe apud Athen. *l.* 2. docet Caſaubonus, ἀπὸ τῦ α καὶ ςύειν, quod eſt, *arrigere*) quin νεκύων βρῶμα dicebatur. Imò, ante Auguſtum multis fuit religio veſci illâ, eo verò curato à Muſa Medico lactucis, caruit poſtea religione, ut eſt apud Athen. *loc. cit.* & Plin. *lib.* 19. *cap.* 8.

Hoc etiam quæritur ex Martiali.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?

Dicunt, Veteres faciebant ebrietatis arcendæ cauſa, nos appetitus ciendi.

LII. Sed ſatis de uſu alimentario: de uſu pharmaceutico hoc tantùm addit Galenus, prodeſſe Eryſipelatis impoſitam; verùm parvis & levibus duntaxat. Cujus imitatione, credo, Iſaac laudat in doloribus levioribus capitis ex bile & ſanguine, temporibus applicitam. Facit autem hæc (ut dixi) lactuca juvenis: cum enim caulem acquiſivit propinqua ſit facultatibus lactucæ ſylveſtri.

LIII. Scribit de hac Dioſcorides ὁ μοιοῦσθαι καθὰ πᾶσαν τὴν δύναμιν μήκωνι. Quare ſuccus ipſius miſcetur Meconio, quatenus ab Opio diſtinguitur, puto.

LIV. De eodem ſucco Theophraſtus 7. *Hiſt.* 6. ait δριμὺν καὶ φαρμακώδη εἶναι. Et Galenus 2. *Alim.* 40. cum de ſucco ſativæ jam adultæ dixiſſet, πανέσαφῆ τὸν πικρὸν ἔχειν χυμόν, de ſylveſtri ait, γλίσχρόν τε καὶ λευκὸν ὀπὸν ἔχειν, οἷ ὥσπερ ὁ τῶν τιθυμάλλων ἐσι, ἀλλ' ȣ δριμὺς ὡς ἐκείνοις. De eodem, Theophraſtus ait καταίρειν ὕδρωπα, quod Marcell. Vergilius ex Dioſcoride intelligit, non de ſolo hydrope, ſed de omnibus excrementis aqueis. Dioſcorides enim de iis ſcribens, addit etiam doſin, duorum ob. id eſt gr. xij. Quibus non contenti Iſaac & Avicenna ʒ ß. id eſt, gr. xxx. exhibent: audacior verò Serapio ʒ. etiam integram propinat. Hos ut imitari nollem, ita mallem in exterioribus uti, in argemis, & in peſſis mulierum, in quibus Dioſcorides, in refrigerandis hecticis, in quibus Galenus 10. *Meth.* 9.

LV. Quod attinet hiſtoriam *ib. lib.* 14. *cap.* 8. ubi poſt purgationem ſolo hoc ſucco dicitur curatus ille, qui linguam habebat tam tumidam, ut vix ore contineret, videri ea de re Cæſalpinus poteſt, 2. *Quæſt. Med.* 23. Si quis intrinſecùs uti volet, legat primum Galenum 3. *Temperam.* 4. 3. *Simpl.* 18. deinde utatur. Eadem cautela opus eſt in lactuca condita Hiſpanica.

X. DE TRAGOPOGONE.

LXI. Hirci-barbam nobis ſonat: Rationem nominis Dioſcorides dat *lib.* 2. *cap.* 132. Ubi τὸ μέλας quamvis confirmet Plinius *lib.* 27. *cap.* 13. puto tamen legendum eſſe μέγας. Ita enim Theophraſtus 7. *Hiſt.* 7. ut ego quidem interpolo, καὶ ἐξ ἀκρουκαρπὸν μέγαν, τὸν πόγωνα καλούμενον πολιόν. Ita enim lego nunc, emancipatis jam Animadverſionibus in quibus locum totum pro depoſito habui. Nimirum ἡ κάλυξ præcedens eſt caput floris rotundum, calycis inſtar concavum, cui inſidet ſemen, late ſe pandens, quo defluxo, fit γέροντος: ἢ γήραος πώγων Nicrandi.

LXII. De facultatibus pauca omnino ſcimus. Matthiolus, quia herba eſt edulis, calidam & humidam facit in 1. gr. & addit, ſuccum ſeu aquam ſtillatitiam glutinare vulnera, ſi in ſpleniis imponatur. Tragus commendat ad apoſtema & laterum dolores. Hæc quomodo facere poſſit, non video, ſiquidem omnis tragopogon eſt dulcis. At ſi detur alicubi adſtringens, quod de purpureo ſcribit idem Matthiolus poterit glutinare vulnera. Si detur alicubi amarus, quod de eodem ait idem, poterit ille mederi affectibus pectoris. Huc quia procul dubio ſpectat.

XI. SCORZONERA,

LXIII. Scribendum de illa quoque eſt aliquid. Edidit de hac ſingularem libellum Nicolaus Monardis, quem cum aliis vertit Cluſius, in quo,

ut

ut & Odoricus *in Epiſt. Matth.* attuliſſe ex Hiſpania illa dicitur Petrus Ganni-zerus, Ferdinandi Bohemiæ regis Medicus, ut Jul. Alexandr. *in Ant-Arg.* appellat, celebraſſe autem Maurum quendam, qui ita vocarit, quod Eſcurzos ſit vipera in Catalaunia, contra cujus morſum, nec Theriaca, nec ullum alexipharmacum valeat, præterquam ſuccus hujus herbæ.

LXIV. Monardis, quem ſequitur Matthiolus, Cæſalpinus alii, calidam & humidam eſſe ajunt radicem in 1. gr. ſapore non ingrato, ſed ſubdulci, unde & cruda, & cocta, & condita non ſecus ac paſtinaca noſtra, editur, contra morſum, non ſolum ſerpentis dicti, ſed & quorumlibet aliorum, contra febres peſtilentes, contra quoſcunque cordis affectus, melancholiam, palpitationem, ſyncopen, epilepſiam, vertiginem, contra viſcerum obſtructiones, uteri mala, quid dico autem? Omnia. Ita enim nova remedia celebrari ſolent.

LXV. Notandum, ut, qui uti volet noſtra, præ Hiſpanica, videat, quo ſapore ſit. Tantùm enim abeſt, ut noſtra dulcis ſit, ut etiam amariſſima.

LXVI. Reſtat, ut meo more dicam de compoſitis Cichoraceis in Officinis Horum maximam partem conſtituunt *Syrupi*, & iidem ex primo ordine tantum.

LXVII. Ii ſunt vel *ſimplices* vel *compoſiti*. *Simplices* ſunt duo, uterque ex ſucco, alter Endiviæ, alter Cichorii. *Cichorium* accipiunt plerique hortenſe, cum ſylveſtre deberent. Neque enim perinde eſt, cum è Sylvio ſyrupus fiat & ſiccior, & ventriculo gratior. *Endivia* ſumi debet illa, quæ menſis infertur. *Taraxacon* enim longius abeſt. Sed & *Sonchus* non ſatisfacit, longiùs quippe à temperamento Endiviæ diſſitus. Longiſſimè recedit *Lactuca ſylveſtris*, quamvis, ut dixi, fortè locum habeat in compoſito Nicolai. Sed ut de ſimplici loquamur, inſignis eſt in Diſpenſariis varietas proportionis ſucci ad ſaccharum, ut alicubi ille ſuperet, alicubi hoc. Prius ut medicamentum facit efficaciſſimum, præcipuè, ſi ad ℔. viij. ſucci. ſumantur ℔. v. aut v.ß. ſacchari.

LXVIII. Compoſitorum magnus eſt numerus: apud nos duo tantùm, alter de *Endivia Cordi* creditus: alter *de Cichorio cum Rhabarb. Nicol. Florent.* Ille ferè extra controverſiam eſt: hi tot habet judices, quot Medici ſunt. Quibusdam diſplicet congeries Cichoraceorum difficillimæ dignotionis. Quibusdam otioſa eſt miſtura Rhabarbari. Quibusdam copia alterantium præter Cichorium.

LXIX. Quibusdam non videtur congruere proportio doſium. Mihi ita videtur, ſiquidem carere non poſſumus hac compoſitione, ſequamur mentem Autoris, quæ fuit, ni fallor, in obſtructionibus viſcerum alterare, aperire, attenuare, abſtergere, ad vias urinarias abducere, & tandem tonum reddere viſceribus. Hoc ultimum præſtat ſolùm Rhabarbarum non poſt ſyrupi coctionem in illo ſuſpendendum (viribus enim manet integris, ut poſt Caleſt. Melichius) ſed ante coctionem in decocto ferventi macerandum, in coctione linteolo illigatum ſæpè exprimendum, ut volunt iidem, poſt coctionem pulveriſandum, & admiſcendum. Hac enim ratione, & de ad-

ſtrictione certi erimus, & de fruſtraneo motu. Cæterùm, Endivia ipſa ſit, & latifolia & tenuifolia, ut ſupra dixi. Cichorium utrumque hortenſe & ſylveſtre; Sonchus ſit aſper; Scariola Lactuca ſylveſtris Matth. Rhabarb. ſit non plus quàm ℥ ß. niſi velit Medicus peculiare purgans parare. Quod ad Rhabarbari in medicamento ſuſpenſionem, eſt illa profectò inutilis. Jam enim partes ſuas tenuiores coctione depoſuit, & conſiſtentia ſyrupi tam craſſa non poteſt penetrare, ut aliquid ſubſtantiæ abradat.

LXX. Huic compoſitioni an ſubſtitui poſſit altera Wilel. Placentini, quæ minus laborioſa eſt, & non conſtat tot ſimplicibus, valde dubito. Licet enim concedam in contemperando, non eſſe illo inferiorem, non concedo tamen in de obſtruendo parem illi eſſe, multò minus in vi diuretica. Præterea (qui metus etiam in deſcriptione Nicolai eſt, propter Rhabarbarum) licet cyanus in exigua doſi ingrediatur: ſuſpectus tamen mihi eſt propter vim ὑδρωτικὴν, oſtendere poteſt, exſerere non poteſt. Quod ſi fabrica Nicol. ſine Rhabarbaro paretur, & Gentilis (quæ jam tertia eſt compoſitio) Rhabarbarum addatur: mallem hanc, quàm Placentini. Quamvis & hoc non ſit diffitendum, plus refrigerare Gentilis illam, ſed minus de obſtruere. Ut jam ferè in eadem culpa ſit cum Placentino. Quo tamen in negotio ſi perquiras intimum meum ſenſum is eſt, nimis ambitioſas eſſe omnes iſtas compoſitiones, & non niſi in affectibus compoſitis locum invenire. Quare conſultum videri, in contemperando quidem viſcerum calore, utendum eſſe *Syrupo ſimplici* vel *de Endivia* vel *de Cichorio* quorum ille humidior eſt, hic ſiccior: in præparandis autem ad purgationem humoribus, *Syrupo de End. compoſito*, quem Cordo tribui dixi. Præter quam enim quod efficacior eſt ſimplici, ſit ex decocto, non ex ſucco, itaque immunis eſt ab objectione illorum, qui dicunt, ſimpliciter illos duos eſſe evanidos, quod vis illorum omnis exhalet, dum ſuccus fit per expreſſionem, dum concoquitur ad ignem. Ego verò non video, cui perſuadere poſſint, contuſionem & expreſſionem demere illis aliquid, cum ſine igne fiant.

LXXI. Quod ſi ignis actio heic eſt noxia, erit etiam in decocto. His tribus magnis compoſitionibus non diſſimilis eſt *Syr. dia-Sereos Andernaci.* Et quæritur in univerſum, An purgent? Non, niſi in magna doſi dentur, ad iij. iiij. uncias. Verum de Syrupis ſatis: habemus præter hos *Conſervam flor. cichor.* ut & *Radices cichorii conditas*, de quibus nemo, credo, exſpectat jam aliquid amplius. Habent in Italia & *caules Lactucæ conditos.* Habemus tandem *oleum ex ſem. Lactucæ*, cujus in gonorrhœa, & aliis malis calidis. Vide Melich. Diſpenſ. Et hæc de Cichoraceis.

C A-

CAPUT LXVII.

DE CICUTA.

I. *Cicuta*, teſte Servio *in Fol.* 2. eſt internodium in triticeis, ſeu culmiferis; qualia cum habeat hæc quoque planta, videtur inde dicta, quemadmodum *Cicutariæ*, quæ Cicutis ſimiles ſunt. Græcis eſt κώνειον ἀπὸ τȣ̃ κωνᾶν fortè, quod περιδινεῖν exponit Etymolog. magnum. Galenus autem *lib. Quod anim. cap.* 2. μωραίνεσθαι. Stultitiam enim facit refrigerato cerebro, 3. *Loc. aff.* 5.

II. In Officinis quibusdam ſunt folia *Cicutæ majoris*, quæ I. eſt apud Bauhinum. Equidem neſcio, an hæc ipſa ſit cicuta tenerrima in oleo de Mandragora Nicol. apud nos uſitato. In quibusdam eſt ſemen, quo utuntur pro Harmel, ſeu Rutæ ſylveſtr. pudendo errore. Ubi ſunt Trochiſci διαφυσαλίδων Pauli *lib.* 7. *cap.* 12. ibi cicuta ſimpliciter ponitur, quod defendit latè Cronenb. Apud Galen. eſt aliquot locis 2. *Antid.* 9. in ea, quam ἑκάτοντα μίγματον vocavit Autor, *Centenam* Interpres 4. κ. τόπ. 7. 7. κ. τόπ. 2. & 3. 10. κ. τόπ. 3. & eſt alicubi σπέρμα ἐπλισμένον, alicubi ἐκπεπισμένον, ubi ut certum eſt, prius eſſe deglubitum, ptiſſanæ modo: ita incertum eſt, ſitne poſterius ſuccus, an potius τὸ μάγμα.

III. Valde autem mirum eſt, quo modo auſit quis ſemen hoc in ſubſtantia dare, cum conſtet ex Theophraſto 9. *Hiſt.* 17. Chios necaſſe ſontes ſuos (imo enim ſexagenarios ſuos, Ælian. Strabo, Valer. Max.) hoc modo præparato ſemine. Lego enim cum Gaza & Henric. Stephan. περιπτίσσαντες, loco falſarii περιπλύσαντες.

IV. V. Ubi memoria dignum eſt, non plantam tantùm eſſe deleteriam, ſed & ſemen, adeoque apud priſcos nos fuiſſe eundem modum utendi hujus veneni.

VI. VII. Heic incidit quæſtio, An propoſita Cicuta ſit legitima, adeoque Athenienſium illa, de qua in Apologia Socratis, apud Platonem? Et ſunt in eam rem argumenta apud Anguillaram 14. *Sent.* 69. 1. Folia non ſunt ferulæ. 2. Radix non eſt cava. Sed expedit dictus Anguillara ita ut bonus quilibet acquieſſe poſſit. Utrobique eſt vitium. Pro νάρθηκι Plin. *lib.* 25. *cap. ult.* habuit κοριάννῳ. Pro κοίλη fragmenta Cratevæ præ ſe ferunt λευκή. Sed ad hoc poſterius aliter reſpondet Dodoneus. Radix illa, quæ jam in caulem erupit, cava eſt Paulò aliter Pena, Qua cauli adhæret, cava eſt.

VIII. De facultatibus magnæ ſunt controverſiæ. Quod ad paſſivas Galenus 5. *Simpl.* 19. 4. *Art.* 21. humidam ſtatuit: at 3. *Meth.* 8. ſiccam. Sed ita eſt, vitium eſt in Meth. & legendum μηκώνιον. Cui ego, non ſatis eſt. Recrudeſcit enim malum, quod eſt. Hoc modo μηκώνιον etiam erit ſiccum. Propterea, inſpicere oportet utriusque loci ſcopum. Humida eſt non ſicca, adeoque abundat τὸ μηκώνιον in Meth. Hujus rei teſtis ſit Helidæus, qui in duritiebus nervorum ex hac radice cum Ammoniaco ſecretum habet ſecretiſſimum. Quod ad activas, diffi-

difficiſior res eſt. Licet enim apud Galenum tam certa res ſit refrigerare, & quidem eousque, ſi in juſta doſi detur, ut lethalis ſit, non ſecus ac alia venena frigida, quamobrem ſæpe pro exemplo ponitur, v.g. 3. *Tem.* 1. 1. *Simpl.* 1. 2. 3. *Simpl.* 6. 18. *&* 20. 4. *Simpl.* 15. & 18. 7. *Cauſ. morb.* 35. *Meth.* 8. 1. *κ. γέν.* 1. tamen ſcimus ex Ill. Scalig. *Exerc.* 152. *nu.* 1. aliorumque recentiorum obſervationibus, cicutam urinas movere, aliosque vehementes motus edere, qui à frigiditate (torporem enim illa inducit) non ſunt. Præterea Celſus *lib.* 5. *cap.* 6. Cicutæ ſemen habet inter illa, quæ vulnera rodunt. Præterea, Avic. refutat nos, qui cum Euphorbio confuderant. Id verò factum non eſſet, niſi aliqua coloris ſimilitudo in Cicuta eſſet. Præterea non eſſe in omnibus locis venenum, nec omnibus ſuis partibus. De caule enim ſcribit Plinius. *Viridis eſitur à plerisque, & in patinis.* Nec refert, ſi Hermol. *in Cor.* mirificè hæc immutat. De radice ſcribit idem, nullius uſus eſſe, quod dictu eſt idem, *Caret omni vi medicamentoſa.* Quin Scaliger ait, Ligures Taurinos in deliciis habere. Se quoque eſitaſſe, ſiſari ſapore. De caule (ut eò redeam) ſeu potiùs aſparagis, refert Anguillara *loco citato* pueros Piſaurenſes ſine noxa ediſſe illos cum pane. De Aſinis Apulis ſcribit idem, comedere illos Cicutam innoxiè At Matthiolus de Hetruſcis, tam profundò illos ſomno opprimi, ut heri, credentes illos eſſe mortuos, incipiant excoriare, quo dolore excitati aſini riſum moveant prætereuntibus. Talia animalia poſtea excitata, addit Scaliger, primum fuiſſe attonita, deinde inſano ac præcipiti curſu, eoque vago, atque interdum vertiginoſo ſeſe proripuiſſe.

IX. Unde exſiſtit alia quæſtio, ſi ſit venenum, quale ſit? Frigidum eſſe, tam clarè docet Socratis obitus apud Platonem, de quo memini, ut non poſſit clarius. Docere videntur etiam illi, qui amentes facti ſunt: at non illi, qui deliri. Nec illi, qui ſuffocatione perierunt, qua de Caſaubonus *in Athen. f.* 86. ex Theophraſto περὶ πνιγμȣ̃, quem librum inter Theophraſteos nondum offendi. Quo mortis genere obiit Patavinus ille, cujus Cardan. meminit *l. de Venen.* apud Schenkium 7. *Obſ* 133. Vide Smetium, *Miſcell. f* 559: An diverſitas conſiſtit in ſolo natali? Hoc enim facit, ut quibusdam locis modò tota planta, modo certa pars ſit innoxia, quæ alibi lethalis, præſertim, ſi in ea quantitate ſumatur, ut effectum edere poſſit. Hanc rem explicat Cæſalpinus 7. *Hiſt.* 59. exemplo croci, ſtyracis, vini, aliorum vaporoſorum, quæ cum calida ſint, tamen ſomnifica ſunt, ſubſtantia quadam excrementitia, quæ à calore victa ſurſum evolat & cerebrum occupat. Ita (vult dicere) cum ſubſtantia illa in cicuta bene elaborata eſt, poteſt eſſe edulis, ſed in exigua copia: ubi valde cruda adhuc eſt, citius aut tardius malignitatem oſtendit, prout calidæ partes illi junctæ magis, minus validæ ſunt. Ubi igitur calor paucus agit in humidum multum, fit, ut tardè ſequatur effectus: imo fit, ſi calor internus ſit fortior, ut vincatur venenum, ut de ſua experientia loquitur Socratis carnifex apud Platonem, ut neceſſe ſit iterare potionem. Atque heic diſtinguere oportet ſubſtantiam à ſucco. Ut enim lactuca eſt cibus, ſuccus lactucæ venenum: ita cicuta comeſta poteſt alicubi innocens eſſe, ſuccus non poteſt. Subſtantia enim, in ventriculo manens, coquitur, & vaporibus ſolis agit: ſuccus autem rapitur in venas, & conſequenter ad Cor, in quo lati-

latitans calidum opprimit & ſuffocat. Fit autem modò cum his ſymptomatis, modo cum aliis, prout ſolum natale præbet ſuccum talem vel talem. Et hæc eſt reſponſio pragmatica, non autem verbalis illa, *Falſos fuiſſe eos, qui Myrrhida cicutariam ederint pro Cicuta, quæ ubique ſit venenum.*

X. Quid? Neque Cicutariæ ſunt prorſus indemnes. Si enim III. illa latifolia fœtida. Bauh. menſes poteſt movere, aliasque dejectiones, quod de Clinicorum experientia habet Lobelius, quis non cogitet ſecum de aliis ſecretioribus effectis? Hæc ipſa res expedit nobis dubium, quale ſit venenum? Attica illa erat venenum ſimpliciter frigidum, quia mortem inferebat naturali ſimilem, cum ſenſim & ſine ſymptomatis exſtinguitur igniculus ille. Hæc, de qua Scaliger, Matthiol. alii, quæ tam vehementes motus ciet, eſt heterogenearum partium, non ſecus ac crocus, myrrha, vinum, &c. Hanc diſtinctionem adhibitam velim ab iis, qui etiam frigida venena volunt agere ἀῤῥήτῳ δυνάμει. Non eſt: quia alibi aliud agunt. Ita Mandragora tanto cum ardore purgat; opium os inflammat, ſudores movet; vinum ipſum tam diverſos effectus habet, &c. Huc tendunt illi, qui Opium calidum eſſe volunt in 3. frigidum in 4. Et eſt tale Orientale, minimè Occidentale noſtrum.

XI. Heic incidit quæſtio, An verum ſit quod Ariſtoteles ſcribit 1. *Plant.* 5. Galenus 3. *Temperam.* 4. Luceret. *l.* 14. *Cicutam aliis animalibus eſſe alimentum?* *Es iſt der warhafftigen Lugen eine.* Cæſalpinus enim *eodem* 7. *Hiſt.* 28. de avibus ſcribit, Eſu ſeminis cicutæ obſtupeſcere, ut manu capi poſſint; ſi amplius vorent, vertigine tentari & mori. De anſeribus Tragus, ab eſu ejus inſanire & furere, quin illico exſpirare. Scal. addit Coturnices in inſulis Capreis prope Neapolin, ſemine hellebori paſtæ, convulſionibus dicuntur laborare.

ADDITAMENTUM.

XII. CONfirmationi aſſertionis de Cicuta Attica, ſola frigiditate agente, ſerviat & hoc quod jam ſuccurrit mihi ex Crinito, qui 9. *Hon. diſc.* 10. ex D. Hieronymo ſcribit, Hierophantas Athen. modica cicutæ ſorbitione impune ſe caſtraſſe: ubi verò ad Pontificis deveniſſent dignitatem, prorſus deſiiſſe eſſe viros. Quod ita intelligo aliquando præſumpſiſſe tantum, ut prorſus eſſent liberi ab ἀναγκαία illa τύχη, de qua ego *Com. in l. de Uſ. part.* Ad hanc doſeos varietatem pertinet id quod Galenus ait *Simpl.* 14. *Si quis modicè utatur, condenſare: ſi liberalius, obſtupeſcere: ſi plurimum, necare.*

XIII. Rurſus, in hoc ultimo, & neſcio qua temperie conſiſtebat ars Thraſiæ Mantinenſis ejusque diſcipuli, Alexiæ, qui cicutam ad certum tempus dabant, ut eſt apud Theophraſtum *l. c.* Puto autem tempus eſſe horarum, non dierum, aut menſium, multò minus annorum, adeoque τὸν ὁπωσοῦν χρόνον reſtrictione opus habere, quemadmodum τὸ οὐδὲν ἀλλοιούμενον ſi ſtrictè agere velis. Natura enim numquam ceſſat, inquit, non uno loco Galenus nec poteſt vel alterutrum, vel

Dd utrum-

utrumque ſtare, niſi ſuccus cicutæ aut lapis factus eſt, aut aliud aliquod corpus, calori animali in alterabile. Refero igitur hoc inter τὰ ἀνιςοέρητα, quæ Theophraſtus admittit, ut dixi *in Animad. meis.*

XIV. Addo alia: 1. Apud Macrobium 7. *Satur.* 6. vitiosè ſcribitur *Aconito poto remedium eſſe vinum ſuperhauſtum.* De *Cicuta* enim id ſcriptum Plut. 3. *Symp.* 5. Obſervat Mercurialis 3. *Var. lect.* 4. qui addit, ſolere inde Macrob. carpere ſua 2. Falli Langium 1. *Epiſt.* 2. cum ait, Napellum Arabum eſſe Cicutam Arabum. Succarum enim illi vocant Cicutam. 3. Ex Theophraſto *l. c.* doceri, Cicutam Atticam non neceſſario natam fuiſſe in Atthide, cum Thraſyas ex Perſia petierit, aliisque locis humidis. 4. Multo minus, ſuccum fuiſſe plantæ viridis. Philoſopus enim expreſsè ſemen nominat, quod ait primum deglubi, mox in pila tundi, per tenuiſſimum cribrum cerni, & tandem dari in aqua.

CAPUT LXVIII.

DE CINNAMOMO ET CASSIA.

I. AGO de utroque ſimul, propter tres cauſas. 1. Quod in quibusdam Officinis ſub uno nomine Cannellæ ſint. 2. Quod ex eadem arbore credantur eſſe. 3. Quod ſibi viciſſim ſubſtituantur.

II. De *Cinnamomi* voce jam dixi, quod ſentio. Quod ſi cui minus probabile videbitur, is acceptet Joſ. Scaligeri ſententiam *Not. in Garz.* dictum eſſe ab Hebraico Kinnamon per Epentheſin. *Caſſiæ* nomen cum πολύσημον ſit in Officinis, jam tacitè innui, quam velim.

III. Quod magnam nobis affert in planta ipſa difficultatem eſt, quod mutata ſit ratio afferendi ad nos. Antiquitùs enim tota planta, cortex cum ligno, afferebatur: at cum animadverſum eſſet, lignum tantum non inutile eſſe, cortex tantum fuit allatus, & fit hodieque. Ego neque illa cumulabo, quæ Dioſcorides ſcribit *l.* 1. *c.* 12. Plin. *l.* 12. *c.* 29. Theophraſtus 9. *Hiſt.* 5. Galenus 1. *Antid.* 11. & 13. neque quæ Cæſalpin. *App. ad plant. c.* 1. Garzias & Cluſius 1. *Arom.* 15. Max. Tranſylv. *in Epiſt. de Moluc.* Ludov. Romanus, qui & Wertemannus, ſeu Vartomannus *l.* 6. *Nau. c.* 4. Franc. Gomara, *Hiſtor. gen. c.* 96. Monardis, *Simpl. c.* 25.

IV. Res eſt, *Una eſt & eadem planta, ſed quæ quibusdam locis Cinnamomum fert, id, quod in hoc genere præſtantiſſimum, & quibusdam Caſſiam, quod deterius: quibusdam ſummis quidem ramis Cinnamomum, imis autem Caſſiam.* Hoc quia melius diſci non poteſt, quàm ex Notis, quas ego diligenter excuſſi *in Var. lect.* non eſt, cur nunc actum agam.

V. Jam igitur hoc præſuppono, habere nos *verum & legitimum Cinnamomum, veram & legitimam Caſſiam.*

VI.

VI. De utroque dubium eſt, quamdiu duret? Galenus 1. *Antid.* 13. ſcribit, fuiſſe è veteribus, qui aſſeruerint, eſſe in cenſu eorum medicamentorum, quæ ſenectutem non ſentiunt. Hos nugari ait ipſe, additque, ſe experimento habere, ultra 30. annos non durare. Quod an conceſſurus ſit Garzia, neſcio. Verba enim ipſius ſunt, *Videmus*, inquit *ſingulis annis decedere illi plurimum & ſaporis & odoris.*

VII. Ego ita diſtinguo. Optimum Cinnamomum, & optimè habitum, durare ad 30. aut 40. annos, ceu patet ex iis, quæ Cluſius habet *in Garz.* At quò magis declinat ab optimo, eò citius evanidum fit. Ita de Caſſia.

VIII. De facultatibus quæ dicentur, omnia ſunt habenda de Cinnamomo primæ notæ. Et quia Caſſia eſt Cinnamomum ſecundarium, quæcunque de Cinnamomo optimo dicuntur, dici quodammodo de Caſſia, ſed iterum de optima, & quaſi *Iſocinnama*, ut ita loquar ex Plinio.

IX. Quod ſumme laudatur in Cinnamomo eſt ſumma partium tenuitas, ob quam tantopere penetrat, incidit, diſcutit & ſiccat, ut vix habeat aroma, cum quo contendi poſſit. Ideo Averroes de ſuo *Darſeni* inquit, *Supremum eſſe in omnibus medicinis aromaticis, quæ reſiſtunt putredini, nec habere parem in his operationibus,* Eo fine Galenus ait 8. κ. τόπ. 3. Cinnamomum facere ad putridos & ſeroſos humores, in ventriculo ſtagnantes. Et mox *cap.* 3. generalius, Corrigere omnes putredinoſas & venenoſas facultates non ſolùm ſeroſorum & aliorum, ſed & lethalium medicamentorum, quemadmodum etiam τῶν ἰοβόλων.

X. Quo ex loco explicantur illa Galeni, *cap.* 2. *præced.* Non ſolùm craſſis & viſcidis humoribus, quod Serapio & Avicenna videntur velle, præſto eſſe; ſed & tenuibus, quos diſcutit ſupra omnia, ut ex 9. κ. τόπ. 1. loqui audeo. Eadem tenuitate prodeſt omnis generis obſtructionibus laudaturque in hydrope, ictero, calculo, iſchuria, retentione menſium, partûsque difficultate, &c. Laudatur etiam in affectibus pectoris, cum deſtillationes à tenui pituita degenerant in contrarios, abſumptis ſcil. partibus tenuibus, tuſſi, aſthmate, &c.

XI. Quæritur, an habeat quid adſtrictorii? Galenus videtur negare, 4. κ. τόπ. 4. At Avicenna expreſsè ait, habere vim confortandi viſcera. Hanc auctoritatem ſi ſtabilire ratione oporteat, hæc erit, Caſſiam non tantum diſcutere, ſed etiam adſtringere, poſt Dioſcoridem Galenus aſſerit 6. κ. τοπ. 1. in illitionibus ſtomachi ex Beſaſa Andr. Et Averroës Caſſiam habere partes heterogeneas, aërias & terreſtres, à quarum illis acrimonia fit, ab his ſtypticitas, ut loquitur. In Caſſia, Cæſalpinus ait 2. *Hiſt.* 24. loco dulcedinis, quæ à Cinnamomo conſpicua eſt, eſt adſtrictio quædam, linguam exſiccans. At ſi Caſſia differt à Cinnamomo bonitate tantum: quidni in optimo etiam Cinnamomo ſit adſtrictio quædam?

XII. Ex his colligetur, ſi Cinnamomum tam excellenter facit, quod facit, Caſſiam facturam id ipſum minus excellenter.

XIII. Ex his quodammodo intelligitur gradus caloris & ſiccitatis, tam in Cinnamomo, quam in Caſſia. Dico, Cinnamomum eſt calidum & ſiccum in 3. abſolutè: Caſſia quodammodo. Quæ vox Galeni movit Avicennam & Averroem ut calidum & ſiccum in 2. ſtatuerent Caſſiam. Quod dum negat Fallopius, & ab oleo, quod veſicas excitat, argumentatur ad Caſſiam ipſam, aitque ſapere naturam 4. gr. parum circumſpectus eſt. Partes enim frigidæ & terreæ non ſinunt Caſſiam eousque aſcendere: aſcendit autem oleum, in quo ſecretæ jam ſunt.

XIV. Dubitant quidam, quomodo emollire & concoquere poſſint? Partium tenuitate, & vi ſiccatoria, 7. κ. τόπ. 2. ſed cum duabus conditionibus. 1. Extrinſecùs tantum, ut Paſinus monet. 2. Poſtquam facta eſt ejus reſolutio cum pauco oleo & vitello ovi, ut Avicenna.

XV. Quamvis autem Galenus videatur velle, 8. κ. τόπ. 2. Cinnamomum etiam abſtergere, & ita mederi vitiis cutis, quæ pendent à crudis humoribus, præſertim in facie: putem tamen à reſolutione dicta potius eſſe.

XVI. Sed quid in defectu melioris Cinnamomi ſubſtituendum eſt? Omnibus ſæculis hac de re cogitatum fuit. Quintus, Galeni præceptor, 3. κ. τόπ. 1. *Carpeſium* dat in duplo pondere. Hoc improbat quidem Gal. 7. *Simpl. c. de Carpeſio.* ſed quia non habemus, cadit totum. Qui *Cubebas* obtrudunt ex Avicenna, multis urgentur difficultatibus. Qui *Sabinam* ex Gal. *c. propr.* & Plin. *l.* 24. *c.* 11. iisdem ſubjacent. Accipio Dioſcoridis conſilium, ſi deſit Cinnamomum in una alterave nota, accipiendam eſſe *Caſſiam in duplo pondere.* Volo autem ſtrictim obſervari duplum, quod Galenus dicat 1. κ. τόπ. 3. ſi deſcendendum ſit à verbis, plus potius accipiendum eſſe quam minus.

XVII. Si ita accidat, non repudiarem etiam *Agallochum*, de quo Averroës ait, habere virtutem Darſeniſcam. Idem dico de Cannella America, de qua Monard. *Simpl. c.* 25.

XVIII. Accedo ad compoſita Officinalia & primum ad *Dia-Cinnam. Meſue*, quod Electuarium quidem eſt: ſed apud nos ſervantur tantum ſpecies. In hoc 1. mirabile eſt, quod auctor vult, præter Cinnamomum, etiam Cinnamum. Vulgo Caſſiam accipiunt, quod diſpliect Coſtæo, & *Aſpalathum* vult. Alii *Cuminum.* Mihi libet ſtare cum illis, qui *Caſſiam*, quod & in abſterſione & in adſtrictione potentior ſit 2. Diſplicent, qui ſemper addunt *Moſchum.* Eſt enim contra mentem Authoris, ne quid aliud dicam. 3. Sed quid ſit de duplici *ſacsharo*, *albiſſimo* & *tabarzet*? Breviter ſaccharum tabarzet non differt à ſaccharo præſtantiſſimo, ideo ſequor eos, qui in univerſum pro ʒ v. ſumunt ℥ v.

XIX. Uſus eſt & ad promovendam ventriculi coctionem, & ad alimenti diſtributionem. Ideo pro domeſtico tragemate ſervit. Poſt dia Cinnam. eſt 2. loco *Syrup. de Cinnamomo*, cujus multus uſus in virium debilitate, præſertim ſtomachi. 3. Loco ſit *Oleum* quod *Balſami* naturalis vires ſupplet. 4. *Aqua* apud nos ſit ex Cortice ſicco, & pariter ſervit viribus.

CA-

Caput LXIX.

DE CONSOLIDIS.

I. MAGNA heic eſt colluvies plantarum, quæ ut temere, & à vulgo acceperunt nomina: ita ſatis eſt temerè collocaſſe, quia uſum reſpicimus tantum. Omnes habent nomen à *Conſolidando*, unde & quædam *Solidagines* vocantur. Aſcendunt ad numerum ſenarium, quem, cum pace Bauhini, ita conſtituam. 1. Eſt *Conſolida major*, quæ eſt *Symphytum alterum Dioſcoridis*, Symphytum ſimpliciter Bauhini 2. *Conſolida minor*, quæ eſt *Brunella* noſtra vulgaris. 3. *Conſolida media*, hoc nomine à Bauhino etiam propoſita, vulgo *Bugula*. 4. *Conſolida regalis*, itidem ſub hoc nomine à Bauhino numerata, vulgo *Ritterſporn* 5. *Conſolida Saracenica*, ſub titulo *Virgæ aureæ*. 6. *Conſolida Saracenica altera*, quæ etiam *Mentha Saracenica* inter Menthas ſativas 1. apud Bauhinum *Frauen-Munk*.

I. SYMPHYTUM.

II. ESſe ἀπὸ τῦ συμφύω, *connaſcor*, nemo dubitat. Non minus enim quàm alterum, τὰ κρέα συμπήγνυσι. Ita enim ſcribo, non συμπήτ]ει, ut apud Dioſcoridem; aut συμπέτ]ει, ut Marcellus Virgilius vult. Rectè quidem viderat ille, συμπήτ]ειν non eſſe Græcum; ſed non viderat συμπέτ]ειν locum non habere. Quia enim dicitur πηκτὸν, *concretile*, oportet nos amplecti verum ἔτυμον.

III. Hoc dicitur Galeno μέγα. 10. κ. τόπ. 1. 2. κ. γέν. 18. 5. κ. γέν. 2. 6. κ. γέν. 10. 8. *Simpl. cap. prop.* ad differentiam. τῦ πετραίυ præced. quod puto hodieque incognitum eſſe.

IV. Quo loco aurem pervello Lobelio, non debuiſſe *Ali* vocem agglutinare majori noſtro, cum debeatur petræo apud Plinium *l. 27. c. 6.* qui *lib. ant. c. 7.* cum aſpiratione ſcribit, *Halus*. Eſſe autem vocabulum Gallicum ex Scribonio docueris.

V. Ex quinque ſpeciebus, apud Bauhinum I. venit in Officinis & radice tantum, niſi quod Fernelio aliter placuit.

VI. Si Galenum audiamus. 8. *Simpl.* Symphytum utrumque earundem facultatum eſt. Verum quia petræum non habemus, non licet etiam componere.

VII. De noſtro ſcire fas eſt, adeo variare, ut alicubi tam acre ſit quam ſcilla, cum noſtrum Occidentale ſit ἄποιον, adeo quippe lentum & aquoſum, ut apud Tragum *Unctuoſa* dicatur. Ut conſentiam Dodoneo dicenti, modicè frigidum eſſe cum humiditate plurima, ſi mihi licet addere hanc vocem. Proinde, tepore quidem ſuo delinire poteſt calorem partium vulneratarum: humore autem viſcoſo obtundere humorum acrimoniam, ut glutinatio ſit facilior.

VIII. Credo igitur hæmoptyſi, phthiſi, pectoris hæmorrhagiis ſuccurrere poſſe: expectorationem promovere (quod Tragus vult) non poſſe, niſi fortè in calidis & tenuibus catarrhis, non autem in aſthmate, aliiſque morbis, ab humorum craſſitie pendentibus. In vulneribus externis aliquid poſſe credo, inflammationem prohibere, dolorem mitigare, non autem conſolidare.

IX. In *Syrupo de Symphyto Fernelii* hoc 1. deſidero, quod plantæ ipſi videtur imponere, quod radicis eſt. 2. Quod non explicet ſe, quod ſit Symphytum minus. Habet enim Bauhin. in Symphytis duo minora: ſed quis divinet utrum ſit? Fui quondam ejus opinionis, velle illum *Dentariam heptaphyllon* I. quam Ruell. vocarit *Symphytum minus.* Nunc in re dubia reſilio. Quin in illo componendi *ἀκκισμῷ*, ſi Ferneliano carere non poſſumus, utar potius *Syrupo de Althæa* ejusdem. Quin, niſi ſimplicia contemptui nobis ſunt, utamur vel *radicibus conditis*, vel *conſerva.*

II. BRUNELLA.

X. ORiginis eſt Germanicæ, ita dicta quòd uſus maximus ipſius ſit in Cauſo Ungarico, quem vocamus *die Branne.* Hujus ſpecies apud Bauhinum I. eſt illa, quam quærimus. Sed poſſumus impunè etiam ſequente uti, cum facultatibus non differant.

XI. Hanc *Symphytum petræum* eſſe jam tacitè negavi: nego etiam *Polycnemon* Dioſcoridis eſſe.

XII. Hæc videtur conſtare partibus heterogeneis. Caliditatem enim teſtatur ſapor modicè amarus, cum abſterſione evidenti. Frigiditatem opera particularia, imprimis adſtrictio, & hanc inſequens repulſio. Siccitas tam eſt manifeſta, ut nemo dubitet. Eſt enim unicus ferè illius uſus in affectibus oris & facium calidis. Nec tantùm abſtergit, & ferè cum melle, quod actionem illam auget: ſed & adſtringit, & affluxum prohibet. Idem præſtat & in recentibus vulneribus, & in putridis ulceribus ſedis & pudendorum, his quidem ſucco inſtillato, & herba contuſa ſuperpoſita: illis autem, ſi decocto abluantur. Idem facit intus, in potionibus vulnerariis.

XIII. Quod verò vulgò creditur, diſſolvere etiam grumos ſanguinis, non ego credo. Utuntur quidam in hanc rem aqua deſtillata, ſed fruſtra. Cæſalpinus laudat in cataplasmate, pro maturandis carbunculis, ex aliorum (puto) ſententia. Eſt enim irrationabile. Laudat idem ſuccum cum oleo & aceto roſaceo, temporibus illitum. Hoc quivis videt in calidis tantùm locum habere. Nullatenus credo, quod Dodoneus aſſerit, aperire viſcerum obſtructiones: credo autem poſt deobſtructionem roborare illa poſſe.

III. BUGULA.

XIV. ORiginis eſt Gallicæ, teſte Ruellio, qui *Bellidem majorem* ibi uſurpari ait ejus loco. Hujus iterum I. ſpecies apud Bauhinum in Officinis recipitur, quamvis ne heic quidem ulla ſit eſſentialis differentia. Tam eſt Symphytum petræum, quàm Brunella, imò ſunt congeneres.

XV. Facultatibus etiam non differunt, niſi quod hæc ad omnia efficacior. Quæ igitur illi negata ſunt, etiam huic denegantur.

IV. CONSOLIDA REGIA.

XVII. R*Egis* nomen inde eſt, unde apud nos *Equitis*, à mucrone floris, qui aliquam cum calcaribus veterum ſimilitudinem habet.

XVIII. Apud veteres quid ſit præcipuè, an Hyacinthus poëtarum, qui habeat inſcriptas literas AI. AI. multa coacervantur: verùm quia eruditæ cognitionis nihil habent, multò minus uſûs aliquid: relinquo omnia ſuis authoribus, hoc addito monito tantùm, aliam eſſe hortenſem, aliam ſylveſtrem, quarum utraque uti poſſint Officinæ.

XIX. In facultatibus vix aliud reperio, quàm ſuperſtitiones, & nullo fundamento nixas medelas. Dicant, quid in primis poſſit, quid in ſecundis, &c. & credam fortaſſis illis.

V. SOLIDAGO SARACENICA.

XX. V*Irga aurea* eſt novum genus herbæ, ab Arnoldo Villanovano clarigatum circa illa tempora, quibus Chriſtiani bellum ſacrum gerebant contra Saracenos, à quibus reduces afferebant.

XXI. Quidam longè recentiorem faciunt, ad Andream Doriam, Genuenſem, Caroli V. in expeditione Africana nau-archum referentes, à quo etiam *Herba Doria* ſit apellata. Sed eſt ἀναχρονισμὸς multorum annorum. Ita loqui cogor, quia ſæculum Arnoldi eſt 1300. Dicta eſt igitur *Virga d'oro*, idiotiſmo Italico, *Virga aurea*, ut & *Herba d'ore* non à nobiliſſima illa familia *d'Auria*, aut *d'Oria*, aut à δόρυ, *haſta*.

XXII. Uſualis eſt illa, quæ IV. eſt in ordine apud Bauhinum licet ſine errore uti poſſis & tribus anterioribus, & duabus poſterioribus. Nullum enim heic diſcrimen eſſentiale eſt.

XXIII. Quæritur, quid ſit apud veteres? Anguillara 2. *Sent.* 111 cenſet eſſet *Leucographin* Plinii, *lib.* 27. *cap.* 11 Hunc irridet Pena, *Adv. f.* 125. Cæſalpinus 12. *Hiſt.* 42. habet pro *Panace Chironio* Theophr. 9. *Hiſt.* 12 & Plin. *lib.* 25.

cap.

cap. 4. Contra quem cum multa dici poſſent, ego, tempori parcens, nihil dico, ſed venio ad facultates.

XXIV. Videtur habere heterogeneas partes, quarum hæ quidem frigidæ ſunt, & adſtringunt: illæ autem calidæ quæ aperiunt & ſiccant, ita tamen, ut calidæ à quibus amaror, præpolleant.

XXV. Puto autem in utraque combinatione aſcendere ferè ad 3. gr. cum inſignivi abſterſoria. Hinc tantæ ipſius laudes in viſcerum obſtructionibus ad hydropem jam inclinantibus, ut diu in ſecretis fuerit habita in decocto. Expurgat enim aquam per urinas. In calculo primam experientiam habuit dictus Villanovanus, qui in pulvere uſurpavit. Et celebrat in hoc affectu Satyricus novus, qui ſe *Euphormionem* appellat. In vulneribus internis, prodeſt ſubductione ichorum per urinas.

XXVI. Quod enim notarunt ſummi viri, pleræque omnes potiones vulnerariæ ſunt diureticæ. Et pugiles ſolent in potu ordinario ſuſpendere Valerianam, quæ inter diuretica familiam ducit. In externis juvat exſiccatione & abſterſione, quibus facultatibus valde excellit. In exulcerationibus oris mirum quàm commendarit olim Saxonia præceptor. ! Vide Tragum.

VI. MENTHA GRÆCA SEU SARACENICA.

XXVI. MAgnis Mentharum confuſionibus acceſſit hæc denique, ut accenſeretur illis hæc quoque, quæ nihil cum menthis commune habet præter odorem.

XXVII. Quo magis Bauhino credo, qui principem locum inter menthas ſativas illi dat. Sed hoc parum ſit. Officinæ quædam vocant *Mentham Balſamitam*, quædam *Herbam S. Mariæ*. Rurſus aliæ pro *Balſamita* habent *Mentham criſpam & rubram*, cui meliori jure videtur deberi appellatio. In *unguento Martiato majori* vocatur nomine poſteriore *Herba S. Mariæ*, cui ſubſtituunt quædam *Balſamitam* ſimpliciter. Præter hanc ibidem eſt *Mentha Saracenica*, & *Mentha criſpa*, item *Herba coſta*.

XXVIII. Ex quibus hactenus expedire me non potui. Tu vide, poſſisne definire litem quid ſit apud veteres, *Aliſma* Dioſcoridis? *Siliquaſtrum* ſeu *Piperitis* Plinii? *Lepidium* ejusdem? *Chryſocome*? *Draba*? *Melilotus*? Mihi ſufficiat feciſſe indicium.

XXIX. De facultatibus libeat tibi, quisquis es, audire diligentiſſimum Cordum, qui 2. *Hiſt*. 117. ſcribit, *flores & folia amarum, ferventem & tenuem habere ſaporem, veluti quis ſimul mentham, & abrotonum guſtet, quas plantas etiam odore æmuletur acerrimo, non ſine tamen gratia.*

XXX. Hinc diſcat aliquis, non abeſſe à vero Dodoneum, qui calidam & ſiccam

cùm in 2. gr. facit. Intelligo *Completè*. Id enim perſuadet evidentia. Idem addit, *adſtringendi facultate non obſcura eſſe*. Id ipſum Lobelius ait. Quorum pace dixerim, ſenſum id non comprobare. Sanat cruditates ſtomachi, ructus, vomitus, fœtores oris, tormina, cardialgias ex ſtomacho, dolores capitis ex eodem. Quin ex propria capitis affectione, ſiquidem frigida ſit, *Conſerva* non infeliciter uſurpatur. Idem dico de malis uterinis à menſium mora. Idem de calculo.

XXXI. In viſcerum obſtructionibus non eſſe inſtrenuum remedium perſuadeo mihi, ob partium tenuitatem. Sed *non niſi in principio*, non ſine cauſa addit Dodoneus. Ob amarorem vermes necat & ſuccus & ſemen foris. Foris impoſita diſcutit collectiones quasdam, Venenis quoque frigidis opitulatur. In vulneribus citiſſimam operam præſtat. Unde *Balſami* vox apud Geopon. & apud vulgus *Heidniſchwundtcraut*, & ipſa vox *Solidago*. Mulieribus quibusdam tam familiaris, ut velint omnibus juribus innatare, Quin paſta farinacea obducta folia frigent in oleo butyrove, & menſis ſecundis apponunt.

CAPUT LXX.

DE CORIANDRO.

I. Ἀπὸ τοῦ κόρις & diminutivum κόριον, *Cimex*, *Coriandrum* dici volunt. Sed quomodo? Puto, cum odor ſit miſtus ex ingrato Cimicum, & grato Anethi, factum eſſe κοριάνηθον, & corruptè κορίανον apud Theophraſt. 1. *Hiſt.* 18.

II. Plantam non deſcribit Dioſcorides, colligit tamen ex illo Maranta 4. *Meth.* 14. Theophraſto idem præſtat Cæſal. *Hiſt.* 59.

III. Eſſe in hoc genere ſylveſtre, negat Plinius *lib. & cap.* 20. Hoc primum eſt contra experientiam Matthioli & Amati. Deinde contra Galenum *de Ther. ad Piſ. ult.* ubi in ſale quodam Theriacali eſt κόριον ἥμερον. Adde his Myconum apud Herb. Lugdun. & Bauhin. qui ultimo habet *Coriandrum ſylveſtre fœtidiſſimum*.

IV. In Officinis eſt uſus ſeminis ſativi. Ubi autem ſylveſtre uſurpatur, neſcio.

V. *De* facultatibus non pauciores lites ſunt quam de Cicuta. Quidam enim frigidum eſſe ajunt: quidam calidum. Iterum, quidam venenum eſſe contendunt: quidam negant. Quæ res ut intelligatur, oportet & authores, & illorum rationes inſpicere. Dioſcorides *lib.* 3. *cap.* 155. cum frigidum pronunciaſſet multa illi adſcribit experimenta in morbis calidis: at *lib.* 6. *cap.* 9. inter venena habet. Eadem experimenta apud Plin. ſunt: ſed veneni nulla mentio Galen. 7. *Simpl.* de induſtria opponit ſe Dioſcorides, quem defendit Avic. 2. 2. c. *cap.* 144. Atque ut hic venenum eſſe fatetur: ita ille ne meminit quidem. Averroës cum Galeno quidem eſt: ſed venenum eſſe concedit. Eandem diſparitatem apud recentiores inveneris. Inter hos quidam venenum eſſe negant, ſed ἐκστατικόν τι, ut vinum, habere dicunt.

VI. Sed quibus rationibus nituntur? Eſt enim res magni momenti. Dioſcorides frigidum eſſe ait, quod Eryſipelatis impoſitum refrigeret illa. Reſpondebit Galenus loqui illum indiſtinctè, vel de Eryſipelate ſpurio, vel de affectu illo, qui Eryſipelati propriè dicto ſuccedit. Hanc in rem ſunt verba ipſius 14. *Meth.* 3. *Coriandrum*, ait, *cum polenta*, *inter initia eryſipelatis fuiſſe quibusdam malum*; *at in declinatione*, *diſſipata jam bile*, *parte livente*, *ſalubre eſſe medicamentum.* Deinde inducit Dioſcorides in contradictionem. *Commendat*, inquit, *in ſtrumis diſcutiendis. At idem adſcribit eundem effectum calidis.* Telum hoc poſterius cum effugere non poſſet Avicenna attulit 1. Κρηςφύγετον occultæ proprietatis. 2. Heterogeneitatem partium. Ad prius cum Avicenna non reſpondiſſet, conatur id facere Pena *Adv. f.* 314. *Et plantago apud Dioſcoridem quæ frigida tamen eſt*, & *Capilli Veneris*: *ſed inter initia*, cum opus eſt repulſione, cui accedens ſiccitas & adſtrictio, partim abſumit humorem, partim roborat partes, ne tumor fiat auctior.

VII. Reſponderem, licet ſcribat Dioſcorides non ob id eſt conſentaneum methodo Galeni, quam tamen Pena urget. Quis enim ſine metu ſuffocationis in iſta parte tam diu utatur frigidis, usque dum materia omnis receſſerit? Et ubi id factum, quis non metuat alia?

VIII. Sed urget Pena amplius. *Certiſſimo experimento*, *veterumque obſervatione conſtat*, *quod ſuccus Coriandri illitus calidis tumoribus proſit!* Quam fida & certa ſit experientia, oſtenderit ſolus ille Galeni locus ex Meth. Interim, licet aliquando non valde obſit ſuccus iſte: dici tamen non poteſt, quod magnoperè profuerit. Cum enim, ut dicetur, conſtet partibus heterogeneis, quarum hæ quidem quibusdam locis prævalent, illæ aliis: fieri poteſt, ut ſicubi aqueæ prædominantur, ſi non proſit, non obſit tamen. Et hoc eſt, quod dici poteſt, non ſatisfacere ſcopo.

IX. Idem Pena confugit ad partium totius plantæ diverſitatem. *Succus eſt frigidus*, *ſemen eſt calidum. Ille refrigerat tumores calidos*: *hoc concoctionem juvat calefaciendo flatuſque diſcutiendo. Quin* (notate magnum poſtulatum) *ſemen eſt alimentum*, & *ſanguinem*, *etiam non correctum*, *auget.* Reſp. Tota quidem planta eſt calida: ſed cum multa humiditate indigeſta, quæ ubi copioſa eſt, ut in ſucco, aliquid poteſt refrigerando; ubi exigua, ut in ſemine, non poteſt.

X. Et hæc eſt duplex partium heterogeneitas, altera componentium, altera integrantium. De illis, non de his, ſunt verba Galeni 7. *Simpl. Conſtare ex partibus contrariis*, *eſſeque compoſitum ex eſſentia amara*, & *aquea. Illam guſtus probat*, *ſimul caliditatem infert*, *quam odor etiam comprobat adeo evidens*, *ut Valleſio* ſit inter ἐκςατικά, (coincidunt hæc ferè cum facultate deleteriis. Ideo Cæſalpinus vinum conjungit cum Coriandro) de quibus ex eodem Cæſalpino egi ſupra *cap. de Cicuta.* Hanc facultatem ſive tepidam vocare velis, ſive frigidam, teſtatur nidorulentia (ut ſic loquar) quæ eſt ab humiditate indigeſta, qua ſurſum lata refrigeratur cerebrum, & in hoc refrigerio eſt venenum.

XI.

XI. Sed quid definis? *Calidum an frigidum?* Frigidum, ut opium. Effectus enim utrinque frigidus eſt, licet non deſint ſymptomata calida. Hinc Dioſcorides de Coriandro, inſaniam facit ſimilem temulentis: quod intelligo de principio morbi. Ubi enim quod Avicenna ait) calidum reſolutum eſt, remanet, & agit frigidum, ſed non niſi in magna copia detur ſuccus.

XII. Sed quæ eſt illa copia? Avicenna habet ℥ iiij. Averroes ℥ vj. ſeu ℔ ß. & addit, *In novilunio.* Hinc corrigere licet Serapionis exemplaria, quæ habent ʒ iiij. In hanc partium diverſitatem vult etiam Hippocratem 2. *de diæta*, inducere Iſaac, quem vide. Volunt etiam Archigenem, qui 8 κ. τόπ. 4. dat cochlear ſeminis in acido ructu, & jubet ſuperbibere merum. Quin Galenus quoque, qui 2. κ. τόπ. 1. cum Melanthio comparat. Ex hac comparatione concludere volunt quidam, Galenum ſtatuiſſe hoc medicamentum calidum & ſiccum in 3, Et poteſt fieri, ut alio tempore aliud ſenſerit.

XII. Porro ſeminum ſaccharo incruſtatorum magnus apud nos uſus eſt in adjuvanda concoctione ventriculi. Habent enim aliquid adſtrictionis, ob quam etiam uſurpantur in hæmoptyſi & ventris fluxibus. Tum autem torrefactum ferè damus, quemadmodum cum lumbricorum interficiendorum cauſa.

XIII. Monendi verò ſunt nimis audaces, ne frequentius utantur, & ſine præparatione, Utut enim ſemina minimum habent humidi illius excrementitii: habent tamen aliquid, viridia imprimis. Hoc indicat fœtor, ſi non in Hiſpania, certè in Italia, & apud nos. Et Aſclepiades 2. *Antid.* 7. Coriandrum viride manifeſtè annumerat venenis: at Hiſpani, autore Amato, frequentiſſimè illo utuntur, & pro cordiali habent. Alpinus etiam confirmat, Ægyptiis in frequenti uſu eſſe.

XIV. Verùm ut experientia docuit Monachos *in Antid. Meſ.* (ij ſunt Angelus Palea, & Bart. de Citta-vecchia) propter hunc uſum Hiſpanorum plurimos eſſe fatuos, ob quorum curam tam frequentia ſint hoſpitalia: ita in Ægypto eſſe poteſt, licet Alpinus non obſervarit.

XV. Sed quæ eſt illa præparatio, cujus meminiſti? Profectò non ſuperficialis, ut apud Auguſtanos, Romanos, alios: ſed operoſiſſima, qualis apud Cordum, & eos, qui inde habent. Tu vide apud ipſum. Vide etiam fraudem illorum, præſertim, ſi pueris velis dare, qui poſt incruſtationem primam aſpergunt diagridium pulveriſatum.

CAPUT LXXI.

DE COSTO.

I. COST aut *Kaſt*, authore Garzia, eſt vox Arabica, à quo & κόςος & *Coſtus*, & fortaſſis etiam *Coſtarium* apud Strabonem: verùm cujus plantæ ſit,

 tam

tam certum eſt, quàm ſupra fuit vel Aſpalathi vel Agallochi. Ita, cum olim (ut & apud Garziam) unica eſſet planta, à Dioſcoride quidem & Plinio ſecta fuit in tres, à Bauhino autem in novem: & ne quid deſit mali, tributum fuit nomen etiam aliis, v. g. *Menthæ Græcæ* ſeu *Corymbiferæ* nuper dictæ, quam *Coſtum hortenſem* Geoponici vocant; Agerato Dioſcoridis, quod Eupatorii nomen habebit infra: Chriſtophorianæ, quæ *Coſtus niger* dicitur: Angelicæ, de qua ſupra: Helenio: Thapſiæ: Tuſſilagini majori ſeu Petaſitidi: Panaci Coſtino Bauhini, quod eſt Pſeudocoſtus Matthioli: Herbæ Coſtæ, cujus ſupra in Hieraciis mentio. Horreſne?

II. Dicam tibi longe abſurdiora. Apud Plinium Coſtus eſt *nardi radix*: apud Dioſcoridem *piperis*, quò inclinat etiam Galenus 8. *Simpl.* Niſi fallor, hoc unum verè ſcripſit Dioſcorides quod ſit ὡς νάρθηξ, *ferulacea planta*: verumtamen ita ſentio, *Arabici ſolius eſſe*, Indici & Syriaci, aliarum, & adulterinarum.

III. Quidquid ſit in his Cimmeriis tenebris: oportet diſcere notas optimi & Arabici Coſti, ut ex ſuppoſititiis eligamus, qui quam proximè accedit. Optimus igitur apud Dioſcoridem *lib.* 1. *cap.* 15. & Galenum 1. *Antid.* 4. *in Antid. Charmidis* 4. λευκὸς eſt. Hoc accipere debes, non de cortice, ut Garzias monet (modò is deſcripſit Coſtum veterum, qua de re dubitat Cluſ.) qui Cinereus eſt, ſed in interiore ſubſtantia. An Plin. cum *Candicantem* probat, de Cinereo intellexit? Utrum ſit, reprobatur μέλας, ut & πυξώδες, qui ſunt, ut innui, ex alia planta. 2. eſt apud Dioſcoridem πλείστην ἔχων καὶ ἡδεῖαν ὀσμὴν, quod Plinius vertit, *Odore eximio.* Quo reprobatur Syriacus, qui eſt πληκτικὸς τῇ ὀσμῇ, quod coincidit fortè cum τῷ βρωμώδης. 3. apud Galenum ποιότητος πάνυ βραχείας τῆς πικρᾶς πλείστης δὲ δριμείας. *Sapore amaro prorſus exiguo, acri quàm plurimo.*

IV. Unde intelligitur, duas illas voces apud Dioſcoridem γεύσει δηκτικὸς καὶ πυρώδης ad laudem pertinere, non ad vituperium. Galenus enim ſe explicans tam acrem eſſe ait, ut poſſit exulcerare. Hoc Plinius dixit *Guſtu fervens.* Talis eſt πρόσφατος, ut ait Dioſcorides καὶ ἀτερηδόνιστος, *recens*, *non teredinoſus.* Quo loco ex Marc. Vergilio noto, quia Dioſcorides amaroris non meminit; & verò ille non fuit ignotus Dioſcoridi, quippe qui ſcribat, Coſtum necare vermes: videri, vel poſt τὸ πυκνὸς inſerendum eſſe τὸ πικρὸς, vel loco τοῦ πυκνὸς legendum eſſe, πικρὸς. Hoc poſterius amplector, quia πυκνὸς, *denſus*, nihil aliud eſt quam πλήρης διόλου, *totus plenus.* Præterea cum laudetur κοῦφος, vix poteſt ille eſſe πυκνὸς. adde quomodo τὸ πυκνὸς cohæret cum τῷ ἁδρὸς, *denſus*, qui mox damnatur? Et videtur ſuſpecta fuiſſe vox interpretibus, qui vertunt, vel *ſpecioſus* vel *uber?* Mecum eſt Cornarius.

V. Jam, habemusne in Officinis hunc Coſtum? Quem habemus duplicem dulcem & amarum, peritiorum judicio eſt unius plantæ, & dulcis quidem recens eſt, amarus autem vetus. Quanquam, quod admiratione non caret, contrà ſe habet, puta, Qui dulcis illis dicitur, eſt amarus, & contrà. Unde intelligitur ſupina iſtorum hominum negligentia, conjuncta cum pari impudentia. Eſt au-

tem,

tem, Cordi judicio, nihil aliud, quàm *Helenium Comagenum*, quo Dioſcor. adulterari ſcribit Coſtum. Unde motus, credo, Pena *in Baldo*, obtrudit nobis pro vero *Coſtum Cluſii in Garz. lib.* 1. *cap.* 35. Si me audis, accepta conſilium à me ſupra datum in Aſpalatho. *Quæcunque radix quam proximè accedit ad notas præſcriptas, illa utere.*

VI. Ex Galeno & Averroe ſcimus, eſſe partium heterogenearum, habet enim craſſas quaſdam, quibus abſtergit: tenues quaſdam, quibus attenuat, in quibus etiam ſedem habet odor ille eximius. Addit Galenus continere etiam humiditatem quandam excrementitiam, qua Venerem ſtimulet.

VII. Putat Averroës & calorem & ſiccitatem ipſius non extendere ſe ultra 2. gr. Avicenna in ſiccitate quidem conſentit: ſed caliditate extendit ad 3. Ego verò Averroëm potius ſequor, & Avicennam deceptum fuiſſe puto à partium tenuitate. Quæ enim hanc inſigniter habent, videntur longè calidiora eſſe quàm ſunt. Non debet autem obſtare craſſities illa, qua exulcerat. Licet enim pleraque talia ſint calida in 4. non ſunt tamen omnia, ut Maranta docet (ſcilicet quæ cum ſubſtantia craſſa habent ſimul ſubſtantiam tenuem aromaticam, corrigentem mititate ſua craſſam. Adde, quod ſimul adeſt humiditas excrementitia, de qua dixi.

VIII. Quid? ſi illud ἑλκοῦν explicem ex Averroë de ſola cutis rubificatione? Ut enim rectè Coſtæus, Non dicit Galenus exulcerare, cum manditur, ſed cum fricatur.

IX. Oportet autem frictionem eſſe paulò validiorem. Quidquid ſit, medicamentum eſſe μετασυγκριτικὸν, *quod ex alto evocat*, docent veteres exemplis febrium, iſchiadis, paralyſeos, contuſionum, &c.

X. Intùs egregiè penetrat, ut non tantùm urinam & menſas cieat, ſed & partum (quem occidere ait Avicenna) promoveat. Quo caſu in peſſo etiam ſubditur, lumbi unguntur, emplaſtra imponuntur.

XI. In viſcerum obſtructionibus egregiam operam præſtaret Coſtus verus, ſi haberemus, qui etiam in venenis laudatur, quod non ſolum penetret, ſed & abſtergat. Quin adſtringit etiam. Quod quia Matthiolo, ex Galeno id aſſerenti, non credit Pena, oſtendit, ſe & morbo contradicendi laborare & non legiſſe libros Simpl. qua de Coſto, multò minus incidiſſe in locum Galeni 6. κ. τόπ. 1. qua de illitione ſtomachica diabeſaſa Andromachi.

XII. Quæritur quod poſſit eſſe veri ſuccedaneum? *Pſeudo-Coſtus* Matth. non eſt contemnendus: ſed tamen non attingit præſtantiam ipſius. *Angelica Vulgaris* etiam in defectu eſt: tamen creditur propinquior eſſe Pſeudo-Coſto. *Helenium*, quod in ſuccedaneis Galeni eſt, non poteſt ſubſtitui, quod Dioſcorides dicat, comparari cum Coſto non poſſe. Zedoaria præſtat hæc omnia ἀντιβαλλόμενα. Huic in primis patrocinatur Coſtæus, aſſerens, in probatiſſima Zedoaria ſe omnia inveniſſe, quæ in Coſto requirimus. Quod ipſum valde juvat ſententiam Cæ-

ſal. qui pro *Coſti ſpecie* habet, & pro illo dat, non in dupla doſi, ut Caſſiam pro Cinnamomo: ſed in eadem.

XIII. Ut omnia largior, non poſſum aſſentiri de odore, & habeo cum Guiland. pro *Coſto. Syriaco. Nam & amaror eſt major acrimonia*, inquit contra Matthiol. *cum contra eſſe deberet. Ammoniacum* non habere locum tam eſt evidens, ut verbis non ſit opus. *Pyrethrum*, quod Avicenna vult, ſed in dimidia doſi, non poſſum admittere, propter vim cauſticam, non ita correctam ut in Coſto. Quid igitur faciendum in *Diacoſtu* Meſue? Abdicandus potius, quam admittendus *Coſtus adulterinus. Oleo Coſtino* ſubſtituit Coſtæus. *oleum Caryophyll.* vel ſolum, vel miſto amygdalino.

CAPUT LXXII.

DE CRASSULA.

I. CRASSULA, à foliorum craſſitie, indefinitè in noſtris Officinis eſt, in aliis duplex, *Major & Minor*, quas diſtinguere omninò oportet, cum ſint contrariarum facultatum. Igitur

CRASSULA MAJOR.

II. EST *Telephium vulgare* ſeu Bauhini, *Fabaria* Matthioli, *Craſſula major* Dodonei. Ubi ſubito opus eſt hac diſtinctione, *Non eſt Telephium* Dioſcoridis etiam per argumentum ipſius Bauhini. *Ad folia alæ non ſunt.* Non eſt *Chryſocome* Dioſcoridis. Tragi, cui multa obſtant, quæ videbit, qui conferre volet. Non eſt *Cotyledon* ſeu *Umbilicus Veneris alter* Cæſalpini, quia, quod ipſemet fatetur, flores & caulis tenuitas deſunt. Non eſt *Scrophularia* Dioſcoridis licet in Officinis quibusdam ſit. Tandem non eſt ἀνακαμψέρως Plutarchi, *l. de facie in orbe Lunæ*, ut Geſnerus voluit. Ubi enim eſt inuſitata illa magnitudo? Eſt auten vox Magarum, ſeu Pharmaceutriarum, de qua faciant illæ, quod volent. Vox ipſa ſignat *Amorem reverſivum.*

III. In facultatibus ſunt tenebræ apud eos, qui Telephium Dioſcoridis eſſe volunt, quibus mederi poteſt allata ſoli naturalis varietate, ut in Aro, & aliis.

IV. Sed non eſt neceſſe. Craſſula noſtra eſt frigida & humida non ſine tamen ſubſtantia quadam nitroſa, qualis in braſſica, ob quam etiam erucis eſt obnoxia. Habet præterea humidi quid (muſcoſum gluten vocat Pena) quo quaſi abluit ſordes vulnerum, & edit effectum abſterſioni validæ ſimilem, unde *Wundcraut* dicitur. Quo ipſo quia contemperat acrimoniam in ulceribus Telephiis (habent utplurimum ſociam intemperiem calidam, quæ affluxum inducit, & eſt cauſa ſine qua non) fiunt ſæpiuſculè effectus inſperati. Maturare etiam poteſt abſceſſus

lus quosdam, non ſubſtantia quadam calida, quam tamen Pena videtur velle introducere, ſed curata dicta intemperie, acredinem humorum parante. Hac ratione ſuccurrere etiam poteſt vulneribus & eroſionibus internis, præcipuè aqua deſtillata. Eodem modo ſanguinem ſiſtere in recentibus vulneribus, & dolorem mitigare.

V. Hoc adjuvat tantilla caliditas, à nitro affuſa. Quare etiam Dodoneus non debet vellicare Galenum, quod craſſula noſtra non ſit calida. Eſt, forte in 1. gr. Neque verò abſterſio eſt à calore, ſed ab hoc ipſo nitro. Video, quid addat de ſiccitate, & partium tenuitate: Sed hoc totum nihil eſt.

VI. *Oleum in Officinis* dicitur refrigerare & adſtringere, atque ita inflammationibus utile eſſe.

CRASSULA MINOR.

VII. OFficinis, etiam Dodoneo ita vocatur, ut & *Illecebra* ex Plinio *l. 25. c.* 13. Eſt autem *Sedi* ſeu *Aizoi minoris* ſpecies, idque vel I. vel II. vel III. Bauhini.

VIII. Quo loco inſurgit difficultas maxima, calidum an frigidum ſit? Reſpondetur vulgo, quibusdam locis calidum eſſe, quibusdam frigidum. Non ſufficit hoc viro diligenti, Bauhino, ſed tribus dictis ſubjicit IV. *Sedum minimum frigidum Cluſii*, quod eſt apud ipſum 4. *Rar.* 41. inter xiij. ſpecies ultimum & Ἀείζωον δακρύφυλλον Dalec. dicitur. Non ſufficit hoc CL. JUNGERMANNO, qui in Catalogo ait, Differt à I. Bauhini, quod folia ſint longiora, teretiora & anguſtiora, aliquantulum ad caulem reflexa.

CAPUT LXXIII.

DE CRETHMO.

I. REGNAT heic in primis barbaries Officinalis, quam quidam vocabat *Apotecker Latein*, *Cretamus* ſeu *Chrethamus* vel truncè *Creta* ſeu *Cretha* eſt Latinis κρῖθμος, ἢ κρηθμός. Atque heic ſubitò controvertitur, utra ſcriptura ſit melior? per i. an e? Sequor Plinium, qui ſemper habet e. quemadmodum & θ. potius, quam τ. Interim non iraſcor illis, qui ſecus faciunt.

II. Apud Dioſcoridem eſt *l. 2. c.* 122. à Romanis vocari *Batin* Eſt & apud Plinium *l. 21. c.* 15. & rurſus *l. 22. c.* 27. necnon Columellam *l.* 12. *c.* 7. & 13. Sed locis his omnibus geminatur, & *Battis* ſcribitur. In Officinis ſunt *Bacillæ*, menſis ſecundis apponi ſolitæ, quod vocabulum neſcio quomodo derivant ab illo *Batis*, nec prohibeo. Apud Columellam eſt, appellari *Oluſcordum*, aut ut alii

Chor-

Chordum, quod unde ſit, audire geſtias? Si eſt ἀπὸ τοῦ χορίον, poſterior ſcriptura erit melior. Vereor ego, ut ſit: ſcribat igitur unusquisque ut volet, & hoc capiat. Quemadmodum *fœnum autumnale* eſt Cordum, *Grummacht*; & *agni Cordi*, *die Spatling*: ita hi aſparagi ſerò, & cum aliis bellariis inferuntur.

III. Horum conditurام tradit Quinquer. *de Laud. Prov. f.* 50. ubi etiam pro tutela Crithmi noſtri apud Dioſcoridem *l. c.* pro πλατυτέροις, aut, ut M. S. habere intelligo, παχυτέροις, legit ςενωτέροις, ut comparatio cum portulaca conſtet. Tu dictum puta, *Fœniculum marinum*, dictum Italis & Gallis, revera eſſe *Crethmum veterum* id videtur, quod II. eſt apud Bauhinum.

IV. Ubi illud noto, cum *Crethmum* apud Dioſcoridem ſit unica & ſolitaria herba, videri illi accreviſſe τὸ *Marinum* ex fœniculo. Interim abſurdum dictu non eſt, agnitas poſtea fuiſſe alias ſpecies, quas tamen Pena agnôſſe non vult. Et hoc, in *Unguento Martiato majore* dici *Herbam S. Petri*, adeoque disjungenda eſſe illa, ut duo ſint medicamenta, *Herbæ S. Petri vocatæ* ab Italis, *Herbæ Paralyſis*.

V. De facultatibus judicare nos oportet ex paucis illis, quæ Galenus habet 6. *Simpl. Crethmum guſtantibus ſalſum eſt cum pauculo amarore. Quare vis ejus eſt exſiccatoria & abſterſoria.* Vide amplius Bruyer. *de re cib. l.* 8. *c.* 45. Habet & Dodoneus aliquid.

CAPUT LXXIV.

DE CROCO.

I. ΑΠΟ τοῦ κρόκος, ἢ κρόκη fiunt diminutiva κροκὶς ἢ κροκὺς, quæ omnia vel tramam vel ſubtegmen ſignificant: vel floccum, filamentumve, in veſte exſtans: vel denique ſtamina quæ in pleriſque omnibus floribus ſunt (Nymphææ verbi gratia apud Dioſcoridem *l.* 3. *c.* 131. liliorum, apud Plinium *l.* 21. *c.* 5.) unde factum eſt nomen huic herbæ, de qua agere occipimus.

II. Habet enim Crocus in medio florum ſtamina, quæ ſola in uſum veniunt. Ita ego ex rei veritate: at poëtæ fabulam habent de Croco puero, de qua in Var. lect. ex 9. κ. τόπ. 4. Arabes *Zaffaran*, aut potius *Zahafaran* habent, quam vocem omnes, quod ſciam, Europæi receperunt. Interim & alia nomina apud hos, apud illos ſunt, quibus non immoror.

III. Apud veteres paucæ ſunt *Croci* ſpecies: apud noſtros tot, quot Bauhinus voluit. Nos utimur *Aquilano ex Calabria*, de cujus cultura carmen ſcripſit F. Juſtulus Spoletanus Romæ 1510. Nam qui in Auſtria & ad Rhenum colitur, abſumitur ab ipſis incolis. Et quia Galenus 1. *Antid.* 14. operæpretium putavit na-

navigare in Ciliciam ad antrum Corycium, è quo antiquitùs petebatur: eamus ſanè nos ad mutos noſtros magiſtros, videamusque quomodo tutos nos præſtemus à fraudibus Materialiſtarum.

IV. I. Dioſcorides *l.* 1. *c*, 25. vult πρόσφατον, *recentem*, cum quo, ni fallor, idem eſt ὁ πλήρης, *plenus*. Hunc Damocrates 1. *Antid.* 5. videtur καλὸν vocare, Galenus ipſe *c.* 14. *ſeq.* εὐτραφῆ, *Vegetum*, ut Interpres; *Procerum*, ut Sylvius; *pinguiſſimum*, ut Plinius *craſſiſſimum*, ut Marcellus Vergilius quantum ſcil. natura filamenti permittit. Qui enim tenuis & exoletus eſt, non amplius habet integras vires. Mihi videtur lucidiſſimè loqui Pena *in Adv. Filamenta debere eſſe carnoſa, & quaſi oleo delibuta, cruoreque aureo nitentia.* Hoc ſolo tamen indicio non eſt quærendus crocus, eodem 1. *Antid.* 14 ſed oportet etiam reliqua adſint.

V. II. Laudat Dioſcorides εὔχρουν, & ſtatim explicans, ὀλίγον τὸ λευκὸν ἔχων ἐπὶ τῆς ἕλικος, quod Plinius interpretatur, *Blandiſſimum, quod ſit medio candidum, Dialeucon*, inquit. Serapionis Interpres ita, *Cujus capillus vergit ad albedinem.* Ego ita intelligo, *Naturali colore eſt* ξανθότατος, ut Galenus habet, *ſed ita ut ex rubro exſplendeſcat aliquid album.* Propterea Plinius damnat *Cyrenaicum*, *qui omni croco nigrior.*

VI. Ubi noto, ἕλιξ apud Dioſcoridem, non eſt *Circulus*, ut Cornarius; non *Calyx*, ut Dalecampius; non *Capreolus*, ut Ruell. non *Circuitus*, ut Matthiolus ſed *filum ipſum*, quod *Crocum* vocamus, capreolis vitium non diſſimile.

VII. III. Επαπτικὸν ἐν τῇ ὀσμῇ (Ruellium omiſiſſe queritur Paſinus) καὶ δριμέα. Hoc Plinius dixit, *Altera probatio, ſi manu prolata adora, leniter faciem, oculosque mordeat.* Galenus *l. c.* uno verbo εὐοσμότατον vult, quod explicare oportet ex Dioſcoride. *Optimum eſſe Crocum, qui valido quidem ſuo odore* (tribuit enim illi ἰσχὺν τῆς ὀσμῆς) *caput ferit, ſed gratia ſua allicit & delectat.*

VIII. An τὸ δριμὺς ſit referendum, non ad odorem tantum, ſed ad guſtum quoque, quod iterum Paſinus vult, valde diſputo. Nam neque veterum quisquam hoc docuit, neque ſenſus eò nos ducit. Tribus his ſignis tantum tribuit Galen. ut dicat, *ſi quis Crocus hæc habeat, eademque perennent, optimum illum eſſe.* Verumtamen Galenus monet, quæ adduntur, reſpiciunt tantum adulterium Croci: non etiam, ſi intempeſtivè ſit lectus (recipio enim τὸ ἄωρος Marc. Vergil.) vel ex ipſo loco, vel ætate vitium contraxerit, ut Dioſcorides innuit.

IX. IV. Idem Dioſcorides ait, debere eſſe εὔθραυστον καὶ μὴ ἄθραυστον. Utrumque enim verbum deſiderat Pliniana paraphraſis, quæ ſic habet. *Probatio ſinceri, ſi impoſita manu crepat, veluti fragile. Humidum enim, quod evenit adulteratione, cedit*, aut ſi mavis, *ſilet.*

X. V. Idemmet ait, *Crocum malum eſſe* εὐρωτιῶντα, ἢ ἰκμάζοντα. Quod Plinius dixit, *peſſimum, quod ſitum redolet.* Nec mirum, expreſſiſſe vocem priorem tantum: ſitus enim ab humido (quod mox damnat) eſt. Quod ſi Ruellium ſequi

pla-

placeat, & accipere τὸ ἰκμάζοντα quidem de ſitu, τὸ εὐρωτιῶντα autem de carie: oportebit etiam dicere, vitia duo, alterum ab adulterio, alterum ab ætate in idem coiiſſe. Ita vero Dioſcorides per τὸ εὐρωτιῶν idem intellexit, quod per τὸ ἐπιμήκης. Niſi enim fallor, vox illa ſignificat crocum, non *carioſum & pulverulentum*, ſed *oblongum*, ut vertunt. 1. *Brevibus capillis conſtantem*, quem Plinius etiam laudat. Et talis ſubito eſt ὁλομολής, καὶ ὁλόκληρος, *integer*, *non ſolutus in pulverem*.

XI. VI. Iterum idem ait, optimum eſſe ἀλιπῆ. Ita enim cum Marcello Vergilio loquor, & intelligo crocum, non alio unguento delibutum, quod fit, cum jam præ ſenio fatiſcit. Huic vero non obſtat *Pinguiſſ.* Plinii, ſi quidem recipiatur expoſitio ibi tradita.

XII. VII. Tandem idem vult τὸν βάπτοντα ἐν τῇ διέσει τὰς χεῖρας, *qui cum diluitur, inficit manus.* Debet autem tinctura eſſe definita ſeu moderata: ubi autem nimia, cenſetur crocus debilior eſſe. Hoc ipſe Dioſcorides docet de *Croco Centuripino* (Centuripæ Siciliæ oppidum eſt apud Strabonem & Ptolomæum) cujus incolæ utantur illo in tingendis operis ex Thyia arbore. Ita enim Cordus & Corn. Cui enim bono eſſet tingere mortaria? Et licet ſciam, Plini docere, triti uſum eſſe ad replenda theatra, qua de re multa Crinitus 18. *Honeſt. diſc.* 4. non accedo tamen ad Hermolaum qui Dioſcoridem id velle dicit. Verba enim Græca non tolerant. Siculum tamen Crocum non prorſus exulaſſe à Medicina, indicio ſit Aſclepios Scrib. Largi: ϛ κ.τόπ. 4.

XIII. Quomodo olim falſificatus ſit, dicat tibi Dioſcorides hodie, ſcribit Coſt. in Diacur. majus Meſue, adulteratur carnis bubulæ filamentis: Sed adulterium deprehenditur ab iis, quæ ſæpe tractarunt crocum ingenuum. Color enim eſt minus vividus, nec inficit manus.

XIV. Cæterum, quia, ut dicitur, partium eſt tenuiſſimarum, ſervatur a noſtris in vaſis plumbeis aut ſtanneis, loco ſicco. Hoc qui negligunt, fraudem committunt. In humecto fit ponderoſius: ſed & facile fit evanidum. Servari autem debet crocus integer, non pulveriſatus.

XV. Ubi uſus exigit, Dioſcor. Jubet ψύχειν (ita enim lego cum Corn.) ἐν ἡλίῳ, ἐν ὀστρακίνῳ θερμῷ. Ubi hoc moneo ex Paſino in *Matthiol.* auctoritate Serap. ſui, interponenti ἢ, ut ſit duplex ſiccandi modus, in Sole, aut in teſta figulina. Trahitur apud nos in culinas, luxûs potius quam uſûs gratia. Licet enim concoctionem juvare poſſit: tantillum id tamen, quod patinas tingit, parum poteſt. Sed & non multum licet accipere, quia, ut dicetur, caput ferit.

XVI. Qui vulgò venditur, ferè eſt corruptus Cartamo ſeu Cnico, quem *Crocum Saracenicum* vocant, tinctores *Safarolo*. Facit cibos viroſos & ingratos. Miſcent ῥωποπῶλαι etiam *Crocum Indicum*, qui radix eſt, Curcumæ non diſſimilis, de quo videre eſt Garz. 1. *Arom.* 39. & Acoſtam c. 30.

XVII.

XVII. Sed age, veniamus tandem ad facultates Croci. Heic verò ſummè laudatur ſumma partium tenuitas, & trahitur in dubium, an non illa vincat omnia alia ſimplicia? Hinc in debilitate cordis (unde etiam *Cordialis* dicitur ab omnibus) à quacunque cauſa ſit, uſurpatur in epithematis, quæ pectori; & pulvillis, qui pulſibus admoventur. Ita in catarrhis ſuffocativis, in aſthmatis periculoſis, in iis, qui ex frigore externo ſenſim fiunt ἄπνοοι, in phthoë extrema: viſus fuit tam egregiè juvare dilatationem pulmonum, & thoracis, ut in animam quidem agentibus, vitam ad aliquot dies prorogarit: reliquos autem jam deſperatos quaſi ex Orco ad vitam revocarit.

XVIII. Quod vero tu maximopere mireris, cum his beneficiis habet hoc maleficium, quod (ut jam ſupra non ſemel dixi) ſit in catalogo eorum apud Cæſalpin. quæ ob humiditatem quandam crudam & indigeſtam, quam multus calor elevat, & ad caput perducit, non ſomnum tantum inducunt, ſed & mortem. Ubi ſi quæras, quæ ſit cauſa tam horrendæ diverſitatis? Doſis.

XIX. Quæ autem ſalutaris eſt, quæ contra noxia? Legi apud peritiſſimos quosque, ſi detur in vino dulci, calido actu, croci tenuiſſimè pulveriſati ℈ j ß. aut ad ſummum ℈ j. ut Dodoneus habet (quamvis Camerarius etiam aſcendat ad ℈ j ß.) conſiſtere intra ſalutis terminos. Hinc menſes & urinas mirabiliter ducit, foris tantum illitus, in hydropicis aquas, &c. Hoc tribuit Pena ſylveſtri tantum, Cluſius latifolio.

XX. Hinc etiam in partus difficultatibus adeo viſus eſt forter egiſſe, ut totus infans apparuerit croceus. Quod quo alio fiat modo quam penetrando? Hoc experimentum eſt à Rhaſi, quem Serapio laudat. *Fuit mulier quædam*, inquit, *quæ aliquot diebus laboraverat in partu, & dedi illi in potu* ʒ ij. *Croci, & peperit ſtatim. Et expertus fui hoc poſtea, ſtatim, ſæpè, & ſemper fuit ita.* Hui, dicis in doſi tanta! Mihi ſuſpecta ſemper fuit fides librariorum, qui ʒ pro ℈ j. ſcripſerint. Quis enim niſi audaciſſimus, daret ʒ ij. qui ſciat ʒ iij. interficere? Putarim igitur Rhaſin heic poſuiſſe ſummam doſin ℈ ij. & poſtea in hac doſi vel ſubſtitiſſe, vel ad ℈ ß. aut ad ℈ j. aſcendiſſe, præſertim ſi quis det, ut Crato, cum ℈ ij ß. dictamni Cretici in vino odorifero. Tum enim quod Croco in primis tribuitur, poteſt roborare omnia membra, hoc eſt dilatare omnes meatus, ob debilitatem tantum non collapſos, ut libera ſit via flammæ naturali, per reſpirationem & tranſpirationem ſe expediendi à fuliginibus.

XXI. Crediderim Camerario, melius id fieri ab *Extracto*¹, etiam in minima doſi, quam à ſubſtantia Croci. Ut vel inde quoque manifeſtum ſit, robur, quod parturientes à croco nanciſci dicuntur, non eſſe ab adſtrictione ipſius, de qua dicetur: ſed à partibus tenuibus, dilatantibus & aperientibus vitæ ſpiracula, quæ ſunt in primis arteriæ.

XXII. Hinc tandem etiam fit, quia πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει, ut ſi crocus nimis liberaliter ſumatur, (atque hoc eſt jam maleficium ipſius) interficiat.

 Hu-

Hujus rei hiſtoria eſt apud Amatum *in Dioſcoridem. Vidimus*, inquit, *nos apud Mutinam in Campo, totius Hiſpaniæ celeberrimum emporium, mercatorem, qui cum plures Croci ſarcinulas emiſſet, ut in Luſitaniam portaret, & multum ex illo in ollam, carnes jurulentas pro cœna continentem injeciſſet, poſt earum eſum, in tam intenſum & vehementem riſum incidiſſe, ut non multum abfuerit, quin riſu & cachinno è vita diſceſſerit.* Simile exemplum eſt apud Jul. Alexandrinum *in Salubr. Nos*, ait, *nobilem fœminam Tridenti vidimus, horarum circiter trium ſpatio, immodico riſu concuti, eliciendorum forcè menſium cauſa, juſto plus croco uſam.* Nimirum, dubium non eſt, ſi aut hæc, aut ille plus croci ſumpſiſſent, aut etiam, ſi debiliores fuiſſent, quin deſtituti viribus mortui eſſent.

XXIII. Sed quæ tandem eſt illa doſis, à qua periculum eſt? Mihi diſtinctè nihil compertum eſt. Dioſcorides quidem, Serapio, Avicenna Conſtant. Africanus, omnes, ex aliorum ſententia, ſcribunt, ʒiij. interficere. At dictus Jul. Alexandrinus ℥iij. habet. Inquit enim, *Quadrantis pondere potum, nimis effuſum parit gaudium &c.* Quod quia ab experientia nova pendet, relinquo in medio: hoc addo, videri crocum non dilatando eſſe ſolum gravem, ſed & obſtruendo & ſtrangulando. Teſtatur enim res, & ſcribit Galenus 2 κ. τόπ. 1. in Hiera vulgari ex ſolo croci odore incurrere nos capitis dolorem. Ultimis etiam verbis ejusdem capitis crocum habet inter ea, quæ non tantum caput offendunt, ſed & mentem perturbant. Imo 5. *Simpl.* 19. inter illa, quæ liberalius ſumpta vel dementant, vel mortem inferunt, ibi ait eſſe quantitate venenum. Plinius *l.* 20. *c.* 21. dixit, ſomnum facere, & caput leviter movere. Quæ duo non oportet conjungere, ſed *ſomnum facere, & alioqui caput gravare, non tamen valde.* Quod accipiendum videtur eſſe de modico etiam uſu. Ut enim laudatus modo Amatus, *Agaſo quidam dormiens Piſauri ſuper duobus croci ſaccis, eadem nocte interiit.* Qui ſi idem cum eo eſt, cujus Coſtæus meminit in Diacurc. Meſue, cum his ſymptomatis obiit, capitis dolore, cum inſigni gravitate. *Nempe enim*, inquit idem, *oppletis à copia vaporum viis, ſuffocatio tandem affertur.* Sunt qui dicant, *convulſionem Caninam* ſuperveniſſe, antequam moreretur. Pena *in Adv. vertiginem tenebricoſam* habet.

XXIV. His ita ſtantibus, quomodo crocus poteſt eſſe ἀκραίπαλος? Quod Dioſcorides affirmat, & confirmat Plinius? Quin Rhaſis & Avicenna diſertè contrarium docent. An ex falſa opinione eſt? Scribit Scholiaſtes Sophoclis, referente Nat. Comite 5. *Mythol.* 14. *Mulieres Siculas in Theſmophoriis, Veneri ſacris, geſtaſſe coronas ex Venereis herbis, inter quas Crocus.* Et Homerus *Iliad.* ξ. deſcribens concubitum Jovis & Junonis, Tellurem finxit produxiſſe varios flores Venereos, & inter hos *Crocum.* Nimirum, ut rectè Pena, *Quæcunque herbæ extitiſſe dicuntur ex amaſiis, eæ Venerem cient.* Hoc facere etiam crocum teſtes ſunt ipſe Dioſcorides & Plinius. Qui igitur in ſacris Venereis epulabantur coronis onuſti, credebant fieri eodem ſcopo, quo hederam geſtabant Bacchi convivatores.

XXV.

XXV. An ſimpliciter referre oportet ad fraudes Diaboli, qui, caſtitatem prætendens, libidines quærebat? Huc Priapi ſpectabant in ſacris Eleuſiniis &c.

XXVI. Quidquid ſit, demonſtratum mihi hactenus eſt, crocum in duplici noxa eſſe. Unde obiter patet error Dodonæi ajentis, crocum capiti obeſſe, quatenus vigilias fa it. Imò ſomnum facit. An pro defenſione illius dici poteſt, facere in iis, qui ſicciſſimi ſunt cerebri? Diſcutiendo.

XVII. Hoc modo videtur Avicennæ appetitum tollere, & nauſeam facere. Ideo rectè ait Arabs, non eſſe hoc de proprietate ipſius, ſed per accidens fieri, in ventriculis ſiccis, & in magna copia ſumptos. In modico uſu, & viſceribus non prorſus deſperatis, contrarium facit, roborat illa, non adſtrictione, quanquam & illa aliquid facit; ſed apertione meatuum. Hinc, puto, pendet etiam bonus color, vigor animi, artuum ſoliditas, ut hinc militibus aptus dici queat. Vide Penam.

XXVIII. Non aliunde eſt, cur in confectionibus anodynis uſurpetur 7. κ. τόπ. 2. in Arter. V. & XI. 2. κ. τόπ. 2. in Hiera Antip. Non diffiteor, plurimum efficere in iisdem diſcuſſione, quod Galenus 5. *Simpl. & alibi* concoctione, accepto τῶ πέπτειν pro *maturare*. Hoc videtur docere Dioſcorides cùm ſtatim explicat per τὸ μαλάττειν, & in *Unguento Crocino* πυοποιεῖν. Ideo uſus Croci eſt etiam in collectionibus humorum, in eryſipelatis, in aliis. Scribit enim Galenus: *Quæcunque non valde calida ſunt cum adſtrictione, ſunt emplaſtica*. Utrumque eſt in Croco. Præcipuam autem differentiam facit modus ſubſtantiæ actualis. In ſolidiore enim ἐμπλάττει: in tenuiore, v. g. olei, diſcutit. Hoc facit tenuitas partium, quam toties crepamus, quæ eadem eſt στύψις ὀλίγα Galeni.

XXIX. Heic fortaſſis aliquis commotior, Cur tam diu ſiles de qualitatibus primis? Ita res tulit. Sed eccas tibi! Auctore Galeno eſt calidus in 2. ſiccus in 1. Qua in re quidam deſerunt Galenum Iſaac in utraque combinatione ſubſiſtit in 1. Serapio calidum facit in 3. ſuccum in 1. Quod cum videretur non quadrare, addit Lobelius *etiam in 2. gr. ſi in magna copia detur*. Quam conditionem ut apud Serapionem non invenio: ita habeo pro aſpernabili. Puto autem librarii errorem eſſe, ſcribentis in act. *ternarium* pro *binario*.

XXX. Superſunt compoſitiones, quarum I. ſit *olei*. Hæc non ſit ad mentem Dioſcoridis ſed Meſue, & vocatur, teſte Melichio *Oleum ſomniferum calidum*. II. *Unguenti Crocini*, cujus variæ ſunt deſcriptiones, ſed rari eſt uſus. III. *Crocomagmatis*, quod eſt id, quod ſupereſt poſt expreſſionem, non olei, ſed unguenti. Hujus meminit Dioſcor. ſtatim poſt Crocum. Galenus 2 *Antid.* 5. habet deſcriptionem Damocratis, quam Paulus etiam & Aëtius, mutatis quibusdam. Sed non eſt in uſu IV. *Emplaſtri Oxycrocei* (quod vulgus noſtrum vocat *Crucifix*) & commendat Iſchiadicis. Eſt autem alia deſcriptio Nicol. Alexandr. alia Joh. de Vigo. De utraque moneo. 1. Sequendam videri proportionem Cordi in compoſ. Nic. 2. Videri Vigonis eſſe melius, quia acetum non habet, quod acceſſit,

& fit medicamentum nervis inimicum. Idem in vino metus eſt. 3. Non contemnendum monitum Sylvii in doſi croci eſt; videtur enim ſumptuoſius facere, non melius. 4. Ne in fracturis uſurpetur initio, dum probabiliter affluxus metuitur. Experientia enim docuit, magna mala inferre. V. *Electuarii Diacurcuma*, quo à Croco baſi dici, nullus dubito. Duplex eſt apud Meſue, majus & minus, quorum illud tantùm uſurpatur. Utimur in diſpoſitionibus viſcerum, hydropem minitantibus: imò in ipſo hydrope. Non tantùm aperit, ſed & flatus potenter disjicit, ut Trincavellius perſuadet: addo ego, inſigne eſt diureticum. Loquor de majori, cui minus ſubſtitui non poteſt. Loquor iterum de Electuario quod ſuccos etiam habet aperientes, non de ſpeciebus, ex quibus *Rotulas* paramus. VI. *Elect. Diacrocu*, quod idem cum *Elect. de Ovo*, à Maximiliano I. Imper. celebratum, & ſunt ejus variæ deſcriptiones. Uſus in peſte eſt, præſervationis quidem gratia ſumptum à jejuno quotidie, ciceris magnitudine: curationis autem pondere ʒj. in aqua convenienti ad ſudorem. Mihi totum ſuſpectum eſt propter nucem *Vomicam*. Cum enim ſit venenum, non qualitate, ſed propria ſubſtantia, profligatiſſimæ audaciæ fuerit, tam temerè periclitari. Quo tamen ſi utendum ſit, auferatur nux illa. Hoc jamdudum ſanxerunt Medici Auguſtani. VII. *Extracti*. in quo vade videndum, ne quid peccetur. VIII. Idem dico de *Elixir proprietatis* dicto, in quo Crocus eſt baſis.

CAPUT LXXV.
DE CUBEBIS.

I. CUBEB ſeu Quabeb eſt vox Arabica arboris Piperi ſimilis. Magna eſt concertatio, An ſit *Carpeſium* Galeni. Fundamentum eſt, quod ſit ἀπὸ τȣ̃ καρπός. At Galenus 1. *Antid.* Vocat λεπ]ὰ κάρφη, παραπλήσια τοῖς τȣ̃ κινναμώμου ἀκρέμον, quod totum ſubvertit conatum ipſorum.

II. Guiland. in Theone, & Defenſ. probl. vult eſſe piper Hipp. ſimpliciter dictum: ſed & hoc inane eſt. Idem cupit eſſe *Piper rotundum* Theophraſt. 9. *Hiſt.* 22. quod ait eſſe ὑπέρυθρον. Ita Cæſalpinus modò legitimi *Amomi* fructum eſſe, modò *Caryophyllos* pertendit. Quæ de *Myrto*, *Ruſco*, & *Vitice* jactantur, prorſus ἄτοπα ſunt. Non melius eſt, quod de *pipere caudato Cluſii in Garz.* docui olim.

III. De facultatibus oportet judicare, non ex ullis veteribus libris Græcorum, Arabumve, ſed ex ſenſu & recentiorum experimentis. *Quod ad ſenſum*, quia Cubebæ noſtræ ſic ſatis acres ſunt, ſic ſatis amaræ, ſuperante modò hoc, modò illo ſapore, cum odore non injucundo: hinc calidas & ſiccas dicunt merito omnes. Matthiolus poſuit in principio 4. gr. caliditatis in fine ejusdem, ſiccitatis. Hæc ἀκρίβεια cum videretur Lobelio nimia, ſatis illi fuit cal. & ſiccas dixiſſe in 2. completo, qui coincidit forte cum initio 3. *Quod ad experimenta*, quia acrimonia

teſta-

teſtatur ſubſtantiam tenuem, aptam penetrationi; amaror autem craſſam, aptam abſterſioni: utuntur Indi in obſtructionibus viſcerum à pituita, ut & in flatibus, ab eadem ortis. Utuntur & in Venere excitanda, ab eadem cauſa. Quò factum eſt, ut quidam λάϛαυροι ſibi perſuaſerint, jucundiorem fore actum, ſi contineant in ore granum 1. Cubeb. Utuntur etiam in uteri frigidis malis, cum pituita non poteſt pervadere tenuia uteri oſcula. Ventriculi etiam coctionem adjuvare creduntur, quemadmodum etiam diarrhœas ventrales, ut ſic dicam, ſiſtere.

IV. Et hæc, ni fallor, eſt correctio, aut potiùs corroboratio viſcerum frigidorum, quam à Cubebis expectant quidam. Eædem curant pectoris vitia frigida: quin ἀποφλεγματίζουσι, cum maſtice commaſticata. Eadem faciunt claram vocem, vel expectorata craſſa pituita, vel deductione tenuis è cerebro, cum partes illæ nimis ſiccæ ſunt. Elect. *Dia Cubebe* non uſurpatur, quod cum *Diatrion-Sandalon* eosdem effectus habeat.

CAPUT LXXVI.

DE CUCUMERIBUS ET ALIIS *fructibus cartilaginoſis.*

I. ET *Cucumis*, ſive *Cucumer*, & σίκυς, ἡ σίκυς, ἡ σίκυα, aut per μετάθεσιν accentus, inquit Euſtath. σικύς, σικυός, σικυά ferè primitiva ſunt, nec opus eſt mirifico aliquo ἐτύμῳ. Credo Baccio Bald. *in tract. de Cucum.* Cæſ. 5. *Hiſt.* 5. & aliis, vocem hanc cæteroquin generalem eſſe de omnibus congeneribus, ſed hodie in ſpecie accipi de illo fructu, quem *Kummerling* vocamus, alibi *Gorckhen.*

II. Hunc veteribus fuiſſe incognitum aſſerui olim aliquammultis argumentis: nunc authorum loca attuliſſe ſatis ſit. I. eſt Theophraſt. 7. *Hiſt.* 4. cujus verba laudat Athen. *initio lib.* 3. II. eſt idem Athen. *lib.* 2. qua de Cucumere ſpermatia & Eunuchio, quorum hic ſemine caret, ille plenus eſt III. Dioſcor. eſt *lib.* 2. *cap.* 128. IV. Plin. *lib.* 19. *cap.* 5. V. Hipp. 2. *de diæta.* 1. 15. apud Marinell. VI. Gal. 2. *Alim.* 4. 6. & 12. 8. *Simpl cap. prop.* Quid igitur eſt *Cucumis veterum*? Eſt σικυὸς πέπων, ἡ πέπων, ἡ μηλοπέπων, quod jam explicabitur.

III. Differentias, quales heic eſſe ſolent, vide apud Bauhinum. Cucumeres nobis dicti, Carne quidem ſeu pulpa veniunt in menſas, loco condimenti carnium: ſeminibus autem in Officinis.

IV. De quibus ut priore loco dicam, eſt *Cucumeris noſtri ſemen* in cenſu quatuor ſeminum frigidorum majorum quæ habent facultatem refrigerandi & abſtergendi. Præcipuus eorum uſus eſt in affectibus renum & veſicæ, maximè calculo-

culoſis. Remittunt enim fervorem renum, & ſuccum lapideſcentem Agricolæ abſtergunt. In rem eam facit etiam aliquid *Caro*. Hæc, licèt Cucumeres ipſi non ſint veterum, habet tamen eoſdem penè effectus, quia, non minùs quàm illi, eduntur ante perfectam maturitatem, virides quidem cum oleo, aceto & pipere: Condîti autem in muria, vel aceto, ſoli, quomodo peſtilentiſſimos eſſe ait Bruyer. *de Cibis*. Frigidi ſunt in fine ſecundi, niſi fallor; humidi in fine primi. Ideo licet difficulter coquantur: non admittunt tamen aliquid de tono ventriculi, ut Iſaac mihi perſuaſit.

V. Succum in corpore frigidum & craſſum faciunt, frigidiorem quidem peponibus: minus autem craſſum, quod magis intelligetur ex ſeq. Baccius tribuit illis maximam vim adſtrictoriam, quam docet experiri, ſi inciſus per transverſum Cucumis linguæ admoveatur. Quod ipſum argumento eſt, non eſſe cucumin veterum, cui & antè & poſt maturitatem admit Galenus omnem adſtrictionem ut dicetur.

II. DE SICYO, SICYO-PEPONE, Molopepone, Melone.

VI. Rem intricatiſſimam ut quantocyus expediam, ita proponere volui, & jam ita induco, ut cucumis noſter habeat ſibi res ſuas, volui etiam relinquere illi nomen Latinum: ita, ut Cucumis veterum rectè ſeparetur ab illo, nomen Græcum illi impono, & ita pergo, Σικυὸς eſt vel ἥμερος, *ſativus*, vel ἄγριος *ſylveſtris*. Cum hoc negotium nobis nullum eſt, quia ſupra fuit in Cucumere aſinino, è quo *Elaterium*. *Sativus* vel eſt *Immaturus*, vel *Maturus*. Ille retinet nomen ſuum, *Sycos*: hic accipit cognomen *Syciopepon*, aut, brevitatis cauſa, *Pepon*. Hoc autem quoties ſit, toties ſubintelligitur σικυὸς. Hujus rei veſtigium apud Dioſcoridem eſt *lib*. 2. *cap* 163. Cum enim egiſſet περὶ σικυοῦ μέρου, ſubito infert, ἡ δὲ τοῦ πέπονος σάρξ. Quaſi diceret, non ſunt diverſi fructus, ſed differunt, maturitate tantùm. Quare imperiti (inter hos invitus refero Saracenum) non debuerunt facere diverſa capita. Subodoror etiam apud Theophraſtum. 1. *Hiſt* 22. ubi Gaza τὸ σικυὸν, non debuit vertiſſe *Peponem* ſeu *Cucumin*, quod facit *lib*. 7. *cap*. 4.

VII. Ex his intelligitur, falſum fuiſſe Plin. *lib*. 19. *cap*. 5. Cucumeres dici peponas, cum magnitudine exceſſerunt. Magnitudo non niſi conſectarium eſt maturitatis.

VIII. Atque heic occurrit mihi inſignis difficultas. Qua figura ſunt tam *Cucumeres*, quàm *Pepones*? Non potui hactenus ulterius progredi, quam augurari ex oppoſito, *Melopepon*? Si enim μηλοπέπων eſt is fructus qui habet τοῦ μήλου, hoc eſt κυδωνίου effigiem, rotundam puta, πέπων erit, qui rotundus quidem, ſed cum ſulcis ſeu liris. Et hoc non minùs notum erat olim, quam nunc eſt, ideo veterum nemo ſcripſit.

IX.

IX. Addo, μήλονες, decurtatata voce dicti ſunt poſtea, qui ab initio μηλοπέπονες.

X. Et hinc via nobis patet enatandi ex palude, in qua Bauhinus noſter hæret. Quæram enim, quæ nota eſſentialis facit, ut tres ſint differentiæ, *Melo*, *Pepo*, & compoſitum *Melopepo?* Ille quidem nihil afferre poteſt, ideoque *Pepo* eſt illi *Melo*, *Melo* eſt *Pepo*, poſtea verò *Melopepones* ſunt illi pepones quidem Pax!

XI. Ex Galeno 2. *Alim.* 5. hoc colligitur, Melopeponas differre ſubſtantia ſolidiore a peponibus. Quo loco conſidera mihi, an Cæſalpinus 5. *Hiſt.* 5. rectè cauſetur tranſpoſitionem? Ego puto falſa niti hypotheſi, quæ à Dodon. eſt, Melopeponas veterum eſſe Cucumeres noſtros, quos jam amovi ab hoc cenſu, καὶ ταυτὰ μὲν ταυτῇ, ὡς ἐγὼ οἶδα.

XII. In differentiis duo tantùm in conſiderationem vocabo. *Alterum*, dulcedinem majorem & minorem. Item, an quid à mangonio acceſſerit, ut in vinoſis, ſaccharatis, moſchatellinis, &c. *Alterum*, qualis ſit modus ſubſtantiæ? ſolidus magis minus. *Tertium*, an poſſit eſſe maturitas vel incipiens, vel perfecta, quam præſuppono. Ut enim quò ſolidior eſt caro, eò tutior eſt uſus in ventriculis æſtuantibus, authore Iſaac, quia non facile corrumpitur: ita quò maturior, eo concoctu facilior.

XIII. Olim ut per hyemem haberi poſſent, ſiccabantur, ut pyra vel poma, Galenus *lib. de Cibis* 5. aut muria condiebantur, ut Plin. aut toti ſub terram, ſubſtrato fœno, fodiebantur, aut aliis modis ſervabantur, ut eſt apud Mizaldum *in ſecret. hort.* Alioquin genus quoddam eſt hybernum, quod in ſtufis noſtris diu ſervari poteſt.

IV. In uſu ipſorum quædam ſunt attendenda. 1. ut ne indiſtinctè utamur, & nulla urgente neceſſitate, præſertim crudis: ſed ut Galenus definit. 2. *Alim.* 2. *&* 11. cùm ventriculus æſtuat, quo tempore idem accipere hepati penè neceſſarium eſt. Reliquo tempore, & in ventriculis debilioribus, non poſſunt non magnopere lædere. 2. omnibus bene conſideratis, non oportet uti, aut pleno ventriculo, aut cum aliis cibis, multò minus poſt alios cibos: ſed hora una & altera ante cœnam, ut ſomnus adjuvet coctionem eorum. 3. ut frigidis actu utamur, etiam frigidæ aquæ impoſitis. Ut enim Galenus 2. *Alim.* 2. de omnibus horæis ſcribit, humectandi quidem facultatem ſemper habent: refrigerandi autem nequaquam, ſi calidi actu eſitentur. Non enim proprio temperamento adeo ſunt frigidi, ut ventriculum refrigerent, ſed aſcititia opus habent, &c. 4. ut obſervetur, quàm facilè aut difficulter deſcendant. Niſi enim id fiat, vertuntur in ſuccum lethalibus venenis non diſſimilem, ait Galenus *de Cibis* 8. Si prorſus non concoquantur, aut choleram faciunt, aut febres. Scit autem unusquisque in ſe, quid ventriculus valeat, quid non. 2. *Alim.* 6.

XV. Hinc pendet ſolutio quæſtionis, quid conveniat poſt peponas bibere?

Vinum an aquam? & vinum generoſum, an vappa quid melius? Si cujus viſcera à labore valde calcant, velitque imprimere illis contrariam qualitatem tantùm, ſuperbibat vinum tenue, aut aquam. Illud, ſi temperamento ſit aliàs frigidior; hanc ſi calidior. Sin bilioſus quis in corpore ſuo gignere velit humorem frigidum & humidum, vinum affundat aquæ, quod ſit mediæ naturæ inter tenue & forte. Si enim fortius ſit, duplex orietur metus. *Alter*, ut pepo crudus rapiatur in venas, & pariat obſtructiones. Eſt vero hic metus, etiamſi in mediocri quantitate bibatur, quia, ut Baldinus ait, vinum eſt amicum peponi, argumento, quod poſt omnia dulcia vinum ſit ingratum, poſt peponem non ſit. *Alter*, ut ſubſtantiam illam aqueam vertat in ſuam naturam & loco humoris frigidi, gignat calidum, 2. *Alim.* 3.

XVI. Sed nihil tale fiat: Galenus *loco citato* ſcribit, ſuccum generari inde non bonum, quo ſenſim & ſenſim cumulato, præ foribus futura ſit febris putrida, tertianis ſimilis, ut Iſaac loquitur. Vide Bruyer. 8. *Cib.* 90.

XVII. Adde ex Iſaac, adimere tonum ventriculo, mortificando & lubricando. Baldinus tamen contrarium docet, partim ex Dioſcoride qui propter gratum odorem laudat in lipothymiis ſtomachalibus: partim ex Athen. ubi Diocles vocat εὐκαρδιωτέροις, accepto vocabulo pro ore ventriculi. Verùm non eſt ille audiendus: eſt enim odor ille ſuperficialis. Garriunt alii de dulcedine aliquid, alii de ſubſtantiæ tenuitate, quos non refuto, ne videar alios pro peponibus habere.

XVIII. Interim non diffitebor, non minus quàm Cucurbitam, 2. *ad Glauc.* 11. curare poſſe elephantiaſin quandam quod Heurnius etiam habet *in Aphoriſm.*

XIX. Addo, Galenum rectè affirmare, Sicyos mihi dictos ſegniùs urinam movere, nec facilè corrumpi in ventriculo: pepones contra. Cui cum opponunt ſe Aëtius & Paulus, cauſam rejicit Bruyer. *loco citato* in corrupta exemplaria. Et hoc cum tribuit illis vim τμητικήν, non eſſe illam eandem cum omnibus nota, quæ à colore & tenuitate eſt *lib. de Victu atten.* 2. ſed quæ ab aqueis, craſſos & calidos humores diluentibus. Et hoc urinas movere non tam abſtergendo, quàm ſubſtantia aquea, quæ renibus amica eſt. Et hæc de uſu carnis alimentario.

XX. Superſunt facultates ſeminis, quæ non ſunt aliæ à Cucumerinis, quippe in ſocietate 4. ſem. frig. Videntur autem renibus prodeſſe, non tam abſterſione quàm lenitione, quam præſtat unctuoſitas ipſorum. Hac ipſa faciunt opus ſuum, in tuſſi calida & acri, in exulcerationibus & inflammationibus internis, quamvis in his ſuſpecta ſit oleoſitas. Frigida ſunt ſemina hæc, ſed non magnoperè, ſed quaſi in 2. gr. 8. *Simpl.* Ideo in affectibus oculorum ſunt lôco narcoticorum. Pars enim frigida & aquea non tolerat valde frigida, 4. κ. τόπ. 8. Huc reſpicit Dioſc. cùm præſcribit in de fluxionibus oculorum. An hac ipſa ναρκώσει uſum habent in hæmoptyſi? Nam 7. κ. τόπ. 4. coquuntur in aqua ad tertias, & cum terra Samia, (quæ glutinat) dantur.

XXI.

XXI. Monet Galenus de ſemine, quemadmodum etiam de radice, ſi quis illud arefaciat, ut in pulverem redigi poſſit, non jam humidum eſſe, ſed ſiccum, idque in 1. quodammodo gr. aut etiam 2. incipiente, non deſinente, ut malè Iſaac. Idem Galenus *ibid.* de utroque ſcribit, majorem habere vim abſtergendi quàm caro ipſa. Ideo ſuccus cum ſem. adjecta farina, cogitur in ſmegma, quo facies illuſtratur. An nitroſitate facit? Corticem enim ſapere quid nitroſum Cæſ. ait. An amarore? In quibusdam non eſt ſapor ille.

XXII. Quæſtio eſt, an Venerem ciere poſſint? Plerique enim verſum proverbialem apud Athen.

Τὸν σικυὸν τρώγουσα γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε,

huc trahunt. Textrices enim ferè impudicæ ſunt. Contrà Gal. 3. *Simpl.* 23. ſcribit, ſemen incraſſando Veneri obſiſtere. Sed profectò opus eſt diſtinctione. In calidiſſimis enim refrigerando huc facit caro, ut de laſcivioribus Ægyptiis ſcribit Alpinus. In aliis abſtergendo, ut diuretica alia.

XXIII. Alioquin in cibo uſurpata ſemina præbent humores frigidos & craſſos. Aqua enim cocta fit craſſior.

III. DE CITRULLO, SEU ANGURIA.

XXIV. Citrulli etymon agnoſco, ut dictus ſit quaſi *Citreolus*, à fulvo colore pomi citrii. Anguriæ nullum unquam audivi aut legi, nec ſcio an affinia ſint vocabula Languriæ, aut Tetranguriæ. In incerto etiam eſt, unus an diverſus ſit fructus? Sto cum illis, qui pro duobus habent. Pro primo habeo, qui apud Bauhinum etiam ſtat primo loco. De hoc ſciendum, quod ab aliis in obſervatum, non habet ſulcos, ut dicam: ſed circinatæ rotunditatis eſt, ſemine ut plurimum nigro. Pro ſecundo, quæ tertia ibi, *Anguria Ægyptia* Alpini *lib. de Plant. Æg. cap.* 38. qui oblongus eſt & ventrioſus. Hæc fuit Bateca ſeu Albateca, quæ Jul. Cæſ. Scaligero iſchuriam lethalem fecit, ut habet filius Joſephus, *fine Epiſt.* 1. *ad Douzam.*

XXV. Incertius, fueritne veteribus notus? Qui apud Galenum *lib. de Victu atten.* 2. oſtendere volet, tandem intelliget decipi ſe ab Interpr. Jul. Alexandr. 9. *Sal.* 9. quo ſe refert *Notis in* 8. *Simpl.* ubi *Melopeponem* eſſe vult. Cæſal 5. *Hiſt.* 5. *Cucumerem.* Alii, quos laudat Bauhinus *in Pin. Peponem.* Ego quia nullibi quidquam veriſimilitudinis video, hoc affero φαινόμενον, eſt *Melo*, quia rotundus eſt, Cydonii inſtar.

XXVI. Quo loco moneo, caveant decipi adoleſcentes à Dodonæo qui ſtrias ſuas, uti vocat, tam altè imprimit, ut ſulci videantur. Sed enim quia Lobelius etiam habet; Pena autem *Adv. f.* 286. rem excuſat, eſſe *Melonem circinatæ rotunditatis, non tamen torulis ſulcatum*: do culpam ſupino ſculptori. Penæ ſub-

 mitto

mitto Cæſal. *loc. cit.* cujus verba, *Cortice lævi, nequaquam ſulcis intercepto.* Meis oculis ſi non diffidis, dico tibi fide mea, vidiſſe me ſæpe in Italia tales Melones, præcipuè circa caſas ruſticas, non procul Lucca Hetruriæ.

XXVII. Hi in Ægypto in tantam excreſcunt magnitudinem, ut unus requirat unum hominem. Ad hos, certis Cayri locis, ſedet venditor, qui prætereuntibus ex cochleari præbet ſucci, quantum volunt, ut inter alios Helfrichius habet *in Itin. ſuo.*

XXVIII. Ex his paro mihi concluſionem, Vetus olim erat diſtinctio, Sicyi ſunt duplices, quorum qui ſulcati ſunt, ſimpliciter dicebantur: qui leves,

MELOPEPONES aut *ALEIONES.*

NImirum, non putem aliam fuiſſe differentiam; quam illam, quæ ex adverſo reſpondet Sicyis & σικυοπέποσι. Atque hac obſervatione ditem, ſi fas ſit, Bauhinum *in Pinace.*

XXIX. Quod ad facultates, oportet ex ſuperioribus repetere. Quò ſolidior *Melo*, eò propius accedit ad *Peponas ſulcatos*: contrà, quo aquoſior. Scribit enim Alpinus de grandibus illis, qui mera aqua ſunt, tam eſſe diureticos, ut hernioſi fiant, qui immoderatius utuntur. De eadem ſcribit idem, Ægyptios aliquando facere deſtillatione tenuiorem, & cum ingenti emolumento, uti in febribus bilioſis, ut & in iis, qui alioquin viſcus aliquod calidius habent. Diuturno autem uſu fieri in corpore non niſi pituitam lentam, & aqueam. Vide quæ de ſuo *Dullaha* ſcribit Serapio, & ex eo Matthiolus *in Dioſcoridem.* Ego noſtros hortor, videant, ne concedant illis, qui frigido ſunt ventriculo. Semen eſt in numero 4. ſeminum frigidorum majorum, nigrum aut rutilum cortice.

IV. DE CUCURBITA.

XXX. KOλυκύντη, & Atticè κολυκίνθη, modo diſtinguitur a σικυα, modo confunditur, quam litem heic non facio meam. Hoc præterire non debeo, quod aliàs frequens eſt apud Galenum & alios, ut primitiva cum diminutivis ſint eadem, id non habere locum. κολυκυνθη enim eſt cucurbita edulis: κολυκυνθὶς autem eſt genus illud ſylveſtre, de quo ſupra inter purgantia. De ſpeciebus ſeu varietatibus contendat Bauhinus, non ego. Nihil enim vel ad praxin, vel ad jucundam theoriam.

XXXI. De facultatibus hoc tantum dico, nihil poſſe afferri, quod non allatum ſit in ſuperioribus, aut certè, quod non ex iis judicari poſſit. *Syrupus*, ſicubi ſit in uſu, adhibetur ſiti in febribus, ut & *pulpa condita*, De *cucurbitis conditis* idem eſt judicium.

CAPUT LXXVII.

DE CUMINO.

I. VOx hæc eſt à Græco κύμινον, quemadmodum & noſtra *Kummel*.

II. Hoc cum duplex feciſſet Dioſcorides *l.* 3. *c.* 68. *ſativum* & *ſylveſtre*, ſtatim faceſſit nobis negotium, cum *Sativum* iterum facit duplex, *ſimpliciter ita dictum*, & *Æthiopicum*, quod Hippocrates, *Regium* vocarit. Neque enim dicit, diverſæ an eædem ſint plantæ?

III. Accedit, quod poſt duo capita tribuit *Ammi*, eaſdem appellationes, cum manifeſto dubio, differatne *Ammi* à *Cumino*? Ubi ſtatim curioſulo alicui ſub mentem venerit, cur Hippocrates ita nominarit? Locus eſt 2. *Humor*. 34. ubi deeſt Galeni explicatio. Tanto magis, quod Plinius quidem *l.* 20. *c.* 15. obſcurus ſit, Dalecampius autem ibi tantum non ridiculus.

IV. Negotium fit difficilius. quod Officinæ quædam etiam duplex faciant, *Orientale*, quod Alexandriâ Ægypti veniat: & *Occidentale*, ſeu *Romanum*, quod ex Apulea, & ſit Cuminum Æthiopicum.

V. Rurſus, quod aliæ Officinæ *Acre* & *dulce* habent, eo modo quo *Fœniculum*, quorum hoc colore eſt candicante, & videri poteſt ſativum: illud ſubnigro, quod ſylveſtre & forte Æthiopicum. Rurſus, quod Botanici noſtri immiſceant ſe moribus vulgi, quod aliquam multas plantas onerat voce *Kummel*, Carum, Seſeli vel Maſſil. vel Peloponeſ. vel. Æthiop. quorum hoc ultimum eſt VII. apud Bauhinum in cenſu ſeſeleon; Siler montanum, *Sermontein*, aut Sermodat Material. quod eſt VIII. Bauhini.

VI. In noſtris Officinis eſt ſemen quoddam exoticum, quod vocant *Romiſchen Kummel*, ad differentiam Cari quod *Wieſen Kummel*, quod præ altero illo ſit εὔστομον, quale Dioſcorides requirit. Illud, utrùm ſit ſativum Dioſcor. an potius ſylveſtre 1. dubitatur? Cæſalpin. 7. *Hiſt.* 13. inclinat ad ſylveſtre. Nec poſſum diffiteri, victum me illius argumentis manus dare. Quod vero ſit *Thebaicum* illud ſeu *ruſticum*, quod quædam Officinæ oſtentant, neſcio. Et eſt ita, in his ambiguitatibus oportet Medicum, non tantum binis oculis uti, ſed & linguam bene exercitatam habere, ne quid ſequius fiat.

VII. Eſt autem periculum tanto minus, quo verius eſt, quod Galenus dicat 7. *Simpl.* communicare in facultatibus cum Aniſo, Fœniculo, Liguſtico, Cato, Petroſelino. Unde ſubſumo, quia prædictæ plantæ acceperunt etiam nomen Cumini, proculdubio id accidit ob affinitatem facultatum.

VIII. Tamen diſtinctè ait, Cuminum eſſe calidum in 3. Quod ſupplens Avicenna addit, & ſiccum in 2. Teſtatur autem & odor & ſapor, habere mul-

 tum

tum ſubſtantiæ igneæ, qua penetrat, attenuat, aperit & diſcutit. Quare, licet uſus ipſius eſſe poſſit in omnibus à craſſa pituita affectibus: vix tamen eſt in internis, niſi in flatibus. Galenus propterea 8. *Meth.* 5. 14. *Meth.* 7. 9. κ. τόπ. 4. incoquit oleo, quo reſolvit tumores dolorificos, etiam ſine narcoticis. *Quod accidit*, inquit, *ubi materia non eſt nimis copioſa.* Dioſcorides etiam adſtringere ait, & conſentit Avicenna. Forte quia videbant, cum aceto ſubditam in hæmorrhagiis narium & uteri fluxum ſiſtere. Id vero fit non alia ratione, quam ſiccando.

IX. Quæritur, an, quod illi tribuerit, faciem & corpus decolorandi, fiat peculiari & occulta proprietate? Videtur quibusdam. Nam Hippocrates 2. *Hum.* 34. ſcribit, & videntibus & olfacientibus obeſſe. Et Galenus ibi ait diſertè, facere impalleſcere corpus. Et Dioſcorides καὶ πινόμενον καὶ συγχρώμενον τρίπειν τὸν χρῶτα ἐπὶ τὸ ὠχρότερον.

X. Sed tollunt litem Avicenna & Serapio nimium uſum id facere. Quia enim vehementer diſcutit, & conſequenter ſiccat, foris quidem abſumit id ſanguinis, quod floridam faciebat cutim: intus autem mutat ſanguinem in bilem.

XI. *Diacyminu* duplex habemus, quorum illud, quod Nicolai eſt, præfertur in flatibus, in debili concoctione ventriculi, in dyſpnœa, &c. *Oleum* arte Chymica extractum, præſentiſſimarum eſt virtutum in affectibus omnibus flatulentis, præſertim uterinis. Novi Empiricum qui miracula creditur facere, affuſis aliquot guttis pani toſto, & umbilico impoſito.

CAPUT LXXVIII.

DE CUSCUTA.

I. NON dubito affirmare, vocem hanc eſſe detortam à Græco κασύτας, ἢ κασύτας, ἢ κασδύτας, apud Theophraſtum 2. *Cauſ.* 23. & Plin. *l.* 16. *c.* 44. Hinc enim Caſſuth, κασούτε, κασσεύτην, κούσπουτε, & alia apud Actuarium. Nec movent me argumenta Matthioli, Dodonei aliorum. Hoc præcipuum eſt, quod non vivat ſucco proprio. Quid tum poſtea? Do enim inſtantiam. Et viſcum eſt tale.

II. Sed & experientiam Tragi affero, & Penæ, qui cuſcutam videre natam ſemine ſuo è terra, poſtea vero, ut plantæ ſuæ ſe inſinuavit, areſcente radice, à qua exſtiterat, alimentum cepiſſe inde. Ego, quantumvis diligenter inquiſiverim, nunquam potui invenire radicem, quæ terram contingeret.

III. Compertum eſt, accidere aliquam multis, ut thymo, thymbræ, dictamno, geniſtæ, ſtœbæ, rorimarino, polio, hyſſopo, urticæ, lino, lupulo, viti, cytiſo, pruno ſylveſtri, &c.

IV.

IV. Certum & hoc eſt, pro ratione plantæ, cui in hæreſcit, aut tenuiorem aut ſucculentiorem eſſe. Quo magis miror, Bauhinum in ſolo thymo quærere *Cuſcutam minorem:* Quidquid ſit, acquirit ſibi proprium nomen. Et quemadmodum laude dignum eſt, quod *Epithymum*, ſolum excuſſerunt practici, & facultates tradiderunt, quales inter purgantia expoſuimus: ita civica corona dignum erat *Epidictamnum* vocare, *Epiſlœben*, *epipolium*, &c. plantam illam, quæ *Cuſcutam* in uſum *vulgarem* præbere debebat.

V. Ita enim eſt, ut Saboreben apud Serapionem ait, Quantitas calida & frigida eſt ſecundum complexionem arboris, cui adhæret.

VI. Interim hoc concedendum eſt, *omnem Cuſcutam* eſſe partium heterogenearum, ut apud eundem Serapionem docet Albaſari. Habet enim amarum quid, quod à calore eſt: habet adſtrictorium quid, quod à frigore. Præpollent tamen partes calidæ, & dicitur eſſe calida in 1. gr. cum inſigni abſterſione. Ita cum ſiccis partibus ſubeſt humiditas quædam indigeſta, quæ adſtringit, ſed alia fortiter, alia debiliter, pro ratione matris ſuæ. Hanc matrem oportet habeatis in mente, quaſi exceptionem parantes vobis ad cumulum inſignitarum laudum, quas plenis buccis decantant Practici.

VII. Quæritur, an ventriculum juvet, vel gravet? Utrumque enim reperitur apud Arabas. Utrumque facit pro diverſitate nutriculæ. Calida cum pauca adſtrictione eſt innocens: frigidior cum multo excrementitio, flatus generat.

CAPUT LXXIX.

DE CYNOGLOSSO.

I. QUOD ſupra dixi de Bugloſſo, duo ſignificare, & piſcem & plantam, id heic repetere oportet. Perinde autem eſt cum de planta loqueris, in quo genere dicas. Cynnogloſſus a, um, ferente ita licentia herbaria. Inveneris, cynogloſſi vocem etiam pluribus tribui, potiſſimum tribus, Plantagini, Narciſſo, & Limonio: nobis ſermo eſt de Cynogloſſo Dioſcorid. *l.* 4. *c.* 134. quod ille caule carere dixit, & credidit Matthiol. Verum opponunt ſe omnes noſtrates, herbam dicentes eſſe ex eo genere, quod primo à nativitate anno caulem non fert, fert autem altero, tertiove.

II. Cum ad uſum ventum eſt, oportet iterum ſeorſim ponere tres plantas, Lycopſin (& conſeq. Anchuſam) Cerinthen, & Cynogloſſas, quæ ſola magnitudine differunt à vulgari, quod eſt II. in ordine apud Bauhinum. Nimirum hujus ſolius vel radicem totam, vel corticem ſolum, qui validior creditur, volunt Officinæ.

III. Fit autem hoc totum propter *pilulas de Cynogloſſo*, quarum uſus ſuſpectus mihi

mihi eſt propter has cauſas. I. Neque Galenus, neque Paulus, neque Aëtius, neque Oribaſius; ſed neque Arabum quiſquam, Avicenna, Serapio, Rhaſ. habet Cynogloſſum hoc in cenſu ſimplicium. Hinc Cæſalpinus 11. *Hiſt.* 13. ut & alii quidam, inſcribant nomine *Pilul. de Arnogloſſo*, quod Cynogloſſo non detur vis narcotica, qua de re mox II. Cynogloſſum Aſclepiadis. 9. κ. τόπ. 1. non eſt noſtrum hoc: Apuleii etiam non eſt noſtrum hoc. Quæ ſi jungas cum ſuperioribus, quid facias in iſta varietate? III. Varia eſt ipſa etiam deſcriptio. Alia eſt Meſue *in Antid.* alia Trall. *l.* 5. *c.* 4 in quibus thus non eſt, quod vitium Codicum eſſe ait Foëſius, Differunt vero hæ poſteriores etiam in eo, quod *Crocum* non habent, magnum narcoticorum correctorem, ait Cronenburgius. Differunt etiam, quod Meſue *c. de Catarrho*, conficit cum ſucco cynogloſſi. Trall. ipſe cum aqua, in qua opium ſit diſſolutum. IV. Neque ſatis eſt reliquiſſe hanc deſcriptionem, & uſurpaſſe Nicolai, quod faciunt noſtri: ſunt ibi correctores Caryophylli & Cinnamomum quibus Caſtorium ſubſtituunt alii, non malè. Galenus 7. κ. γέν. 3. ſæpe in ejuſmodi medicamentis habet. Tamen videtur mihi, non rectè corrigi hoc modo tot ſomniferorum vim, quo minus ſit metus perpetui ſomni. Eſt præterea varietas tam inſignis, ut non poſſit ulla deſcriptio admitti, ſine diligenti ſimplicium examine.

IV. Intelligetur id amplius, ubi ſcientur facultates Cynogloſſi noſtri. Teſtatur & odor ſomnolentus, ut ſic dicam, & ſubſtantia mollis muſcoſaque, frigidum & humidum eſſe, non ſine tamen calore aliquo (quem arguit fœtor ille caninus) non ſecus ac in aliis narcoticis. Quo autem gradu? Non auſim definire. Audeo autem certare quovis depoſito pignore, non eſſe temperatum, quamvis Dodoneus id velit; neque declinare tantum ad frigidum & humidum, ut idem ait: ſed eſſe frigidum uſque ad 2. gr. & quidem, intenſum. A Pena, qui ſiccum eſſe vult, toto animo abhorreo.

V. De reliquis apud Dioſcoridem, Tragum, alios, non dico, ſed ita finio, *In ſiſtendis Catarrhis tenuibus tam calidis, quam frigidis, ubi opus eſt viarum, per quas eunt, occluſione, ipſiuſque humoris incraſſatione, ne quidem mentionem illarum ferre poſſum.* Sed utor *Diacodio Montani.* Si qui velint pilulas, his duplices propono, aut Gal. 7. κ. τόπ. 3. ex ſtyracis parte una, opii & myrrhæ parte media: aut Pauli *l.* 3. *c.* 28. ex ſtyracis, opii, myrrhæ, galbani, ana partes æquales.

CAPUT LXXX.

DE CYPERO, EJUSQUE *ſpecie, Curcuma.*

I. INTER alias ſcripturæ depravationes, ab imperitis introductas, pro legitima habeo, κύπειρος, ὁ, ut apud Latinos ſit Cyperus, aut Cypirus, media pro-

producta. Non facio etiam differentiam inter κύπειρον, καὶ κυπειράδα, propter cauſam toties dictam. Scio quæ poſſint objici: ſed non ſunt tanti.

II. In Officinis habemus duplicem, *Rotundum & longum*, quorum ille iterum duplex, *Major & minor*, quamvis etiam duplicem habeant longum quædam. His accedit cyperus eſculentus, qui eſt *Thraſi Veronenſium*, aliis *Dulcichinum*, de quo dubium eſt, an floreat? Tu vide apud Bauhinum eos, qui & ajunt & negant. Audivi à Bauhino ipſo, ſcripſiſſe ſe ob id ad Penam Veron. qui primum negarit, poſtea affirmarit. Video ego in Baldo Ital. *f.* 72. diſcurſum longiuſculum de ſtudio ſuo inani in perducenda planta ad florem: At Penæ *Adv. f.* 37. tantopere favit fortuna, ut ſtatim offenderit. Idem contigiſſe Cæſalpino, colligas licet ex 4. *Hiſt.* 63. Quin Ill. Col. *Phytob. principio* διαῤῥήδην dicit, & pictura exprimit, in Ægypto etiam naſci ex Rauwolfio docens. Ex eodem reſpondere par eſt jactabundulis Veronenſibus, ſibi ſolis conceſſam hanc eſſe plantam. Imo vero hic ex Siciliæ extremis, qua Auſtrum ſpectat, habuit. Idem Col. negat, Cyperum Theophr. eſſe 6. *Cauſ.* 16. quod non creſcat locis udis. Hunc refutat Daſylycus, ut Cluſius appellat, *in Hodœp. ſuo*. Eſſe ajo *Malinathallam* ejusdem, 4 *Hiſt.* 10. ubi vide Animad. noſtras.

III. Cæterum, quia Cyperi Officinales non ſunt nobis indigenæ, oportet ſcire notas bonitatis. Has ſolus habet Dioſcorides & ait, radicem eam cenſeri optimam, quæ ſit 1. Gravis, ſolida & denſa. 2 Odorata. Sed quo odore? Supplet Plinius, *Nardi*, pro ratione natalium magis & minus acer. Ubi nullus, habetur pro evanido. 3. Acris, ſed non exquiſitè. Addunt quidam *Amarus*. Hoc in vetuſta eſſe credo.

IV. De facultatibus judicare oportet ex ſenſu & particularibus operibus. Teſtatur autem ſenſus, Cyperum laudabilem eſſe odoris jucundiſſimi, ſaporis acris, cum veteraſcit, amari, non ſine adſtrictione. Unde intelligitur, verum eſſe quod Galenus 7. *Simpl.* ait, eſſe calidum & ſiccum (addit Aver. in 2. gr.) aperire, attenuare, diſcutere & abſtergere cum modica adſtrictione eaque ſine morſu. Alpinus eſt author, *de plant. Ægypt.* propter odoris ſuavitatem, miſceri pulveribus odoratis, ut & fucis: propter vim penetratoriam, uſurpari in obſtructionibus viſcerum, hydrope, febribus chronicis, menſium mora à pituita, & id quidem cum tanta efficacia, ut vulvas expellat, ceu Plinius loquitur. In affectibus pectoris tuſſiculoſis mirum quantum poſſit! In vulneribus & ulceribus dyſepulotis, etiam internis, eſt inſigne, propter vim ſiccatoriam, idque præcipuè ubi eſt affluxus humorum, ob intemperiem partis affectæ, propter adſtrictoriam, his omnibus junctam, laus eſt major, uſu præcipuè interno, in quo (Rhaſi monente) ita adurit ſanguinem, ut lepra fiat.

V. Hæc omnia facit Cyperus mediæ ætatis. Hoc dico propter loca quædam, quorum unus eſt 7, κ. γέν. 7. ubi Cyperus novus deſideratur, hoc fine, ne nimium calefaceret.

VI. Habet horum quædam & Thraſi, quod ob dulcedinem aptum eſt acribus humoribus, tam extra, quam intra latitudinem ſanitatis. In acribus deſtillationibus, etiam ubi jam ulcus eſt pulmonum, cremor (ptiſſanam vocant quidam) crebro eſitatus multum facit, In eandem rem coquuntur nuclei cum carnibus, contunduntur, exprimuntur. Tanto autem efficacius fit remedium, ſi cum coriandro, glycyrrhiza, & ſimilibus paretur. Hæc ipſa corrigunt flatulentiam illorum, quam quidam metuunt. Ob eandem cauſam datur etiam cremor hic in dyſenteria, ſed in aqua chalybeata. Ita in ardore urinæ, in calculo, ſi quidem jam exulcerarit renes & ureteres.

VII. Sed venio ad Cyperum Indicum, qui

C U R C U M A.

EST Officinarum, quod duplex eſt, ut Cordus deſcribit 4. *Hiſt.* 60. *&* 61. Utrumque ſervit tinctoribus potius, quam Medicis, ideoque etiam tam pauca ſcimus de facultatibus. Vulgus credit ſervire ictero propter colorem flavum. At verò propter vim obſtructoriam huc accerſi, verius eſt, quàm notius. Licet autem, ut Pena inquit, guſtu ſit paulò ignavius zingibere (vocant *Ingwerwurk*) & paulò ingratius: potiore tamen eſt dote reſerandi viſcera, ob amarorem, quem Dioſcorides etiam tribuit Cypero Indico. Cujus rei occaſione reſpondebo ex eodem Pena ad objectionem, quæ non patitur Curcuma eſſe Cyperum Indicum. *Non eſt*, inquiunt, *tam acre*, *ut*, *calcis vivæ inſtar*, *depilatorium ſit. Ob vetuſtatem ſit.*

C A P U T LXXXI.

DE DAUCO, PASTINACA *& Staphylino.*

I. ΔΑΥΚΟΣ ἡ δαῦκον, ἡ δαύκιον, & poëticè δαύκειον (corrumpitur in δαύκαιον & δίρκαιον) planta eſt, quæ cum paſtinaca & ſtaphylino (utrobique etiam animalia ſunt hujus nominis) tantam habet affinitatem, tantæque ſuper ea re difficultates Botanicorum, vix uti mihi ſit integrum ſententiam dicere.

II. Dixit Bauhinus cum diſtinxit omnes illas plantas in *Daucos* & *Paſtinacas*: ego verò cum venia ipſius paulò aliter me expedivero. Primum omnium dico, me nullius ex his originationem noſſe, ne ſtaphylini quidem, ἀπὸ τῆς ςαφυλῆς. Deinde, Daucium modo eſſe ſtaphylinum, modo paſtinacam, & viciſſim. Tertio, ſtaphylinum, modo ſylveſtre tantum eſſe, modo etiam domeſticum. Ita paſtinaca. Quarto, Paſtinaca modo ſimpliciter dicitur, modo dividitur in tenuifoliam & latifoliam. Quinto, Paſtinacæ nomen tribuitur pluribus plantis, Crithmo, Elaphoboſco, Apio, Caucalidi, Gingidio, Peucedano, Fœniculo, Meo, Seſeli, & quibus non? Hoc verbo me revoco ab inſtituto, quod olim perſequebar,

bar, omnia colligendi: quin ſeligo illas plantas, quæ vulgo ſerviunt pro cibo, quibus ſuper infero, quid Officinæ ſibi inde petant.

III. Apud nos in vulgatiſſimis cibis ſunt *Paſtinacæ tenuifoliæ radices*, colore differentes. Modo enim buxeæ ſunt, modo rubræ, modo ſanguineæ, & vocantur Italis *Carottæ* è Germ. *gar roth*, quas ſupra pro *Behen utroque* Arabum declaravi. Hæ, etiam diligentiſſime paratæ, flatuoſæ ſunt, & parum alimenti dant.

IV. Quo ipſo abſolvo me à quæſtione illa, Habeantne locum in victu attenuante? Minimè omnium. In Officinis eſt ſemen quadruplex 1. *Paſtinacæ ſimpliciter dictæ* ſeu *ſativæ tenuifoliæ* quod *Baucia* dicitur. 2. *Paſtinacæ ſylveſtris* illius, quæ in medio umbellæ albæ floſculum habet purpureum *Vogelneſt*. 3. *Dauci ſylveſtris* quem fruſtra diſtinguimus à jam dicta Paſtin. 4. *Dauci Cretici*, de quo etiam dico, non differre à duobus præcedentibus, niſi quia acrior & penetrantior, & poteſt in defectu ſubſtitui noſter fortaſſis in dupla doſi. Vocabant veteres *Creticum*, vel ſimpliciter δαύκου σπέρμα κρητικὸν καὶ καθαρὸν, *Ib.c.* 16. Damocrates. Aſclepiades 9. κ τόπ. 4. in Colica Euſchemi, vult *decorticatum*, quod neſcio an poſſit perſuaderi noſtris. Creticum hoc non credo eſſe aliud ab Æthiopico Hipp.

V. Conſpirant quidem facultates, ſed ita, ut locus natalis aliquid ſibi depoſcat.

VI. Radix Paſtinacæ eſt temperatè calida & humida niſi ubi amaritudinis quid habet, quæ vim abſterſoriam illi conciliat. Hæc in foliis eſt evidentior: ideo cum melle applicant ulceribus phagedænicis. Eadem radix eſt flatuoſa, ut dixi, Veneremque ciet, adjuvante acrimonia ipſius. Hæc commendatur in menſibus & urina ciendis: ſed puto parum poſſe, niſi Dauci radix accipiatur, quæ calida & ſicca eſt in 2. gradu.

VII. Semen Paſtinacæ habet etiam quid flatuoſi, quia ſupereſt aliquid humidi illius. At Dauci prorſus eſt ἄφυσον, ut Galenus vult perſuadere, qui etiam calidum & ſiccum in 3. facit. Ad ſecundinas etiam laudant & partus promovendos. Ideo inanis eſt Cornarii cura, apud Dioſcoridem legentis δευτέρων pro ἐμβρύων. Utrumque enim poteſt. Quadrupedia non tangere, niſi poſt abortus, Plinius eſt author, *l.* 25. *c.* 9. & iterum *l.* 26. *c.* 15.

VIII. Hippocrat. etiam 1. *Morb. muliebr* pro ſecundis dat. Apud nos utuntur in eam rem ſemine dauci, ſaccharo incruſtati, etiam in ſtrangulationibus uterinis, quin obſtructionibus viſcerum omnis generis, in calculo, dyſuria, &c. Ubi tamen ob penetrationem commodius utemur, vel pulvere, vel decocto cum ficubus & fœniculo. Idem ſemen, ut & radix ſicca, contra venena dabatur, ℨj. pondere in hominibus & jumentis. Tragus frigida venena tantum nominat.

IX. Quo veriſimilius eſt, facere, quod facit, vi calida & diſcuſſoria, quo fine etiam Theriacam ingreditur. Secus ſe habet res in radice condita, præſertim ſi Paſt. ſylv. latifol. ſit, quæ Venerem ciet flatibus ſuis.

CAPUT LXXXII.

DE DICTAMNO UTRAQUE.

I. INſolens eſt Etymologia & longè petita, ἀπὸ τοῦ τίκτειν: vera autem, quaſi Δικτῆς θάμνος, *frutex Dictæ*, montis Cretæ. Fabula eſt apud Dioſcor. *lib.* 3. *cap.* 31. nec florem, nec fructum ferre, quam inter Medicos refutavit Sylvat. 1. *Ther.* 8. Quare non eſt opus correctione textus, ſed ſatis eſt, Dioſcoridem fuiſſe deceptum.

II. Ergo

DICTAMNI CRETICÆ.

FAcultates apud Dioſcoridem & Galenum ſunt ſimiles pulegio, niſi quod efficacior, ob majorem partium tenuitatem.

III. Avicenna vult pervenire ad 3. gr. caliditatis & ſiccitatis. Quod credo. quia Dioſcor. ait eſſe δριμεῖαν λίαν. Ita enim lego cum Paſino, certis τὸ λείαν ſtare non poſſe. 1. quia Serapio non habet. 2. quia φύλλα γναφαλοειδῆ non ſtant cum illo, adeoque ſenſus refragatur. 3. quia θερμαίνειν ἀπὸ μικροῦ σφόδρα Theophraſt. ſcribit, quod Plin. dixit: *Minima portione accendit os*, cum paulò antè dixiſſet: *Fervens & acre guſtu eſt.* Quare omnia poteſt, quæ hujusmodi medicamenta poſſe jam ſæpè dictum eſt.

IV. Tria habet valde inſignia 1. extrahit infixa corpori, non impoſita tantùm, ſed ſucco etiam ebibito, ſimulque vulnus ſolidat. Hoc docuerunt vel capræ vel cervi, vel hirci, Ariſt. 9. *Hiſt.* 6. Plutarch. *in Gryllo.* Plin. *lib.* 8 *cap.* 27. *& lib.* 2. *cap.* 8. Bellon. 1. *Obſ.* 13. 2. partum mirificè accelerat, ſimulque dolores lenit: 3. venenis non minus quàm Theriaca reſiſtit. Hinc uſus ipſius in peſte.

DICTAMNUS ALBUS OFFICIN.

EST *Fraxinella* vulgò dicta à foliis Fraxini, quam ego hactenus non vidi relatam ad ullam veterum. Bauhin. loco v habet inter dictamnos, utinam in Centaurio, aliiſque feciſſet idem! Ut enim ſæpè dixi, non eſt heic opus accuratione. Scribunt recentiores habere hanc Fraxinellam diverſas facultates. Flores ſunt valde odorati, pomi Citrii, Aurantiive penè pares, niſi acumine quodam ſuo injucundi eſſent. Quo ipſo videntur à ſe diſſentire. Cui enim moleſtum eſt Cinnamomum, cum quo comparant? Folia graviſſimum quid ſpirant, hirci in modum. Radix fere inodora eſt, ſapore modò acri, modò amaro, pro diverſitate natalium, diu linguam occupante.

VI. Dodoneus radices eſſe ſtatuit calidas & ſiccas in 2. gr. Hinc jam intelligitur, quid poſſit præſtare. Omnino enim ea, quæ Dictamn. Cret. Interim apud

pud Agyrtas celebris eſt in lumbricis pellendis, in Epilepſia, credo, cum ab illis pendet.

VII. Putredini enim egregiè reſiſtit, & inde effectus in peſte eſt. *Oleum flor.* in diſcutiendis doloribus efficax eſt. *Aquam deſtillatam* pro Coſmetica habent Rom. mulieres, & utuntur in inflammationibus oculorum. Ex his apertum eſt, neutiquam poſſe eſſe ſuccedaneum *veræ Dictamni.*

VIII. In Officinis Italicis eſt Cerotum ſeu Emplaſtrum) utroque enim nomine appellant) *Diadict.* Damocratis apud Gal. ϛ. κ. γέν. 10. quod cum Galeno *ſacrum* vocant. Uſus eſt apud plebejos chirurgos in vulneribus & ulceribus, tantum non indiſtinctè.

CAPUT LXXXIII.

DE DRAKENA, RADICE.

I. FRanciscus Drakk, Eques Anglus, cùm totum orbem circumnavigaſſet attuliſſe ſecum dicitur radicem, quam à nomine ipſius ita vocavit Cluſ. 4. *Exot.* 10. ſummæ æſtimationis apud Peruanos, tu puta, ob vim alexiteriam. Eadem exſcribit Chioccus *in Muſ. Calceol. ſ.* 4. *ſ.* 576.

II. De facultatibus in ſpecie neuter ipſorum quidquam. Ut neque an eadem ſit cum Contrayerva Hiſpan. ut Monardis *Simpl.* 17. D. Joach. Posselius, Medicus poſtea Dantiſcanus, Noribergam tranſiens anno 1607. donata mihi radicula, affirmabat. Florentiæ, ubi Medicinam fecerat in hoſpitali D Laurentii, auro contrà appendi, propter mirificos in febribus malignis & peſtilent. effectus.

DORONICUM Vide ACONITUM.

CAPUT LXXXIV.

DE ELEMI, SEU ELEMMI SEU Elevi gummi.

I. REvera non eſt gummi, hoc eſt, aqueus quidam humor; ſed reſina, hoc eſt aërium & igneum quid, quod flammam facilè concipit, & oleo diluitur. Sed quia nomen ita poſitum eſt, ſinamus.

II. Sed cujus arboris? Peregrinatores Indici (quos illi quidem prætendunt) ſilent. Noſtri conjecturas habent ferè inanes. Talis eſt Cæſal. qui 2. *Hiſt.* 35. putat eſſe *lachrymam oleæ cujusdam in mari rubro* apud Theophraſt. 4. *Hiſt.* 8. Idem

vult eſſe *Enhæmum* Plin. *lib.* 12. *cap.* 17. cujus Theophraſtus *loco citato* meminit. Cordus 4. *Hiſt.* 27. *Cedri lachrymam* eſſe ſuſpicatur, quæ *Cedria* Galeni ſit. Ob cujus ſimilitudinem, quia & *Picea*, & *Larix*, & conſimiles arbores dant Cedriam, ut Bellon. ſcribit *lib. de Fun. med. ut & de Conif.* obtinebunt fortè illi, qui noſtrum Elemi nihil aliud eſſe dicunt, quam *picem Burgundicam*, quæ pinus & piceæ eſt. Matthiol. *in Dioſcor. lib.* 1. *cap.* 119. refutat eos, qui volunt eſſe *Oleæ Æthiopicæ lachrymam.* Ut dicam, quod ſentio, fraus mihi ſubolet cum iis, qui de pice Burgundica muſſitant. Nondum enim apud ullum ſcriptorem Indicum offendi. Olea verò jam dicta, (quam non concedunt quidam, ex Æthiopia petendam eſſe, ſed nihil aliud eſſe quàm *Sylveſtrem noſtram*) revocat mihi in memoriam Baccii verba *lib* 5. *de Vinis Apulis*, quæ jam olim mihi annotata, volui heic recitare. *Olearum ibi*, inquit, *mira vetuſtas & magnitudo*, *quercuum inſtar procerrimæ*, *& quod fœcunditatis earum argumentum eſt* (*quod in Tiburtinis non video*, *nec in Sabinis oleis*) *ob aſſiduos*, *ut reor*, *in Apulia calores*, *gummi heic oleæ exſudant optimum*, *quod Chirurgi gummi Elemi appellant. Gleba eſt pinguis*, *ac myrrhæ inſtar fragranti odore*, *ut non ſolùm in Unguento probandam exiſtimem*, *utique applicata ſimpliciter Cerati inſtar*, *tumores diſcutiat*, *emundet ſordida ulcera*, *ac carnem inducat ad cicatricem* : *Verumetiam prunis aſperſa ſuffimentum balſami in Cameris edit gratioſum* , *ſuperans thuris*, *& ſtactæ myrrhæ fragrantiam. Quod Reverendiſſimo Adriæ Epiſcopo*, *Lucæ-Ant. Reſii*, *Barolitano*, *acceptum refero.* Hæc ille. Cujus graviſſ. Viri teſtimonio fiſus, gummi olearum noſtrarum in poſſeſſionem nominis *Elemi* immitto, & Materialiſtas noſtros jubeo, non ex India alterutra petere, ſed ex Apuliæ regno Neapolitano.

III. Notæ ejus ſunt, ſcribente Cordo, *loco citato* ut ſit ſincerum pingue, flavum & tralucidum. Eſt autem, intùs quidem verè flavum, maculis quibusdam candicantibus diſtinctum: foris autem in flavo ſordidum, thuris modo pingue, odore acri & vehementi, qualis ferè Sandaracæ, aut potiùs Colophoniæ, ſapore inter thus, Sandaracam & Colophoniam.

IV. Florentini dicunt, *laudatur*, *quæ reſinoſa eſt*, *ſtillis exilibus conſtans*, *levis*, *valido odore & ſapore.*

V. Facultatem dicitur habere calefaciendi, emolliendi, digerendi, reſolvendi, coquendi, ad ſuppurationem ducendi, dolorem ſedandi, ut Renodæus ſcribit *lib.* 1. *Diſpenſ. ſect.* 8. *cap.* 7.

VI. Quibusdam locis in uſu eſt *Unguentum* aut *Cerotum* (utroque enim nomine appellant) *de gum. Elemi*, vel Capitale, vel Conciliatoris, in iis vulneribus capitis, *die Hirnwundt ſine.* Apud Romanos eſt Magiſtrale.

CAPUT LXXXV.

DE EQUISETO.

I. ΙΠΠΟΥΡΙΣ Dioſcor. *Cauda equina*, *Equiſetum* ſeu *Equiſetis* apud Plinium eſt (*Equiſetis* vitioſum eſſe audeo dicere) *lib.* 18. *cap.* 24.

II. Hujus plura genera apud recentiores, quæ ſatis bene digeſſit Bauhin. è quibus II. in ordine venit in Officinis.

III. Hujus *Aſparagos*, authore Matthiolo in Hetruria, ruſtici in defectu aliorum, aut etiam in dyſenteria, aliisque alvinis fluxibus, comedunt &, ſentiunt Hetruſci, & ſentiunt aliquando ita ſibi ſtringi ventrem, ut colici fiant.

IV. Hic effectus ſatis oſtendit, quod frigidum & ſiccum ſit. Avicen. & Serap. frigidum in 1. ſiccum in 2. collocant. Sed enim quia guſtus arguit ſimul amaritudinem quandam, fateri oportet, heterogenearum partium eſſe. Quare Dioſcorides adſcribit illi talia, quæ à calore cum abſterſione quadam ſunt, v. gr. diureticum eſſe, tuſſi antiquæ & orthopnœæ mederi, &c.

V. Hæc in radice evidentiora ſunt, quam in foliis. Galenus 6. *Simpl.* ait, ſiccare ſine morſu, ideo uſum ipſius eſſe in vulneribus & ulceribus, tam internis, quàm externis. Foris emplaſtri modo impoſita, glutinat maxima vulnera, etiam ubi nervi ſunt inciſi. Intus ſanat dyſenterias, exulcerationes renum & veſicæ, hæmorhagias ſive per ἀναςόμωσιν factas, ſive per διαίρεσιν. In ἀτονίᾳ viſcerum emplaſtrum ex eo factum mirificè confortat. Ita quoque oleo adſtringenti incoctum, & illitum toti abdomini.

VI. In diuturnis febribus, etiam malignis, miracula feciſſe cum aliis comperi. Et huc traho apoſtemata viſcerum, de quibus Arabes loquuntur, poſt diſcutientium, inquam, uſum, cum fere flatus ſuperſunt.

CAPUT LXXXVI.

DE ERUCA ET SINAPI.

I. AGO de his ſimul, quod congeneres ſint plantæ, videanturque differre tantùm acrimonia majore & minore.

ERUCAM.

II. P*Lantam* oportet primum diſtinguere ab *Eruca*, inſecto, quod κάμπη eſt Græcis. Deinde *Æruca*, quæ eſt *Ærugo*, ἀπὸ τȣ͂ *Æs* ἰὸς Græcis. Eruca herba iisdem eſt εὔζωμον, *quod ſapida faciat juſcula.*

III.

III. Ex 13. ſpeciebus apud Bauhinum uſus eſt 1. in culina. Accipiebant veteres, non folia tantùm, ſed & caulem, antequam in ſemen faceſſeret, 2. *Alim.* 58.

IV. De foliis ait Plinius *lib.* 20. *cap.* 22. coqui ut cæterorum olerum. Et addit de ſemine, quod tamen vix credo, uſum ipſius eſſe pro pulmentario, in patellis decocto, citra intellectum acrimoniæ. Revera enim qui utitur, ſentiet ſtimulum ad Veneria. Hoc veriti veteres ſinapi exſaniabant, quo verbo Colum. utitur. Eadem de cauſa addebant oleum & mel, quo ſcopo noſtri in muſto apponunt. Hinc eſt *Moſtarda Italorum*, & *Mouſtarde* Gallorum, *à muſto & ardore.* Uſus eſt etiam ad excitandum appetitum, & feliciorem concoctionem tam piſcium, quàm carnium, præcipuè duriorum, *Weiſs Senf* vocamus. At Sinapi ſimpliciter *Senf.*

V. Erucam facit Dodon. calidam & ſiccam in 3. Hoc illi non concedent Arabes. Serapio enim, authoritate Galeni *de cibis*, ut ait, calidam eſſe vult in 2. humidam in 1. Quæ ſententia etiam Iſaac eſt. Paulò circumſpectior Avicenna diſtinguit inter viridem & ſiccam actu, hanc quidem ſiccam (poteſtate) in 1. ſtatuens, illam autem humidam in eodem. Hoc accepto, niſi quod ſiccæ actu non prorſus adimo humidum excrementitium. Nam & hanc Veneriam eſſe, & cephalalgicam nemo dubitet. Hoc & poëtæ norunt, Colum. & Martialis.

VI Hanc in rem præceptum eſt Galeni 2. *Alimentor.* 53. cum foliis lactucæ colendum eſſe, ut nimio frigori par fervor immixtus, temperamentum æquet, ceu Plin. loquitur *lib.* 19. *cap.* 8. Lactucæ ſubſtituunt Arabes endiviam, aut portulacam. Et addit Iſaac, naturaliter convenire, non bilioſis & ſanguineis, ſed pituitoſis, quia, inquit, indigeſtionem eorum adjuvat, ventrem humectat, coitum & ſperma augmentat. Hoc ille confirmat authoritate Hippocratis 2. *Diæt. tex.* 14. apud Marinellum.

VI. Quod autem idem Iſaac adimit illi vim diureticam, falſum eſt. Acrimonia enim illa inſignis, quei non aperiat? Maximè, quia juncta eſt illi amarities, à qua abſterſio? Idem cùm negat ſemen generare, ludit in verbo. Nam & de illis dicitur, quæ ſemini dant ſtimulum. Quare Galenus 5. *Simpl.* 23. erucam vocat alimentum medicamentoſum multi ſeminis. Et *cap.* 21. *præced.* erucam viridem commendarat ad lactis generationem, ſed expreſsè in pituitoſis. Vide jocum Penæ in Monachos quoſdam ſalaces, & Scal. *Exerc.* 141. *num.* 7. in ſimili caſu.

VIII. Sed ut expleam ſermonem, reſtrictio, quæ in Veneriis eſt, eſt etiam in cephalalgicis Bilioſis non eſt commoda: ſed pituitoſis eſt. Durat enim moleſtia, quamdiu concoctio, cujus rei meminit ſolus Rhaſis.

IX. Quid igitur tandem de gradibus? Humidum excrementitium non magis venit in conſiderationem, quàm caliditas in Opio. Quemadmodum igitur opium refrigerando interficit, & ideo frigidum eſt, licet caliditatis plurimum habet: ita eruca.

X. Ut

X. Ut intelligas, quemadmodum crocus, ſtyrax, myrrha, vinum, &c. calida manent, licet ſomnifica ſint; ita eruca. Faceſſat igitur humiditas Arabum, & abſolutè dicatur, eſt calida & ſicca in tertio. Idem dic de

SINAPI.

XI. QUare, qui uti illa volunt (eſt rarus ipſius uſus apud nos) utantur cum frigidis, quæ dicta ſunt, aut cum blitis, ut Iſaac præcipit. Tum enim non impingere, ſed abſtergere poteſt pituitam, tunicis ventriculi adhærentem, necnon exſiccare & abſumere, ſicubi modica ſit.

XII. Apud Rhaſ. duo ſunt monita pro iis, qui embammatis iſtis uti volunt. *Alterum*, ne nimis crebrò uſurpentur. *Alterum*, ne, niſi cibi ſint groſſi, ut Interpres loquitur. Non ſolùm enim in 3. gr. eſt, ut eruca; ſed in 4. qui cauſticorum eſt. Miraris? Docet id Galenus & 7. *Simpl. cap. de Naſturtio*, cui per omnia ſimile eſt; *&* 8. *cap. prop.* Æſtimes autem penetrantiam ipſius vel inde, quòd ut Plinius ſcribit *lib.* 20. *cap.* 22. Pythagoras judicarit, *Sinapi habere principatum in his, quorùm vis in ſublime fertur, quoniam non aliud magis in nares penetret & cerebrum.* Quod quia moleſtum eſt, ſolemus nares contrahere, torvumque videre. Hinc factum eſt proverbium apud Ariſtoph. *in Equit.* & meminit Athen. *initio lib.* 9. βλέπειν νάπυ (nam ita dici debere eſt apud Athen.) hoc eſt δριμὺ, καὶ ὀργίλον. Qua de re divinus Eraſmus, *in Adagiis.*

XIII. Cæterùm, quia huic penetrantiæ & acrimoniæ comes eſt abſterſio, & amaror; ſequuntur effectus illi, qui illi adſcribuntur ab authoribus, caput purgandi, ſenſoria ab excrementis liberandi, catarrhos minuendi, raucedinem curandi, pituitam expectorandi, ventriculum roborandi, alvum molliendi, lumbricos pellendi, viſcera ab infarctu expediendi, menſes & urinas movendi, ſuffocationibus uterinis occurrendi, tumores diſcutiendi (quam in rem præfertur ſemen vetuſtum, 4. κ. τόπ. 8. Tale eſt, quod dentibus fractum non ampliùs viret interiùs, ſed albicat) ſordities cutis abſtergendi, & quæ ſunt alia.

XIV. Inter hæc eſt vis rubificandi, hoc eſt, cutim in ruborem attollendi, quod fit per φοινιγμοὺς ſeu σιναπισμοὺς inde dictos, quod materia eorum ſit ſinapi. Hoc fit ideo, ut humores, in profundo habitus latentes, ad ſuperficiem trahantur, quod vocabant Methodici μετασυγκρίνειν, & medicamenta inde μετασυγκριτικά.

XV. Neſcio qua facultate muſtum conſervet, ne ebulliat, & uvas præſervet à putredine, quæ conſuetudo apud Turcas eſt, à Busbequio deſcripta *in Epiſtolis.*

XVI. Quæritur, An ſubſtitui poſſit Eryſimo, illi, inquam, quod Galenus deſcribit 1. *Alim.* 30.? Hoc cùm ignoraret Matthiolus, negavit. Ego ajo, Gal. 6. *Simpl.* comparat ſemen Sinapi cum ſemine Naſturtii, cui, ut guſtu, ita facultate ignea ſit ſimile. At Naſturtium ſcribit idem *lib.* 7. per omnia eſt ſimile Sinapi. Ergo. Nam quæ uni tertio, &c. Eſt autem *Eryſimum verum*, non quæ

Verbena fem. ſeu *Verbenaca ſupina* dicitur: ſed Irio vulg. Hoc poſt Tragum Lobel. teſtatus eſt, qui etiam *Syr.* habet ad tuſſim inveteratam. Adjuvat hanc Arter. VII. apud Gal. 7. κ. τόπ. 2. ubi *Eryſ. ſeu Irio torrefactus* requiritur, & dicitur eſſe facultatis abſterſoriæ, veluti faba freſa.

XVII. *De oleo Sin.* moneo, cujus uſus pro Phœnigmo, videat Medicus ante uſum, quomodo ſit factum, per ſimplicem expreſſionem? Videatur *Coſt. in Antid. Meſue.*

XVIII. Eidem fini ſervit Emplaſtr. de ſinapi Meſue.

XIX. Quid iſtuc vero eſt? Cur ita ſub exodium circumſpicis? Nihil heic de Etymo. Vah! Omnia vertuntur: ſed eccum tibi. Apud Athæneum dicitur, ὅτι τοὺς ὦπας σίνεται. Vellem deducere ab Attico νάπυ, ſi haberem, quod dicerem de ſyllabico σι.

CAPUT LXXXVII.

DE ERUO, SEU OROBO.

EST heic iterum magnum difficultatum pelagus, propter omnibus leguminibus communes confuſiones. Ut ordine tranſigam. Prius vocabulum eſt Latinum, poſterius Græcum. Utrumque ſpecificum eſt, & latet ſub genere, Bauhino judice *Lathyrus*, quem *Cicerculam* verti patior. Veteres non deſcribunt: Marantha tamen 2. *Meth.* 14. & Cæſalpin. 6. *Hiſt.* 8. compilat. Quæ ipſa tamen vix ſufficiant cognoſcendæ plantæ.

II. Cordus, ſi fides eſt Cluſio, *Clymenum Dioſcoridis*, *Matthioli* ponit, quod *Lathyrum ſylveſtrem* vocant Dodonæus & Lobelius Cicere & Lath. Cæſalpini. Braſſavolus, ut ſcribit Matthiolus, pro Eruo habet *Ochrum* ſeu *Eruiliam* Theophraſti, Galeni, & Pauli, qui & *Aracus niger* Matthioli, *Ochrus ſeu Eruum ſylv.* Dodonei & Lobelii, Tragus & Off. quædam Belgii, ut Lobel habet, *Viciam* pro *Eruo* habet. Dodon. ambigit, modo *Ochrum ſylveſtre* jam dictum proponens, modo plantam quandam, quam cum Lobel. *Eruum ſylv.* putat, & pro *Catanance* Dioſcorid. pingit. Præter hæc crua putatitia, Thalius porrigit nobis *Orobum* ſuum *ſylv.* vernum in ſylvis obvium. Mihi placet eorum ſententia, qui *Orobum* & *Orobum Creticum* (differentia in ſiliquis tantum eſt) volunt. Bauhinus appellat *Orobum ſativum majus* & minore ſiliqua. In Pinace eſt numero 1. & 2.

III. Videat Medicus, quid & quale ſemen ſibi oſtendatur in Officina ſua. Alicubi ſimplex & unum, ſub uno Orobi nomine, oſtenditur: alicubi duplex, cum additione *Albi* aut *Ruffi*, *flavive*. Utrumque teſte Geſnero, caret ſumma amaritie, quam tribuunt illi veteres, Dubitatur, utrum ſit præſtantius? Dioſcorides ſolius τȣ̃ λευκοῦ meminit, quod Ruellius mutat in λευκοτάτȣ. Gal. 1. *Alim.* 29.

29. præter λευκὸν habet πρὸς τὸ ξανθὸν ἢ ὠχρὸν ἀφισαμένου, 2. *Antid.* 9. in confect. trochiſc. ſcill. deſiderat farinam candidam tantum. Nam quæ talis non eſt, inquit, vehementer amara eſt. *Il. c.* 15. ex Damocratis ſenſu, vult ὀροβὸν λευκὸν καὶ καθαρὸν. At 5. κ. γέν. 14. in διʼ ὀρόβων Xenocratis, poſtulantur κιῤῥοι. Avicenna triplicis meminit.

IV. Reſpondeo, Quo albiores, ſunt, eo gratiores, & contra. Sed & illi ſunt ignaviores. Expreſſè enim Galenus *in de Alim.* Albos eſſe minus medicamentoſos. Ita *de Antid.* Qui albi non ſunt, vehementer amari ſunt.

V. Quod ad uſum alimentarium, cum Galenus *& in de Alim. & de Vict. atten.* ſcribat, Orobum eſſe boum alimentum, non metuam Germanis meis, ne ſe nimis illo impleant. Habent enim plerique ſtomachum avi mei materni, ejusdemque alumni mei Hanſii Leuferi, *Nolle ſe talia, quæ beſtiis debentur*, ne vim faciant, ſi præreptum ſibi alimentum odore percipiant. Quò minus etiam diffundo me in auctoritates Hipp. quas illi producunt. Quæ in uſu Medico præcepta dantur, ſimilia ſunt iis, quæ de braſſica Cato. Pro ruſticis ſcil. Et convenit Orobus cum braſſica in heterogeneitate partium, in aliis. Hoc moneo, qui Calculoſi, diutius utuntur decocto, exſpectent cruentas urinas, quin imo hæmorrhagias. Qui negant, cum periculo ſuo ſapere diſcant. Interim in mediocri uſu quid poſſit. vide 3. *Meth.* 2. 6. *Meth.* 2. 8. *Meth.* 4. 2. κ. γέν. 1. 4. κ. γέν. 10. in defectu, Cicer nigrum aut Lupinus ſumitur.

CAPUT LXXXVIII.

DE EUPATORIO, SEU HE- *patorio, & Agrimonia.*

I. PRIORA duo vocabula ſunt ejusdem plantæ apud Dioſcoridem *l.* 4 *c.* 37. Sed non ejusdem originationis: ἧπαρ denſo ſpiritu apud Athen. facit de ſe ἡπατώριον, ſubaudi φάρμακον; aut ἡ παθώρια βοτάνη, quod hepati medeatur. Eadem, εὐπατώριον dicitur à Mithridatis cognomine, quod erat *Eupator.* Hæc vulgo creditur *Agrimonia noſtra*, *Odermeng*, & deducitur ἀπὸ τοῦ ἀργὸς, cum *Albus* eſt. Hinc fit ἄργεμα, ατος, ἡ argema, æ, ἡ ἀργεμώνη, affectus oculi, cum alba corneæ cicatrix viſionem impedit, cui quia medetur herba *Argemonia*, ut Plin. *l.* 25. *c.* 8. loquitur, facta eſt inde *Agrimonia* noſtra. Hæ duæ Herbæ olim etiam confundebantur, ut Dioſcorides teſtatur, præterquam, *l. c.* etiam *l.* 2. *c.* 168. Imo vero confuſio longe latius patet, quamobrem particulatim agere oportet.

II. 1. Tres ſunt in Officinis plantæ, *Prima* dicitur *Eupatorium verum Græcorum* & eſt *Agrimonia noſtra. Altera Eupatorium vulgare*, quod creditur eſſe *Eupatorium Avicen.* foliis cannabinis, & eſt inter Eupatoria I. in ordine apud Bauhinum, cujus tamen varietatis duæ aliæ ſunt. *Tertia Eupatorium Meſue*, quod putatur eſſe *Ageratum* Dioſcor. *Herba Giulia* Italorum, quod Julio Menſe floreat.

III. De his tribus hoc dubium eſt, an deſcribantur à tribus authoribus, Dioſcoride, Avicenna & Meſue? Videatur Cæſalpinus 12. *Hiſt.* 16. Negat is autem, quin Eupatorium Avicennæ medio loco jam dictum, implere totum hoc ait. Sed quid ſit de verſione Avicennæ vulgata? Si quidquam judico, ſi Cæſalpinus acciperet, non I. illam, ſeu marem, ſed II. quæ femina, fuerit in vado Reliquis duobus idem conſulo.

IV. 2. Quæritur, ſi omnino diverſum ſit Eupatorium Meſue à duobus cæteris, annon Dioſcoridis & Avicennæ ſint eadem? Videatur Anguillara 14. *ſent.* 38. & qui illuſtrat, Coſt. *in Meſue* 1. *Purg.* 15. Conſentio illis, Eupatorium Dioſcoridis & Avicennæ eſſe Ageratum Dioſcoridis.

3. An, poſtquam de his convenit, *Agrimonia noſtra* ſit *Eupatorium Dioſcoridis*? Licet pleriſque locis, etiam tota æſtate & inodora ſit & inſipida, præterquam quod manifeſtè adſtringit; aliquibus tamen locis, & verno tempore odorata eſt (ideo Bauhinus duas ſpecies facit) & ſapore modo ſubamaro. Ut vel inde judicare liceat de illo Cæſalpini. Etiam illis locis, ubi ἄποιος eſſe videtur, latere ſub ſubſtantia illa aquea, terreſtri, craſſa & adſtringente facultatem aliquam tenuem & incidentem, quæ viſcerum obſtructionibus opituletur. Licet etiam non habeat vehementem odorem, quo poſſit ab uſu mandragoræ ſomnolentos factos excitare: poteſt tamen id facere, ſi uſtæ Agrimoniæ nidor, perinde ac capillorum & pennarum, naribus excipiatur.

4. An *Cannabinæ* illæ *aquaticæ* poſſint tutari locum *Eupatorii Avicennæ*? Utut plantæ ipſæ non ſint: habent facultates ab Avicenna illis tributas. Et tamen ἐκ περιουσίας dico eſſe *Cannabinam hanc Eupatorium Avicennæ*, ſi quod dixi pro mare accipiatur femina. Hæc enim (modo lectio ſit vera. Scio enim qui *Origani umbellam* volunt) florem habet luteum, nymphææ luteæ inſtar & folia, Cannabis modo inciſa, verum in quinque (ut plurimum: alibi etiam in tres) partes tantum.

5. An *herba Giulia* ſit *Eupatorium Meſue*? Scio quid objiciat Marinus apud Matthiolum, qui etiam rectè ſatisfacit illi. Propterea dico, nihil obſtat, quominus ſit, niſi fors facultas purgatoria non ſatis comperta eſt. Quæ cum ſit compertiſſima *in Gratiola*, de qua ſupra; & vero notæ etiam a Meſue relictæ non refragentur; credendum fuerit Cordo, Gratiolam eſſe Eupatorium Meſue. Verumtamen licet non omnes ſciant, herbam Juliam purgare, quemadmodum etiam Centaurium minus: tamen non propterea non erit Eupat. Meſue, ut neque Centaurium non eſt Centaurium.

Quid verò; Cum Eupatorium Meſue fere adhiberetur ad compoſitiones alterantes: tutius fuerit uti non purgante quam purgante. Sed ſi quæratur ad purgantes, non oberit vim illorum intendi addito alio purgante.

6. An herba Giulia ſit Ageratum Dioſcoridis, ſi non meminerit odoris? Non ob id tamen non eſt legitimum. Nam multis locis multa ſubticuit. Quod de ſimili-

militudine cum Origano dicit, idem intelligendus eſt, aut de foliis *Onitis*, ut Matthiol. aut de toto habitu plantæ, quo ſatis convenire quibusdam locis Pena obſervavit. Sed ſatis. Præternavigatis his ſcopulis, conſequens eſt videamus ſeorſim facultates ſingularum dictarum plantarum, ne fallamur.

III. Sit igitur primo loco

EUPATORIUM GRAECORUM.

QUæ *Agrimonia* eſt ultima apud Bauhinum. Heic primo omnium videndum, ne decipiamur à pharmacopœis, alias ſubſtituentibus; modo illius auctoritate, v. g. *Marrubium*, quod apud Apuleum habet hoc nomen: *Pentaphyllum*, quod apud Galenum ſ. κ. τόπ. 9. *Nepeta montana* Tragi, quam vocant *Salviam agreſtem*, & ſæpè pro Eupat. habent: *Conyza*, quæ ab aliquibus etiam huc trahitur: *Aſarum*: *Abſinthium*: *Abrotonum*, aliæ forte. Licet omnes hæ natæ ſint de obſtruere: præſtat tamen manere intra limites. Deinde etiam hoc videndum, ut Eupatorium ſeu Agrimonia ſit collecta ſuo tempore. Cum enim verno tempore tantum, uti Tragus obſervat, ſit odorata, colligenda etiam fuerit eo tempore. Sed videant boni, an perpetuum ſit. Ego enim in noſtris pratis odoratiſſimam inveni æſtate media, eaque calidiſſima & ſicciſſima. Hujus varietatis tacitè commonefacit nos diligentiſſ. Cæſalpin. cum ait, totam plantam, neque ſaporem ullum, neque odorem oſtendere, præterquam ſiccitatem in ore. Hoc aliquibus locis verum eſt, aliquibus falſum. Si enim apud nos odorata eſt, ſapida etiam erit. Tale Eupatorium erit hepati, quod Cortex capparis lieni 13. *Meth.* 17. Quod exponens 6. *Simpl.* docet, quæ ſint illa, quæ laudatiſſimo de obſtructorio adeſſe par ſit, &c. quæ videris ipſe. Hæc aliis verbis Aver. Eſſe compoſitum ex ſubſtantia ſtyptica & amara, &c. His ipſis facultatibus valde prodeſt renibus calculoſis aqua, ut de ſe ſcribit Benbus *in epiſt.* & laudat Camerar. *in Horto.* Iisdem contra exulcerationes oris, renum, aliarumque partium Iisdem conſors eſt potionum vulnerariarum.

EUPATORIUM AVICENNÆ.

IV. IDem eſt cum Agrimonia, ut reor. Facit ille calidum in 1. ſiccum in 2. laudatque in obſtructionibus viſcerum, ἀγχόνης, hydropibus, icteris, febribus antiquis, &c. in quibus omnibus roborat viſcera.

Eſt & hoc inter vulnerarias plantas, documento accepto à cervis, à quibus *Hirſch Klee* dictum fuit & celebratur à Medicis veterinariis. Obſervavit Geſnerus, radices purgare inſtar hellebori. Vide Penam *Adv. f.* 227.

EUPATORIUM MESUE.

V. AUt idem eſt cum utroque hoc, aut facultatibus non longe abeſt, imò verò ſuperat, ſi Meſue fides. Vide ipſum, qua de partibus heterogeneis.

AGERATUM.

VI. QUibusdam locis odore eſt Chamæmeli Romani ſeu nobilis, quibusdam menthæ corymbiferæ, quam Conſolidis accenſuimus; quibusdam Tanaceti, quibusdam Abſinthii Pontici, unde licet æſtimare virtutes ipſius non vulgares. De vi purgatoria vide Meſue.

VII. In univerſum hoc caveatur, ne Eupatoria purgantia miſceantur compoſitionibus alterantibus.

VIII. *Syrupus de Eupatorio Meſue*, valde frequentatur in obſtructionibus viſcerum frig. Ego parum illi tribuo partim, quia deſcriptiones tam diverſæ ſunt, partim propter Eupatorium, quod aliis locis, aliud eſt, unde non poſſunt non eſſe diverſi effectus. Præfero autem cum Venetis Eupatorium Græcorum.

IX. *Syrupus de Agrimonia*, qui ex ſucco fit, in magna laude eſt. *Trochiſcos de Eupatorio Meſue* diſtinguere oportet ab illis, qui Avicennæ dicuntur. Ejusdem dignationis ſunt *Troch. de roſ. & eupat. Meſue. Pil. de Eupat. majores* & purgant & alterant. Poſſunt dari ʒ ij.

CAPUT LXXXIX.

DE EUPHRASIA.

I. FACTAM eſſe vocem ἀπὸ τῆς εὐφροσύνης, neſcio an auſim dicere. Veteribus ignotam fuiſſe concedo: ſed longe vetuſtiorem 200. annis pertendo. Clarigavit illam Matthæus Sylvaticus, qui vixit circa annum Chriſti 1320.

II. Species habet Bauhini. VII. quas ſino. In uſu apud nos eſt I. ſed nomine *Augentroſt*: alibi aliæ, v. g. Veronica ſerpillifera Dodon. Echium ſcorp. vel paluſtre vel arvenſe. Bauhin. Gramen Leucanthem. Dodon. quod eſt Holoſt. Ruellii, Lobelio. Quæ incertitudo facit uſum deſpicabilem. Facit & Tragus Empiricus, late nimis extendens. Quo melior non eſt Matthiolus, *Dioſcoridem.*

III. Re enim vera Arnaldus Villanovanus, qui author eſt vini Euphraſiati tantoperere celebrati, cum indiſtinctè laudaſſet, reſtringit, præſertim, ubi pituita & pinguedo redundat. Quod ad Metthodum referens Cæſalpinus inquit, Dummodo in natura pingui & pituitoſa ea fiant. Et Dodon. pituita, crudisque humoribus. Quaſi nec in pinguibus tutus ſit uſus ipſius, ob calorem fundentem, non abſumentem.

IV. Quare mirari non debet Pena, *Adv. f.* 210. ſi ſocio & commilitoni ſuo male ceſſit vinum illud. Non enim curat quamvis caliginem, ait Camerarius; ſed

ſed illam, quæ eſt à frigidate; neque hanc omnem, ſed poſitive à pituita. Ubi enim ab inopia ſpirituum eſt, officit potius diſſipando. Calidam enim & ſiccam eſſe plantam oſtendit guſtus, quiamarorem quendam præ ſe fert. Hoc mali augent, qui vel illam legunt, quæ ſiccior, parva, unicaulis & ex ſucco, vel vino infundunt generoſo. Ideo etiam ſuſpectus eſt mihi uſus *conſervæ* quotidianus.

CAPUT XC.

DE FABA.

I. QUAM *Habam* dicebant Veteres, eam *Fabam* nos, relictis prorſus diminutivis, *Fabulus*, *a*, *um*, tam prodigi erant nominum! Intelligimus autem, cum ſimpliciter loquimur, *Fabam Græcam*, non Ægyptiam.

II. Rurſus cum faba Græca eſſet circinatæ rotunditatis, ut piſa noſtra; Faba vero noſtra oblonga, & in lateribus compreſſa, extitere lites maleferiatæ, an vulgaris Faba noſtra ſit illa Græca? Litem, à Trago primum & Cordo motam, renovavit Jul. Alexandrin. *Not. in Gal.* 1. *Alim.* 19. & rurſus 2. *Alim.* 1. Qua occaſione uſus Dodon. *Pemt.* 4. *l.* 5. annexuit Epiſtolam contra dictum Alexandrinum. Qui irritatus ſcripſit pro ſe Apologeticam, Francofurti impreſſam 1584. cui iterum reſpondit ille alia Epiſtola Lugduni Batavorum anno ſequente. Utriusque partis rationes cum ſolicite expenderim olim juvenis: nunc diſplicet conſilium.

III. Præcipuum abſurdum quod ſequitur Tragum & complices, eſt, Ergo Faba ſeu Bœna noſtra fuit veteribus incognita? Huic cum ſerio ſe opponerent, Dodonæus ipſe, Pena, *Adv. f.* 393. Cæſalpinus 6. *Hiſt.* 2. alii, legi veſtigia ipſorum diligenter, & eo usque progreſſus ſum, ut publice diſputarim anno 1613. ſed παρέργως. Verumenim vero cum nunc pœniteat operæ, omnia ſepono, præterquam unum augumentum, quod tum ab *Hilo* ſumebam, aliter expono.

IV. *Hilum*, dicebam, *eſt in ſola Faba noſtra.* Non eſt, dico jam. Eſt etiam in Piſo noſtro, fortaſſis etiam faba ſylveſtri Matthioli & Dodonæi faba ſylv. Græcorum, quam Piſum nigrum appellat Camerarius noſter III. Bauhini in cenſu Fabarum.

V. Ut enim repetam ex Theophraſto, à quo ſolo didici, tacentibus omnibus noſtratibus; Hilum non eſt punctum illud nigrum, quod in cortice apparet, ſed eſt ſubſtantia quædam ſub cortice αἰδοιώδης, *mentulæ ſpeciem habens*, ut Theophraſtus loquitur, quam non ſemel oſtendi adoleſcentibus meis, ſtupentibus rei novitatem, quæ vetuſtiſſima eſt. Vide Theophraſtum 8. *Hiſt.* 2. & 5. ubi ἀρχὴν vocat, tu puta δραςικὴν ἢ ποιητικὴν, de qua *princip. lib. de Gener. hom.* Cætera argumenta ferè peccant in eo, quod comparationem inſtituunt cum faba noſtra majore, cum deberent cum minore. Fortaſſis illa tum non fuit per ducta ad

id magnitudinis mangonio. Locus Galeni de faba Æg. *in l. de pond.* jacet in mendo, ut doceo in Notis. Legendum enim eſt *ſesquiſcrupulus*, pro *Semiobolus*. Imo. Mercurialis *in Var.* vult, ℈ ij.

VII. Hujus quia facta eſt mentio, repeto ſententiam dictam *Animadv. in Theophr.* 4. *Hiſt.* 10. *Colocaſia veterum non eſt eadem cum Faba Ægyptia*, Quin faba hæc reliquit Ægyptum, non ſecus ac Cyrenaicam Africæ regionem Laſerpitium.

VIII. Sed quemadmodum *Laſerpitium* manſit in natura & manet hodieque ſub nomine *Archangelicæ*, quod Alpinus probat 2. *Exot.* 15. ita *Faba* noſtra *Ægyptia* alicubi eſt, licet dicere non poſſim ubi. Fortaſſis ibi, ubi fuit natum σφηκίον illud (Herodotus etiam *in Euterpe* ita vocat) quod Matthiolus pingit, aut ubi illud, quod Cluſius *in ſuis Exot. l.* 2. *c.* 13.

IX. Et quam ineptum eſt argumentum: Non eſt in Ægypto, ſed Colocaſia eſt ibi, Ergo Colocaſia eſt Faba Ægyptia! Hoc ſi Ovidius audiret, exclamaret, Hæc eſt metamorphoſis ultra omnes meas, cum, qui ſuccedit in loco, dicitur eſſe is, cui ſucceſſit. Non minus indignè ferret, fructum fabæ ſimilem, fieri ſubitò radici tam craſſæ! Quo habito, quæram, ex Bauhino unde ſit illi hoc? Ex his liquet! Quæram etiam, quo teſtimonio probarit, Colocaſiam hodiernam differre à Colocaſia veterum? Neque credo Columna, Matthiolum falſi arguenti. Scio quid illi alias acciderit à malevolis ironibus, præſertim illud in Satyrio Erythronio quod Pena memorat *in Baldo*: ſed non propterea heic idem accidit. Herbarium enim Lugdunenſe *l.* 4. *c.* 43. ſimilem vidit & pinxit. Quid ſi ij, qui Theophraſto retulerunt, (ab hoc autem Dioſcorides & Athen.) idem paſſi ſunt, quod Alpinus, qui cum in Ægypto eſſet, tamen Lotum Ægyptiam pro Nymphæa habuit, ut poſtea fatetur *in Exot.* in quibus pro Loto illa tot peculiares iconas parat. Haberem plura: ſed ſufficiat probaſſe, aſſertores illos nihil probaſſe.

X. Qua occaſione uſus, relicto legumine Ægyptio, planè jam nobis ex oculis erepto, agam de faba vulgari tam in culina, quàm in pharmacopolio.

XI. Videtur autem initium eſſe faciendum à primis qualitatibus, de quibus Dioſcorides, κύαμος ἐςὶ μέσος θερμοῦ καὶ ψυχροῦ. Et Galenus (cum quo Averroës & Rhaſis) 7. *Simpl.* medii temperamenti facit. Interim non deſunt rationes quæ videntur ſuadere, declinare, vel huc, vel illuc. Calori atteſtatur ratio, ab Averroë allata, quod & diſcutiat & abſtergat. Contra, expreſsè ait Galenus 3. *Meth.* 3. ſiccare, abſque omni calore: Frigori ſubſcribit ratio Rhaſis, quod flatulenta ſit. Quin Avicenna diſertè ait declinare ad frigidum. Imo Iſaac ait, frigidam eſſe.

Quod ad paſſivas, loquuntur etiam de temperie ſupra dicti pene omnes. Interim Gal. *in illo Meth. loco* ſiccas ait eſſe in 1. ut ſarcotica alia. Contra Averroës & alii urgent humiditatem, propter flatulentiam modo dictam. Videtur ejus rationem habuiſſe Gal. qui 5. *San. tu.* 8. in victu ſenum habet inter humectantia.

XII.

XII. Conciliationem innuunt Avic. & Iſaac, virides actu & revera ſunt humidæ, forte in 1. gr. ſiccæ poteſtate, quia magnam partem exhalavit humiditas excrementitia. An ex ſuperioribus poteſt objici, humiditatem excrementitiam non pertinere ad temperamentum? Ipſæ fabæ cum ſint in confinio temperiei, nihil prohibet tales vel tales dici. Certa res eſt: flatulentæ ſunt, & tanto flatulentiores, quo viridiores. Hujus conſequens etiam difficiles eſſe concoctionis. Et rurſus, quæ cum cortice eduntur, ut frixæ olim apud Athenæum *l.* 2. An hæ ſunt *conchides* Martialis & Juvenalis, ad differentiam *fabarum freſarum* ita dictæ, quod in cortice, quaſi in concha lateant?

XIII. Ubi notandum eſt vitium, omnibus quidem leguminibus commune, ſed fabis maximè, quod quædam ſint ἀτέραμνοι, ut Græci loquuntur, hoc eſt ad ignem vix domabiles. Si ad ignem, quanto magis in ventriculo? Vide Theophr. 4. *Cauſ.* 13. & Marantam 2. *Meth.* 8. De hac facultate loquens Galenus 1. *Alim.* 19. ait, Eos, qui illis veſcuntur, licet ſaniſſimi ſint, non tamen bellè concoquere, &, poſtquam concoxerunt, ſentire in toto corpore tenſionem quandam (Avic. interpres *Pruritum* vocat) à ſpiritu flatuoſo factam, præcipuè ſi quis non aſſuetus ſit, aut non bene præparatas eſitarit.

XIV. Præparatio conſiſtit in duobus. 1. In longiori coctione, & primæ aquæ effuſione. 2. In additione eorum, quæ flatus diſcutere poſſunt, ut ſunt cæpæ, origanum, hyſſopus, piper, zinziber. 3. Addo in ademtione corticum.

XV. Quo loco incidit hoc Gal. monitum *in de Alim. & 7. Simpl. c. de Hordeo*, non deponere flatulentiam quamvis longa decoctione. Quomodo igitur boves & porci earum eſu pingueſcunt? 8. *Hiſt.* 7. & 21. Qui calor iſtorum animalium eſt longè ſupra humanum.

XVI. Intelligitur hinc, quale ſit exſpectandum homini alimentum ſi omnino concoquat? Multum & humidum & excrementoſum 5. *Simpl.* 23.

Unde rurſus alterum: quo jure fabæ ſint in cenſu eorum, quæ multum alunt? Dant multum, ſed laxum id, & fungoſum, non ſecus ac ficus 2. *Alim.* 8. Quare deſiperent illi, qui in ſagina porcorum idem velint, quod à glandibus quernis accidit. Quare etiam Galen. dat illas gladiatoribus cum ptiſſana, unde illi ſubtumidi pinguntur & inflati, quia inſtar fermenti elevant carnes, quo ſimili Iſaac utitur. Tale alimentum meritò illaudabile, id eſt, craſſum & pituitoſum dixeris, quod uſu diuturniore, non tantùm τριχίασιν faciat, 4. *Aphoriſ.* 76. ſed & colicam & herniam flatuoſam, quod ex Rhaſi deduci poteſt. Quare etiam ructibus, crepitibusque concrepant illi, qui comederunt, ut Bruyerinus loquitur.

XVII. Nec ſublevat fabas, quod *lib. de cibis* 7. dicitur, Non procreare malum ſuccum, nec infarcire meatus. Præceſſit enim hanc laudem *Niſi flatulentæ eſſent.* Tantundem juvat, quod *& ibi, & in de Alim.* ait, abſtergere, & ideo facile deſcendere, non ſecus ac ptiſſanam. Commodum enim hoc levius eſt, quàm ut excuſare poſſit tot alia incommoda.

XVIII. De quibus dum cogito, occurrit præceptum Pythagoreum, cujus Gellius meminit 4. *Noct.* 11. ubi meminit etiam Cicero *lib. de Divinat.* quamvis alias etiam habet interpretationes Eraſmus *in Adagiis*, *Abſtinendum eſſe à fabis.* Mihi acceptabilis eſt illa, quam Cicero proponit his verbis, *Inflationem habere, cibumque eſſe contrarium illis, qui tranquillitatem mentis quærunt.* Hanc in rem afferre poſſem tot authorum, qua Græcorum, qua Arabum, teſtimonia, quot pagina hæc non capit, niſi res eſſet confeſſiſſima.

XIX. Quare venio ad farinam fabaceam Officinarum, quæ veteribus dicebatur *Faba Freſa* vel *freſſa*, quod idem eſt cum *fracta*, item *Lomentum*, vel *lomentum fabæ.* Hæc quia paratur ſine cortice, non oportet etiam exſpectare ab illa ullam adſtrictionem, quæ corticis eſt, non autem ſubſtantiæ.

XX. Qua ex limitatione intelligit unusquisque, quo in errore verſentur illi, qui hac farina, vel in aceto ſolo, vel in aceto & aqua decocta utuntur in alvi fluxibus, ex debilitate retentricis, ut Iſaac determinat.

XXI. Niſi enim totæ decoquantur, nihil fit. An alio modo fieri poteſt idem effectus? Eo, quo omnia flatulenta ſuſpendunt excrementa! Hoc videtur docuiſſe Hipp. 2. *de diæt.* 8. apud Marinellum, κύαμον ἔιται τρέφιμοντι, &c. quorum ſenſus hic eſt. Alunt quidem fabæ, ſed flatulentia ſua ita occupant inteſtina, ut ne aliud quid ſubire poſſit, neque quod jam ſubiit, deſcendere.

XXII. Qui locus cum proculdubio ſit is, quem Avicen. laudat, judicare inde licet, quantum ſit deferendum paraphraſi ipſius.

XXIII. Mihi video incumbere neceſſitatem, proferendi in medium loca, quibus in caſibus farina ſit in uſum vocanda. In primis celebre eſt athletarum cataplaſma. 16. *Meth.* 3. & fortè alibi, ad contuſos nervos (accepto vocabulo latè, pro toto genere nervoſo) ex farina fabacea & oxymelite, ab initio quidem, antequam inflammatio occupet: poſtquam autem occupavit, cum polenta, quod addit 7. *Simpl.* Hæ enim partes non multum volunt refrigerari. Idem Galenus ex Dioſcoride, uti patet, proponit in inflammationibus teſtium & mammarum: quia addit, hæ partes modicè volunt refrigerari, frigidæ quippe, 2. *ad Glaucon.* quaſi in gangræna jubentur parti affectæ ſcarificatæ apponi ea, quæ ad putreſcentia ſolent, qualis eſt farina orobi, & lolii cum oxymelite, & in horum defectu, fabarum cum oxymelite. Nam & heic opus eſt tantillo refrigerio. Idem judicium eſt de linimento, in aqua decocta & ſubacta cum axungia ſuilla, in podagra, 7. *Simpl.*

XXIV. An propterea 10. κ. τοπ. 3. in Marcellis pod lomentum fabæ nigræ expetitur?

XXV. Calidior enim eſt. In his operibus ſuas partes habet etiam tantilla diſcuſſio, quam fabæ poſſident. Ob hanc Dioſcor. ad ſugillata commendat, ad oculorum contuſiones, ad parotidas, ad δοθιῆνας. Vide ϛ. κ. τόπ. 1.

XXVI. Præter hanc habet etiam abſterſoriam, quam Gal. 1. *Alim.* 19. 1 κ. τόπ. ς. deducit ex omnium hominum conſenſu. Utuntur, inquit, farina fabacea mangones, mulieres in balneis, ad abſtergendas cutis ſordes, ut alii nitro, aphronitro, &c.

XXVII. Quale autem ſit abſterſorium, patet ex eo, quod *de Vict. atten* comparat cum hordeo, & *in de Alim.* cum ptiſana. Quæ cùm moderatiſſimè abſtergant, dicere poteſt 8. *Meth.* 4. eſſe farinam noſtram in cenſu moderatiſſimè abſtergentium, hoc eſt, ſine morſu, 7. κ. τόπ. 1. Nimirum, cùm abſtergentium alia diluant tantùm foriniecus adhærentes ſordes, quæ ῥυπτικὰ dicuntur; alia etiam vaſa ingrediantur, & ab infarctibus liberent, quæ ἐκφρακτικὰ: fabæ ſunt in primo ordine, ς. *Simpl.* 12. Hinc Dioſcor. dicere poteſt, κύαμον eſſe βηχὶ σύμφορον, hoc eſt ut Galenus explicat, idoneam eſſe excreationibus ex pectore & pulmone. Ita 7. κ. τόπ. 1. faba freſa & elixa eſt inter Arteriaca, quæ hodie ἐκλεικτά. In eam rem *ib. cap.* 2. in Art. VIII. *& in fine cap.* in Panacea quadam, non elixatur, ſed torretur: ſed additur tenuiſſimè tritam eſſe debere. An transgreditur hos fines Dioſcorides cum ad vitiligines laudat? An Galenus ipſe, cum ad lentes, & alia mala cutis? An Avicenna cum ad morphæam in facie panum, lentigines?

CAPUT XCI.

DE FICUBUS.

I. ΣΥΚΕΑ καὶ συκῆ *ficus* eſt arbor: σῦκον fructus. Utraque vox pertinet ad genus hortenſe: ſylveſtre, arbor quidem eſt ἐρινεὸς ἢ ἐρίνεος, ἢ τράγος, *caprificus*: fructus autem pariter ἐρινος, Rurſus, in genere hortenſ. σῦκον quidem eſt *fructus maturus*, & qui eo genere majòr, βούσυκον, Latinis *Mariſca*, quamvis ferè inſipidis id tribuatur: immaturus autem ὄλυνθος, *groſſus* ſeu *groſſulus*, qui ab ὄλ differt, quod maturetur, ἐρ. nunquam. Præter hæc eſt ἰσχὰς, ἄδος, *Carica* (à Caria, ideo non καρύκη.) *ficuspaſſa.* Vide *Not. in Lexic. Galen.* Præter hæc σῦκον & *Mariſca* dicitur genus quoddam tumoris præter naturam, qui ferè in locis piloſis, barba verbi gratia oritur, & dicitur affectus σύκωσις, ſemper quidem lacrymans, intùs autem granuloſum quid eſt. Hanc varietatem ſcire Medicum liberale eſt: at ſi errantem vel in genere, vel in numero, vel in declinatione reprehendere quis velit, Pædagogus ſit. Veteres enim heic ſunt prodigi, & qui non animadvertit liberalitatem, nec patitur cum illis eſſe alios, ineptè doctus eſt. Eam in rem ſunt loci innumeri apud Theophraſt. & Galen. ut hos ſolos nominem. Vide Lexicon vulgare in ὄλυνθος.

II. Species ficuum qui velit, Plinium adeat, Athenæum, Hermolaum, Cordum, Bauhinum, alios.

III. In facultatibus mirificæ ſunt ambages. 1. oportet diſtinguere *Ficum* à

Caprifico. 2. arborem utramque à *fructu* ſuo 3. *fructum maturum* ab immaturo, quamvis in Caprifico nunquam matureſcat. 4. *maturum viridem* à ſicco ſeu paſſo, qualis eſt omnis noſter.

IV. In univerſum, utraque arbor, utriusque fructus in activis cal. eſt, ſed in maxima latitudine: in paſſivis ſiccitas prodominatur, præterquam in Mariſcis. Utriusque arboris, præcipuè Caprifici, violentia in calore agnoſcitur ex ſucco, ex cinere, ex lixivio.

V. Succus, ſive is ex inciſa arbore profluxerit, quem ὀπὸν, *Lac*, ſive *Lacteum* appellant: ſive ex foliis expreſſus ſit, quem χυλὸν præcipuè Caprifici, calidus & ſiccus eſt in 4. gr. & quidem in ſubſtantia craſſa, ut ſit inter cauſtica. Debito tamen modo præparatus poteſt habere locum ſuum. Recipitur enim non tantum εἰς ἑλκωτικὰς δυνάμεις, ut Dioſcorides loquitur: ſed & ſicubi foris opus eſt forti abſterſione, ut in ulceribus malignis, lichenibus, lepris, & aliis cutis ſordibus. Accipitur etiam in emplaſtra emollientia, quæ opus habent magna penetratione, ut in peſſos muliebres, &c. Quinetiam in Antidotos quasdam ingreditur, 1. *Antid*. 2. & *alibi*.

VI. *Lixivium* (Plin. *lib*. 3. *cap*. 7. ſuo quodam dicendi modo *Cinerem* vocat) præcipuè πολύξεροχον καὶ παλαιὸν, *quod ſæpius transmiſſum ſit, etiam aliquot dierum, ut partes tenues exhalarint*, non eſſe inferius ſucco, ex Dioſcoride doceri poteſt, qui ad καυστικὰ refert.

VII. Idem judicium eſt de groſſis ſive fici, ſive craprifici. Nam hujus præcipuè habent non minus cauſtici quid, quàm arbores ipſæ. Quantum id ſit, intelligere eſt ex illo, quod Galenus 2. *Antid*. 7. ſcribit, *groſſos Caprifici*, in aceto dilutos, tantum poſſe, ut taurinum ſanguinem diſſolvant. Is ſanguis ubi concreverit, quàm tenax ſit, notum eſt veteribus ex effectu veneni.

VIII. Hæc qui conſiderabit, mirabitur, quomodo ſuccus tam viroſus in ficu matura poſſit excoqui in eam dulcedinem, in qua eſt! Imo documentum ſibi inde parabit, quantæ ſit operæ pretium diſtinxiſſe ficum perfectè maturam ab imperfectè! De immatura habemus experierientiam Bruyer. 11. *Cib*. 37. in cibo uſurpatam multorum ſanorum valetudinem afflixiſſe. Tales autem ferè ſunt ficus, quæ in locis algidioribus proveniunt. Quare hæ medicamentis ſunt aptiores, præmiſſis tamen διορισμοῖς ſuis.

IX. De maturis hoc videtur obſervatum eſſe, ut quandoquidem αἱ κεγχραμίδες (ſunt hæ fici ſemen, 2. *Alim*. 1. à ſimilitudine cum milio ita dictæ) proportione reſpondentes gigartis uvarum, & non magis quam illa permeant, nulla re immutata, 2. *Alim*. 9. eximantur, antequam quis comedat.

X. Idem dicendum de congerie illa membranacea, quæ ut in pyris & pomis eſt ex adverſo pediculi, & ὀμφαλὸς dicitur, ὁ πυθμήν. Hoc in pharmaceuticis omnino fieri debere, diſcimus ex 8. κ. τόπ. *ult*. cum in malagmate Damocratis ad

ad lienem jubentur accipi ficus pingues & recentes, *τὸ σπέρμ' ἀπύρας*, inquit, *τὸ πολὺ, καὶ τὸν ὀμφαλὸν.*

XI. XII. Fortaſſis idem dici poteſt de cute externa, quæ duriſſima eſt. Cæterùm, inter maturas Hippocrates 2. *de diæt. num.* 15. *apud Marinellum* facit differentiam, Primæ, inquit, ſunt peſſimæ *ὀπωδέςατοι* quippe: optimæ autem poſtremæ. Hujus rei ratio in conſpicuo eſt, & deducit illam Iſaac. 2. *de diæt. part. cap.* 35. ubi vide, & contemplare ſimul contextum vitioſum.

XIII. Has recentes oportet iterum componere cum *Caricis*, & conjecturam facere, quantum à ſe invicem in gradu diſtent. Id verò ſit in arbitrio hominis non planè plebeii.

XIV. Hoc tamen addendum eſt. Quò ſunt dulciores ficus, eò magis diſcedere à groſſitie (ut barbari loquuntur) immaturarum, & minùs abſtergere, quin jam tenuium eſſe partium.

XV. Jam hinc pendet ſolutio quæſtionis, Quæ ficus ſint eſui optimæ, & quod alimentum præbeant? Omnino maturrimæ & optimæ pertinent ad menſam.

XVI. Sed ex viridibus & paſſis utræ præſtant? Galenus 2. *Alim.* 8. definit; Quia laus ipſarum conſiſtit in facili deſcenſu, virides autem ſunt ſucculentæ; videtur deberi illis. Sed obſtat Dioſcorides, qui virides *κακοςομάχοις* vocat, ſiccas *εὐκοιλίοις*. Contextus ſatis oſtendit, virides ideo dici, quod ſint *κοιλίας λυτικαί*: ſiccas contra, quod ſint ſolatio iis, qui habent duriorem alvum. Virides etiam hanc laudem habent, quod ſitim ſedent, & calorem extinguant: ſiccæ contrà, præcipuè in bilioſis, & cum naturæ ipſorum convenientibus febribus affliguntur. Bileſcunt enim, ut ſaccharum, mel, alia talia. Quare *καυςώδια* vocavit Hippocrates.

XVII. Suntne etiam diureticæ? Virides ſunt, quatenus aqua in illis prædominatur. Hippocrates enim expreſſè ait, *σῦκον χλωρὸν ὑγραίνει καὶ διαχωρέει*, &c. Huc ſpectant, quæ tam prolixè diſputantur apud Athen *lib.* 3. de facili ficuum in ventriculo diſſolutione. Ipſe enim contextus adſtipulatur Caſaubono contra Dalecampium, locum eſſe de ventriculo. Neque quidquam juvat Dalecampium, quod dicitur habere *δυνάμεις ὑπονιτρώδεις*. Oppono enim illi *τὸ κολλῶδες*, quod ad aquam prædominantem in maturrimis, de quibus loquimur, nos abducit. Propterea etiam veteres ſuperbibebant, vel aquam, modò frigidam, modò calidam, vel vinum, ut quaſi ablutæ citius deſcenderent. Promovet actionem hanc vis abſterſoria & inciſoria, quam Galenus tribuit illis, ut quamvis flatulentæ ſint, facilè ſecedant, & facilè ſedetur tumultus ſi quem cierint.

XVIII. Cavebit igitur maturrimas & ultimas, quicunque humidioris eſt alvi. In primis cavebit in prandio, ut Athen. heic monet, quòd febres generent putridas, ſi ob moram putreſcant. Mizald. 3. *Hort.* 16. præcipuam culpam dat vi-

ridibus. Cavebit etiam, qui viſcerum obſtructionibus eſt obnoxius ex cauſa calida. Ita enim intelligo inflammationem Galeni. At ubi obſtructiones jam ſunt, ex quacunque cauſa, ſunt reliquis cibis vehiculi loco. Quo periculo ut de fungantur quidam, dant longè ante alios cibos, cum thymo, ſale. zingibere, &c. Ut enim viæ hæ ſemper ſint apertæ in iis, qui natura anguſtas habent, cautio eſt. Ideo craſſi cibi omnes damnantur.

XIX. Quomodo igitur ficus ſunt utiles decoloratis & hydropicis? Res difficilis eſt. Niſi enim contraria omnia fiant, puta, ut ſtudeamus, non celeri dejectioni, ſed coctioni, 2. *Alim.* 9. nihil fiet.

XX. Tum verò quale alimentum dant? Reſpondet Galenus *de Cibis*, 8. anxiè, Et bonum & malum. *Bonum*, ſi ſubitò diſſipetur per habitum, nec mora putreſcat. *Malum*, ſi diutius moretur. Compertum enim eſt uſu longiore, non papulas tantùm excitare, ſed & pediculos. Sed quale *bonum?* Exiguum, *lib. adverſ. Eraſiſtrateos*, 8. Mox, non ſimpliciter ſed quale ex fructibus eſſe poteſt, breviter, laxum & fungoſum quale etiam fabæ. Hoc probat Galenus *loco citato de Alim.* exemplo τῶν συκοφαντῶν propriè dictorum, quod vide ipſus, uno verbo, *Diſſlabile.*

XXI. Talem conſtitutionem cum præcipuè ſibi optent literati, Plato in frequenti uſu adeo habuit, ut inde φιλόσυκος diceretur, ut Plutarchus & Athenæus habent. Imitatus eſt hunc Galenus qui ſcribit de ſe, Cùm abdicaſſet omnes fructus horæos, eſitaſſe tamen ficus & uvas, præcipuè illas cum amygdalis.

XXII. His hoc modo expoſitis, facile, credo, intellectu eſt, quid valeant ficus in parte therapeutica. Immaturæ & ὀπώδεις dictæ Hippocrati, valde ſunt acres, valde abſtergunt & digerunt. Maturæ, quia jam acquiſiverunt partium tenuitatem, vix aliquid abſterſorii tenent, ſed multùm diſcuſſorii & concoctorii. Sed & hæc duo non ſunt æquè in viridibus & ſiccis.

XXIII. Ut enim ſe explicat Galenus 3. κ. τόπ. 2. utræque quidem poſſunt utrumque, ſed præcipuè ſiccæ. Recentes enim diſcutiunt, non concoquunt. Hodie uſus ferè ſiccarum in duobus tantùm caſibus eſt, in decoctis pro puerorum variolis & morbillis: in gargariſmis pro inflammationibus faucium & tonſillarum. Illud ab Arabibus eſt, quamvis fundamentum habeat in iis, quæ dicta ſunt: hoc ex Dioſcoride.

XXIV. Galenus 6. κ. τόπ. 3. 7. κ. τόπ. 1. dicet decoctum ficuum, Siræum à quibusdam vocari, & habere facultatem abſtergendi ſine morſu. Ex Dioſcoride etiam eſt quod Matthiolus ſcribit, & uſu tritum eſt, duas, treſve caricas macerare per noctem in aqua vitæ, & manè dare edendas aſthmaticis. Verùm exiguum eſt valde, quod cum ſaliva in maſticatione deſcendit ad pulmonem: efficaciſſimum eſt decoctum cum hyſſopo, qui *magnus abſterſor* dicitur à Meſue. Hoc remedii frequentant apud nos muti, licèt opinio veterum fuerit, obeſſe voci,

ci. Nec eſt, quod ſpem quis figat in hyſſopo. Ut enim dicetur ſuo loco, dubium eſt, an noſter ſit legitimus?

CAPUT XCII.

DE FILIPENDULA.

I. APud Myrepſum, Pandect. Manlium, Trotulam, & alios hujus gregis, planta eſt ſub hoc nomine, cujus radices multæ, à tenuiſſimis filis pendentes, fecerunt hanc appellationem.

II. De hac quæritur, fueritne olim cognita? Ita. Eſt *Oenanthe Dioſc lib.* 3. *cap.* 18. & Plinii *lib.* 21. *cap.* 24. præcipuè propter odorem & ſaporem vinoſum, quem Cordus prædicat 1. *Hiſt.* 25. Objicitur. Non habet radicem μεγάλην. Dico, opus habet interpretatione. Non enim in prædicamento Quantitatis continuæ heic eſt magnitudo: ſed diſcretæ, quam indicant verba ſequentia κεφαλὰς ἔχουσα πλείονας. Ut magnum heic ſit *Amplum* & *Diffuſum*, ut Pena explicat, quem vide. Sed neque καυλὸν παχὺν habet. Habet, ut iterum ſe explicat Dioſcorides, quia σπιθαμιαῖον. Oportet autem hoc intelligere de locis ſiccis. Nam in hortis ad ſeſquicubitum excreſcere videmus.

III. Hujus ſpecies decem habet Bauhinus *in Pinace*, è quibus primæ tantùm, quæ eſt folio apii, radix uſurpatur.

IV. Tota planta, inquit Cordus, conſtat diverſis qualitatibus: Partim enim adſtringit, partim tenuem quendam, & veluti vinoſum ſaporem palato imprimit, non ſine etiam odore, qui inter maſticandum caput petit. Flores inter optimam meliſſam, vinum & pœoniam medium habent odorem, non injucundum, prorſus ut Medeluſium, cui tota eſt æqualis temperamento. Hæc ille.

V. Quæ ſi vera ſunt, ut ſunt, rectè etiam Dodoneus dixerit, plantam totam, præcipuè radicem, manifeſtè calidam & ſiccam eſſe, aperientem, abſtergentem, cum aliqua adſtrictione, &c.

VI. At non rectè fecerit Dodoneus appendicem addens de *Medeſuſio* ſeu *Regina prati*, frigidam & ſiccam eſſe, qua de re alibi. Revera in Filipendula obtinent partes calidæ, attenuatoriæ, diſcuſſoriæ, abſterſoriæ, non ſine tamen adſtrictione. Hinc apud vulgus tantæ ipſius laudes in affectibus renum & veſicæ, urinam morantibus. Quod quia Oenanthæ etiam tribuunt veteres, tantò certiores eſſe poſſumus de Filipendula. Eadem ſi ictero prodeſt, & ſecundinas pellit, duplo certiores erimus. Hinc progredi nobis licebit ad obſtructiones viſcerum pituitoſas. Ad Epilepſiam etiam commendant in cibo ſumptam, Pandect & Januenſis. Pariter, ad dolores ventriculi flatuoſos laudant iidem cum ſemine fœniculi.

CA-

CAPUT XCIII.

DE FILICE.

I. Filix eſt Græcis πτέρις, ſubintellige, τῦ στρουθιοκαμήλου, ut Interpres Theocriti habet. Dicitur etiam ὁ βλήχρος, ἡ βλήχρα, καὶ τὸ βλήχρον, & puto reddendam eſſe hanc vocem Nicandro *in Theriac.* hoc verſu.

ἔνδε πολυσχιδέος βλήθροι περιβάλλεν χάρτην.

Ita apud Dioſcoridem *lib.* 4. *cap.* 187. pro βλήχον habere eundem Interpretem βλήχρον, video Saracenum monere. Corrumpitur eadem vox in βλήγων, cum γλήχων eſſe deberet, *pulegium.*

II. Dividitur à Dioſcoride in *Marem*, quæ non ramoſa eſt: & *Fœminam*, θηλυπτερίδα, quæ ramoſa. Recentiores addunt paluſtrem, quæ *Oſmunda* eſt, de qua vide Geſnerum *lib. de lun.* Pertinet huc Polypodium, de quo ſupra: Pertinent etiam Capillares omnes, de quibus cum Bauhino ſeorſim egimus in ſuperioribus.

III. Ego videor monere poſſe eundem Bauhinum de duobus. 1. δρυόπτεριν deſcribat paulò diligentiùs, non ſolis pinnulis, dicatque ſerena fronte, inter ramoſas, an non ramoſa ſit? Hoc ipſum in accuratiſſimo Cæſalpino deſidero. 2. ſeorſim à filicibus habeat, ſiquidem venenum ſepticum eſt, ut Galenus vocat.

IV. In Officinis noſtris triplex eſt, *Filis*, *Mas* & *Fœmina*, in quibus puto fruſtra quæri diſcrimen. Nec puto reprehendendos, qui invertunt. Osmunda eſt. III. inter ramoſas ſpecies, de qua neſcio, quæ miracula jactant quidam. Vide Penam § 5.

V. Ego ad facultates priorum eo, & de ſententia Avicennæ dico, Utramque eſſe calidam & ſiccam in 2. Huc tendit Dioſcorides cùm marem ait eſſe ὑποδυσώδη: Galenus cùm amaram cum pauca adſtrictione: Theophr. cum 9. *Hiſt. ultimis verbis*, radici tribuit τὸ γλυκύστρυφνον. Ampliùs hoc intelligitur ex 6. κ. τόπ. 8. ubi Aſclepiades ſuccum filicis ponit in confectionibus hepaticis. Ait enim ibi Galenus ad hepatis expurgationem & meatuum apertionem, citra manifeſtam caliditatem & frigiditatem optimum eſt medicamentum filix, prædominantem habens amaram qualitatem. Et 7. κ. τόπ. 2. eſt Art. arom. Androm. ex filice, cujus præcipuus quidem uſus ad vocem interceptam: adhibetur autem & ad viſcerum obſtructiones. Ideò & Dioſcorides & Apulejus ſpleneticis commendant. A ſplene autem ad hepar recta eſt via.

VI. Hinc *Syrupi de filice* tantæ ſunt laudes in affectibus hepatis. Vide Maſſariam 5. *Pract.* 11. Et hæc quidem de caliditate: ſiccitatem non extendere ſe ulterius quàm dixi, argumento ſit, quod Galenus ait, ſiccare ſine morſu. Licèt autem

tem talia medeantur etiam τοῖς δυσαλθέσι καὶ καθύγροις ἕλκεσι, *ulceribus tetris*, ut Plinius; *fiſtulis*. ut Serapio; non ſunt tamen illa extremè ſicca. Quod autem dicunt, curare vulnera ab arundine facta, ob ſingularem ἀντιπάθειαν, inane eſt.

VII. Hæc ſiccitas, cum ſit ſatis evidenti amaritie, facit ut pellere poſſit lumbricos, non longos tantum, ſed & latos, 14. *Meth. ult.* ut alios authores non cieam. Hinc Cordus *in Dioſcorid.* ait, habere hinc nomen apud nos. *Varn enim*, inquit, *ſunt vermes cucurbitini.* De periculo, quod gravidis denunciant quidam, ſomnium eſt. Filicis ſemen ablego ad incantatores, qui anulis incluſum geſtant etiam per noctem, ſecuros ſe eſſe putantes ab omnibus præſtigiis. Addo ex Theocriti interprete, Ruſticos farcire lectulos ſuos ex filice, quod odor ipſius fuget ſerpentes. Epidorpidis loco, mi Lector, beo te longa fabula, quam *l.* 6. *Vitæ Frid. II. Com. Palat. f.* 99. *&* 100. habet Hub. Thomas, Françofurt in 4. 1624. Voco *fabulam*, quia tandem in riſum deſinit.

CAPUT XCIV.

DE FOENICULO.

I. A *Fœnus*, oris, & *Fœnum* eſſe & *Fœniculum*, facile do illis, qui ita volunt, ἀπὸ τοῦ μαραίνεσθαι eſſe τὸ μάραθρον, do pariter, ne alicubi difficilis videar. Interim non neſcio, Caſaubonum *in Strab.* derivare à Marathone, ſeu Campo fœniculaceo Atticæ. Spero etiam contra mihi datum iri τὸ ἱππομάραθρον eſſe ſylveſtre illud genus magnum, quod ad ſex aut plures cubitos excreſcere ajunt.

II. Oportet ab initio heic ſignare Fœniculum, de quo acturi ſumus. Non enim de *Fœniculo marino*, de quo ſupra in Crethmo; non etiam de *porcino*, de quo infra in Peucedano: non etiam de *Liguſtico ſylveſtri* Tragi, quod eſt Cicutaria paluſtris Lobelii; Phellandryum Plinii: non etiam *de Carnifolia* Joan. Bauhini *in Phyt.* ſub nomine *Siler*, quod eſt *Fœniculum montanum alterum* quibusdam: non etiam *de Seſeli Maſſil. folio fœniç.* Lobel. & Bauhin. numero 9. inter ſeſel. non de *Méo*: non de Peucedano: non de Millefol aquat. ſed de fœnic. vulgari tam German. quam Ital. Bauhini, quod ipſum eſt Dioſcoridis *l.* 3. *c.* 81.

III. Ex quo genere ſermonis intelligis, me ſem. fœn. vulg. ſeu noſtrum non diſtinguere ſpecificè à dulci majore, Barb. Flor. & ſi quo alio nomine vocari poteſt. Satum enim apud nos degenerat in noſtrum.

IV. In Officinis non ſemen hoc tantum uſurpatur: ſed etiam herba ipſa, ſeu, coma, nec non *radix*, aut potius *cortex. rad.* 8. κ. τόπ. 2. in ſtomachica Galli.

V. Ad aſſaturas apponuntur etiam *Aſparagi*, in aceto ſervati. Sunt qui *Lactucæ* miſcent, ad contemperandam ejus frigiditatem. Sunt qui poſt omnes cibos edant, ut & ſemen viride.

VI. Sciant *illi omnes*, tantum abeſſe, ut juvet coctionem aliorum ciborum, ut ipſum potius adjutorio opus habeat. Quin ſi contingat vinci, ſuccum dat quidem calidum & æſtuoſum, ſed bilioſis, incommodum: contra in pituitoſis & flatus diſcutit, & pituitam attenuat, ut eſt *l. de Vict. atten.* 3.

VII. Eodem modo prodeſt iis feminis, quæ ob habitum pituitoſum, aut prorſus non habent lac, aut in defectu.

VIII. Hoc vero auxilium exſpectare oportet, non à ſicco fœniculo ſed à viridi, ut diſertè Galenus 5. *Simpl.* 21. è quo & Avicenna & Rhaſis. Interim & ſiccum ſervire lacti generando, diſcimus ex 7. *Simpl.*

IX. Fœniculum, inquit, ἰσχυρῶς calefacit, ut ſit ex tertio calefacientium ordine: ſiccat vero non æquè, ſed ſubſiſtit in 1. Proinde lac gignit, quod non faceret, ſi admodum ſiccaret.

X. Hæc neutiquam accipi poſſunt de coma viridi. Quis enim auſit illam in 3. gr. collocare, cum vix ſit in 2. quod Avic. diſertè ait? Et audeo ego hanc audaciam, ut corrigam Galeni locum, pro *Tertio* legens *Secundo*. τὸ ἰσχυρῶς accipio de partium tenuitate, quæ valde ferit ſenſum. Quamobrem 8. κ. τόπ. 8. in Confect. hepatica explicatur per τὸ ἱκανῶς, quod 2. gradum non tranſcendit.

XI. Tu vero cave ullo modo hæc referas ad ſylveſtre. Nam Galenus expreſſe adimit illi lactis generationem.

XII. At Dioſcorides aſſerit? Empiricus præ Dogmatico non ſtat. Idem Dioſcorides κοιλίαν ἱστάναι ait, quod tu noli accipere cum Serapione de adſtrictione, ſed de ſiccatione cum Galeno. Accipere etiam debes non de ſativo, ſed de ſylveſtri, licet additum non ſit.

XIII. Veteres addidiſſe indicio ſint duo hæc loca, 2. *Antid.* 1. in Antid. Orbani Indi, *de Ther. ad Piſ.* 19. in compoſ. ſalis Theriac. Nos negligimus, quia utimur hortenſi noſtro. Qui exoticum dulce habent, ſint cautiores, ne quos inflamment.

XIV. Ex dictis judicari poſſunt omnia, quæ in latitudine ſanitatis de fœniculo dici poſſunt: poſſunt & illa, quæ in morbis præſtat. Quia enim calidum eſt & ſiccum cum partium tenuitate, egregiè diſcutit, & ideo ſuffuſis eſſe utile, Galenus dicit.

XV. Eam in rem fere ſucco utebantur veteres qui triplex. Aut enim fiebat per expreſſionem, qui χυλὸς eſt: aut per inciſionem teneræ plantæ, qui ὀπὸς aut denique per inciſionem, ſed ad ignem poſitis inciſis caulibus, unde ſuccus manabat gummi non diſſimilis, cæteris efficacior.

XVI. Hoc remedii genus nobilitaſſe primum ſerpentes, ſcribit Plinius *l.* 8. *c.* 72. oculorum aciem hoc ſucco reficientes. An dubitari poteſt? Deponunt quidem

dem exuvias ſuas prope fœniculum, quod vidi: ſed viſus ſit illis clarior propter depoſitam ſimul epidermidos partem illam, quæ corneæ prætendebatur, quod pariter vidi.

XVII. Interim noſtris moribus, aut herba utimur comeſta, aut ſemine, ſed jejuno ventriculo. Ita enim vel ſiccando abſumit vapores excrementitios, qui ſpiritus viſorios incraſſant; vel, educit vi ſua diuretica excrementa, non cerebri (quod tamen Lobelius vult) ſed in ventriculo ſtagnantia.

XVIII. Sed & initio deſcenſus aquæ (ita *cataractam* vocant Arabes) plurimum poteſt diſſipando & ſiccando pituitam illam. His facultatibus, cum partium tenuitate prodeſt etiam antiquis febribus, quæ ab obſtructione pendent. Sed & obſtructiones, quæ ſine febre, expedit. Quam in rem, radicem dicunt validiorem eſſe ſemine. Iiſdem urinam & menſes cit, promovetque ſecundinas. Quamobrem Dioſcorides decoctum comæ bibitum (lego enim ποθὲν cum Cornar. & Ser.) renum doloribus ſuccurrere ſcribit. Unde fortaſſis factum, ut calculoſi quidam in frequenti uſu radices habeant. Hac in re plus poteſt ſylveſtre.

XIX. Commendant etiam in venenis, in quibus iterum plus poſſe crediderim ſylveſtre. At vero in affectibus pectoris, quicunque à craſſa & lenta pituita, plus poteſt hortenſe & dulce ſylveſtri, idque ob rationem communem, dulcedinem.

XX. Hoc ipſum in leniendis aſperitatibus præſtat. Utebantur veteres etiam cinere radicis uſtæ, & ſcribitur 6. κ. τόπ. *ult.* in Medicamentis Archig. ſummè facere ad nomas oris. Forte non diſſimile eſt cineri anethi, de quo ibi.

DE FOENUGRÆCO, *vide TRIFOLIUM.*

CAPUT XCV.

DE FRAGIS ET FRAGARIA.

I. QUAM nota ſunt omni vulgo *Fraga*, & inde dicta *Fragaria*, quæ fert illa; tam obſcurum eſt, utrùm Græcis vel nomine fuerint nota. Nam τὰ κόμαρα, longe alio tendunt. Apud Plinium quàm implicita ſit res, nolo commemorare, ne κενόδοξος videar.

II. Moris, an rubis ſint accenſenda, equidem neſcio. Quid Bauhinus fecerit, in propatulo eſt, Sint mihi terreſtria mora neſcio cujus è veteribus, atque ita *Humi naſcentia fraga* Maronis, ex Botanicis non cognita ulli unquam.

III. A qua aſſertione protenus venio ad facultates, & de herba cum ſua radice dico clare, Conſentire omnes, in paſſivis ſiccam eſſe. Matthiolus perducit ad 2 gradum plane veriſimiliter apud me. De activis lis eſt, Trago dicente, calidam

dam eſſe, reliquis omnibus frigidam. His accedo, & cum Matthiolo accepto 1. gr. Nam ſapor aqueus, cum evidenti adſtrictione, & tantillo amaro, id volunt.

IV. Volunt & particularia opera, ſive indecocto uſurpetur, ſive ex contuſa herba ſuccus exprimatur. Nam, hic quidem maligna ex calida intemperie ulcera glutinat: illud autem gargariſatu dentes firmat, profluvia alvi, uterique ſiſtit, ſanguinem undiquaque erumpentem reprimit, &c.

V. At habet vim deobſtruendi viſcera, icterum curandi, urinam & menſes ciendi, alia, quæ à calore ſunt? Reſpondeo. Habet, ſed non niſi malum ſit à cauſa calida. Ideo iis locis, quibus vina bibuntur, aut in iis, qui alioquin meribibuli ſunt, ſi contingat cachexiam, aut hydropem ſe oſtendere, planè divinum eſt hoc decoctum. Tu verò ſcito, fieri debere cum aliis dulcibus & aperientibus, verbi gratia, glycyrrhiza, paſſulis, ficubus, quibus viſcera peculiariter delectari dicuntur.

VI. Et quia fragaria non tantum ab amarore vim abſterſivam habet, ſed & à partibus terreſtribus adſtrictionem: fit, ut illa ejiciat ſordes, meatibus inhærentes; hac autem roboret quidquid à calore flaccidum eſt.

VII. Tu vero negas forte, hydropem eſſe unquam à cauſa calida; Non miror quia malè inſtitutus es. Ego vero, ſi opus ſit, poſſim tibi & experientia & rationibus invictis probare, eſſe id aliquando: Id vero alîus loci eſt. De doloribus renum & ſtranguria idem dicendum eſt, eſſe aliquando à calore, cum quo fere eſt debilitas & flacciditas, quorumque utrique occurrit fragaria. Idem dicendum eſt, licet παράδοξον ſit, de menſium provocatione. Idem de cordis ἀτονίᾳ. Hoc enim corroborare aquam ſtillatitiam Tragus ait.

VIII. Et hæc de herba. De fructu pariter conſenſus eſt, frigidum & humidum eſſe. Verumtamen, non oportet negligere & ſaporem fragorum vinoſum, etiam non affuſo vino, & odorem non ingratum, quæ duo ſocium calorem cum partium tenuitate arguunt. Inde enim eſt, quod copioſius uſurpata caput tentant & inebriant. Eſt autem calor ille adeo ſuperficiarius, ut niſi decerpantur eodem die, quo maturuerunt, putreſcant.

IX. Quo diligentiores eſſe debemus in uſu ipſorum. Quod enim foris fit, intus etiam fieri, veriſimile eſt. Ideo ſumi debent non poſt alios cibos, quod improbiſſimè faciunt noſtri: ſed ante, ut fructus fugaces omnes.

X. Edi etiam debent non indiſtinctè ab omnibus: ſed à πικροχόλοις tantum, aut etiam iis, qui caſu aliquo vehementer incaluerunt. Mitigant enim fervorem ſtomachi, ſitim ſedant, & appetentiam reddunt. Edi etiam non ſola, ſed cum ſaccharo & vino ad contemperandam frigiditatem & humiditatem illorum.

XI. In Gallia, teſte Bruyer. alicubi, comedunt cum lactis cremore, qui

præ-

præſtat id, quod vinum. Eodem ſcopo fiunt à mulierculis pulticulæ, quæ in ſtatu quidem ſanitatis non debent aliis dari, præterquam iis, qui dicti ſunt: in morbis etiam non niſi calidis. Si enim dentur frigidioribus, certo debet exſpectari corruptio illorum.

XII. Hoc exaudire debent illi, qui tantopere exculpant. Sint vero extra culpam: alimentum dant non niſi aqueum, quod niſi raris quibusdam competit.

XIII. Sed neque in his tutus eſt uſus copioſus. Huc enim facit præceptum Gal. 3. *Acut.* 30. in biliofis non debere quenquam indulgere aquæ copioſiori, præſertim, ſi obſtructionibus vexetur aliquis.

XIV. Sed jam tempus eſt veniendi ad aquam deſtillatam, cujus multus apud nos uſus. Oportet autem ante omnia diſtinguere aquam herbæ & fructus, quod illa quidem habeat vim ſiccandi, hæc autem humectandi; ut plantaginis. Eadem herbæ aqua felicius quam fructuum, lenierit eryſipelaceas, furfuraceas, & lentiginoſas faciei fædationes, ut Pena loquitur. Et quia non abeſt vis abſterſoria, fecerit etiam cutim nitidiorem.

XV. At vero in caloribus viſcerum præfertur aqua fructus. Quare, qui ex hac intemperie habent faciem puſtuloſam, quin ſcabiem, vel in toto, vel in parte ſiccam, & pruriginoſam, ſingulis diebus mane hauriant ejus ℥ j ß. præterpropter. Idem calculoſi jubentur facere. Nam & refrigerat renes, & arenulas abſtergit.

XVI. Vidi in eo, qui copioſius comederat fraga, multas illorum particulas in matula, ut renes putarentur colliquati. Adeo feruntur ad renes! Ad oculos peculiariter deſtillant quidam cum ſale, ut Tragus habet. Idem ſcribit ad ſuffuſiones tale quid parari. Fraga conſperguntur ſale, & reponuntur per triduum in loco ſubterraneo, uſque dum in viridem aquam tabeſcant. De ſucco tradunt quidam vetuſtate meliorem fieri. Uſus eſt ad retinendam urinam, ad gargariſmata in incipientibus faucium inflammationibus, perinde ut mororum, denique in calidis fluxionibus od oculos.

XVII. Supereſt *Syrupus*, qui præſtat egregium diureticum in febribus colliquativis, cum volumus aquam abdomini infuſam, & hydropem mentientem, ad renes derivare.

CAPUT XCVI.

DE FRAXINO ET LINGUA AVIS.

I. FRaxini duas facit ſpecies antiquitas, quarum quæ hortenſis, *Fraxinus* ſimpliciter dicitur: quæ ſylveſtris, *Ornus* ſimpliciter; nec differunt aliter, quam quod *Ornus* eſt folio latiore.

II. Apud Theophraſtum 3. *Hiſt.* 10. eſt μελία καὶ βουμελία, quarum illam *Fraxinum* voco, hanc non *Bubulam fraxinum*, cum Gaza ſed *Bumeliam* Græcè, ſeu *Fraxinum majorem* Latinè.

III. Author eſt Cæſalpinus 2. *Hiſt.* 13. hodie in Calabria Ornum eſſe μελίαν: Fraxinum βουμελίαν.

IV. Quo loco monendum eſt apud Plinium quidem *l.* 16. *c.* 13. & 18. confuſiones eſſe, ab ignorantia natas: apud recentiores aliam, cum Fraxinum quidem vocant, & *Fraxinum & Ornum*, Ornum autem *Sorbum ſylveſtrem* ſeu *Aucupariam*, quod intolerabile eſt.

V. Quamobrem, relicto illo, dico, Non omnis vel fraxinus vel ornus fert ſemen, ſed quædam tantum fert dictum ὀρνεόγλωσσον (non ὀρνόγλωσσον: nihil enim cum orno communicat) Lingua avis Officinis dicitur. Eſt enim latum & oblongum, inſtar linguæ. Alicubi *Lingua paſſerina* ſeu *anſerina* nominatur.

VI. De facultatibus primis diſſentiunt Authores. Serapio ſemen hoc calidum eſſe ait in 2. Avicenna in 3. Hæc lis componi poteſt, ſi dicamus, finem 2. coincidere cum principio 3. Avic. iterum humidum eſſe ait in 1. at Serap. circumſcribit, Cum quadam humiditate, quæ facit, ut non appareat mordicatio ipſius, poſtquam bene maſticatum eſt.

VII. Contra Dodoneum non tantum ſiccum ſtatuit, ſed & in 2. Cui reſpondebo, licet, quod ait, amaricans ſit, quamvis, quod Pena, acre, aut, ut Amatus loquitur, aromatici quid habeat: docet tamen ratio Serapionis eſſe in ſuperficie tantum, quia acrimonia perit in lingua. Docet etiam experientia Arabum, quæ eſt, ſemen auget.

VIII. Si dixeris, etiam ſicca id poſſe, verbi gratia, fæniculum: dicam, in pituitoſis. Lingua avis non ita, quia ipſa eſt flatulenta. Præterea uſus ipſius apud nos non eſt, niſi cum piſtaciis & pineis. Ita, cum nolumus hoc ſiccamus in furno humiditatem ipſius. Ita enim levat dolores nephriticos, quia diureticum eſt, & alia facit, quæ Plinius prædicat *l.* 42. *c.* 8.

IX. Cortex fraxini, ut & lignum ipſum tanta pollet vi diaphoretica, ut cum Guajaco conferatur.

X. In primis laudatur in Officinis pro ſpleneticis, quibus tantum non appropriatum eſt. Interim in hepaticis non inferiores laudes habet.

XI. Atqui Scaliger. *Exerc.* 181. *numero* 19. ramenta ligni damnat? Ait enim ſuffocare. Credo, ſi quis illa accipiat, quæ ſerra facit, ut ſupine colet. Tum vero & junipero accidet; & aliis. Plinius etiam *l.* 16. *c.* 3. fraxini folia vetat dare jumentis?

XII. Omnium conſenſu eſt error Plinii, tribuentis τῷ μελίᾳ quod Theophr.

τῷ μίλῳ, *taxo.* Vidi autem, quæ contraria experimenta habeat Matthiolus *in Dioſcoridem*, & Amatus 1. *Cent. Cur.*

XIII. Quinimo, Plinius ipſe laudat vim alexiteriam ſucci, additque, ſerpentes nec umbram fraxini ferre, & circulo foliis facto ignem potius ingreſſuros. Verum, hoc poſterius novo experimento falſi convicit Camerarius noſter *in Matthiolum Germ.*

XIV. Ex fraxini ligno oleum fit per deſcenſum, quod ex Meſue, Manardus commendat hepaticis, ſpleneticis & hydropicis:

XV. Sal quoque fit, docente Lobelio, qui cum diureticis ſudores movet, cum purgantibus ſeroſa vacuat.

XVI. Idem Lobelius eſt author, cinerem corticis tam eſſe acrem, ut linteo apponatur calidus, ſit loco cauterii potentialis. Hunc pollere inſigni vi abſterſoria ex Dioſcoride & Plinio docueris, qui ex aqua illinunt lepris.

XVII. Tandem ſcribit idem Lobel. decoctum corticis ſeminis & foliorum ſuffitu prodeſſe ſurditati, occulta proprietate. Ego vim diſcuſſoriam nomino. De Manna purgatrice Officin. denuo contra Don. Ant. ab Alto-mari, ſeu Altimarum, ut ego abbrevio, dico. Non eſt ſolius fraxini & orni. Tractatum ipſum ſi quis requirat, inveniet poſt praxin ipſius, Venet. in fol. 1574.

XVIII. De sforzata ſeu coacta ſeorſim ſcripſit Ferd. Caſſanus Neapoli in 8. ſeptennio antè.

XIX. *Aqua deſtillata* Trago eſt unicum remedium contra icterum calculumque.

Caput XCVII.

DE GALANGA UTRAQUE.

I. Originis Arabicæ eſſe dubium non eſt: ſed corrupta mirificè, ut ſudandum fuerit illi, qui legitimam eruere velit. Eruit autem Scaliger *Notis in Garz.* 1. *Arom.* 40. *Chaulengiam.*

II. Qui perſuaſionem habent, nihil novi nos habere, mirifica habent ſomnia, quæ referam, ut videas. Quidam radicem *Schœnanti* ajunt: alii *Acorum* Dioſcoridis: alii *Cyperum* ejusdem: alii *Piperis radicem*: alii *Zingiberis.*

III. Ne deſit, quod effutiant, diſtinguunt etiam *Majorem* à *Minore*: ego nihil video, quo minus ex eadem planta ſit utraque quæ Iridis fortè ſit. Hujus enim folia oſtenſa fuêre quibusdam in Italia, ex Syria allata, Anguill. 1. *Sent.* 2. Pena *Adv. f.* 30.

IV.

IV. Quidquid ſit, præferunt Materialiſtæ majorem (quam & craſſam dicunt) minori, quàm Indicam & ſubtilèm.

V. Eligitur, inquit Matthiolus in eodem genere, quæ gravis eſt & denſa, ſaturatè ruffa, odorata guſtu acerrima. Eligo, inquit Cordus de minore, nitidam, ſolidam, mediocriter ponderoſam, foris in fuſco ruffam, intùs fulvam, nomine pallidam, ſplendentem cùm cultro inciditur, nequaquam vermibus corroſam, guſtu cum aromatica ſuavitate acerrimam & odoratiſſimam. Idem de majore ait, Odore valde acrem eſſe, caput petere, & ſternutamenta movere, non tam gratam & jucundam, ut minor, ſapore acrem, ſed nauſeabundam.

VI. Utraque calida & ſicca eſt vel in 2. deſinente, ut Avicenna vel in 3. incipiente, ut Serapio (ita enim concilio hos) & quidem cum partium tenuitate.

VII. Quare egregiam præſtat operam in diſcutiendis flatibus, in corrigenda frigida & humida ventriculi intemperie, in liberandis ab infarctu renibus, in augendo ſemine, &c.

VIII. Habemus in Officinis vel Electuarium vel ſpecies confect. *Diagalanga* Meſue, ut & *Galangam* ipſam *conditam*. Magnus quidem ejus uſus eſt ad juvandam coctionem, tam primam in ventriculo, quàm ſecundam in viſceribus. Sed cauto opus eſt in natura calidis, & tempore æſtivo, quod poſt Sylvium Manardus *in Meſuem* monet.

IX. Quamobrem, de Trincavellii conſilio, utar potiùs Diacumino, quod temperatius eſt.

X. Propono conſiderandum, An tutum ſit, tantum ſacchari ſumere q. ſ. & non potiùs definitè, de authoris voluntate ℥ x? niſi ſi ʒ x. ſcripſit ille? Vide Caleſtanum *in Diſpenſ. Parmenſi*, Monachos item ſupra nominatos *in Antid. Meſue*.

XI. Conſiderandum hoc quoque, ſi fortè deſit laudabilis Galanga, quid ſit faciendum? Utar Caryophillis, quos ex Andr. Bellunenſi ſuggerunt dicti Monachi. Fortaſſis & Avicenna hos voluit.

CAPUT XCVIII.

DE GALBANO.

I. PRimum hoc habendum eſt, quod apud Latinos G. eſt, apud Græcos X. eſſe. Deinde, quod ibi neutrum eſt, heic eſſe femininum ἡ χαλβάνη.

II. Tertiò, videri cum Goropio *in Gal. lib.* 2. nullam eſſe originis differentiam inter *Galbanus & Galbinus*. Quod enim dicunt τὸ *Galbanum* habere mediam longam, inane eſt. Uni enim fortaſſis loco ſubitò oppono quatuor, duos Nicrandi

in

in Theriac. χαλβάνη, ἄκνηστις, &c. *in Alexic.* ῥίζα τε χαλβανόεσσα, &c. duas Virgil. 3. *Georg. Galbaneoque agitare graves.* 4. *Georg. Hinc jam Galbaneos*, &c.

III. Sed unde eſt? Idem Goropius ait, eſſe Gallicæ, ſed potiùs Germanicæ originis. *Geel* enim ſeu *gal*, *gelb*, eſt *Gilvus*, hinc *avis Galbea*, *Galbula*, *Galbina*, ἴκτερος, χλωρὶς, χλωρίων, ut habet Ill. Salmaſ. *Hiſt. Aug. f.* 227. & rurſus *f.* 373. *unſer gell. oder geldammer.* Hæc enim ex viridi flaveſcit, & nomen fecit veſti *Galbeæ*, *Galbinæ*, *Galbanæ*, *Gabanæ*, *Gaubanæ*, *Calveæ*, *Calpeæ*, & neſcio quei aliter corruptæ. Hanc mollium & effeminatorum fuiſſe rectè probat Ill. Caſaub. *in eadem Hiſt. Aug.* Verùm, idem Salm. negat illi, in Tetrico triumphato fuiſſe ejusdem rei notam.

IV. Sed qualis fuit? Non *albus*, ut ſummi viri judicant: ſed *Aureus*, ut iterum Salm. *f.* 410. Hic Græcis eſt χλωρός, ut iterum Goropius ait ſe inveniſſe in veteri Latino-Græco Lexico, & dicitur, ut alii explicarunt, quaſi χλοηρός, *herbaceus*, tum verò, cum deficiunt herbæ.

V. Sed quorſum tu hæc tam fusè? Mox intelliges. Cùm enim nec quisquam veterum deſcribat plantam, nec ullus ex noſtris hactenus ferulam illam offenderit in Syria: quærendum eſt Galbanum ex notis, à Dioſcoride nobis relictis. I. eſt ut ſit λιβανοειδής. Sed qua in re conſiſtit ſimilitudo cum thure? Non potuerunt hactenus boni viri ulteriùs pervenire quàm huc. Quemadmodum *thus maſculum* ſeu optimum eſt σταγονίας, *in guttis ſeu grumis*: ita *galbanum*. Confirmatur, quod in quibusdam Exemplaribus ampliùs eſt, & habuit Serapio, notante etiam Saraceno, ἢ ἀμμωνιακοειδής. Scimus autem quatenus Ammoniacum ſit granuloſum, ut Paſinus loquitur.

VI. Quidquid ſit, quod ſequitur II. χονδρώδης, ſtatim conjicit nos in difficultates. Conjecit etiam olim Plinium, qui *Cartilaginoſum* vertit *l.* 25. *c.* 12. *fine.* Cujus rei rationem cum non viderent noſtri Marc. Vergil. Cornarius & Sarac. (qui ſtellulam etiam addidit) ad πολυστημίαν τοῦ χόνδρου confugerunt, *grumoſum* vertentes.

VII. Atqui hoc in priori fuit? Credo. Ruellius ideo omiſit. Cum hoc perit nobis color omnis apud veteres. Inter recentiores diligentiſſimus Cordus, cùm 4. *Hiſt.* 104. ſcripſiſſet, *Grumis, tam foris, quàm intus, flavis ac candicantibus compactum*, addit ſub finem, *colore maximè flavum. Tale enim recens eſt.* Hæc verba exſcribit Bauhinus *in Pinace*, inſuper habitis prioribus, fortaſſis, quia unà mecum nauſeabat ad τὸ *Aut*, quod non admittit rerum natura.

VIII. Me etiam repellit à flavedine in recenti hoc φαινόμενον. Omnes pinguedines, qualis galbanum (hoc jamjam ex Cæſalpino explicabitur) ſunt inflammabiles, quale omne hoc quòque & Cordus & Bauhinus aſſerunt, & ab initio ſunt albæ, cum ranceſcunt fiunt denique flavæ.

IX. Hoc φαινόμενον repellit me etiam à mutatione Galbani flavi in album quid

& ſpumoſum, de qua Gal. 1. *Antid.* 11. quem locum inſpexi, *&* *Not. Gal.* *&* 4. *Var.* 2. & cenſeo etiamnum vitioſum eſſe. Contrarium enim fieri debebat. Confirmat me Avicen. qui duplex inde facit Galbanum. Serapio, quia ſua ſolet deſcribere inde, ne meminit quidem.

X. Quid igitur? Quia undequaque à Medicis deſerimur, quid ſi ad Philologos eamus? Deſero penè omnem opem. Duo enim Coryphæi illorum in diverſum abeunt. Calepinus quidem ad *album*: Salmaſius autem ad *aureum*, *Hiſt. Aug. f.* 410. Ergone licet mihi, hominum tenuiſſimo audere quid, &, indicio capto, à Goropio χονδρώδης legere χλωρὸς, aut, quod idem eſſe puto, ὠχρός? Hoc ſi tu pro βεκκεσελίνῳ habes, non habebis tamen illud quoque Salmaſii. Nec Raderi illa 1. *Epigr.* 96. *Galbus color eſt pallidus*, *viridis*, *flavus.* Et mox, *Viridis*, *ſeu herbaceus.* Græce, χλωρὸς; 1. *herbacei coloris*, quod idem *Galbeus* & *Galbanus.* Nec Turnebi 17. *Adverſ.* 8. planè gemina.

XI. Ubi utrumque excuſare fas eſt, Lipſium, qui per *viride* ſuum calorem heic explicat. Turnebum, qui alibi ex alienâ ſententiâ loquitur. At Rob. Stephanus *in Lexico*, ubi *Cæruleum* ex Turnebo revocat, quei exculpem? Lipſius ab albedine pharmacop. tantum abeſt, ut *Galbos* legat pro *Albos*. III. Nota eruitur ex illo Gal. *de Antid.* loco, *Non debere facile diſſolvi.* Diſſolvitur aceto ad ignem, ſed melius in balneo, 3. κ. γέν. ς. Hoc peculiariter notant pharmacopœi, non liqueſcere ſine igne, licèt accidat hoc aliis ſuccis. IV. Ut Galbanum ſit λιπαρὸν, *pingue*, ſeu, ut Serapionis Interpres *viſcoſum*, *cum tractatur manibus*, *lenteſcens.* Hoc accipere oportet, quatenus naturæ Galbani convenit. Ut enim Cæſalpinus ſcribit 7. *Hiſt.* 51. eſt mediæ naturæ inter reſinam & gummi, & dici debebat *Gummi-reſina.* Et hoc eſt, quod Dioſcorides ſubjicit., οὔτ' ἄγαν ὑγρὰ, οὔτε πάλιν κατάξηρος, *Neque humidum*, *neque aridum probatur*, inquit Plinius.

XII. V. Ut ſit καθαρὸν καὶ ἄξυλον, quod vertit ille, *Purum*, *minimeque lignoſum.* Qui cùm prorſus non habeat, quæ ſequuntur, ἔχον δέ τι, &c. imo cùm Serapio legat negativè, facilè eſt creditu Paſino, eſſe oppoſitum in adjecto. Præterea, cum Galbanum ſimile eſſe debeat thuri ammoniacove, illa autem commendentur à puritate: quis ferat æquo animo laudari *impurum*? Præterea, cum Dioſcorides *extremo cap.* doceat *purificare* quis non videt, vel accreviſſe iſta, vel in contrario ſenſu acceptanda eſſe?

XIII. Quem ſenſum cum præferat Serapio, & vero Damocrates 7. κ. γέν. *ult.* in χλωρακόπῳ deſideret ἄξυλον χαλβάνην: inclino ego etiam eò.

XIV. VI. Ut ſit ὀσμὴν βαρὺ, *gravi odore.* Hoc quomodo excuſet Braſſavolus & Cordus, videre eſt apud ipſos. Ego τὸ βαρὺ intelligo de *odore naturali*, quo cùm caret, evanidum eſt. Sed & multa veteribus fuêre gravia, quibus non aſſueverant. Thuris odor mihi gravis eſt. Vide amplius Cordum *l. c.* & Penam *in Adverſ.*

XV. Jam, habemuſne legitimum Galbanum? Habemus, ſed opus eſt purificatione, de qua Matthiolus ex Dioſcoride.

XVI.

XVI. Quod ad facultates, ſcribit Galenus 8. *Simpl.* calidum eſſe in 3. incipiente, aut 2. completo: ſiccum in 2. incipiente. Hac in re conſentit illi Averroës & Serapio. At verò Avicenna invertit, vitio ſcribarum. Sed & opera particularia oſtendunt, non aſcendere ad 3. ſiccitatis gradum. Idipſum non permittit modus ſubſtantiæ, qui emplaſticus eſt.

XVII. Opera præcipua ſunt duo, emollire & digerere, *Simpl. l. c.* 13. κ. τόπ. 2. 2. *ad Glauc.* 4. Sed præcipuè 7. κ. γέν. 3. ubi comparatur cum opopanace, 5. κ. τόπ. 2. ubi cum thure, 4. κ. τόπ. 4. ubi cum caſtoreo & lycio Indico.

XVIII. Porrò ſuccus dicitur anodynus. 5. *in* 6. *Epid.* 5. item 7. κ. γέν. 11. inter acopa eſt, quia digerit ſed nonniſi mediocriter, 6. κ. γέν. 13. & ex profundo attrahit. Quare mitiùs interpretari oportet δύναμιν θερμαντικὴν, πυρωτικὴν, καὶ διαφορητικὴν, quas Dioſcor. illi tribuit. Minuere etiam oportet laudes, à Plinio decantatas in iſchiade, nodis articulorum, ulceribus phagedænicis, &c. Abſterſionem etiam habet in exterioribus: at in affectibus corporis quis tolleret? 4. *Acut.* 79. 7. κ. τόπ. 1. 3. κ. γέν. 7.

XIX. Ex dictis intelligitur, conſtare Galbanum partibus heterogeneis tenuibus & craſſis, quarum illæ digerunt & attenuant, hæ abſtergunt. Quare poterit menſes ciere, fœtus vivos & mortuos, necnon ſecundinas pellere. Eam in rem aut ſuffitus fiunt, aut peſſi, aut hellebori radices Galbano linuntur, aut denique ex aceto, vinove bibitur. Locus eſt fumi etiam in epilepticis, hyſtericis, ſyncopticis, 9. κ. τόπ. 10. Qui diluto manus unxerit, impunè tractabit ſerpentes. In defectu ejus locum habet *Sagapenum.*

CAPUT XCIX.

DE GALEGA.

I. NOva hæc eſt planta, neſcio cujus idiomatis. Quod autem ſtatim dicendum eſt, alia eſt apud Italos, quæ etiam in Officinis venit, *Ruta capraria* ſeu Caprago, neſcio iterum cur quam Bauhinus inter leguminoſa habet: alia apud Gallos, quam inter Jaſmina cenſet ille, & eſt V. ordine, Polemonium Monſpelienſe Geſneri & Penæ, Trifolium fruticans Dodonæi. Hæc negotium nobis non faceſſat: illa omnibus debet eſſe nota, vel ideo, quia Materialiſtis pleriſque ignota eſt.

II. cum anno 1606. mitterer in hanc Academiam pro peſtilentiali, obtrudebat mihi Pharmacopœus jam ſenex Rutam murariam, cum indignatione non vulgari, quod ego juvenis auderem me opponere. Similem audaciam audivi narrari, de quodam hujus ordinis, qui cum jurgio defendebat *Lychnidem ſylveſtrem viſc.* pro *Centaurio minore.*

III. Niſi fallor, rectè Bauhinus adnumerat noſtræ huic duas plantas Ægyp-

tias *Sopheran*, & *Sesban* Alpini, *lib. ſing. cap.* 23. & 24. quamvis de facultatibus non conſtet.

IV. De Galegæ manifeſtis nemo quidquam dicit: omnes contra urgent occultam, qua in morbos malignos pugnet, Ruſtici enim, authore Cæſalpino hujus ſucco, in os jumentorum, cùm ob venenum depaſtum tument, infuſo, ſanant illa. Hinc fieri potuit, ut ad homines transferretur. Et confirmavit experientia. Qui enim viperas venantur in Italia ad confectionem Theriacæ, ut etiam illi, qui oſtentant publicè: ſi contingat illos morderi, nihil certius herba hac, nec præſentius habent, multò magis freti illa quam decantatis Theriacis, inquit Pena.

V. Ea ſpe inducti, qui venenum in corpore humano gigni poſſe putant, dederunt feliciter in febribus petechialibus. Datur autem ſtatim in principio, vel ſuccus ſolus, vel decoctum in aceto, addita Theriaca, tormentilla & carduo benedicto, hac conditione, ut effusè ſudet æger. Idem fit in peſte. Dantur autem *ſucci*, actu calidi ℥ v. vel vj. & indicitur ſudor. Quin, ſine ſudore, præſervationis gratia, quidam ſingulis diebus, vel edunt in acetariis, vel cum carnibus decoquunt, & petroſelino, vel ſuccum ex vino bibunt. A peſte fit ratiocinium ad lumbricos. Quo caſu aut ſucci cochlear 1. dant, aut herbam in oleo amygdal. amar. & ſem. lini frixam abdomini imponunt, aut denique unguentum parant ex ſucco cum aloë, myrrha & croco. Hoc qui criminantur, quod adſcititiis debeatur effectus, non ſuperficialiter ſapiunt. Nam & ſolus ſuccus facit rem. Ab his ad epilepſiam itur, præſertim cùm lumbrici ſunt cauſa ſymptomatis. Datur autem ℥ß. ſucci.

VI. An Galega poſſit lac exſtinctum revocare? merito dubitatur. Qui enim id ſcripſit Ruellius, pro certo habuit, quod incertiſſimum eſt, quod ſit *glaux* Dioſcor. Imo, quia deſcriptio repugnat, jam voce initiali oſtendi, nec hanc eſſe, nec Onobrychin, nec Polygalam, nec Aphacen, nec Fœnugr. ſylveſtre, nec quamcunque aliam veteribus notam. *Conſerva* utimur pro potu ordinario in julepis.

CAPUT C.

DE GALIO.

I. SI verè ſcripſerunt Dioſcorides & Galenus eſſe ἀπὸ τοῦ γάλα, *à lacte* coagulando, omnino & ſcribere oportet *Galium*. Hoc noſſe debent Officinarii propter Mithridatium Andromachi.

II. Verumenimvero, quia à plerisque præfertur Damocratis; & ſcriptura apud illum variat, γάλλιον, γαλλίον, γαλίον, ἁλὸς, γαλλίας, quin apud quosdam planè abeſt;

abeſt: fortaſſis ſecuri eſſe poſſumus, vel ideo, quia ferè accipiunt *Cruciatam aureum* Tragi, de cujus facultatibus æquè parum conſtat, ac de Galio.

III. Galenus & Paulus ſiccam ajunt eſſe, & ſubacrem, aparinæ ad inſtar. Florem ambuſtis mederi, & ad narium hæmorrhagias facere ſcribunt iidem ex Dioſcoride. Et hæc quidem Mithridatio digna non ſunt: digna verò quæ Lobelius, Pena, Dodonæus infarctus quoscunque expedire amarore ſuo, potenter extergere, excrementoſa exigere, appetentiam facere, coctionem juvare, in hæmoptoicis & alioquin ex alto lapſis, ſanguinem ſiſtere, vulnerarium eſſe, ſi decoctum continuè bibatur.

IV. In ſapore nihil niſi ſiccum quid & adſtringens obſervatur.

C A P U T CI.

D E G E N I S T A.

I. GENISTA cum *Sparto* ſeu *Spartio* an ſit eadem, etiam Plinius dubitat *lib.* 24. *cap.* 9. *Spartium* Dioſcorides *lib.* 4. *cap.* 152. habet: *Geniſtam* non habet. Ubi Matthiolus Plinio deſerto, ita ſe declarat, *Spartium eſt Geniſta Hiſpanica* ἄφυλλος (ita enim nunc ſino) *Geniſta* eſt Geniſta German. φυλλικὴ, *folioſa*.

II. Bauhinus *in Phytop.* quidem abſolvit ſe ſolo *Gramine Sparteo*: *in Pinace* autem mirabilem texit funem. Incipiens enim ἀνευπροοιμίου de *Geniſta Spartio*, labitur ad *Geniſtam Spinoſam & non ſpinoſam*, *Chamægeniſtam & Spartium*. Si ſciebat, diſtincta eſſe hæc, cur non ſuo more exponebat eſſentiam, hinc quidem *Geniſtæ*, illinc autem *Spartii*: ita ego ſcire poteram, quid in ambiguis iſtis debeatur Geniſtæ, quid Spartio. Ita, ſed parco. In obſcuris ſunt duæ nominatæ Geniſtæ, differentes foliis, ſucco, flore & ſemine.

III. Facultates quia non ſunt prorſus eædem, nihil ab homine prætermittendum eſt, quod ſecuros præſtare nos poſſit. Quod ad flores Geniſtæ Germanicæ dictæ, quia compertum eſt ex Pena, quibusdam Galliæ locis crudos edi in acetariis magna copia, ſine ulla nauſea & vomitu, imò cum mirifica palati gratia: quis exſpectet ab iis, quod pharmacopœi noſtri? Ideo enim reponunt ſiccos, ut ſerviant vomitoriis. Quia etiam compertum eſt ex Cluſio & aliis, eosdem flores apud Belgas (quos imitantur Norici) ſale & aceto conditos, capparum & olivarum modo, impunè comedi ab omnibus: quis ſibi metuat? Quia tandem de ſem. ejusdem ſcimus, habere quidem ἐμετικόντι: ſed non quale Helleborus, verum ut Rhaphanus, oleum, ficus, alia talia, & quidem in tripla, aut quadrupla doſi: quis non ſtatim abjiciat ampla iſta encomia, quæ Geniſtæ noſtrati ab ignaris dantur? Quid igitur? inquis, ergone inutilis eſt, & ex Offic. ejicienda Germanica? Non, ſed diſtinctio adhibenda. Quod ad flores, de quibus dicere cœpi, in menſa locum habent Geniſtæ noſtræ Germanicæ, antequam expli-

plicentur, conditi. Non tantùm enim appetitum faciunt, ſed & viſcerum obſtructiones expediunt, calculum frangunt. Tu vide Cluſium 1. *Rar.* 73. & Penam *Adv. f.* 409.

IV. At verò flores Geniſtæ Italicæ poſſunt id, quod Dioſcorides ſcribit, purgare, (inquam) per ſuperiora hellebori modo, ſi oboli v. in mulſa dentur. Habent enim, ut Meſue ſcribit, humiditatem quandam excrementitiam, qua inflatus converſa, validè perturbatur ventriculus. Quæ res facit, ut non pauci, quod Marinus *in Meſuem* ſcriptum reliquit, ad interitum perducantur, qui de conſilio muliercularum, in malis diuturnis (quæ illæ libenter ad veneficia referunt) ſæpiuſculè utuntur hoc vomitorio. Et hæc de floribus.

V. Semen idem facit, ſi ʒ 1. ß. ut Plinius habet, bibatur in mulſæ cyathis quatuor, ſed per inferiora. Nimirum ita videtur corrigendus eſſe Dioſcor. τῦτυ τὰ ἀνθηποθέντα, &c. Quomodo enim, ſi heic quoque legatur ὁ καρπὸς, ſine contradictionis nota dicere poteſt poſtea, ὁ δὲ καρπὸς κινεῖ τὴν κάτω κάθαρσιν?

VI. Facit hoc & noſtræ Germanicæ ſemen, ſed in longè majori doſi, ʒ ij. aut iij. incoctis liquori alicui ad ℥ ij. ut Penam intelligo. Quod ad ſuccum, eadem, ni fallor, diverſitas eſt. Ut enim concedo, ſuccum Ital. tam vehementer agere in Iſchiadicis, quibus Dioſcorides & Plinius commendant bibitum, vel per enema infuſum, dyſenteriam faciat: non tamen idem timeo à noſtra. Multi enim utuntur decocto in obſtructionibus viſcerum, in lue venerea, in aliis; & ſentiunt varia excrementa, præcipuè aquoſa, pelli. Hoc tribuit etiam radici Braſſavolus *Exam. Simpl. f.* 68.

VII. Lixivium clareti modo factum, hydropicis etiam dabat Scherbius, ex Trago puto. Vide Dodonæum. De oleo florum in calculo declament Chymici: ego enim metuo, ne calculoſos faciat, qui calculoſi non ſunt. Ita de conſerva florum nondum apertorum, ut & conditis in aceto, inſtar capparum in menſa. Summa, libenter ego abſtineo à geniſta, quia omnia, quæ ſcribuntur, incerta & dubia ſunt.

Caput CII.

DE GENTIANA.

I. GEntium (alii Gentidem) Illyriorum regem, omnes faciunt parentem hujus herbæ. Dividitur à Bauhino in majorem & minorem, quæ *Gentianella* eſt. Hæc rurſus in *Alpinam*, *pratenſem* & *paluſtrem*, ſub quibus nomina ſunt *Violæ Calathianæ* (ἀπὸ τῦ κάλαθος) & *Pneumonanthus.*

II. Utimur in Officinis tantùm radice majoris, vel luteo, vel cæruleo flore. Olim etiam ſucci uſus erat, qui præſtantior, 1. *Antid.* 15.

III.

III. Volunt pharmacopœi amariſſimam, colore foris buxeo, qualis ferè Rhabarbari, non rugoſam, aut certè parum duram & frangi contumacem. Colligi debet in montibus ſiccis & perflatilibus, non aquoſis, ut Dioſcorides & Plinius videntur velle. Fit menſe quidem Majo, pro aqua deſtillanda: pro aliis autem uſibus Auguſto. Quo tempore cum vim omnem effuderit in caulem, flores & ſemina, mirum non eſt, rugoſam eſſe & laxam, quia quæritur ferè pro fontanellis dictis, quas & apertas ſervat, & humorem affluentem imbibit. Quo ſcopo ſicciſſimam deſiderari, 5. κ. γέν. 10. admiratione dignum non eſt. Fortaſſis eò reſpicit Serapio, cum *Fragilem* vult. Et alioqui rectè ſiccam eſſe præſtat, quàm humidiuſculam & putrilaginoſam. Et hæc poteſt odorem habere non ingratum, ſecus quam viridis & ſucculenta, de qua Plinius videtur loquutus eſſe.

IV. Manet integra triennium, ajunt. De gradu primarum qualitatum non eſt purus conſenſus. Avicenna calidam ſtatuit in 3. ſiccam in 2. Averroës utrobique ad 3. aſcendit. Verum hoc non eſt magni momenti. Amaror enim ultimus, ut cum barbaris loquar, indicat elementi ignei maximam potentiam. Quare inſigniter abſtergere poteſt, deobſtruere, purgare, & attenuare, ut 6. *Simpl.* Gal. docet.

V. Tribuunt illi quidam non minorem adſtrictionem, in quam conſentiunt Dioſcorides, Avicenna & Serapio. Addunt, Dioſcoridem Lycio comparare. At Lycium vehementer adſtringit. Reſpondeo Guſtus, in quo Galenus fuit exercitatiſſimus, nihil tale perhibet. An igitur apud Dioſcoridem legendum eſt, ὡς κολλύριον? Pro *peſſo* accepto vocabulo. Ita apud Plinium, *Factum collyrium.* Aliter conſulit Dioſcorid. Dodon. pro συπτικὴν legendo ῥυπτικὴν. Quid ſi legam utrumque? Notum enim quàm egregia ſint, quæ utrumque hoc habent. Laudat in eam rem aquam Matthiolus. Alii decoctum. Augenius 1. *Epiſt.* 7. *cp.* 8. ſuccum cum aliis quibusdam mirificis laudibus extollit.

VI. Mihi libet addere tria verba de Theriaca noſtra Diateſſaron, in qua Gentiana eſt baſis. Aëtius vocavit *Myſterium*, profecto cum ratione. Eſt enim magnarum virium, non tantum in venenis, ſed in omnibus affectibus frigidis. Peſtis adeò præſens eſt remedium, Pena docente, ut non hominibus tantum, ſed & brutis ſuccurrat. In Helvetia dant porcis cum *Flammula.* Non minus confert morſui canis rabidi, qua de re Gal. 11. *Simpl. c. de Cancris.* Curavi ſenem pauperculum in paralyſi linguæ, qui & id vocabat *Sprachlatvergen.* Summa, Gentiana eſt medicamentum πολύχρηςον, & poſſet experimentorum in vulgus natorum magnus acervus fieri. Ego ſcribo iis, qui poſſunt πόῤῥωθεν λογίσεσθαι.

C A-

CAPUT CIII.

DE GERANIO.

I. ΓΕΡΑΝΟΣ multa ſignificat, inter alia *Gruem*: hinc diminutivum γεράνιον, herbæ ſemine roſtrato inſtar Gruis.

II. Hujus ſpecies apud recentiores ſunt aliquam multæ, quas Bauhinus, quem ſequor, rectè digeſſit in tres claſſes: quarum prima eſt illa, quæ folio eſt Anemones: ſecunda Malvæ: tertia Cicutæ.

III. Ex his tres quoque petuntur, in uſum potius Chirurgorum, quàm Medicorum.

IV. Ex primo ordine eſt V. apud Bauhinum *Geranium Batrachoides*, *Gratia Dei*, Germanis, Lobelio, Penæ, Dodoneo, *Sanguinaria*, vulgi, *Blutwurk*.

V. Ex ſecundo eſt 1 *pes Columbinus* vulgo dictus qui magni ſit ob æſtimium Serapionis, qui *Amomum* vocavit. Unde etiam Balſaminum.

VI. Ex tertio eſt IV. *Geranium Robertianum* vulgo, ut & *Sanguinaria*, propter eundem uſum. De ſingulis tradam ſeorſim, quæ mihi comperta ſunt.

GRATIA DEI.

VII. TAm illa quæ cæruleum colorem in flore fert, quam illa, quæ rubrum, non immerito magni ſit. Odor enim floris pleriſque locis non diſſimilis roſæ Moſchatæ (unde etiam *Acus moſchata* dicitur) oſtendit inſignem partium tenuitatem, ob quam penetrat: cui obveniens ſapor ſiccus, cum evidenti adſtrictione, arguit præcipuum id, quod herbæ vulnerariæ habent. Junctus vero amaror abſterſionem docet, pleriſque vulneribus apprimè neceſſariam. Quod vero in flore eſt evidentiſſimum, in cæteris partibus quodammodo eſſe veriſimile eſt.

VIII. Eſſe revera, odor oſtendit tam herbæ, quam radicis. Huic guſtus adſtipulatur adſtrictionem atteſtans.

IX. Sed utræ partes prævalent? Frigidæ? Adſtrictio enim manifeſta eſt. At calculoſis prodeſſe, ab ipſis calculoſis audivit Tragus. Reſpondet facere id tota ſubſtantia.

X. Ego vero à magnis Practicis audivi, pleroſque pati hanc carnificinam ob flaccidos renes. Hinc uſus adſtringentium convaluit, ſyrupi limonum cum aqua equiſeti &c. Non diſſimilia de ſe ſpondet *Hæmatodes* vulgo dictum, IV. in ordine apud Bauhinum, quod poſſis ſubſtituere.

PES

PES COLUMBINUS,

XI. QUia inodorus, ut Malva, ultra temperiem ejus non aſcendit. Ideo quemadmodum malva in colicis doloribus non vehementibus ſuas habet laudes, emplaſtri modo ventri impoſita: ita pes columbinus. Et hoc eſt, quod Pena ait, Ad inteſtinorum tormina utiliſſimum ſcimus.

XII. Rurſus, quemadmodum decoctum malvæ, ſi inſideat æger, lenit dolores: ita pes columbinus: Et hoc eſt, quod iterum ille, balneis per commodam Practici aſſerunt.

XIII. Tandem, ut malva leni ſuo calore fovet vulnera, humorisque affluentis acrimoniam mitigat: ita pes columbinus. Hinc illi & *Balſami* & *Momordicæ* nomen. Cæſalpinus vim hanc tribuit illi tantum, qui in ſylvis creſcit & major eſt. Alii illi tantum, qui folio Althææ eſt.

ROBERTIANA,

XIV. ET ipſa eſt frigida & ſicca, ſed cum pluribus calidis partibus: ideo plus penetrare poteſt & diſcutere. Indicat id odor teter & vehemens, ſaporque non usque adeo ingratus, cum evidenti adſtrictione.

XV. Uſus eſt vulgo ad eryſipelata, ad oris, mammarum, & pudendorum ulcera & vulnera. Relatum eſt mihi de cancroſa quadam, unicum habere ſolatium in dolore ab aqua hujus. Ad inflationes uterinas laudat Tragus ʒj. pulv. ex vino. Ad ſanguinem undiquaque fluentem dicitur præſtare alia gerania. Decoctum paſtores præbent jumentis cruenta mingentibus. Ab hac non longe abeſt *Moſchatum*, Dodoneo authore: ſed cautione opus eſt. Inodorum noſtrum eo non pervenit, monente Cordo *in Hiſt.*

CAPUT CIV.

DE GLYCYRRHIZA.

I. QUia, ut non raro vidimus in ſuperioribus, Græci faciles ſunt in mutando genere, non credo etiam γλυκύῤῥιζαν & γλυκύῤῥιζον differre. Quare fruſtra fatigatur Plinius à Belon. 1. *Obſ.* 18. quamvis etiam obſtet illi locus *l.* 11. *c.* 54.

II. Nec falſus eſt idem, cum *l.* 22. *c.* 9. inter aculeata ponit. Datur enim talis in Syria, ut Pena ſcribit *Adv. f.* 406. Sed & dici poteſt, loqui illum de Italica, quæ caput habet echinatum, ut dicitur. Totum locum ita corrigo. *Et ipſa ſine dubio, & cum foliis lentiſci, pinguibus, tactuque gummoſis, fruticoſa, binûm cubitorum altitudine, flore hyacinthi, fructu pilularum platani echinato.*

III. Theophraſti locum 9. *Hiſt.* 13. amplius nunc ſolicito[1], pro εὐθὺ γλυκεῖαν legendo, καὶ ἔνιοί γε καλοῦσιν αὐτὴν γλυκύῤῥιζαν. τὸ σκυθικὴ exponerem de Bambergenſi noſtra, per mercatores littoris Balthici in Græciam delata, niſi Mæotis etiam palus Scythiæ annumeretur. Hanc nubem abſtergo oculis noſtrorum, ne amplius delirent. Duplex eſt, *Echinata*, quæ *Italica* dicitur, & eſt Dioſcorid. & *ſiliquoſa*, quæ *Germanica*, in ſola Franconia, reſtibili radicum fœcunditate luxurians.

IV. His utimur, quia efficaciores creduntur, ut & ſucco ex illis expreſſo, ſub nomine corrupto, *Lateriken.*

V. Hoc cum extra controverſiam ſit, miror noſtros homines conquirere notas radicis Italicæ, cum hæc quidem radicem habeat craſſam, rectà deorſum tendentem, brachiatam: noſtra autem ad omnia latera repat, digitali craſſitudine, prorſus ut Eryngium cæruleum, ſeu marinum, & Eſula rara in Lio Venetorum. Ego igitur officioſus heic non ero in recenſendis notis, vel radicis, vel ſucci expreſſi, quia utrumque medicamentum familiare eſt nobis, doli expers: hoc potius agam, ut perſuadeam, Parum admodum compertum eſſe diſcriminis inter Glycyrrhizam noſtram & veterum. Dicetur id autem in ſeqq. data occaſione.

VI. Hoc igitur, tanquam rei certus, præſuppono jam, Noſtram Glycyrrhizam non minus, quam veterum eſſe ὁμοίαν, aut potius οἰκεῖαν τῆς ἡμετέρας κράσεως, ut Galenus loquitur 6. *Simpl.* hoc eſt ut Arabes explicant, eſſe *Temperatam.*

VII. Hoc pulchré explicans Averroës, *Dulcem eſſe* ait *cum adſtrictione.* Nempe cum dulcedo ſignificet caliditatem & humiditatem, Glycyrrhizam non eſſe calidam & humidam, quia ſtypticitas ſua (ſic loquitur) detruncat aliquid ex ſuo calore & humore, plus tamen ex calore quam ex humore.

VIII. Ubi addo, cum Galenus expreſsè dicat, eſſe tepidæ caliditatis; & vero idipſum tribuat etiam Roſis, Chamæmelo, atriplici, ſem. lini, ciſto: quid tandem ſit illud? Reſp. Modus loquendi qui oppoſitum habet in adjecto, oſtendit, caliditatem hanc eſſe ſimilem virgini vitiatæ, aut numo adulterino. Ut enim virgo vitiata non eſt virgo, numus adulterinus non eſt numus: ita caliditas tepida, non caliditas. Quid ergo eſt? Frigiditas. Hoc conceptis verbis docet Galenus 1. heic, cum tepidæ caliditati ſubjicit, *Proximè temperatum eſſe*, declinando verſus frigiditatem. Hoc enim infert, *Tepor.* 2. Cum amplius ait, Natura humana frigidius eſſe medicamentum. Quod cum dicat Braſſavolus quoque, *Exam. ſimpl.* miror, quomodo ſimul dicere poſſit, Calidam eſſe in 1. gr. remiſſo? Igitur ita intelligere oportet Galen. Glycyrrhiza non procul abeſt à temperie, quia declinat leviter verſus frigiditatem & humiditatem, tu puta, reſpectu corporis intemperati. Cum temperato enim eſt temparata. Et hoc eſt, quod Serapio ſcribit, laudato Galeno; Virtus ejus prima eſt virtus frigidior complexione corporis humani, &c. Hunc ſenſum dare oportet & Averroi & Avicen-

cennæ, qui dici poſſunt loqui de noſtra potius Glycyrrhiza, quam efficaciorem eſſe juſſi.

IX. Conſiſtit autem efficacia, partim in odore quodam aromatico, acoro vero non diſſimili: partim in dulcedine excellentiore, tamen, quod tu mireris, cum amarore, omnibus leguminoſis familiari. Vide Cordum 2. *Hiſt.* 57. Geſnerum *in Hort. f.* 257. *b.* Penam, *Adv. f.* 405. Paſinum in *Matthiol. f.* 132.

X. Quo loco, ut demam tibi admirationem, quid cauſæ eſt, cur plerique ægri abominentur ſaporem noſtræ Glycyrrhizæ? Propter amarorem, qui in veterum Glycyrrhiza non erat. Hæc cauſa eſt, ut, cum deliberatur de potu ordinario febricitantium, ubi proponitur à mulierculis, ſemper quæram, bibiſtine antea? Poteſne ferre?

XI. Quo loco ne quid diſſimulem, ſunt, qui amarorem acceptum ferunt cortici, quem ideo abradunt. Sed nihil eſt. Sunt, qui vetuſtati. Et hoc nihil eſt. Semper enim nos utimur recenti.

XII. Quia igitur amaror eſt interior, (augetur is etiam à diuturniore coctione, ut reliquis dulcibus) ab eo verò eſt abſterſio? Eſtne ſemper tutus in leniendis aſperis? Non eſt, quantumvis reclament ignari.

XIII. Interim obtunditur acrimonia, ſi detur cum paſſo, ut Dioſcorides præſcribit. Cum hoc additamento fit ϛομαχικὸν, ut apud Dioſcoridem ex Plinio docemur, Marc. Vergilio & Cornario; manet tamen & ϛομαχικὸν in magnis ardoribus.

XIV. Quin progreditur eò, ut & ἡπατικὸν & νεφριτικὸν ſit. In hepaticis utitur Archigenes 8. κ. τόπ. 9. In Hydropicis Plin. fortaſſis, cui ἄδιψος eſt, extincto calore præter naturali: Scythæ propterea ejus uſu ſitim tolerant ad 12. dies, ut Theophraſtus habet *l. c.* Qui ἄλιμον etiam faciunt, præcipites ſunt.

XV. Decidi hinc poteſt lis, quam movent quidam, Annon calidior ſit noſtra Glycyrrhiza quam veterum? Eſt: ſed non eouſque, ut inutilis ſit in magnis caloribus.

XVI. Quæritur etiam, ſuccuſne ſit calidior radice, an contra? Succus eſt temperatior radice. In expreſſione enim exeunt partes aqueæ & dulces, manent terreſtres. Quomodo ergo ſuccus eſt fortior, quod Avicennæ tribuitur? Iis complexionibus, quæ ſucco ſunt propriæ, ut loquuntur quidam.

XVII. Reſtat, ut de ſyrupo de Glycyrrhizæ ſucco pauca dicam. Is duplex eſt, ſimplex & compoſitus. De illo res plana eſt: de hoc, qui Meſue tribuitur, controverſum eſt, Aquane deſtillata ſit accipienda, an potius infuſum.

XVIII. Quidam accipiunt utriusque ana partes æquales? Hoc nondum ſatis eſt. Cum enim adſtringentia in affectibus pectoris nonniſi in modica quantitate

admittantur; illa vero quantitas jam adſit: videtur roſarum infuſum, & ſuperfluum, & noxium eſſe.

XIX. Nec ſufficit Trincavellii excuſatio, odoris gratia addi: non enim ad rem reſpondetur. Vera igitur reſponſio eſt, Meſue ſcopum fuiſſe tantum principio fluxionum conſulere velle, cum opus eſt occluſione viarum. Hinc omnes adſtringunt affectibus ſolùm frigidis: ego vero in calidis & tenuibus non minus locum habere puto quam ſimplicem, incraſſando ſcilicet & leviter abſtergendo. Incipiendum igitur ab hoc ſyrupo & progrediendum ad ſyrupum de hyſſopo, finiendum tandem in ſyrupum de marrubio. Ita ſenſim magis calefaciemus, attenuabimus & expectorabimus.

CAPUT CV.

DE GOSIPPIO SEU *Bombace.*

I. IN re obſcura dico, quod ſcio, *Gauſape* (videtur eſſe barbaræ orginis) indeclinabile, aut *Gauſapa*, *orum*, hinc factum *Gauſapina*, ſubaudi Veſtis, eſt tegmen villoſum, nocturnum, *ein Ungariſch Roke.* Mutato a in o, & addita Latina terminatione, fit *Goſapium* aut *Goſipium*, non *Goſſipium*, aut *Goſſypium*, arbor illa ἐριοφόρος, quam Theophraſtus 4. *Hiſt.* 9. creſcere dicit in Tylo, maris rubri inſula, & ex eo Plin. *l.* 12. *c.* 10. *&* 11. ubi veſtes inde factas *Lanigeras* & *Goſſampinas* vocat. Idem *l.* 19. *c.* 1. fruticem à pluribus vocari *Xylon*, & facta in de lina, *Xylina.*

II. Sum ejus ſententiæ, primævam appellationem eſſe ἐριόξυλον, quæ vox apud Ulpianum Juriſconſultum eſt, diſtinguentis hanc lanam arboream à leporina, anſerina & caprina, &c. Vulgus vero brevitatis ſtudio appellaſſe *Xylum.*

III. Sed unde eſt *Bombax*, ſeu *Bambax*? Apud Suidam corrumpitur: ego vero certus ſum, veram ſcripturam eſſe *Bombyx.* Ita enim Plinius, *Ex fructus interiore bombyce lanugo netur.* Revera, differentia hæc eſt, ſericum net ipſe bombyx: lanam hanc homines, è qua pannus levidenſis, *Barchet* dictus.

IV. Mihi libet erudire Botanicos noſtros, quatenus planta ſit perennis? Scio, quid Bellonius ſcribat 2. *Obſ.* 101. Illuſtriſſ. Radzivillius *Itinerarii ſuiſ.* 146. Semel ſatum creſcit ſemine deciduo in tertium annum, ſed ſemper degenerat, ut opus ſit nova ſatione.

V. In Officinis eſt uſus ſeminis tantum, in quo tutando Natura heic laná præſtat, quod in aliis pericarpio. Eſt bonum, quamdiu medulla vireſcit, ut in piſtaciis. Hoc Serapio dicit calidum & humidum eſſe. Idipſum monſtrat ſapor ille ſuavis, nucleis pineis aut amygdalis non abſimilis.

VI.

VI. Unde licet conjectare, cur adeo laudetur in affectibus pectoris! Præterquam enim quod abſterſionem quandam habet, facit heic, quod ficus facere ſolent, ut ex Galeno dixi ibi, eſt (inquam) reliquis medicamentis vehiculi loco. Quare poteſt craſſos ibi contentos humores attenuare & incidere (tu puta, cum aliis acribus) itaque ad expectorationem præparare.

VII. Eodem modo & hepati & renibus amicum eſt, expediendo obſtructiones incipientes. Eodem, ſemen augere creditur, vi ſcil. abſterſoria promovens illud ad exitum. Sed & flatulentia ſua non parum facit, præbendo ſemini tumorem, qualem fluctus exhibent in mari. Sed & alimenti bonitate non parum proficit. Propterea Nicol. Myrepſus vult additum ſyrupo ſuo reſumptivo.

VIII. Dyſenteriis etiam utile eſt, lenitate ſucci obtundens acres exulcerantes humores. Ita in dyſenteriis quibusdam puerorum. Tu vero heic reſpice etiam ad oleoſam ſeminis ſubſtantiam, qua non minus atque amygdalæ, & aliæ nuces, capiti nocet, præſertim, ſi jam rancidum ſit.

IX. Laudatur oleum expreſſum in calidis lentiginibus faciei. In Ægypto, ut author eſt Alpinus, extrahunt *mucilaginem*, ut ex Pſyllii & Cydoniorum ſeminibus, cujus uſus in febribus ardentibus, tuſſibus corroſivis, &c.

CAPUT CVI.

DE GRAMINE.

I. APud Theophraſtum 1. *Hiſt.* 5. ſpecies ſubordinatæ conſtituuntur δένδρον, θάμνος ἢ φρύγανον, καὶ πόα. Ita enim legendum eſſe doceo *Animad. in eum locum.* Jam, τῆς πόας ſpecies eſt ἡ ἄγρωστις, quam Lobelii imitatione, primam omnium plantarum ſtatuit Bauhinus, non ut Methodus ſit, quam ſolus. Cæſalpinus profitetur, ſed ut qualiscunque ordo in hoc genere viventium, ut ibi dixi.

II. Veteribus nonniſi paucæ erant cognitæ ſpecies Graminis, quas ſua induſtria dictus Bauhinus produxit ultra numerum ducenarium.

III. In Officinis noſtris uſurpatur id, quod omnium primum eſt, & eſt *Gramen Dioſcoridis*, Dodonæi & Bauhini. *Gramen Canarium* ſeu Caninum Lobelii, quod in eo ferè peccent canes: Nobis *Quecken*, odor *Queckengraſs*. *Quecken* autem, authore Cordo, ſunt Saxonibus *jumenta* depaſcentia. Cluſius aliud habet pro Dioſcorideo, id videl. quod XC. eſt in ordine *in Phytop. Gramen Caninum alterum* Lobelii, quod jam Officinæ quædam receperunt. Aliæ rurſus XCVII. volunt, quod eſt *Gramen nodoſum Dodonæi.* Gramen bulboſum Lobelii & Penæ.

IV. Nec puto peccari hac in re, cum facultates non differant. Præſupponimus autem, Galenum 6. *Simpl.* agere de eo genere, de quo Dioſcorides, quo-

que, quod & diligenter ſeparat à Parnaſſio, quod tamen hodie in cenſu graminum non eſt.

V. Ut rem noſtram agamus, ait Galenus Radicem graminis vulgaris modicè frigidam & ſiccam eſſe, cum partium tenuitate & acrimonia quadam. Et addit, In activis quidem in 1, frigiditatis gradu eſſe: in paſſivis autem temperatam. De ſemine ait imbecille eſſe, quod ego intelligo, nullarum virium.

VI. Ex his intelligitur, quam craſſe errent noſtri, qui radicibus graminis indiſtincte tribuunt, quod Galenus diſtinctè ſingulis partibus. Interim hoc verum eſt, radices, ob partium tenuitatem, à Galeno laudatam, egregiè facere obſtructionibus viſcerum, calculo renum & veſicæ, &c. partim, quod ſine calefactione agant hoc opus ſuum, quod profecto rariſſimum eſt: partim, quod cum adſtrictione, qua tonum reddit partibus.

VII. Creditur adverſiſſimum eſſe vermibus, non tantum ſapore abhorribili, ut Serapionis Interpres loquitur; ſed & inſigni penetrantia.

VIII. Non minus facit contra febres malignas vi ſua exſiccatoria, ut & contra fluxus alvinos, præſertim puerorum. In hos fines utimur fere aqua, ex tota planta deſtillata, non quidem noſtratis, ſed illius, quod ſecundo loco dictum eſt, *nodoſi* ſeu *tuberoſi*. Scribit enim Marcellus Empiricus apud Dodonæum; In ſtranguriis decoctum in vino ad medietatem, deinde expreſſum & colatum, tam egregiè facere, ut ſemel tantum datum, perrumpat, nec opus ſit repetitu. Ex hoc caſu licet tranſire ad alios. Eadem pene facere ſemen pratenſis ſeu tertii, Lobelius & Pena obſervant, cum hac prærogativa, quod ſimul abſtergat & diſcutiat.

CAPUT CVII.

DE HEDERA.

I. HEDERAM neque ἀπὸ τȣ͂ *Hæreo* eſſe, neque ἀπὸ τȣ͂ *Edo*, nec ipſi Varroni affirmanti credam. *Ederam* eſſe falſam ſcripturam, certus affirmo.

II. Hanc Græcis eſſe κιτ̃ὸν ἢ κισσὸν quàm certa res eſt: tam dolendum eſt, τὸν κιςὸν aut Attice κιςθὸν, tantopere confuſum fuiſſe cum illo, ut integra inde naſcerentur opera.

III. *Hederam* non eſſe niſi duplicem ajo, *Arboream*, & ἐπιγεῖον. Illa fruſtra diſtinguitur in *Corymbiferam & ſterilem*. Hoc enim vitio individui fit, ut Bauhinus noſter loquitur. Eadem iterum fruſtra in *hederam ſcanſilem & rigentem*, quæ δενδρόκισσος ἢ ὀρθόκισσος dici meruit. Accidit enim eadem ipſa in eam, quæ baccas habet vel nigras, vel rubras, vel aureas. Accidit enim & hoc. Poſterior χερσόκαρπος dicitur

tur & διονυσιὰς, εἶδος, *Bacchica*, quod coronatus ex India redux Bacchus hac uſus fuerit. Inde Poëtica, quod Poëtæ non minus furant, quàm Bacchus ipſe, qua de re *in App. Poſtcur. noſtr.*

IV. Et hæc de prima ſpecie, quæ hoc à Natura peculiare habet, quod prima ipſius folia ſunt inciſa & varia, poſteriora & ſumma rotunda. Solet enim Natura ſcindendo, procedere à ſimplici ad varium. Altera ſpecies ἕλιξ dicitur, ἀπὸ τοῦ ἑλίττειν, *à circumvolvendo*, quæ nunquam arboreſcit, ſemper folio acuminato.

V. Hederæ in Officinis rarus eſt uſus: quin petunt inde Chirurgi folia tantum, quæ fonticulis imponunt duplici de cauſa: *altera*, quia caliditate ſua alliciunt humores acres: *altera*, quia frigiditate prohibent inflammationem.

VI. Sed cur tam rarus eſt uſus? Quia periculoſus eſt, ob naturam ejus ancipitem, inquit Plinius *lib.* 24. *cap.* 10. Hoc Tragus explicat, 2. *Hiſt.* 88. quia modò calida eſt, modò frigida, ob diverſitatem rerum, quibus ſe applicat, qua de re vide *Cuſcutam.* Et hæc cauſa eſt, cur illa modo deſerat ſpes noſtras, modo vincat, & præcipites agat: foris tuta ſit, intùs intuta.

VII. Quæ cauſa eſt nobis ſufficiens, cur ſilentio involvam totam hederam, non ignarus, & veteres & recentiores quoſdam periclitatos eſſe, cum quibus ego non ſtulteſcam. Nec velim quemquam ſecurum eſſe ſub velo partium heterogenearum Galeni. Niſi enim rectè explicentur, in errorem ducunt.

VIII. Idem moneo de gummi Hederæ, quod idem Galenus cum Dioſcoride & Plinio tam acre eſſe ajunt ut pſilothrum ſit. Quod nobis venditur, retorridum quid eſt, & fatuum. At quod exhedera colligitur, longè aliud eſt, dicunt quidam è noſtris: nec plura tamen. Ideo ſino.

IX. Quæritur quod ſit *gummi Alzanach*, in Diachylo maj. Meſue? Quidam utrâque acceptant gummi illud falſarium. Ego hoc uno me abſolvo, Meſue non vult gummi ſed gluten, Id vero ſit *Ichthyocolla.* Vide Monachos *in Meſuem*, & Cronenb. *in Diſpenſ.*

X. *De oleo hederæ* videris Evonymum, qui Geſnerus eſt. De *unguento* Caleſtanum, Alexandrinum, alios.

DE HEDERA TERRESTRI. Vide CHAMÆCISSUS.

CAPUT CVIII.

DE HELENIO SEU ENULA CAMPANA.

I. ΕΛΕΙΝΟΝ (non ἐλένειον) ſcribo ſpiritu aſpero, ab Helena, famoſiſſimo Græciæ ſcorto, propter cauſam *Notis in Gal.* dictam. Loquor autem de Helenio 1. Dioſcoridis cum quo idem eſſe credo Inulam vel Enulam Plinii *lib.* 19. *cap.* 5. Horatii, Catonis, Paladii, aliorum rei ruſticæ ſcriptorum. Ubi ſi incidat alicui *Helenium venenatum* Gal. *lib. de Ther. ad Piſ.* 10. dico, legere me ibi *Belenium* ſeu *Velenium*, ex Ariſt. *lib. de Plantis cap.* 7. Vide Notas in dictum locum Galeni.

II. In uſu nobis eſt radix Helenii vulgaris.

III. De cujus facultatibus ſi quæras, dicet tibi Cordus, illam quidem ſaporem habere fervidum & amarum: folia autem & flores cum parva acrimonia amareſcere: ſemen acre eſſe: ſed vix quidquam amaroris habere.

IV. Hinc patet calidam & ſiccam eſſe: quo gradu? In alio utique humida & recens: in alio arida, contrà quam alii, qui indefinitè loquuntur. Quod ergo Averroës & Avicenna dicunt de 2. gr. accipio de radice ſucculenta, & recenter eruta: quod Braſſavolus & Dodon. de 3. in arida. Habet autem cum hoc ſuo calore humiditatem excrementitiam, ſed maxime viridis, ob quam, ut Galenus ſcribit, primæ qualitates non ſtatim ſe produnt. Non eſt tamen propter illam humida, certè nullatenus in 3. licet Serapio & Tragus velint. Refutat hoc Averroës & ait, Incidere craſſam pituitam in pectore. Quæ enim hoc faciunt, non ſunt humida.

V. Habet inciſionem hanc & attenuationem ab acredine, cum multa partium tenuitate: quemadmodum abſterſionem ab amarore, ut ſæpe dictum eſt.

VI. Noſtri propterea Franci pro tuſſiculoſis, tempore vindemiæ, faciunt vinum enulatum. Quæſtio eſt, an prodeſſe etiam poſſit hæmoptyſeſi, ut eſt apud Dioſcoridem? Marco Vergil. ſuſpectum eſt: Paſinus prorſus abſcindit. Cauſa manifeſta eſt, quod medicamentum tam acre, quod menſes & urinas cit, ſtringere vaſorum ora non poſſit.

VII. Nec eſt, quod cogites de vi cauſtica, de qua Pena: longe enim hinc abeſt Helenium, vel experientia teſte. Ab amarore eſt, quod lumbricos, & (ut Plin.) mures necat.

VIII. Veteres condiebant ad uſum domeſticum, præcipuè, ſi quos in familia haberent, qui frigidis ventriculi affectibus eſſent obnoxii, & ob id capitis doloribus.

IX. Uſus eſt à cœna, quo tempore etiam alvum reddit morigeram, domita pitui-

pituita, in ventre, & inteſtinis ſtagnante. Oportet autem vitare copiam, maximè in iis, qui habitu bilioſi ſunt. D. Platerus, præceptor meus, vocabat *aroma Germanicum*, & valde laudabat præ Zingibere & aliis Indicis.

X. Sed & exteriore uſu eſt laudabile, vocatque Galenus μετασυγκριτικὸν, è quo phœnigmos parat in iſchiadicis & aliis, quibus ex alto evocare oportet.

XI. Quæſtio eſt an recte Dioſcorides in ulceribus utatur cum melle? Diſſuadet Gal. 5. κ. τόπ. 2. ob acrimoniam. Quare cauſa ceciderit Tragus, qui laudat in exulcerationibus internis. Tibi fas ſit examinare etiam reliqua ipſius empirica. Ac ne quis pro Dioſcoride pugnaturiens, urgeat τὸ ὑποδριμὺ, ſciat ex MS. Conſtantinopolit. Matthioli, legendum eſſe δριμεῖαν, quod, ſenſu etiam judice, ſit partium tenuiſſimarum.

XII. Hinc exhilarare creditur, non minus quam *Nepenthes Homeri*. Habetur alicubi *Oleum de Enula campana*, quod in malis frigidis non infimum locum occupat. Habetur & *Unguentum*, cujus uſus in ſcabie.

CAPUT CIX.

DE HELIOTROPIO, EX QUO Torneſole *Officinarum*.

I. Ἡλιοτρόπιον non dicitur Græcis eo ſenſu, quo ἡλιοστρόφιον, καὶ ἡλιοσκόπιον: ſed hoc quidem, quod ſe ſubinde vertat ad Solem, etiam non apparentem nobis: illud autem, quod circa τροπὴν τȣ̃ ἡλίȣ floreat. Hoc ipſum ſignat Italicum, Gallicum & Hiſpanicum *Torne ſole*, & hoc ſibi vult Cluſ. 4. *Rar.* 31. cùm à Græco nomine deducit, non quod quis cavillari poſſit.

II. In Officinis non eſt ſermo de ulla herba; ſed de laceris quibusdam pannis, tinctis colore vel cæruleo, vel ſanguineo, vel purpuro-cæruleo, quibus incoctis medicamentis quibusdam conciliatur color quidam amabilis & vinoſus. Hunc colorem plerique Botanicorum petunt, ab Heliotropio Dioſcor. *lib.* 4. *cap.* 185. & Plin. *lib.* 22. *cap.* 21. Verum, cum duplex ſit, *Majus* & *Minus*, non explicat ſe ullus, ex utro ſit.

III. Quin Cluſ. & Bauhinus *Tricocco* tribuunt. Poſtremus omnium Plinius Neapolitanus, ut quidam vocant, Imperatus, 4. *Hiſt. nat.* 44. hæc habet verba: *La Torneſole faſſi de viole ammaſſate, & è di facile alteratione alcontatto di altre materie. Paſſa toccato della calce in celeſtino.* In his tribuitur tinctura *Violis*. Sed modus eſt obſcurus. Licet enim τὸ *Ammaſſate* habeat in ſe τὸ *Maſſa* Latinum: volui tamen interrogare alios etiam Italiotas, qui reſponderunt, nihil aliud eſſe, quàm *Violas contuſas* redigere in unam maſſam, ut ſervari poſſint humidæ, quod de roſis fieri vidi ſæpenumero. Ubi ego: ſed quid de *pannis*?

IV. Paucis, *vividus ille & penetrantiſſimus color oſtendit magnam partium tenuitatem, quæ ipſa neceſſario conciliat medicamento* (eadem eſt ratio vinorum, intinctuum, &c.) *vehementem penetrationem*, & conſequenter, vaſorum quidem apertionem: humorum autem attenuationem non inferiorem.

V. Qua ratione ne quid fiat, quod fieri non debebat, caveant cautores iſti. Imprimis in fluxionibus res odioſa eſt: contrà in melancholicis conſtitutionibus vix ſatis laudari poteſt heliotropium, quippe, quod inde & *herba del cancro* dicitur, & *delle verruce*.

VI. Quo factum, ut in Officinas etiam quaſdam irrepſerit, ſub nomine vel *Verrucariæ*, vel *Verrucariæ ſcorpioidis*. Licet nobis illa uti in menſibus, in partu, in ſecundinis Quin in lumbricis, & tenuitate, & vi purgatoria, qua apud Dioſcoridem & Plinium pollet, mirifica eſt, præcipue, ubi pituita regnat.

CAPUT CX.

DE HORMINO UTROQUE.

I. SI eſt ἀπὸ τῦ ὁρμᾶν, ſubaudi πρὸς τὰ ἀφροδίσια, omnino denſum habet ſpiritum. Mirabile dictu eſt, quomodo apud Gal. & Paulum degenerarit in φίρβιον? Videtur ex ſola obauditione factum primum, manſiſſe deinde, ut Galenus ſæpe dicit, *Errante primo ſcriba, errat mox alter*.

II. Duplex eſt apud Dioſcoridem & Plinium *Sativum* & *Sylveſtre*, quorum *hoc* & majus *Scarlea* dicitur in Officinis, & eſt III. apud Bauhinum: *illud* & minus, *Gallitricum* apud Bauhin. Horminum Sylveſtre Matthioli & Cæſalpini, *Verb. ſalvif.* Lobelii, quamvis non rarò confundantur ita, ut *Scarlea* ſit *Gallitrichum*, & *Gallitrichum Scarlea*. *Scarlea* eſt à Germanico *Scharlach*, qui color eſt coccineus ſeu chermeſinus. *Gallitrichum* dicitur eſſe *Galli criſta*, à florum ſimilitudine. Invenias & *Matriſalviam*, & *Salviam agreſtem*, necnon *Ambroſiam ſylveſtrem & agreſtem*. In quibuſdam una & ſola ſpecies, 1. ſcilicet illa, quæ rubros habet apices, non quæ purpureos.

III. Heic quæſtiunculæ quædam ſunt agitandæ, ut facultatum doctrina fiat firmior. I. Uſuale hoc horminum eſtne *Sativum* vel *ſylveſtre* Dioſcoridis? Neutrum eſt. *Non ſativum*, propter argumenta Matthioli, *partim in Dioſcor. partim in Apologia contra Amatum*. *Non ſylveſtre*: eſt enim in ſemine tantum differentia. II. Eſtne alterutrum Plin *lib.* 22 *cap.* 26. Pro quo hoc monendum eſt, eſſe ilum convictum erroris, quod legerit πρέσου loco πρασίυ. III. Cum Theophraſt. 8. *Hiſt.* 7. ex quo Plin. *lib.* 10. *cap.* 10. habeant unum tantum horminum, utrum horum ſit? *Sativum*.

IV. Quia inter Cerealia habet. IV. Utrum Cereale hoc horminum, cujus apud

apud Galenum quoque mentio 1. *Alim.* 33. ut & Aëtium, ſit idem cum *ſativo Dioſcoridis*? Matthiolo quidem non videtur: Cæſalpino autem ſecus. Quia enim, ut ſcribit 11. *Hiſt.*29. Cucumino ſemen ſit ſimile etiam guſtu, numerari alicubi potuit cum Cerealibus. Sed id ipſum non eſt *Scarlea noſtra.*

V. V. An *Horminum Dioſcoridis* ſit *Tuderi* Meſue, Avicennæ, & Rhaſis? Ex Meſue quidem & Rhaſi nihil collegeris: Avicenna autem deſcribit omnia ſua ex Dioſcoride. Sed obſtat, quod Horminum quibusdam locis ſit duplex, *album & nigrum*, quod de *Tuderi* nuſpiam eſt. Qui *Been* propterea ſubſtituerunt, ſolidè refutantur à Monachis *in Tripheram Galeni, Meſue.* Ego puto, Tuderi poſſe eſſe Horminum, quia datur Horminum etiam flore albo. Et ſufficit dilutiores eſſe. Hoc non repudiarint illi, qui norunt cum hormino uſuali magnam illi eſſe affinitatem, & in facie plantæ, & in facultatibus.

VI. Ad quas ut vel tandem accedamus, hoc ab initio tenendum eſt, Quidquid ſtatuerit quis de identitate Scarleæ noſtræ cum hormino ſylveſtri Dioſcoridis, convicere nos odorem graviſſimum, Scarleæ eſſe illam longè validiorem dicto Hormino Dioſcor. Unde fortaſſis apud Gallos in eam nominis celebritatem venit, ut *Or-vala* ſeu *Or-valla* vocaretur, quaſi dicas *Auro contra valoroſum.* Item, *Toute bonne*, *Tota bona.*

VII. Interim non perſuadebit mihi odor ille, etiamſi alterum Dod. adſtitem habuerit, calidam & ſiccam in gr. 3. eſſe. Rationemdo ex Galeno, quæ tenuium ſunt partium videntur calidiora quàm ſunt, ob penetrantiam. Ita quæ vaporoſa ſunt, v. g. crocus, ſtyrax, vinum, non ſunt calida ultra 2. gr. Utrumque eſt in hormino, præcipue in ſemine, quod alicubi lupulo ſubſtituitur, & cereviſiam facit pene inſanam, Pena, *Adv. f.* 241. Adſtipulatorem habeo Avicennam in Tuderi, quoad caliditatem: at quod de humiditate ab illo dicitur, nullius rei eſt, ut jam ſupra alicubi innui.

VIII. Ut ergo calida eſt Scarlea certò: ita ſicca certò: verum cum magna vaporoſitate. Argumento ſit, non cereviſia tantum, ſed & vinum, quod ab impoſitu tantum herbæ plane Muſcatellinum mentitur, & facillimè decipit incautos.

IX. Habet præter partes tenues, etiam craſſas, quibus egregie abſtergit & mecamentum fit in omnibus oppilationibus (ut barbari loquuntur) præſtantiſſimum.

X. Habet etiam laudes ſuas in affectibus pectoris pituitoſis. In inſeſſionibus comparatur cum dictamno. In affectibus oculorum mucago ſem. creditur appropriata eſſe. Vide Matthiolum *de mulieribus Italis*, & Mizaldum *in Secret. hort.* Hæc de Scarlea ut magnifica ſunt, ita de Gallitricho, ſeu Hormino minore non inſuper eſt habenda Dodon. monitio. *Iners eſſe & nullius facultatis.* Quod notent illi, qui pro Eupatorio uti volunt aut Betonica. Quin facile carere illo poſſunt Officinæ.

CAPUT CXI.

DE HYOSCYAMO ET TABACO.

I. INter plurima Hyoſcyami nomina manſerunt illa tria. I. & uſitatiſſimum eſt hoc Græcum, quod *Faba-ſuilla* Latinis eſt. Hinc Philo, in ænigmatica ſua antidoto, 9 κ. τόπ. 4. vocavit *Fabam ſuis Arcadicæ.* Retinuerunt Officinæ, ſed corruptum in *Juſquiamum.* Cauſam ejus appellationis, quod paſtu ejus apri convulſionibus moriantur. II. *Apollinaris.* Cauſam credo, quod qui ſumpſerint, delirent inſtar poëtarum. III. *Altercum* Plin. *lib.* 25. *cap.* 4. Arabicum eſſe vult. Non credit id Scribonius Largus, & deducit ab *altercando*, quod perpetuas altercationes moveant, qui ſumpſerunt.

II. Jam ergo tria habemus ſymptomata hujus veneni, de quo poſtea.

III. Triplex eſt etiam differentia ratione majoris & minoris nigredinis, pro cujus differentia, ſymptomata quoque variant. Variant etiam ratione ſoli natalis. Romani utebantur, non ſuo, ſed *Cretico*, ut ex Galeno diſcimus 1. κ. γέν. 4. Fortaſſis, quia odoratus eſt, ut hodie paſſim per Orientem, obſervatore Bellonio *lib.* 2. *cap.* 76.

IV. Uſus fuit olim, & eſt hodieque ad anodyna. Innocentior eſt albus noſter. Sed & in partibus diverſitas eſt. Radix, (quæ tamen in uſu non eſt) ſecurior eſt foliis, 5. *Simpl.* 19. & ſemen toſtum 9. κ. τόπ. 5. in paſtill. dyſent.

V. Diverſitas etiam in ſucco eſt. Ita Dioſcorides βέλτιον τῦ ὀπῦ τὸ χύλισμα. quod ita intelligo, Expreſſus quoquo modo ſuccus eſt tutior illo, qui ex inciſa planta profluit. Eſt enim isopio ſimilis. Ideo Avicenna ſubſtituit Rurſus, expreſſus ex ſemine ſiceo, affuſa aqua, tutior eſt illo, qui ex tota planta viridi fit.

VI. Hujus malignitas ex eo patet, quod ultra annum ſervari non poteſt, διὰ τὸ εὔσηπτον, inquit Dioſcorides. Medio modo, niſi fallor, habent ſe paſtilli, qui ex tuſis & expreſſis foliis, inſperſa farina tritici trimeſtri, conficiuntur.

VI. Tandem aqua deſtillata omnium tutiſſima eſt, attenuatis jam partibus frigidis à calore ignis, præſertim, ſi foris imponatur in linteolis. An tutius eſt Emplaſtrum διὰ βοτάνον, quod deſcribitur 4. κ. τόπ. 13. 6. κ. γέν. 2. propter acrium admiſtionem?

VIII. Tu vero jam nauſeas fortaſſis ad iſta? Non mirabor, ſi nauſeabis etiam amplius intellectis difficultatibus, quæ ſunt in facultatum explicatione!

IX. Quamvis enim omnes concedant, hyoſcyamum in activis eſſe frigidum: non conſentiunt tamen in gradu. Difficilior res eſt in paſſivis, his quidem dicentibus, ſiccum eſſe, illis autem humidum. Tanto difficilius eſt negotium hoc, quod ad 3. gradum ſiccitatis adſcendunt.

X.

X. Mihi videtur, aliter eſſe judicandum, ſi Galeni ſententiam intueamur: aliter, ſi rei veritatem De Galeni ſententia quia ναρκωσις eſt à frigido, niger & luteus hyoſcyamus (jam in Medicina ſunt damnati) ſunt frigidi, non in 3. tantum gr. ſed & in 4. Quia enim ſunt inutiles & deleterii, ut ait Galenus 8. *Simpl.* quod eſt, quia refrigerando interimunt, ut 4. *Simpl.* 15. *Cauſ. morb.* 3. ſe explicat, non poſſunt non in ultimo gr. eſſe Albus autem in 3. ſubſiſtit, ut Galenus definit, melius omnino, quàm Dodonæus. Quare illi, vel prorſus ſunt abdicandi, vel certe non admittendi, niſi in magnis cauſis, & cum cautela magna, ut Monachi loquuntur.

XI. At in rei veritate quia ναρκωσις eſt à ſubſtantiæ proprietate, omnis hyoſcyamus non eſt frigidus ultra 3. gr. ut Braſſavolus & alii definiunt, & inter hos albus eſt tutior, præſertim ſemine, 5. *Simpl.* 19. & iterum 8. *Simpl.*

XII. Rurſus, omnis hyoſcyamus eſt quidem ſiccus, cum humiditate quadam excrementitia: ſed non in 3. gradu ut Avicenna vult. Siccitas etiam non æqualiter eſt in omnibus partibus. Tanta enim latitudo eſt inter folia & ſemen, ut Galenus 5. *illo Simpl.* dicat ſemen eſſe ſiccum, folia humida. Ita enim explico locum, ne pugnet cum tribus aliis, 3. *Meth.* 8. 12. *Meth.* 5. 8. κ. τόπ. 3. quibus non tantum ſemen, ſed & folia & ſuccum ait ſiccare.

XIII. Omnis igitur hyoſcyamus eſt ſiccus quodammodo in 2. gr. ut Braſſavolus determinat, cum multa humiditate excrementoſa, quæ interiore uſu mirificè turbat principium ſenſus. An propter hanc humiditatem, non ſecus ac cicuta, ut ex Helidæo dixi, eſt emolliens in bubonibus peſtiferis, ceu ex vetuſtiſſimo Secretorum libro Wekkerus refert? Certe, propter illam ipſam videtur oleum emollire, ut Dioſcorides tradit.

XIV. Et hæc quidem hactenus mihi viſa ſunt de facultatibus hyoſcyami primis, quæ ſi non probantur tibi, non ego feram moleſtè. An ergo altius ordiendum hoc modo?

XV. Duo ſunt in hyoſcyamo. *Alterum*, vis manifeſta refrigerans & ſiccans, non ſine tamen accidentali humiditate. *Alterum*, vis occulta narcotica & deleteria, quam Galenus *Totius ſubſtantiæ* eſſe ait Unde ex 5. *Simpl.* 14. hoc accepto. Si quis hyoſcyamo modicè utatur, exſerere ſe tantum qualitates manifeſtas refrigerandi & condenſandi: ſin liberalius, jam etiam occultam, hoc eſt, cum condenſatione etiam obſtupefieri partes ſi amplius, occultam eſſe tam potentem, ut occidat.

XVI. Ergo, quod ad manifeſtas qualitates, uſus eſt hyoſcyami in affectibus calidis tantum, cum humoribus calidis & tenuibus, ut Galenus definit 12. *Meth.* 8. Tales ſunt deſtillationes, à dicto humore factæ in oculos, aures, dentes aſperam arteriam in articulos, in alias partes.

XVII. Sunt & ſanguinis profluvia ex tali ſanguine, ſive ex naribus, ſive ex pectore, ſive ex utero, ſive aliunde.

XVIII. Heic duo agit hyoſciamus. 1. Humorum tenuitatem corrigit, caliditatem obtundit. 2. Partem affectam denſat & confirmat, ut recipiendo minus apta ſit. Sed enim quia vix conſiſtere nobis licet intra primum illum limitem, præſertim interius, ſit aliquando, ut temerè impingamus in alterum. Et cum ſæpe velimus idipſum cum duobus nempe dictis, etiam adimere ſenſum partibus, atque ita lenito dolore, gratificari ægris: ſit iterum aliquando, ut ſecundum prætergreſſi, ex improviſo offendamus ad tertium.

XIX. Tum verò μετρίαν παρακοπὴν ἐργάζεται τὰ φύλλα Dioſcorides ait, & Plinius *Foliis mens corrumpitur, ſi plura quam* 4. *bibantur.* Et eſt hoc indiſtinctius quam quod Dioſcorides dixerat, τρυβλιοπλῆθος, *acetabuli menſura.* Quod mirum non expreſſiſſe eundem Dioſcoridem *l.* 6. *c.* 15. cum παρακοπὴν illam limitans, ὁμοίαν ait eſſe τοῖς μεθύουσιν, *ebriis.* Multo magis mirum, Nicandrum hujus παρακοπῆς ne meminiſſe quidem, ſed unum tantum ſymptoma, tumorem gingivarum, produxiſſe, cum tamen pleraque remedia numeret.

XX. Cæterum, qui ſymptomata hyoſcyami noſſe velit, habet, præter dictos duos Aëtium *Tetr.* 3. *l.* 1. Avicennam 2. 2. *c.* 360. Tragum 1. *Hiſt.* 41. Penam *Adv. f.* 10. Jul. Alexandr. *Notis in Gal. Quod animi.* Schenk. *Obſ.* 42. *l.* 7. *Obſ.* 152.

XXI. Apud nos ex ſemine hyoſcyami albi fit *Oleum*, cujus ad parandum ſomnum miræ ſunt vires, temporibus illitum. Eſt etiam in uſu in gonorrhœa & nimiis menſibus, regioni lumborum & perinæo adhibitum. In doloribus aurium, ubi leviora anodyna non inveniunt locum, cum croco aut caſtorio etiam infunditur. Ita in dentium doloribus cum lana imponitur. Cautione autem opus eſt, ut ſit legitimè paratum Contundunt enim agyrtæ quidam totam plantam, & anno toto defodiunt in terram, in duabus ollis, ut oleum fiat per deſcenſum, uti Euonymus nobis ſignificat. Hunc vide *p. f.* 110. *b.*

XXII. Sequitur de

T A B A C O.

UT agam, quod *Hyoſcyamum Peruvianum* vocant plerique. His ſe opponunt illi, qui non volunt concedere frigidum eſſe, cum caliditatis ſigna adſint plurima. Et vero jam dixi, vim narcoticam eſſe à tota ſubſtantia.

XXIII. Allatum id fuit è Florida Americæ, præſertim adjacente Inſula *Tabaco*, unde nomen habet. Factum id circa annum 1578. & 59. Ulyſiponæ in Luſitania, à Joan. Nicotio, Legato Gallo, *Nicotiana* dicta, à Nic. Tornabono, Italo Epiſcopo, in Galliam Legato, *Tornabonia*, Cæſalpino 8. *Hiſt.* 43. Accepit vero etiam nomen a Regina matre, Catharina Medicéa, à Cardinale S. Crucis, à Magno Priori neſcio quo: imo vero & ab effectu, *Panacea*, *herba ſancta*, *Sana Sancta*, *Indianiſch Wundcraut.*

XXIV. Scripſit de ea primus, quod ſciam, Carolus Stephanus 2. *Agricult.* 79.

79 Taurini Allobrogum 1583. Italicè, cum ipſe quidem Gallicè ſcripſerit, ut ipſus videtur innuere, adjutus ab ipſo Nicotio. Quidam referunt ad Iac. Gohorrium, Pariſinum, qui de *Pæto* (qua de voce jam) Gallicum ſcriptum ediderit. Paulo poſt, 1587. de *Panacéa* ſcripſit Æg. Everartus, Antverpiæ, in 16. Multo ante, circa annum Chriſti 1573. ut Cluſius eſt author, ſcripſit Nic. Monardis, Hiſp. ex relatu eorum, qui ex Braſilia venerant. Braſiliani dicuntur vocare *Petum*, ſeu *Pætum*. At Leerius longe aliam herbam hoc nomine ſignat. Certe, Thevetus, non magni nominis ſcriptor, *Pun* facit nomen regionale, unde *herba Puntiana*. In Officinis uſurpabantur olim folia *Pæti latifolia & anguſtifolia* tantum, ſub quo nomine deſcribit & pingit Cluſ *in Monard.* & eſt I. & II. ſpecies Nicotianæ apud Bauhinum *in Pinace*: nunc tantus eſt abuſus foliorum ſiccatorum; & in funem contortorum pro fumo quotidiano, ut mirabile ſit dictu. Vocant *Tabact drincten.*

XXV. De facultatibus jam dixi litigatum fuiſſe, frigidum an calidum ſit? Calidum eſſe oſtendit odor reſinoſus, non ingratus, ſapor acris & mordax, unde extendunt & calorem & ſiccitatem ipſius ad 2. gr. Quod ſi linguam mordet, ajunt, non eſt propterea ultra hunc limitem. Partium enim tenuitas mentitur majorem calorem. Ex eodem odore & ſapore licet conjectare, abſtergere & diſcutere egregie, una cum inſigni penetrantia. Cui quia jungitur humiditas excrementitia, ut in hyoſcyamo, facile ad caput evolat, facitque non ſomno ſantum, ſed & mirabiles viſiones, ut norunt Indorum Sacerdotes.

XXVI. Sed & quia cum hac ipſa humiditate adeſt acredo quædam, caput purgat à pituita. Propter abſterſionem, quam odor imprimis docet reſinoſus, quàm ſit commodum ulceribus, etiam phagedænicis, non hominum tantum, verum etiam jumentorum, notorium eſt. Prodeſt etiam vulneribus & ulceribus venenatis, pro quibus, vel unguenta parantur, vel balſama, vel ſolus crudus ſuccus inditur.

XXVII. Propter eandem abſterſionem, in cutis fœditatibus inſigne eſt. Quo ipſo refutatur Dodonæus qui vulnerariam eſſe vult ſola repulſione: imo non repellit ullo modo. Propter eandem abſterſionem cum penetrantia in affectibus pectoris miracula facit, qua de re vide Augen. *in Epiſt. tom.* 2. *l.* 4. *epiſt. ult.*

XXVIIII. In frigidis ventriculis, & inde ortis flatibus, in tumoribus œdematoſis, inſtrumis, pernionibus; quin imo in obſtructionibus viſcerum frigidis, in infinitis aliis, quid poſſit, dicat tibi Everartus & alii experimentatores.

XXIX. Ego hoc tantum addo, vino infuſum egregiam corporis vacuationem moliri.

XXX. Tu vero exſpectas à me judicium de fumi uſu illo quotidiano? Audivi ab amico, ex Anglia reduce, Sereniſſimum olim Regem Jacobum VI. publicè in Academia Oxonienſi, diſputaſſe contra hanc fatuitatem, oſtenſis exemplis illorum, qui laboraſſent quidem diu inſanabilibus pectoris morbis, deliriis, inſom-

ſomniis, convulſionibus, &c. poſt mortem autem inventi fuerint pulmones habuiſſe totos nigros & retorridos, non ſecus ac ſi fumo indurati eſſent. Audivi à militibus in Belgo verſatis, vidiſſe ſe diſſecta capita eorum, quibus patera cerebri, ab Anatomicis dicta, tota interius eſſet nigra; licet à carnifice interiiſſent. Audivi à patritio Norico, qui in ſuperiori bello Bohemico vidit, omnes, qui in conflictu cum hoſtibus interierint, Anglos, habere talia capita. Hinc diſcant ſapere illi, qui ſapere alias nolunt.

XXXI. De *unguento uſuali duplici ex Tabaco*, hoc tantum dico, eſſe uſum illius in ſcabie fera, in ſcrophulis exulceratis, in ulceribus antiquis, quin in vulneribus etiam recentibus.

CAPUT CXII.

DE HYPERICO, SEU *Perforara.*

I. APud Dioſcoridem *l.* 3 *c.* 171. & *ſeq.* quatuor ſunt plantæ ὑπερικὸν, ἄσκυρον, ἀνδρόσαιμον, καὶ κόρις, quas ego nunquam aliter concipere potui, quam unam plantam, magnitudine quadruplici differentem. Plinius *lib.* 26. *cap.* 8. 11. 14. 15. & iterum *lib. ſeq. cap.* 5. intricatior eſt, quàm ut certi quid inde erui poſſit.

II. Ad Bauhinum *in laborioſiſſimo Pinace* cum diverto, ſubito video & Hypericon, & Aſcyron & Androſæmon in una rubrica. In ſequentibus nihil aliud reperio, quàm differentias accidentales. Quod vero admireris, ex inſperato fit nova diſtinctio, Hypericum, Aſcyrum dictum, & tamen crebro interjectum Androſæmon. Tum vero ſeorſim Coris.

III. Ut tædium inde conceptum exſpuam, non poſſum aliter quam relinquere omnia ſuo loco: & arripere *Hypericum vulgare*, & converſus ad adoleſcentem, Hem tibi *Hypericum Officinale* quod (dico tibi fide mea) modo perforata habet folia, modo non habet, fortaſſis ratione ætatis. Si alius oſtenderit tibi ex acervo Bauhini aliam, non aſpernabere. Idem ſi cauſam tibi dixerit, cur Galenus 6. quidem *Simpl.* Androſæmon (cujus ſpeciem dicit eſſe Aſcyron) ſigillatim locarit, & rurſus *l.* 8. Hypericum, accipe grata manu.

IV. An, cum Dioſcorides ex diverſis authoribus deſcripſiſſet unam plantam, ſecutus eſt illum Galenus inconſulto? Ego conjungo conjungenda, jamque dico.

V. Quod Galenus de Hyperico pronunciavit, calidum & ſiccum eſſe, pronuncio ego de Androſæmo quoque & Aſcyro.

VI.

VI. Addo ex Avicenna eſſe calidum in 2. ſiccum in fine ejusdem. Neque decipere debet quemquam activitas illorum. Ut enim nuper dixi, tenuitas fallit.

VII. Non nego interim in aliis plantæ partibus, intenſiores & remiſſiores eſſe dictas qualitates. Verbi gratia, ſemen, quia odore eſt reſinaceo (unde Chamæpitys dicebatur) & amarum, ingratumque guſtanti, ut Pena obſervat, *Adv. f.* 172. non poteſt non aliquot manſionibus eſſe ſuper folia & flores. Forte, conceptaculum totum cum ſemine eſt validius ipſo.

VIII. Ut propterea ſcripſerit Galenus, (ita enim puto, quia Serapio hoc habet, habuiſſe exemplar illud quo Gal. utebatur) ſi quis uti velit ſem. Hyperici ad promovendam urinam & menſes, utatur fructu toto. Credo autem Avicennæ, in potu potius id poſſe, quam in peſſo, ut Serapio. Ut enim Galenus diſertè ait, facit calidum & ſiccum cum partium tenuitate.

IX. Quibus facultatibus diſſolvit & grumos ſanguineos, ſed repetito remedio, cum ſale & butyro in Cereviſia, ut Camerarius ſcribit de Polonis.

X. Idem eſt author, ſalem inde confectum, tanquam diaphoreticum aut ſudorificum, prodeſſe pleuriticis. Iisdem conducere, non quartanis ſolum febribus, quod ex Serapione urget Paſinus; ſed & tertianis, prorſus judico, idque propter obſtructiones, quas diſſolvit educta materia per urinas.

XI. Iisdem ſuccum necare vermes, credo eidem Camerario. Beſtiæ enim illæ non ferunt medicamenta valde penetrantia.

XII. In Iſchiadicis etiam locum habere credo, propter abſterſionem. Alii tamen ad vim purgatoriam referunt, de qua præcipuè Dioſcorides, & monet Paſinus, ſextarium ad eam rem eſſe nimium, ſufficere cotylam. Præter hæc habet vim epuloticam, valde celebrem in *oleo*, quod duplex, *ſimplex & compoſitum*, & utrumque variè apud varios ſtruitur. Mulieres utuntur in torminibus infantum. Chirurgi in vulneribus, affectis præcipuè partibus nervoſis.

Caput CXIII.

DE HYPOGLOSSO SEU *Uvularia, quæ & Bislingua.*

I. Ecce tibi iterum exemplum erroris apud Dioſcoridem ſummi, quem multi ante me obſervaverunt. Deſcribit enim *lib.* 4. ſed multis interjunctis, alias 4. plantas, quæ videntur non niſi una eſſe, Radicem videlicet Idæam *cap.* 44. Hypogloſſum, *cap.* 132. laurum Alexandrinam, *cap.* 147. & Chamædaphnen, *cap.* 149. Heic varia pro Dioſcoride quærunt Botanici interpretamenta, quæ nauci ſunt.

II. Ego pro Officinis abſque tergiverſatione recipio *Hypogloſſum* Matthioli, Dodonæi, & Lobelii, quod inter lauros Alexandrinas 1. eſt apud Bauhinum. Quæ objici poſſunt, fortaſſis non contemnenda, relinquo aliorum induſtriæ. In tantis enim confuſionibus deſpero ego claram lucem, quamvis multa ultra citraque dicantur.

III. De facultatibus quid dicam, anceps ſum. Quia enim planta eſt ἄποιος, & verò apud veteres nullum firmum habet veſtigium: quid facias? Si libet tibi credere novo experimento Matthioli *in Dioſcoridem*, de ſtrangulatione uterina; licet. Si Cordi, itidem *in Dioſcoridem*, de difficili partu, menſibus & calculis, itidem licet. Si Penæ, *Adv. f.* 283. de Calculo, indeque nata dyſuria, non repugno. Trago noli fidere, ſuadeo. Dodonæo multo minus. Bapt. Sardo multo minimè.

CAPUT CXIV.

DE HYSSOPO.

I. VOCABULI originem quidam ex Hebræo, Chaldæove petunt, adeoque idem eſſe dicunt cum *Origano Græcorum*. Quibus ut nihil derogo, quemadmodum neque illis, qui aſpergula Judæorum ex Origano (non autem, ut hodie, ex Rore-marino) fuiſſe contendunt: ita ſcire deſidero, quæ planta ſit *verus Hyſſopus Græcorum*. Eſt idem qui Judæorum fuit. Uterque autem ſpecies Origani illa, quæ V. eſt in ordine apud Bauhinum, *Origanum album* ſeu *Creticum*. Origanum Heracleoticum Cordi. Si VI. malis, ſeu Onite Matthioli, non pugnabo. Vide Anguillaram 2. *Sent*. 7. & 12. *cap*. 19.

II. Sed quid eſt *Hyſſopus* noſter *uſualis*? Arabum. Habet enim folium *Haſce*, i. *Tijm*. Heic mirificæ ſunt pugnæ contranitentium Andabatarum, quas ego non unius cici facio. Ita concludo, *Hyſſopus Officinarum* eſt ille, qui primo loco ſtat, ita tamen, ut nemo ſapientum repudiaturus ſit ſubſequentes varietates (ita loquor) præter *Hyſſopifoliam*. Si alicubi addatur *Montanus*, eſt ille quidem efficacior, ſpontaneus quippe: noſter vero omnis eſt hortenſis, interque illum, qui albo flore eſt, debilior eſt.

III. De facultatibus qui loqui vult, diligenter videat, ne omnia quæ de Hyſſopo veterum dicuntur, applicet huic noſtro. Fieri quidem poteſt, ſed neceſſarium non eſt, ut coincidant duarum plantarum facultates. Ideo cauto opus eſt. Ita autem ſe res habet, ſi quid video. *Hyſſopus Dioſcoridis* calidus & ſiccus eſt in 3. cum partium tenuitate, *non ſecus atque Origanum*, addit Avicenna. Quæ igitur facit, facit attenuando, aperiendo & diſcutiendo. *Hyſſopus Arabum*, quia non tantum odorem habet acrem & aromaticum, qui nares & cerebrum ingrata quadam jucunditate ferit, ſed & ſaporem fervidum, ſuaque acrimonia palatum to-

totum pervadentem, quin prætεrea amarum, ſi non eſt ſuperior illo, certe inferior non eſt.

IV. Quin audeo dicere, propter abſterſionem præſtat. Promovet enim actiones præcedentes attenuationem, &c. Quæ dixi confirmat Cordus ſuo ſenſu, ut dici poſſit, Cæſalpinum guſtaſſe forte exoletum Hyſſopum, aut male curatum. Quare dicam, non eſſe infra 4. gr. ſi non ſuperat. Quin imo in affectibus pectoris frigidis ab inculcata pituita ſine febre, luculentiores effectus habet noſter: in calidis, ut pleuritide, ſatis virium habet ille. Vide 5. *Loc. aff.* 7. hiſtoriam Siculi Medici. Alioquin apud eum quam frequens ſit uſus ipſius, videris *lib. de Cur. per Venæ ſect.* 12. 12. *Meth.* 3. 1. *ad Glauc.* 10. & *lib.* 2. *cap.* 7. 6. κ. τόπ. 1. in medicamento διαγλεύκους, 4. κ. τόπ. 1. 5. κ. τόπ. 1.

V. Sed eſtne Hyſſopus φλεγμαγωγὸς, quod Hippocrates ait 2. *de diæta*? Eſt, ubi opus eſt inciſione craſſæ pituitæ. Ideo naſturtium additur, radix iridis, eryſimum, &c.

VI. Apud Arabes eſt inter verè purgantia. Datur apud Meſuem, in pulvere quidem à ℨiij. ad vij. in decocto autem ab vj. ad x.

VII. Habemus in Officinis duplicem *de Hyſſopo ſyrupum*, de cujus confectione, quæ præcipiant illæ videre eſt apud ipſas. Sunt etiam multi-variæ ipſius deſcriptiones, quas diſtinguere fas eſt. Uſus omnium in affectibus pectoris paululum progreſſis, ubi ſcilicet de Glycyrrhiza, capilli Veneris, alii non ſatis ſunt operi, quod molimur. Habet vero hoc peculiare, quod abducit ad vias urinæ.

VIII. Habemus etiam *Electuar. Diahyſſop. Nicolai*, quod prædicant in omnibus affectibus frigidis capitis, thoracis, abdominis. De *Conſerva* idem eſt judicium. De *oleo* fieri judicium debet ex antedictis.

CAPUT CXV.

DE IASMINO.

I. APud Dioſcoridem *lib.* 1. *cap.* 66. licet non in omnibus editionibus, eſt μύρον ἴασμινον, quod ille apud Perſas fieri ait ἐν τῶν ἀνθῶν λευκῶν τοῦ ἴου. Quod perſuadeor, vocabulum eſſe Perſicum potius, quam Græcum. Adeſt enim heic unica littera, à qua queî deduci poteſt τὸ ἰάσμη? An eſt *Labyzus* Perſarum, de quo *in Poſtcuris* mihi actum?

II. Arabes cum aliàs *Zambach*, vel *Sampach* vocarint, mutarunt in *Jeſemin*, alii in *Gelſemin.* Tu cave confundas oleum hoc *Sambacinum* cum *Sambucino*, quod multis jam contigit.

III. Bauhinus *in Pinace*, ſpecies ſex habet, licet non connumerarit *Marabillas* di-

dictum *del Peru*, & *Admirabilem Perüanam* Cluſii 1. *Rar.* 5. Accenſet autem *Solanis*. Mallem ego Jaſminis, & poſtea I. ſeu *Album*, Smilaci lævi Dioſcoridis, idque auctoritate Cæſalpini. Ita σμίλακος ὄζειν apud Homerum & Ariſtophanem fuerit *Perſicum quid olere*. Hac ratione repello omnes aliorum cogitationes.

IV. *Oleum* hoc apud nos fit per inſolationem, decoctionem & expreſſionem, quamobrem validiſſimum, &c.

V. Avicenna calidum & ſiccum ſtatuit in 1. Et Serap: *c. de Neſrim*, *ſimile eſſe Jeſemin in virtute*, *niſi quod minus cal. & ſicc.* Idem dicit Avicenna *eodem cap. de Neſrim. Neſrim* autem, ſeu, ut alii *Nefrim*, eſt *roſa Moſchata noſtra*. Fuerit itaque Sambach forte in principio. 3. Adde, cum dicat Dioſcorides, Jaſminum odore tam eſſe gravi, ut non omnibus ſit gratus; Serapio & Avicenna tam validum, ut quibusdam faciat ſodam, aut etiam hæmorrhagiam: ſatis manifeſtum eſt, non eſſe infra dictum gradum. Eodem facit ſapor acerrimus, & tantum non cauſticus, de quo Camerarius *in Horto*. Vide tamen Herbarium Lugdunenſe, *lib.* 13. *cap.* 15. Comprobant id ipſum effectus particulares, de quibus Alpinus *lib. de Plant. Ægypt. cap.* 19. Ubi hoc addendum, in quibusdam curare dolorem capitis. Reſpondeo, ubi pituitæ non eſt magna copia: ubi eſt, flatuat illam, non diſcutit. Alii, inter quos Sylvius & Foëſius, comparant cum Chamæmelo & Cheirino, quos credo loqui de floribus noſtris Septentrionalibus; niſi aliter factum eſt *Oleum*, per ſolam infuſionem, aut etiam cum amygdalis, ſeſamive ſemine, quomodo gratiſſimum præbent odorem chirotecis profumatis, ut cum Italis loquar.

CAPUT CXVI.

DE IMPERATORIA SEU *Magiſtrantia, ſeu Oſtrutio.*

I. HEic ſtatim in hoc veſtigio monendum eſt, nomina hæc recentiora eſſe, tribuique tam à vulgo, quàm ab Officinis, pluribus plantis. Hoc vero ipſo committi magnos errores, v. g. cum dicunt Monachi *in Diacurc. Meſüe*, *Meum* dici *Imperatoriam*, non propterea dicunt Imperatoriam eſſe Meum, quod tamen imponit illis Matthiolus. Ita, Ruellius non propterea vult eſſe *Laſerpitium*, quia ait ita vocari à quibusdam. Interim Fuchſ. hoc vult, qui *Laſ. Germ.* vocat.

II. Ita *Oſtruthium* appellarunt, qui viderunt, Cordum velle eſſe *Struthion Dioſcor.* Alii tamen *Oſteritium* volunt, alii *Aſteritium*. Leonicenus, ut ſcribunt de ipſo Braſſavolus & Anguillara, ſtatuit eſſe *Liguſticum Dioſcor.* Sed alia eſt planta, de qua inferius. Tragus voluit Smyrnium Dioſcoridis eſſe, quod multis aſſerit Ill. Salmaſius *in Sol. f.* 1274. *b.* Contrà improbat Matthiolus *in Dioſcor.* Ne-

Neſcio qui pertendunt, *Spondylium* eſſe Dioſcoridis qui eo rem deduxerunt, ut Spondylium etiam diceretur *Oſtrutium.*

III. Qui *Magiſtrantiam* introducunt in ſcenam, videntur dicere quaſi *Magis-aſtrantiam*, *Aſtrantiam validiorem.*

IV. Summa : Quam heic volumus *Imperatoria*, eſt Matthioli & Lobelii, *Aſtrantia Dodonæi* quam Bauhinus *in Matthiol.* mediæ ait naturæ eſſe inter Laſerpitia & Panaces.

V. Hujus folia, ſemen & radices recipimus in Officinis ſed facile præſtant radices.

VI. De quibus id tenendum eſt, quod de *Angelica* ſupra dixi, multò acriores eſſe, quæ in montibus eruuntur, quàm quæ in planis. Hinc pendet conciliatio litis, quæ inter Braſſavolum & alios, de gradibus Imperatoriæ. Ait is, deprehendi experimento, & via regia Galeni, calidam & ſiccam eſſe in 2. Longe ulterius progrediuntur alii. Tragus ait, calidiorem & acriorem pipere eſſe, aliisque aromatis, ut corroſivum ſit. Pena, Multo vehementioris eſſe facultatis quàm ſit Anguillaræ & Matthiolo.

VII. Admodum acrem eſſe, guſtu mordacem. Cordus Ex radice, foliis & caulibus diſſectis manare liquorem (Dodonæus oleolum vocat) guſtu acerrimum & tenuiſſimarum partium, qui tamen habent talem acredinem, qualem coccognidium, aut tithymali lac, &c. Cum his igitur, qui ſtare volet, ad 3. aut 4. incipientem perveniet. Loquitur ergo Braſſavolus de illa Imperatoria, quæ vel in hortis crevit, vel in montibus humidioribus: Matthiolus & alii de illa, quæ in ſiccis & perflatilibus. Quæ licet habeat amaroris aliquid, non eſt id tamen cauſticum.

VIII. Ex his jam judicare licet de Imperatoriæ noſtræ imperatoriis virtutibus. Hac enim ſua caliditate & tenuitate, non ſine tamen craſſitie aliqua, & penetrare poteſt inſigniter, & abſtergere, adeoque eſt inter potentiſſima ſui generis remedia. Hinc ventriculo & inteſtinis refrigeratis reddit opus ſuum. Hinc utero reſtituit debitos menſes. Quosdam mares fœcundos facit. Obſtructiones viſcerum expedit. In colicis & flatuoſis eſt *Divinum remedium*, ultra certè & Angelicam & Zedoariam. In hydrope, in quartana, in febribus diuturnis omnibus non habet ſibi parem medicinam, modo ſint à frigore. Ignis enim purgatorii modo diſcutit. Eſt etiam apophlegmatizon affectibus capitis frigidis, paralyſi, apoplexiæ, &c. Summa, eſt *Panacea Empiricorum.*

CAPUT CXVII.

DE JUJUBIS.

I. VOX eſt Arabica, denotans baccas quasdam, in affectibus pectoris frequentatas & ideo *Bruſtbeer* vocatas.

II. Duplices ſunt, oblongæ & rotundæ. Harum vetuſtiſſima memoria creditur eſſe apud Plinium & Columellam ſub nomine *Zizypha*, à quibus Græci Arabizantes, ut Fallopius vocat habent. Hac determinatione non contenti quidam, quærunt etiam apud Theophraſtum, Dioſcoridem, Athenæum & Galenum conjecturis tam frivolis, ut me pudeat illarum. Qui vult, pleraque nomina apud Bauhinum *in Pinace* inveniet, quorum ductu deſcriptiones & picturas etiam habebit.

III. Probant Pharmacopœi recentes, amplas, graves, oblongas, carne intus multa, ſucculenta, laxa & dulci, vinoſa tamen, oſſe parco, in quo nucleus dulcis, foris ſanguineus, intus albeſcens. Vix durat ultra ſextum menſem. Tum verò muceſcunt, nigricant, flacceſcunt, &c. Quod ut prohibeant illi, varios excogitant modos.

IV. In primis qualitatibus magnæ ſunt inter Arabes diſſenſiones, quæ ita videntur ſopiendæ. Quo jubebæ dulciores & maturiores, eo magis declinant à temperie ad calidum & humidum, & contrà. Sunt pruna, ut & Sebeſten, aut certe prunorum naturam habent, ſubſtantiæ ſcil. lentæ & aquoſæ, quâ magis, minus victa à calore, ad hoc aut illud extremum declinant.

V. Nec ſatis eſt, ſi Galenus de *Sericis* dixit, ſibi nihil de illis compertum eſſe, & Avicenna id de *Jujubis* dixit, Ergo *Jujubæ* ſunt *Serica*. Hoc ſatis eſt, ſiquidem ratio & experientia dicit, Jujubas habere vim attemperandi calidos & acres humores. Ergo ita eſt. Hoc ipſum debet Practicis monimento eſſe, ne utantur Jujubis in affectibus pectoris indiſtinctè, & tamquam appropriatis. Imo in his ſolis locum habent, in craſſe faciendo, inquam, non autem in attenuando. Hac in re confirmet nos Galenus *lib. Vict. atten.* 10. (ſive Serica Jujubæ, ſive non ſint) non habere locum in eo victûs genere.

VI. Quo minus quenquam movere debet vox illa, ex Rhaſi ſine ſenſu jactata, vim habere clarificandi humores. Si verum amamus, dici debet, vim habere mitificandi, hoc eſt acrimoniam obtundendi, ne porro exulcerent, idque non in pectore tantum, ſed & renibus, veſica, & utriuſque ſexus pudendis. Hoc ipſum vero etiam, non in ſubſtantia tantum, ſed in decocto, etiam additis ſimilibus, gummi Arabico, Tragacantho, &c.

VII. Ab eſu unumquemque abſterrere debet, quod Braſſavolus obſervavit, pellem ipſarum tam pertinaciter palato adhæreſcere, ut avelli non poſſit. Quid igi-

igitur tu ſperes de confectione illarum in ventriculo? Sed neque de carne ipſa ſola magnam ſpem habeo, cum obtundatur ab aliis. Omnino opus habet vehiculo.

VIII. Quin ſi Syrupus (quidam Julepum malunt appellare) vocetur in uſum, ſive ſimplex ſive compoſitus ſit, oportet bene diluere aquis appropriatis, & crebro uti. Uſus eſt in principio calidarum fluxionum, etiam pleuritidis, anginæ, item in raucedine, in tuſſi à calida cauſa. Monent medio loco eſſe inter Syrupum violaceum & papaver. quem locum etiam Meſue illis dederit in Antidotario.

CAPUT CXVIII.

DE JUNIPERO, CEDRO ET *Cupreſſo.*

I. UT intelligatur ratio conjunctionis, pauca ſunt præmittenda. Conſtat ex Theophraſto 3. *Hiſt.* 12. antiquitùs etiam nomine eodem appellatam fuiſſe utramque plantam. Et oſtendit quidem ille differentiam in foliis, additque ὀξύκεδρον poſtea fuiſſe appellatam *Cedrum* illam, quæ antea cum *Junipero* confundebatur. Diſtinguit Dioſcorides qui *lib.* 1. *cap.* 87. *Juniperum* deſcribit, &, interpoſita *Sabina*, *Cedrum*. Sed profecto auget confuſionem, niſi correctiora nacti fuerimus exemplaria. Alia lectio eſt ex MS. Calfurnii apud Anguillar. 2. *Sent.* 6 quem vide *num.* 9. *ſeq.* Matthiolus quidem ex cod. Cantacuz. à Buſbequio allato, aliam affert lectionem, quam Cæſalpinus probat 3. *Hiſt.* 58. adducta etiam Galeni & Plinii authoritate, de duplici credro, majore & minore, in quam deſinit recentior diſtinctio inter *bacciferam* & *coniferam*. Verum illa nec Bauhino placuit, cum tota ſectione diviſerit à ſe invicem.

II. Ego vero non video, quid obſtet, quo minus ſint congeneres, in hac certe methodo, quæ ἀκρίβειαν reſpuit, ut ſæpè dico.

III. Inſuper hoc moneo, Non videri heic locum habere, quod aliàs pro certo habeo, primitiva & diminutiva apud Græcos idem ſignificare. Imo ut κέδρος eſt *Cedrus procera*, κεδρὶς *humilis* ſeu *minor*: ita ἄρκευθος eſt *Juniperus major*, ἀρκευθὶς eſt *minor*. Interim ut κεδρὶς eſt fructus Cedri: ita ἀρκευθὶς Juniperi.

IV. Sed quid eſt ἄρκευθος κέδροιο apud Nicandrum *in Theriac.* Eſt licentia poëtica de plantis vicinis.

V. Quid Cedrus nigra 2. *Antid.* 10. in compoſ. Tyrannis? maximè quia 2. *Alim.* 15. & 16. acrimonia differunt Juniperi & Cedri baccæ? *Cedrus nigra* nihil aliud eſt mihi, quàm *Juniperus noſter*, cujus baccas maturas nigras ſeu cæruleas eſſe ſcimus. At *Cedrus ſimpliciter dicta* olim, eſt baccifera noſtra, fructu flavo ſeu rubro. Illius tot ſunt differentiæ, quot Bauhinus ſui Juniperi habet: hujus non

non niſi unica, magnitudine triplici, ut idem obſervat in Cedro baccifera. Eodem modo *Cedri Coniferæ* non niſi una eſt, illa ſcil. quæ hodieque in Libano.

V. VI. Ex

J U N I P E R O

TRia ſunt in Officinis Lignum, baccæ & gummi.

VII. Abs ligno ante omnia oportet auferre maleficium, quod ex Dioſcoride illi affingitur. Scribit enim, Scobem ipſius interficere. Huic ſatisfactum eſſe quidam putant, ſi dicant, νοθεύειν. Alii oppoſuerunt contrarium experimentum, quibus ſatisfeci in Fraxino. Scobem enim heic quoque oportet accipere majuſculam, quam dolabra facit, aut ſerra chalybea manualis, qua Guajacum noſtrum à D. Raſpini cultoribus, ut ſic jocer, comminuitur.

VIII. Baccæ ſunt vulgaris Juniperi, quæ intra triennium matureſcunt, inſtar Citriorum & Arantiorum. De gummate non oportet facile credere τοῖς ῥωποπώλαις. Dicunt vocari ab Arabibus *Sandaros* ſeu *Sandarox*, corrumpunt autem in *Sandaracham*, quæ vox Græca eſt, & duo alia diverſiſſima ſignificat, 1. Favaginoſum quid, quod in alveariis reperitur, & aliàs κήρινθος dicitur ab Ariſt. 9. *Hiſt.* 40. aut ἐριθάκη *ejusdem op lib.* 5. *cap.* 22. ut & Plinio *lib.* 11. *cap.* 7. Varro 3. *Rei Ruſt.* 16. bis, & Virgil. *lib.* 4. *Georg.* (qui *gluten* vocat) aliud quid volunt, quod conſiderent illi, qui non omnia ad lucrum referunt Medico non intereſt. 2. *Metallicum* quid rubrum, Arſenico non inferius pravitate, Dioſc. *lib.* 6 *cap.* 81. Plin. *lib.* 24. *cap. ult.* & iterum *lib.* 25. *cap.* 7. *Hiſt.* 8. *Hiſt.* 24. de quo in Paralipomenis.

IX. Atque heic oritur difficultas, quomodo ſit *Sandaraca Arabum* diſtinguenda à *Sandaraca Græcorum*? Oportet addere, dicunt quidam. Inepte! Quis uteretur veneno? Utimur tantum gummi noſtro, & quidem ad exſiccandos catarrhos.

X. Sed quid eſt *Vernix ſolida & liquida?* Inveneris enim apud barbaros practitantes. *Solida* eſt gummi hoc, quod fortaſſis in Orientalibus locis ex Junipero colligitur: *Liquida* eſt Vernix noſtra, qua tubulata incruſtantur, & putatur fieri, decocto hoc gummi in oleo ſeminis lini.

XI. Sed non eſt: fit ex ſcobe ſuccini, quod bitumen eſſe ſcimus ſubterraneum, in oleo dicto decocti. Hinc intolerabilis ille fætor in nondum rectè exſiccata.

XII. Et hoc inter alios ignoravit Sylvius, qui Vernicis vocem dat gummi noſtro, & etymon eſſe ait, quod inſtar *roris verni* concreſcat. Nugæ! *Vernich* eſt Germanicum, ut à *Larich*, *Larix*, ut alibi ſcripſi.

XIII. Sed ad facultates Juniperi de tota planta ait Galenus 6. *Simpl.* calidum & ſiccum eſſe in 4. Hoc cum partium tenuitate quadam eſt. Hinc Virgil. *Juniperi gravis umbra.* Uſus eſt ideo ſummitatum, decoctarum in balneis ſudorificis pellendæ cachexiæ, hydropi, podagræ.

XIV.

XIV. Fit etiam *cinis* ex ligno, per quem cinerem colatum vinum tam potens eſt ſudorificum, ut quibusdam exhauſerit aquas aut pituitam ex toto habitu. Sed oportet ſumere bene calidum ad ℥ iiij. aut v. Fit etiam decoctum ex ſcobe contra luem veneream, ut Scaliger habet. *Exerc.* 181. *num.* 19. Hoc ex Africa venit, ubi *Hettechen* vocatur, ut Leo Africanus ſcribit, de quo ſine hujus cap. Cujus authoritate moti quidam noſtrorum, non minus efficax repererunt ipſo Guajaco. Suſtinet enim non minus crebram decoctionem, ob balſamum tenaciſſimum, ut illi loquuntur.

XV. Ob hoc, ut parum evager, lignum vix ſentit vetuſtatem, & carbones dat tantum non æternum viventes, ut tradunt quidam ex Galeno 120. Trabes etiam fuerunt Juniperinæ in templo Dianæ Sanguntinæ, cui, religione inductus, Hannibal pepercit, ut eſt apud Plinium. Ex cedro, Junipero affini, ob eandem cauſam templum ſuum ſtruxit Salomon.

XVI. Sed ſatis: de uſu ligni Juniperi in lue venerea qui audiunt magnifica illa prædicamenta, non negligant Braſſavolum, Fracancianum, alios, qui uſu hujus ligni inſtituto, nihil effecerunt.

XVII. Et hæc quidem de ligno: de baccis ſcribit Galenus *loc. cit.* eſſe & ipſas calidas in 3. ſed non perinde ſiccas, in 1. tantum. Quæ cum nimis longè diſtare videret Braſſavolus, caliditatem quidem definiit ſecunda manſione tertii: ſiccitatem autem in prima ejusdem. Ego video Galenum loqui 2. *Alim.* 15. de granis valde aromaticis, quales noſtræ non ſunt. Quæ igitur quibusdam locis dulcia ſunt, & edulia, vel temperata ſunt, vel non ultra 1. gr. caliditatis & ſiccitatis.

XVIII. Non de his, ſed de illis loquitur etiam Averroës 5. *Coll.* 42. Ex hac diverſitate pendet etiam ratio alimenti. Benigna illa dant aliquid, ſed valde parum: acria & aromatica nihil, etiamſi aquâ præmacerentur.

XIX. Interim carent hæ malis iis, quæ Galenus adſcribit granis, tam Juniperi, quàm Cedri: Imo verò ſtomacho etiam utiles ſunt, ut Dioſcorides ſcribit. De his intelligo cremorem Gal. 8. κ. τόπ. 4 in cruditatibus ventriculi, è quibus lipothymiæ. Quo loco cum ponantur juxta validiſſima adſtringentia, accipere oportet adſtrictionem Galeni de non modica, ſed ſatis potenti.

XX. Manifeſtum etiam eſt, ſi quis ſumere velit contra tormina & flatus, non eſſe accipendas præmaceratas, ſed integras, etiam non in forma alimenti, ſed medicamenti. Eadem eſt ratio obſtructionum hepatis, &c.

XXI. De crudis igitur intelligo locum 8. κ. τόπ. 3. in Antidoto hepatica Nearchi, ut & *cap.* 8. de felle urſino. Item 9. κ. τόπ. 5. in Antid. Flavii Pugilis ad dyſenteriam. In his enim reſpicimus hepar. Eædem crudæ tantum hydropi ſuccurrunt, ſtagnantibus menſibus & urinis, quantum aliud ſimplex ullum.

XXII. Quantopere laudat Averroës præcipuè in Iſchiade, cum derivatur ob materia peccans. Vide apud ipſum.

Qq XXIII.

XXIII. Præfertur in his aqua deſtillata, quod ſubſtantia ſit vehementior, & aliquando ſanguinem cieat.

XXIV. Contra venena magni nominis eſt apud veteres Antidotus δὶ ἀρκευθίδων, cujus Galenus meminit 11. *Simpl. cap. de Lemn. terra*, & eſt eadem cum Antid. prognoſtica Damocratis, 2. *Antid.* 5. Non minor eſt fama Antid. δὶ ἀιμάτων, 2. *Antid.* 3. in qua prævalent baccæ Juniperi pingues. A noſtris fiunt & aliæ Antidoti ex his baccis, contra febres peſtilentiales, quas laudo vel ideo, quia medicamentum eſt domeſticum. In his principem locum tribuo illi Cæſalp. 3. *Hiſt.* 58.

XXV. Tu vero vide Euonymum: ego enim propero ad *Sandaracum* ſeu *Vernicem ſolidam*, quæ gummi Juniperi eſt. Probatur à Pharmacopolis recens, pallida & pellucida. Talis eſt, quamdiu recens eſt. Cum inveteravit, fit flava & friabilis, maſticis modo, quam mentitur in multis.

XXVI. Hæc calida & ſicca dicitur à Serap. authoritate Meſue in 1. gr. Hoc acceptant Matthiolus, Dodonæus, alii. Avicenna utrobique ad 2. aſcendit. Mihi opera particularia amplius quid ſuadent. Sed & ſuccus, quem pars ſana tolerare non poteſt, altius it. Addo, ſi *Cedria* attingit 4. gr. cum cognatæ ſint plantæ, veroſimilis eſt ulterior gradus. Puto igitur, calidam & ſiccam eſſe in fine 3. gr. cum partium tenuitate aliqua, ſed multò majori craſſitie. Hinc ſanguinem undiquaque fluentem ſiſtit, ulcera putrida curat, cruditates ventriculi emendat, diarrhœas antiquas ſiſtit, lumbricos necat, &c. Fumus catarrhos ſiſtit præcipuè ad dentes, ut eſt apud Avicennam. In viſcerum obſtructionibus quid promittere nobis de illa debeamus, ſapienti obvium eſt.

XXVII. Et hæc de tribus partibus propoſitis. *Ol. de ligno Juniperi*, in ore detentum potentiſſimè ſiſtit defluxiones. Quomodo, inquit Sylvius, cum ſit calidum? Miror inſtituiſſe quæſtionem? uſus eſt potiſſimus in frigidis nervoſarum partium, præſertim articulorum doloribus.

XXVIII. Quærunt Pæna, *Adv. f.* 448. Cluſ. 1. *Rar.* 26. Amatus *in Dioſcor. lib* 1. *cap.* 93. & 95. quatenus comparari cum *Cedria* poſſit? Cum noſtro quod ex minore fit, non poteſt: cum Gallico, & Hiſpanico, quod ex majore, & vocatur *Ol. de Cade*, ſeu *de Mera*, poteſt, & habet in illis regionibus uſum, quem olim, in ſcabie ovium, &c.

XXIX. De *aqua ſtillatitia* baccarum hoc tenendum, ne utantur illa juvenes. Inflammat enim viſcera. In ſenibus mane accepta juvat expectorationem pituitæ.

XXX. De

CEDRI

Ligno, in Officinis uſitato, non habeo, quod dicam. An eſt loco *Hettechen* *Afro-*

Afrorum Leonis Africani, atque ita loco *Cedri Atl. & Libani?* Vide Falloppium *lib. de morbo Ital. cap.* 38.

XXX. De

CUPRESSI

AFfinitate cum utroque dictorum lignorum nihil dicam: aſpergam autem tantum pauca de *Cupreſſi nucibus* dictis in Officinis. Aliàs *Galbuli* dicuntur, & ſunt, ut aliæ hujus plantæ partes frigidi & ſicci cum adſtrictione, & ſerviunt gargariſmis affectuum calidorum oris & faucium.

Caput CXIX.

DE LACCA.

I. LAc, *Loc*, & *Luc*, Garzia ait 1. *Arom.* 8. eſſe vocem Arabicam, eandem cum *Loch*, vel *Looch*, quæ ſignificat *humorem, ad mollis craſſitudinem decoctum.* Vide Scal. in Notis. Hinc *Lacca* vel *Laccha* Græcis recentioribus.

II. Hæc vel *naturalis* eſt, illa videlicet, quæ cum ſuis bacillis pingitur à Cluſio *in Garz.* imò cum foliis etiam à Bodæo *in Theophraſt. 7. Hiſt. 9.* vel *artificioſa*, quæ eſt confuſaneum quid, ſeu magma eorum pigmentorum, quo illi vilius ſericum tingunt, & *Charmeſinum* vocant. Habetur hoc etiam in pulvere. Illam comitatur duplex fabula apud Garziam de formicis neſcio quibus: ego credo gummi eſſe arboris, quod vi ſolis excuſat, & circum ramulos tenuiores concreſcit.

III. Sed ſinamus iſta incerta & venemur longè incertius.

IV. An Cancamum Dioſcorides ſit? Hoc genus loquendi non indignabitur, qui etiam pauca intellexerit de ambagibus hujus negotii. I. Galenum citant Arabes. In noſtris codicibus nihil tale eſt. Eſt autem apud Paulum, Galeni ſimiam. II. Avic. bis deſcribit, ſub diverſis nominibus, *Keiken* & *Cherchen.* III. Theophraſtus & Athenæus non meminere: Plinius ſolo verbo. IV. Dioſcorides non eſt extra ſuſpicionem mendæ. Cum enim ait. Βρωμώδες τῇ γεύσει εἶται, primum vacillat in eo, quod naribus tribuit, quod linguæ eſt. Deinde, ſi maximè cum Cæſalpino tranſponas, ὥπερ ὡς θυμιάματι χρῶνται, videbitur tamen oppoſitum eſſe in adjecto. Non ſufficit excuſatio Braſſavoli, *Exam. Simpl. f.* 507. V. Serapio, Dioſcoridem laudans, non habet hanc vocem. VI. Paulus mutat in contrarium, εὐῶδες. VII. Nemoſcit, ſitne odoratum per ſe, an ignis ope? Heſch. quidem poſt Dioſcoridem ducit nos ad hoc poſterius, cum θυμίαμα vocat: ſed non eſt ſatis. VIII. Quæ ſimilitudo eſt inter *Myrrham* & *Laccam* noſtram? Ne odoris quidem. Qui autem eſt in Lacca noſtra ſignatoria, à miſtura aliorum aromatum eſt.

V. His tenebris ſepti quidam, diſtinctionem parant. Tu loqueris de factitia & impura: nos de nativa & pura. Cedo ergo, inquam notas veri Cancami. Si Cordum *in Hiſt.* attuleris, non deerunt quæ opponam, *Sapori amaro*: alii enim nullum ſenſerunt, ſiquidem ſub dentibus crepat inſtar arenæ, tantum non inſipida. Imò verò ſunt, qui gratum ſaporem perceperunt. *Odori jucundo, ſi accendatur*: ſunt iterum in promptu, qui nullum ſenſerunt, imo qui fœtorem. *Colori ruffo ſeu flavo*: ſunt pariter, qui rubrum ſeu ſanguineum. Reliqua non attingo, quia communia. Hinc adeo factum eſſe credam, cur omnes pharmacopœi *Laccam præparatam* velint. At vero, ut vulgaris modus merito abſurdus dicitur a Cordo *in Diſpenſ.* ita quem ille ſubſtituit, medicamentum facit compoſitum. Quod tacite concedunt illi qui *Ablutionem* hanc *Nutritionem* faciunt.

VI. Sed ſit & maneat ſimplex: omnes illi, qui *Succedaneum* quærunt, evertunt illam per cuniculos. Monachi *in Meſuem*, etiam ridiculi fiunt Matthiolo, cum *ſanguinem draconis* nobis porrigunt. Tolerari poſſunt, qui vel *Styracem* vel *Myrrham*: ſed quid hoc rei eſt? Ut quod incertum erat, an lacca ſit cancamum? jam certum ſit, non eſſe, imo ex Officinis ejiciendam. Interim pro ſuccedaneo accipio laccam hanc factitiam.

VII. De facultatibus pauca omnino cognita ſunt, quæ paucis ideo expediam. Calidam & ſiccam Averroes in 2. gr. facit. Diſtinctius Sylvius & Foëſius calidam in 1. ſiccam in 2. Guſtus enim non percipit calorem, niſi quatenus amariuſcula eſt. Eſſe autem calorem cum partium tenuitate, oſtendit color rubeus obſcurus, quem lanis imprimit pertinaciſſimè.

VIII. Hinc dialaccæ uſus in viſcerum obſtructionibus. Hoc per analogiam monſtratur ex 6. κ. τόπ. 1. qua de Medicamendo ſtomatico, ex gulioca juglandium. Tamen hoc intereſt, quod lacca non adſtringit, propterea tot alia adſtringentia in compoſitione illa. Uſurpatur etiam ſola in iiſdem obſtructionibus, ut & menſibus.

IX. Sed qua doſi? Nihil definio, quia nondum definitum eſt, an revera ſit Cancamum. De compoſitione moneo, duplicem eſſe, Majorem & minorem, quarum illa tantum frequentatur: verùm non in forma Electuarii, ut Meſue voluit; ſed in rotulis.

X. Eundem effectum cum habeat *Diacurcuma*, quæritur quem reſpectum ad ſe invicem habeant? *Dialacca* eſt temperatior, ideo tutior. At ſi conſtet, morbum eſſe à frigore, efficacior eſt *Diacurcuma*. Rurſus Dialacca potentius abſtergit, ad cruoremusque, ut Falloppius obſervavit. Ejuſdem uſus ſunt *Trochiſci de Lacca* Meſue, qui videntur anteire illam vi diuretica.

C A-

Caput CXX.

DE LADANO ET HYPOCISTIDE.

I. HÆc res altius ordienda eſt. Κιϛσὸς Græcis *Hedera* eſt: κιϛος ἢ κιθὸς Atticè, aut κίϛσαρος peculiaris planta eſt nullumdum Latinum nomen ſortita. Inter has duas plantas nulla eſt ſimilitudo, præterquam ſoni literarum aliquot. Et habet *Hedera* ſuas ſpecies, de quibus ſupra: habet & *Ciſtus* ſuas, & dicitur alius *Ciſtus* ſimpliciter. isque vel *Mas*, vel *Femina*: alius *Ciſtus-lēdon*, qui tertium genus facit apud Dioſcoridem, Hoc λῆδον mutatur in λάδον, & per epentheſin, λάδανον. Hoc ſignificat vel ſuccum reſinoſum & pinguem, foliis plantæ inſidentem, qui in maſſas coactus *Ladanum*, vel corruptè *Laudanum* in Officinis dicitur.

II. Præter hunc ſuccum eſt ibi alius, qui *Hypociſtis*, aut corruptè *Hypoquiſtis* vocatur, factus primo vere per expreſſionem mirabilis excreſcentiæ, quæ viſitur non in *Ciſto* tantum, ſed & in Ciſto *Ladanifero*, uti Botanici appellant. Ubi conferre oportet utrumque hunc ſuccum. Hypociſtis gummi potius eſt, quam reſina, quia aqua diſſolvitur: Ladanum contra, quia oleo diſſolvitur, ſed ad ignem, etiam ſolum, & ſine oleo, 3. κ. γέν. 7. Ladano molli hoc tantum accidere. Durum enim & ſiccum in mortario lævigatur.

III. De

LADANO.

PRimum quæritur, An Ciſtus-ladon ſpecie differat à reliquis, quod Arabes volunt? An potius loco tantum natali, quod Galenus 7. *Simpl.* An omnis Ciſtus habet aliquid, ſed quidam inſignem ejus copiam? Et hoc ſpeciem conſtituere poſſit. Accidit hoc in calidioribus locis, Creta, Rhodo, Cypro, &c. At, inquit Cordus *in Dioſcorid.* improbatur, quod ex Lybia & Arabia! Inſtantia peti poteſt ex Plinio *lib.* 26. *cap.* 8. *Nobilius in Arabia.* Deinde, an ros augeat ſubſtantiam. Videtur, quia ros in illis locis pinguis & aërius eſt.

IV. Colligendi rationem oſtendit caſus. Cùm enim hirci & capræ, odoratorum (ut Plinius loquitur *lib.* 12. *cap.* 17) fruticum appetentiores, carperent Ciſtum, adhærensque barbis & cruribus ipſorum pinguedo cogeret paſtores pectere; animadverterunt non ignobile eſſe hoc odoramentum. Hinc in uſum venit funium per frutices tractio, è quibus poſtea deradebatur ladanum. Venit & modus Calohierorum hodiernorum in Creta, de quo late Bellonius 1. *Obſ.* 7. Meminere & Cluſ. 1. *Rar.* 5. & Lobel. *f.* 557.

V. Nos habemus ex Africa, inquit Cluſius. Unde unde ſit, operæ pretium jam fuerit inquirere in notas optimi. 1. Hoc ſubſtantia debet eſſe εὐμάλακτον, ut Dioſcorides, quod Plinius vertit *Molle*. Melius Cordus, *Tactu lentum & molleſcens.* Sub hoc ſunt duo alia Dioſcoridis vocabula, λιπαρὸν καὶ ῥητινῶδες. 2. Αμέ-

τοχον ψάμμυ, καὶ ῥυπαρίας, *ſine admiſtione arenæ & ſordium.* Hinc probatur τὸ διυλιζόμενον, *percolatum*, quo ipſo fit *Leve & minus ponderoſum*, quale recentiores deſiderant. 3. Εὐῶδες. Hinc ruffus 1. κ. τόπ. 1. dicit ἔξοχον πνοιῇ, *excellens quid ſpirans*. Plinius *Graviſſimo odore* dixit. Nimirum, ut Scal. *Exerc.* 211. *numero* 2. Ladanum recens non minus malè olet, quam Zibettum recens. Quod vero jam ſenuit, non ingrata ſuavitate caput, olfactumque mulcet, ut cum Cordo loquor. 4. Ὑπόχλωρον, *Viride*, inquit Plinius, cum *ſub viride* deberet, *non ſine*, inquam, *flavedine*, quamvis vocabulum Græcum ſecum fert. Tale ne Veteres quidem ſemper habebant. Ideo, quod non rectè purgatum erat, *Terrenum* vocabant: quod rectè, factitium, quaſi nativo opponentes. Magna etiam varietas eſt in vetuſtate. Quod enim lapideæ duritiei eſt, quale exhibitum vidi in Viſitationibus, inutile eſt.

VI. Tum vero ſi cogitetur de ſubſtituto, quod erit? Diſtingue, ſi principale ſit ingrediens, *Maſtix* erit: ſin materia tantum, quodvis ladanum ſuffecerit, modo liquari poſſit. Hoc peculiari nomine *Conſica* & *Conſita* appellatur à quibusdam.

VII. De facultatibus dicendum eſt, quod jam ſæpe, *Ciſtum-ladon* eſſe in cenſu earum plantarum, quæ ſunt heterogenearum partium, ita, ut partes aëriæ & igneæ prævaleant, & ſit non frigidus, ſed calidus, docente Galeno 7. *Simpl.* In ladano, quæ ſunt ipſiſſimæ partes illæ, tam manifeſta eſt caliditas, ut cum Galeno ſcribant Arabes, calidum eſſe in 1. complete, hoc eſt ut tangat 2. gr. De ſiccitate ſolus pronunciat Avicenna in 2. eſſe. Id fit veriſimile ex facultate digerendi, aperiendi, emolliendi & concoquendi. Probatur vero etiam ex partium tenuitate, quam omnes illi tribuunt. Interim non periit frigiditas omnis, qua adſtringit, ſeu ut Latiniores loquuntur, ſpiſſat. Quare, *uſu interiore*, omnia facit, quæ præſtantiſſima deobſtruentia, niſi quod abſterſionis parumper habet. Quare laudant veteres in tuſſi à craſſa pituita, in ſtranguria &c. *Exteriore*, in ſuffumigiis efficax eſt, in pellendis ſecundinis & fœtibus immortuis, in ſcirrhis uterinis, in malagmatis quibusvis. Maximè celebratur in ulceribus antiquis & cavis, cum magno labiorum tumore & duritie, quam in rem peculiare *epuloticum ex Ladano* deſcribitur 4. κ. γέν. 7. Cui ſimile ſubjicitur ex Chamæleonte cum epiphonæmate, *Chamæleontem habere vicem ladani.* Nimirum, quod 2. κ. γέν. 2. in Emplaſtro primo viridi Andromachi ſcribitur, ladanum habet utrumque, quod heic requiritur molliendi & fluxionem inhibendi. Idem dixeris de capillorum defluvio. Ut enim poſt 7. *Simpl.* 1. κ. τόπ. 1. ſcribit Galenus, & digerere poteſt ladanum humores vitioſos, calum pilorum inducentes, & firmare in cute pilos ipſos adſtrictione ſua. Facit autem hoc non niſi moderate, ut ex Gal. colligi poteſt; alopeciæ & ophiaſi (ita enim legendum eſſe conſtat) non poteſt, quod hi duo affectus deſiderent fortiora digerentia: utique Ladanum non eſſe forte.

VIII. Quærunt aliqui, an vis ipſius adſtrictoria ſit tanta, ut alvum poſſit ſiſtere, quod Dioſcorides ſcribit? Reſpondent non adſtrictione, ſed diverſione ad uri-

urinas. Hoc innuit ille, cum dat in vino veteri, & ſtatim ſubdit; *& urinam.* An ibi tantum ſiſtit, ubi ſunt cruditates?

IX. Quærunt alii ex Plinio, An habeat etiam aliquid narcotici? Certe Marc. Vergilius id obtruſum it Dioſcoridi, quam ob cauſam vellicat illum Manardus *in Dioſcoridem.* Mihi veriſimilior eſt conjectura illorum, qui Ladanum aggregant ſtyraci, myrrhæ, croco, vaporoſis aliis, quorum ſupra facta eſt mentio.

X. Habemus in Officinis *Oleum de Ladano*, cujus parandi rationes diverſæ ſunt apud Matthiolum, Caleſtanum, Falloppium *in Secr.* & Euonymum. *Emplaſtrum pro ſtomacho Textore* (aliud eſt Meſue) vocatur quibusdam *de Ladano.*

XI. Conſequens eſt, ut agam de

HYPOCISTIDE.

HEic iterum altius intonandum eſt. Summa plantarum diviſio eſt apud Theophraſtum 8. *Hiſt.* 2. *extr.* Aliæ & pleræque omnes è terra capiunt ſuccum ſuum, aliæ ex alia planta Hoc genus duplex habet nomen, alterum generale, ab effectu, αἱμόδωρον, aut (ut alia exemplaria habent) λοιμόδωρον, ἢ λιμόδωρον: alterum ſpeciale, ab herba, cui incumbit, quam depaſto ſucco enecat, ut ὀρνήβάγχη, *eruangina.*

XII. Hujus generis eſt ὑποκισθὶς, non ὑπεκυσθὶς, quod obſcœni quid habet. Hæc, ut dixi annaſcitur primo vere & Ciſto mari, & Ciſto ladanifero, non fungi ſimilitudine, ut Fuchſius, qui nunquam vidit: ſed veluti Squamata major Matthioli, ſine foliis, carnoſa, & tota veluti mali Punicæ cytinis conſtans, ut Cordus loquitur.

XIII. Heic quæro, quid ſunt cytini? Squamis, explicat Cluſius 1 *Rar.* 50. Rectè & ad naturam: ſed quid ſimile habet mali Punicæ cytinus (de domeſtica loquor) cum hac ſquamoſa compage? Utriculus eſt, ut & hyoſcyami flos, qui etiam cytinus dicitur? HÆREO, nec quiſquam me docet.

XIV. Interim Dioſcorides expreſſè, ὅμοιον τι κυτίνῳ ῥοᾶς! Vitioſus profectò eſt Dioſcorides, ut ex ſequentibus tribus coloribus. Totum enim vel purpuraſcens eſt elegantiſſimè, ut Cluſius offendit in Hiſpania: vel flaveſcens cum viriditate, uno verbo, χλωρὸν, quod exſiccatum totum fit nigrum, ut de Italico in Euganeis teſtari poſſum. Hoc ipſum cur λειμόδωρον, ἢ αἱμόδωρον Theophraſto? Nihil ambigo jam vitium heic quoque eſſe, & ſcriptum fuiſſe olim λοιμόφθορον, ἢ λιμόφθορον, quaſi dicas, peſtis inſtar corrumpens, aut defectu alimenti enecans matrem ſuam. Huc trahere poſſis & ſervare τὸ αἱμόφθορον, ſi analogicè explices τὸ αἷμα de ſucco arboreo.

XV. Quidquid ſit, quia ſiccum tantum offerunt Officinæ, qualis is eſſe debet? Sylvius & alii, Nigrum volunt, ſubſtantia (ut innui) medium inter Gummi

mi & reſinam, lentum, ſapore adſtringenti, odore non ingrato. Quo loci id monendum, quam craſſe errarunt pharmacopolæ ſupra in Galbano, *album* volentes: tam craſsè heic, qui *nigrum* optant. Diſertè enim 1. *Andit.* 17. ξανθὸς χυλὸς τῆς ὑποκιςίδος expetitur. *Ruffa*, ut ex Plinio habent ſoli Flores quod ſciam.

XVI. De expreſſione ſucci videatur Cordus, & Maranta *in Ther.* Monitos autem volo eos, qui conſcientiæ ſuæ conſulere volunt, ne utantur ſucco vel Tragopogonis vulgaris, vel Pimpinellæ, tam Saxifragæ, quam Sorbaſtrellæ dictæ. Uterque error natus eſt ex Arabibus, qui Ciſtum vocant *Barbam hircanam.*

XVII. Moneo etiam eos, qui ſuccum ipſius ciſti ſubſtituunt ſucco hypociſtidis, aut (ſi bene res cecidit) utrumque. Facultates non permittunt.

XVIII. Et de his jam dicendum reſtat, Totam plantam eſſe frigidam & ſiccam. Galeno conſentiunt Arabes, ſed quo gradu? Dicit Galenus, *ut tepidæ caliditatis ſit particeps.* Idipſum cum ſit verè frigidum ut in anterioribus comprehenſum eſt, ait Avicenna eſſe in fine primi. Et rectè: credo enim in libris Averrois eſſe errorem ſcribæ, qui tertium habet. Hoc ipſum eſt ab elemento terreo, quod infert ſic ſatis validam adſtringendi vim, qua cum ſiccitate juncta, ſanguinem ſiſtit, vulnera glutinat, partes fluxione tentatas roborat. Ideo Galenus ait, Theriacæ miſceri hanc ob cauſam, ut partibus reddat tonum. Tu quisquis es, pro explicatione τοῦ *Sic ſatis*, accipe illa Galeni 6. κ. τόπ. 3. ubi bis ponitur inter moderate adſtringentia in uvæ laxitate.

XIX. Sed quid agendum, ſi ſubſtitutio opus ſit? Plerique Acaciam accipiunt, quod Dioſcorides dicat vires illius habere. Tu iterum expoſitorem admitte, Dioſcoridem ipſum qui hypociſtidem ait ſuperiorem eſſe, & in ſiccando, & in adſtringendo. Conſultum igitur fuerit, ſequi conſilium ipſius Dioſcoridis, qui digitum intendit in ſuccum balauſtiorum.

CAPUT CXXI.

DE LAPATO.

I. ITA ſcribo, ignarus quippe unde ſit τὸ θ & th. Eſt enim ἀπὸ τοῦ. λαπάζω ἢ λαπάττω (quod derivant ἀπὸ τοῦ λάπω ἢ λάπτω) quod Attici mutant in Ἀλαπάττω, hinc λάπατἸον ἢ ἀλάπατἸον, ſubaudi φάρμακον, idem cum κενωτικῷ ἢ ἐκκοπρωτικῷ, ἢ ὑπηλάτῳ, *Lenitivo*, uno verbo hodie, Latinis *Rumex* eſt, quamvis quidam *Oxalidi* ſeu *Acetoſæ* dicendæ ſolum tribuant.

II. Species apud Galenum 2 *Alim.* 47. & 48. 7. *Simpl.* tres ſunt. 1. *Lapatum ſativum*, quod eſt Lapatum hortenſe I. Bauhini, Lapatium acutum Officin. Et quia ſativum trahit ſecum ſylveſtre, ita voco *Bonum Henricum* vulgi & Officin.

fi in. quod eſt Lapatum unctuoſum Bauhini, Tota bona Lobelii & Dodonæi. 2. Oxylapatum. Ubi dico, Cum controverſum ſit, acutumne, an acidum ſit τὸ ὀξὺ? Accipere me utrumque, & Oxylapatum, hinc quidem vocare *Oxalin* ſeu *Oxalida*, *Acetoſam* & *Acetoſellam* noſtram: illinc autem *Sanguinem Draconis Officinar* qui eſt ex Lapato ſylveſtri tenuifolio III. ſpecies. 3. Hippolapatum (ὑπολάπατον nullum eſt) quod alii *Bulapaton*, iterum duplex, *Rotundifolium* & *Longifol.* quorum illud ſupra pro *Rhapontico* habui: hoc, pro *Rhabarbaro Monachorum* nunc deſigno. Et hoc idem eſt cum *Hydrolapato Dioſcoridis*, quod eſt *Lapatum aquaticum, folio cubitali Bauhini*, imò bicubitali, quod ego vidi. Sed quid ſit de *Spinachia* Bauhini? Quia Geſnerus σευτλολάπατον, σευτλομαλάχην. Ruellius vocat, jam ſuprà ego *Betæ* junxi. Nec pœnitet facti. Folia enim, præterquam inciſuris, habitu ſunt betaceo, nec minus nitroſa, ut ſupra comprehenſum. De reliquis igitur ordine.

I. LAPATUM ACUTUM
Officinarum.

III. EST Lapatum illud vulgare, *Grindwurk*, *oder Mengwurk*, quod aliquando eſt folio latiuſculo, nec differt in facultatibus. Eſt autem frequentior uſus radicis, minus frequens ſeminis minime foliorum. Interim alicubi & totum eſt in uſu. De hoc effatum illud Theoph 7. *Hiſt.* 2. Tota forma vicinum eſt betæ. Et lucidius Galenus 2. *Alim.* 43. eſt *beta agreſtis*. Et mox, Non modo guſtu, ſed & viribus betæ hortenſi ſimilis eſt.

III. Tu verò ſcito, non poſſe inde judicium fieri de facultatum ſimilitudine. Nondum enim vidi, qui Lapato tribuerit nitroſum illud ſuperficiale. Interea, & Lapati virtus eſt compoſita, ut cum Averroe loquar: ſed hoc diſcrimine: Beta & ſolvit & ſiſtit ventrem: ſed hoc ſubſtantia ſua interiore terrea, illud nitroſitate ſuperficiali, ut loquebar. Lapatum & ſolvit & ſiſtit ventrem: ſed hoc adſtrictione ſua, illud ſubſtantia aquea. Hoc ergo ſequitur. *Beta*, quod ad activas, eſt calida: quia nitroſitas eſt valde inſignis: *Lapatum* eſt frigidum, quia aquoſitas prædominatur. *Beta*, quod ad paſſivas, omnibus ſuis partibus eſt ſicca: *Lapatum* foliis & radice humidum, ſemine ſiccum eſt. Eſt autem frigiditas herbæ ſecundum Avic. in 1. humiditas in 2. ſeminis frigiditas in 1. pariter ſiccitas in 2. Quod dico de frigiditate foliorum, confirmo ex Dodonæo, qui humiditatem prævalere ait, propter lentorem, ob quem comeſta, & facilè & cito deſcendunt. Hoc ex Avic. eſt, qui lenitatem illis tribuit. Et apparet illa ad ſenſum, ſi quis tangat, eaque evidentior eſt in hortenſi, quod ſubinde excrementoſius eſt. Quo ſenſu Plinius *lib.* 19. *cap.* 20. videtur prætuliſſe ſylveſtre ſativo. Hinc apud Horatium *in Sermon. lapati brevis herba* pellit duram alvum, ſi moretur illa. Ideo Columellæ *lib.* 11. eſt *lapatos lubrica*. Ita enim ille.

IV. Ex his intelligitur, quod alimentum inde exſpectare quis debeat? Non quale à beta, quamvis Galenus id videatur velle: ſed paucum & aquoſum, quale fere à ſpinachia, ſed ob amarorem ingratum, calidis competens, non frigidis.

V. Et de foliis quidem iſta: de ſemine Galenus loquitur 7. *Simpl.* & *de Ther. ad Piſ.* 4. qui id à Dioſcoride petiit, dicente, tam manifeſtam habere adſtrictionem, ut dyſenterias, lienterias, aliaque alvi profluvia ſanare poſſit. Tu ex Avicenna hoc habe, Frixum ſemen felicius hoc poſſe, idque propter aliam cauſam, viſcoſitatem, ut Avicenna vocat mucaginem pſyllii, qua inſtar ceræ aut ſevi tectorium quoddam præbet inteſtinis contra acrium humorum influxum. Quo admiſſo, non extendendum etiam fuerit experimentum ad alios à dyſenteria fluxus, quos lentore ſuo auxerit potius. An hic ipſe lentor inter frigendum abſumitur, jamque agit ſiccando & adſtringendo? Reliquorum experimentorum rationes non do.

II. BONUS HENRICUS, SEU Tota-bona.

VI. HAnc plantam ſi quis ad attriplices velit referre, non pugnaro. Ago de illa propter Officinas quasdam, quæ inter vulnerarias habent, *gemein Wundtcraut* vocantes, ut eſt apud Tragum.

VII. Sed quis eſt *Malus-Henricus?* Deſcribit Dodon. ex Geſnero, *cap. de Bove*, è cujus verbis hactenus ego haurire non potui, eſſe *Dentariam majorem Matthioli.*

VIII. In facultatibus conſentiunt & Dodonæus calidam & ſiccam eſſe: ego contrà frigidam & humidam, ob manifeſtum etiam tactu lentorem, quo vulnera curat & alvum ſolvit.

III. ACETOSA SEU OXALIS, & Acetoſella.

IX. HÆc citra controverſiam apud me eſt Oxylapatum Galeni. Nec moror, ſi alicubi jungit ille utramque appellationem per καὶ: hoc enim ſolenne illi eſſe, didici ex diuturna Galeni lectione, & occurrunt exempla multa in Notis meis. Loquor autem de Acetoſa majore, quæ & Pratenſis Bauhino.

X. Hanc habere vires à Lapatis non diverſas ut conſentio: ita acor perſuadet quid amplius. Hinc Averrois verbum eſt, *virtutem ipſius magis compoſitam eſſe.* Nimirum, ut eſt 4. *Simpl.* 15. acor ille ex calore eſt, aliquousque mutante, non dominante tamen, (puta,) ut acetoſa dici poſſit calida. Aquea enim frigiditas heic aliquatenus victa, facit, ut Galenus 7. *Simpl.* dicere poſſit, *Oxylapatum, cum eo, quod repercutit, ſimul digerere.* Hinc patet, quàm longè aberrent illi, qui frigidam eſſe ajunt in 3. Hinc etiam judicium fieri poteſt de paſſivis. Jam enim folia ipſius quodammodo ſiccant, ſemen etiam in 2. gr. id facit. Neque enim habent puto, lentum id, de quo dictum eſt. Quare etiam Galenus ſemen ejus in dyſenteria præfert ſemini lapati. Sed quid? agitne ſiccando, an adſtringendo? Idem Galenus *eodem loco* adimit illi adſtrictionem. An ad ſemen adigi

non

non poteſt? Quid etiam? Folia cientne, an cohibent alvum? Utrumque, illud, ubi à pituita eſt malum: hoc, ubi à ſiccitate. Uſus foliorum apud nos eſt in embammatis: apud Italos etiam in acetariis.

XI. In Officinis eſt *Syrupus de ſucco acetoſæ*, in febribus bilioſis malignis. Paratur alicubi ex illa, quæ VII. eſt apud Bauhinum, & eſt ſucculentior. Præferunt quidam illum (non ſine gravi cauſa) qui ex ſucco *Acetoſellæ*, ſeu *Lanceolatæ*, cui ſubſtitui poſſe *Oxyn trifoliam*, quæ eſt *Alleluia* & *Luiula* Fracaſtorii, in cujus aqua dat Diaſcordium ſuum, non nego. Quin addo, *Conſervam Acetoſellæ* longe eſſe præſtantiorem *Conſerva Acetoſæ*.

IV. RHABARBARUM MONACHORUM.

XII. DE hoc vide hiſtorica quædam apud Tragum. Qui verum Rhabarbarum eſſe volunt, deceptos ſe denique eſſe fatebuntur. Videtur appellationi occaſionem dediſſe Tzetzes in *Heſiodum*, qui Lapati radicem dicit vocari ῥέον. Ita enim eſt edit. Heinſ. proxima; non autem Rhabarb. ut Camerarius *in Horto* habet. Revera, nihil aliud eſt, quàm *Hippolapatum Dioſcor.* quod diſtinguit Plinius ab *Hydrolapatho*, fruſtra. Nam in paludibus ſuum naſci Dioſcor. ait. Habere facultatem purgandi, certum eſt, ſed de doſi ambigitur. Tragus de ſe ſcribit, ℥j. cum ℈. Zingiberis eduxiſſe bilem & pituitam. Alii contrà obſervarunt, habere effectus Rhabarbari non niſi in dupla, triplave doſi. In cæteris deobſtruendi & aperiendi faculatibus, ut in colore ſimilis eſt Rhabarbaro, ita idem agit. An cum adſtrictione, neſcio.

XIII. Cæterum, quia

V. SANGUINEM DRACONIS
Officinarum.

INter lapata ſylveſtria ponit Bauhinus, illius etiam meminero, vel ideo, quia idem perſuaſus eſt, eſſe ſuccum Draconis arboris, quam in frontiſpicio *Rar. plant.* Cluſius poſuit. Revera eſt genus palmæ Indicæ. In Officinis duplex eſt, alter *in granis*, alter *in pane*, de quorum neutro quidquam certi habeo.

CAPUT CXXII.

DE LAPPA MAJORE ET
minore.

I. INter denſas confuſiones harum duarum plantarum, ita puto, Majorem quidem eſſe ἄρκτειον, ἢ ἄρκτιον, ἢ ἄρκειον, ἢ ἄρκιον Dioſcoridis: minorem autem ξάνθιον ejusdem. Atque ut certum eſt, poſterius hoc eſſe dictum ἀπὸ τȣ̃ ξανθὰς

θὰς ποιεῖν τὰς τρίχας, ita incertiſſimum eſt, quæ vox ex illis ſit legitima, & an omnino ἀπὸ τȣ̃ ἄρκτου, *urſus ſeu urſa?*

II. Certum & hoc eſt, majorem dici Græcis προσωπίδα ἢ προσώπιον: Latinis *perſonatam* ſeu *perſolatam.* Qui enim, ut author eſt Mar. Vergilius *in Dioſcor. lib* 4. *cap.* 102. in Palilibus & Floralibus volebant exagitare alios incogniti, tria lappæ folia prætendebant faciei, unum fronti, duo utrique malæ. Inde herba quidem ipſa *Perſonatia* dicebatur: actores autem *Perſonati.*

III. Nec riſu digni ſunt, qui *Perſolata* & *Perſolati* ſcribunt. Ut enim refert Taubmannus noſter *in Curcul.* ex Placido Grammatico, veteres Perſola dicebant. Interim eò inclinat, *Perſolla* à *Perſona* diminutivum eſſe, ut *Coralla* à *Corona.*

IV. Digni autem ſunt, qui à *Sole* deducunt, quaſi quidam uſu horum foliorum à Solis æſtu ſe tutati ſint. Nec Plinio ignota eſt *Perſolata lib.* 2. *cap.* 9. ubi Arcion ait vocari. Meminit & pluribus locis. Ut tacere poſſint in poſterum, qui *Perſoluta* legunt. Vocatur hæc planta in Officinis etiam *Bardana*, voce vel Gallica vel Hiſpanica.

V. De facultatibus ejus pauca omnino comperta ſunt. Accipio nunc pro conſeſſo, *Arctium* Dioſcoridis & Galeni eſſe

LAPPAM MAJOREM,

VI. ET hoc ſuperædifico. Quemadmodum Arctium I. Galeni (& montanum) erat λεπτομερέσι ἱκανῶς δυνάμεως, hoc eſt, longe tenuiorum partium altero: ita heic. Quare lappam etiam compeſtus erit longè debilior in iis, quæ in hoc genere ſunt, ut conſtat ex ſuperioribus.

VII. An autem quod eſt in vulgatis Galeni Exemplaribus 6. *Simpl.* poſſideat vim abſterſoriam, dubito cum Lobelio *Obſ. f.* 318. Hanc enim exſpectes potius ab iis, quæ ſunt craſſarum partium. Quare Notis in eum locum junxi me cum iis, qui τὸ ῥυπτικῆς mutant in ςυπτικῆς. Jam vero hoc memoratur, quod etiam adſtrictio ſit à craſſis & frigidis partibus.

VIII. Quidquid ſit, acceptant Practici partium tenuitatem, & valde laudant in promovenda urina & calculo. His applaudunt, qui τὸ ςυπτικὸς intulerunt. Malum enim hoc utplurimum eſt ab ἀτονία renum, cui opponitur adſtrictio. Utuntur illi fere in eam rem ſeminibus, quibus præfero radicem, ſaccharo conditam. Intelligo quosdam valde amarè caules, primo vere erumpentes, quos in prima menſa cum ſale & pipere rodunt. An aliud quid ſubeſt? Quærunt, inquam, tales incentivum ad Venerem? Laudant in Iſchiade quod materiam abducat per urinas.

IX. De

LAPPA MINORE.

SIquidem Xanthium eſt, nihil aliud Galenus habet, quàm quod ſemen habeat δύναμιν διαφορητικὴν, ob quam vulgo imponitur ſtrumis, unde *ſtrumaria* etiam dicitur. Eadem facultate creditur ruffare capillos, ut dixi.

Caput CXXIII.

DE LAURO.

I. INtelligitur heic vulgaris δάφνη, Græcis vocata. Ex hac in Officinas noſtras veniunt folia & baccæ, olim etiam cortex radicis. Hæ partes differunt in facultatibus ſecundum magis & minus. Cum enim calidæ & ſiccæ ſint omnes, baccæ ſunt in ſummo loco, cortex in imo, folia in medio.

II. Cortex hoc peculiare habet, quod amarior ſit reliquis duabus partibus, non ſine acredine: hæ acres quidem, ſed non ſine amarore.

III. Sed in quo gradu? Baccæ, cum 10. κ. τόπ. 2. in compoſit. Iſchiad. Andr. ſint in cenſu vehementiſſimorum & calidiſſimorum remediorum; cum 6. *Simpl.* plus calefaciant & ſiccent quàm folia, quæ ipſa tamen vehementer id agunt: videri, baccas quidem eſſe in fine tertii, folia autem in principio ejusdem, adeoque hunc eſſe ſenſum Avicennæ, lauri grana eſſe ultima in caliditate.

IV. Judicarit hinc aliquis facultates olei. Cum enim baccæ ſint tales; & vero Galenus 6. κ. γέν. 2. in Emplaſtr. διὰ ἀκόνης Criton. dicat oleum abundè calefacere: quei poſſum Averroi credere, calidum eſſe in primo? Sed ita, ut tangat quid de ſecundo? Nec ſublevat, quod poſtea dicitur, compoſitum eſſe ex ſubſtantia terreſtri aduſta cum ſubſtantia frigida. Hoc enim vult, non eſſe æqualitatem inter partes calidas & frigidas. Ideo additur, *Conjunctæ ſunt cum amarore, aromaticitas (*duæ cauſæ caliditatis) *& ſtypticitas.* Nimirùm, habent quidem aliquid adſtrictionis in cortice, quam tamen acrimonia cum partium tenuitate (tribuitur hoc illis, 6. κ. γέν. 2. in Aniceto Critonis) multimodis ſuperat. Huic ſi addas amarorem, jam alia cauſa eſt, cur oleum hoc ſit ultra 1. gr. Alia iterum cauſa eſt, ſi ante expreſſionem ſeparentur cortices, quod fieri vult Andromachus in med. aur. 3. κ. τόπ. 1.

V. Ex his intelligas, quo gradu ſint folia? Forte in medio ſecundi. Habent enim acrimoniam manifeſtam cum tantillo amarore, non ſine adſtrictione, quæ in viridibus manifeſtior eſt. Ab his parum abeſt cortex radicis, etiam ſenſûs judicio.

VI. Quid igitur præſtant ſingulæ *lauri* partes? Egregiè diſcutiunt, attenuant, abſtergunt, & adſtringunt, tam foris, quàm intus. Sed quid dicis de ventriculo?

lo? Confert, an lædit? Tot authoritates faciunt, ut credam hoc poſterius potius. Ideo cum Marc. Vergilio & Cornario pro πραΰνει apud Dioſcoridem, lego βαρύνει.

VII. *Olei laurini* uſus eſt in omnibus affectibus frigidis. Verum, quia non facimus ipſi, ſed alibi facto utimur, cauto opus eſt. Eſt enim calidiſſimum, & uſu externo facile inflammat. *Emplaſtri de baccis lauri* variæ ſunt deſcriptiones, uſusque ferè eſt in Colicis. Eadem conditio eſt *Electuarii de baccis lauri Rhaſis*, in cujus uſu interiore videndum eſt, ne baccæ non de corticatæ damnum dent. Et cum non eadem ubique ſit mellis quantitas, accurandum eſt ante uſum, ut conſtet ea de re.

CAPUT CXXIV.

DE LENTE.

I. LENS *lentis*, quid differat à *Lens lendis* pueri ſciunt. Illud eſt φακὸς, ἡ φακὴ (non enim differunt) hoc κόνις, κόνιδος, à quo aliud eſt κονὶς, κονίδος *pulvis*, *calx*, *pix*, *quodvis tectorium*. Rurſus, aliud eſt φακὸς ſimpliciter dictus: aliud φακὸς ἐπὶ τελμάτων, qui tamen *muſcus* potius eſt quàm *planta*. Ideo (credo) Bauhinus *in Pinace* non tantum ſeparavit à legumine noſtro: ſed & duas alias vere plantas, quas *in Matthiol.* habet, rejecit in poſteriores.

II. In lente propoſita alia eſt *Major*, quæ *Italica dicitur*, & tantopere luxuriat, ut ad unguis humani latitudinem accedat: alia *Minor*, quæ *Germanica*, & de qua teſtari poſſum experimento proprio, vere aliquando lapideſcere in agro.

III. De hac aliquammulta ſunt dubia, quæ explicabo ordine. Inter ſcriptores de re alimentaria ſunt, qui in activis modo temperatas faciunt, modo calidas, modo frigidas: in paſſivis tam certo ſiccas, ut quidam 3. gradum attingant. Hujus diſſonantiæ cauſa eſt heterogeneitas partium, quæ (omnium conſenſu) in ſuperficie, & imo corpore eſt. Ita enim loquendum mihi eſſe video: non autem in corpore & cortice. Hinc enim inclareſcit ſimilitudo, quæ eſt inter braſſicam & lentem, & verò via fit ad tollendas lites, quæ ſunt inter authores.

IV. Ita autem infero. Aut integras uſurpamus lentes, una cum primo ſuo decocto: aut effuſo primo decocto, & ſubſtituto alio: aut uſurpamus primum decoctum ſolum absque lentibus: aut decorticatas ſuminus, unà cum primo illo decocto: aut effuſo illo, & ſubſtituto alio: aut denique alterutras, vel ſolas, vel cum carnibus, cæpis, aliisve condimentis. Quocumque modo edantur, alium oportet exſpectare effectum, vel ad caliditatem, vel ad frigiditatem nos ducentem. Inſignior & maximè notabilis apparebit, ſi vel lentium integrarum primum decoctum ſolum accipiatur: vel decorticatæ lentes ſolæ absque ſuo decocto. Tum enim verum erit, quod 1. *Alim.* 1. 18. *&* 44. 1. *Acut.* 18. *nec non* 8. *Simpl.*

ſcri-

ſcribitur, Potione quidem decocti alvum ciere: eſu autem ſubſtantiæ ſiſtere. Habent enim in ſuperficie, non ſecus ac braſſica, ſalſum & nitroſum quid, quo in jus depoſito, alvum quibusdam ab eodem cieri abſurdum non eſt, maximè, ſi cum aliis acribus, ſale, garo, pulegio, pipere, aceto, condiantur: aut etiam ſi lubricantia ſocientur, oleum amygdalinum, ſeſam. atriplex, cucurbita, &c. Habent autem ſalſedinem hanc evidentiùs in cortice, obſcurius in corpore, quamobrem excorticatæ etiam aliquid præſtant, niſi forte à reliquiis corticis id eſt. Hoc igitur abſente ſtimulo, & affusâ novâ aquâ calidâ (non frigidâ: ita enim nunquam præcoquerentur) denuo coctis lentibus non jam alvum cient, ſed ſiſtunt, ſtomachum, inteſtina, & totum ventrem corroborant, ut Galenus loquitur, maximè, ſi cum rubro vino & odorifero dentur, ut eſt apud Iſaac. Si validiorem effectum velimus, de ejusdem conſilio, addi poſſunt folia plantaginis, mala cydonia, meſpila. Nimirum jam ita domitæ ſunt partes acriores, ut amiſerint vim ſuam, & agunt partes terreæ, non ſiccando tantùm ſed & adſtringendo.

V. Hoc conforme eſt antiquo dogmati Hippocratis 2. *diæt. nu. apud Marinellum* 8. φακοὶ δὲ καυσώδεες, &c. Quod eſt, interprete Galeno 1. *Alim.* 1. *ut & Acut. l. c.* cùm utrumque ſimul ingeritur, pugna quædam fit, quando ſolidum corpus hæret ſubinde, ſuccus ad excretionem properat. Ab hac pugna mordicatio quædam & anxietas exſiſtit ex torminibus & flatibus, qui neceſſariò generantur tum, cum diverſæ facultates diverſum agunt. Dum agunt, dici non poteſt, lentem aut ciere, aut ſiſtere alvum: ſin ejiciatur cruda per ſedem, ciere. Et hæc quidem ita ſe habent: à quibus II. occaſionem ſumere oportet conciliandi loca quædam authorum noſtrorum. Qui igitur legunt apud Dioſcoridem κοιλίας δὲ ςαλτικὸς σὺν τῷ ἐσθιόμενος, tueri ſe poſſunt hoc loco, qui agit de ventriculis calidioribus, *Alim. l. c.* At, qui, κοιλίης δὲ μαλακτικὸς, &c. alterum eventum præ oculis habent, qui tam frequens eſt, ut proverbio locum fecerit apud Italos. Paſinus *in Matthiolum* delet poſterius.

VI. In his Dioſcorides conſenſerit ſibi, etiamſi ὁλοφάκω (ita quidam Græci vocant) vim tribuit molliendi, quam poſteà juri ſoli, affirmans inſuper, lentem decorticatam ſiſtere alvum vi adſtrictoria. Accidit enim toti lenti alvum ſolvere, cum per ſe vehementer adſtringat, auctore Galeno 8. *Simpl.* item *l. Alim.* 18. ubi corticem plus, carnem minus adſtringere docet. An pro ἰσχυρῶς legendum eſt ἱκανῶς? Revera enim adſtrictio lentis non eſt inſignis, ut ipſemet 6. κ. τόπ. *ult.* in med. Archig. ad aphthas dicat, lentem habere pauciſſimam adſtrictionem. An potius cum Cornario *in Dioſcoridem* legendum eſt ὐκ ἰσχυρῶς? Serapio Galenum laudans ait, Sapor earum eſt ſtypticus ſtypticitate pauca.

VII. Et Averroës (magnus Galeni admirator) eadem pene verba habet, ſi pro *Frigiditatem* legas *Stypticitatem.* Et ita legendum eſſe, duo perſuadent. *Alterum,* quod reliquus contextus totus ex Galeno eſt. *Alterum*, niſi hoc admittatur, tautologias crimen impingitur illi, imo ſibi ipſi non conſtat, illius verbis ita habentibus, *Lens habet frigiditatem non fortem, & eſt temperata inter calidum* & *frigidum.*

dum. Accedit Paulus, Galeni ſimia dictus, qui hoc tantum ait, *Adſtrictionis quoque nonnihil habet.* Et Aëtius, *Lentes non valde adſtringunt.*

VIII. III. Si tales ſunt lentes, quid in conſervatione naturæ boni habent? Veniat præceptor Dioſcorides, Empiricus is quidem, ſed à nemine unquam contemptus, qui hac tuba utitur, δυπέπλοις εἶναι, κακοςομάχοις πνευματικοῖς ςομάχου καὶ ἐντέρων. Succedat Galenus, τῶν χαριέντων χαριέςατος, & ex Hippocrate, (quo Viro!) urgeat pugnam illam, de qua tam verboſus fui. Quæ ſi vera eſt, ut eſt, dicat mihi aliquis, ſi in prima coctione tantus labor, quid ſperes de reliquis? præſertim, ſi viſcera ſint debilia? Dicat hoc Anazarbeus, δυσονείροις, καὶ ἀθέτοις εἶναι πρὸς τὰ νευρώδη, καὶ πνεύμονα, καὶ κεφαλὴν. Hoc ſi Latinè dicam, *Incommodas eſſe omnibus partibus principibus* peccaro-ne? Dioſcorides iterum, & cum eo Galenus in ſpecie ἀμβλυωπίαν facere ſcribunt. Cui addo, etiam κεφαλαλγίαν, quam ſæpiſſime numero expertus ſum à braſſica, ὁμοαιτίῳ lentium, 2. κ. τόπ. 1. antequam & has, & illam cum omnibus leguminibus, fructibus tam horæis quàm aliis abdicavi menſa mea Platonica.

IX. Interim, & lentes, & *oculis inimica coramble*, ut ex Col. *l.* 11. loqui licet, prodeſſe poſſunt quibusdam oculis, cuidam capiti, ſi humidius ſit. Hinc altero à nuptiis die invitari ſolent propinqui, *zum Sauren Kraut.* Caveant igitur lentes, & catarrhoſi, & melancholici omnes: hi, quia augent ſiccitatem: illi, quia fundunt. Careant etiam epileptici, & alii, qui ex ſiccate laborant affectibus generis nervoſi. An igitur conveniunt paralyticis? Vapores ſunt craſſiores, quam ut penetrare poſſint. In affectibus pectoris etiam non habent locum, quod ex 1. *Acut.* 27. probari poteſt.

X. Veteres ex culina curabant varios affectus, & inde eſt φακοπλισσάνη, σευτλοπλισσάνη, βολβοπτισσάνη, &c. Et hæc quidem fiunt in ἐργασίᾳ alimenti: alimentum ἐξειργασμένον quale eſt? Craſſum & melancholicum, non ſine latitudine, prout ſunt illa, quæ adduntur. Omnium minimè talem ſuccum generant excorticatæ, ſi abjecta prima aqua, cum aceto dentur, aut aliis alterantibus. Magis, ſi cum prima aqua, cæpis, porro, allio, &c. Maximè, ſi cum carnibus ſalitis, & tum, cum carnes ipſæ ſuperdantur. Ut enim non nego ſalem attenuare: ita totum hoc infercit, craſſos humores augendo. Adi Iſaac, 2. *diæt.* 24.

XII. Ex cujus oratione hoc etiam intellexeris, quale ſit hoc melancholicum alimentum? Calidum, ob empyreuma, quod terra illi dat. Quare apud Galenum *l de Sal. diæt.* 1. lens eſt inter legumina, quæ calefaciunt & ſiccant. At frigidam dicunt plerique? Ut melancholia ipſa, & cinis eſt.

XIII. At veteres Philoſophi familiariter utebantur? Quamdiu incognitum fuit maleficium. At cur Arabes tam frequenter præſcribunt in victu etiam febricitantium? Et Brudus Luſitanus non raró concedit? Vide contrà diſputantem Amatum *in Dioſcoridem l.* 2. *c.* 101. ex Galeno 1. *Acut.* 18. & 27. aliisque auctoribus.

XIV. IV. Peculiaris quæſtio eſt ex Avicenna. An decoctum illarum in febribus peſtilentibus, præcipuè in morbillis puerorum locum habeat? Deterret me auctoritas viri graviſſimi Cæſalpini 6. *Hiſt.* 10. Tenet me dubium Mundella, *Epiſt.* 17. qui una cum Cæſalpino, præter rationem ait eſſe. Campolongus, *l. de Variolis* excuſationem parat, quam non intelligo. Maſſaria 5. *Pract.* 25 proterve ágit. Ut me expediam, video triplicem Mercurialis limitationem 1. *Morb. puer.* 2 quarum 1. eſt, ne utamur primo decocto. 2. nec ſecundo, ſed 3. ſubſtantia: & diſtinctionem Fracaſtorii 3. *Mor. contag.* 4. inter ebullitionem majorem, & temperatam. Eccur rides in re ſeria? Quia NUGÆ ſunt, cum manifeſto periculo conjunctæ, verbo, *Metus diarrhœæ aut dyſenteriæ eſt.*

CAPUT CXXV.

DE LENTISCO, TEREBINTHO, *Larice, Abiete, Piceâ & Pinu.*

CONJUNGO has arbores, ut reſinæ ipſarum rectius diſtingui poſſint.

I. *LENTISCUS.*

I. HEic primum omnium ſolvenda eſt ambiguitas, quæ eſt in appellatione Græca. ἡ σχῖνος *lentiſcus* eſt ὁ σχοῖνος (quamvis etiam ἡ inveniatur) *juncus* eſt. Rurſus, ἡ σχῖνος non tantum *lentiſcum* (θαμνῶδες φυτὸν, inquit Galenus *in Gloſſ.*) ſignificat: ſed & εἶδος τι σκίλλης, *ſpeciem quandam ſcillæ.* Cui loco unguem impreſſi alibi, ſignare, non in genere *ſcillam omnem*, ſed ſpeciem illam, quæ teres potius eſt quam rotunda. Ab hac enim cognomen habuiſſe Periclem Athenienſem, ut σχινοκέφαλος diceretur, author eſt Plutarchus *in Pericle*, qui addit, τὴν γὰρ σκίλλαν ἐσθ' ὅτε καὶ σχῖνον ὀνομάζουσι, ſubaudi Attici. Hoc cum neſciret Cicero 1. *de Divin.* & qui illum ſequitur, Plinius *lib.* 18. *cap.* 25. apud Arat. *in Phænomen.* τὴν σχῖνον vertit *Lentiſcum.* Atqui *Lentiſcus* non floret μεριχῶς, ut oſtendere poſſit tria tempora arandi: ſed ſcilla ita floret. Præterea, lentiſcus non habet radicem bulboſam, ut caput humanum illi comparari poſſit, tum videlicet cum deeſt utraque προβελὴ, ceu Anatomici loquuntur: ſed ſcilla habet. Vide Cagnat. 2. *Var.* 12.

II. Cæterum, tanta eſt Lentiſci ſimilitudo, cum Terebintho, ut facile confundi poſſint. Sed duæ præcipuè ſunt differentiæ in foliis. Sunt quidem utrinque alata: ſed Lentiſci ſunt Glycyrrhizæ, Terebinthi, Lauri. Et, quod palmarium eſt, in lentiſco ſemper bina ſibi ſunt oppoſita: in Terebinthi apice unum eſt, quod facit imparitatem.

III. Ex his foliis, vel ſolis expreſſis, vel cum cortice radicis decoctis prius, poſtea expreſſis, & liquore ad ſpiſſitudinem decocto olim *ſuccus* fiebat. Hodie ex

baccis *oleum* fit, ut olim quoque, de quo Dioſcorides *lib.* 1. *cap.* 39. *& ibi* Matthiolus, quod ſervit chirothecis præcipue inficiendis.

IV. Ex arbuſto ipſo *lacryma* exſudat, quæ præ cæteris arboribus præſcriptis peculiare nomen habet.

MASTIX, vel MASTICHE.

I. Ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι, *à maſticando* dicta, ut eſt apud Athen. *lib.* 14. Hæc utplurimum ſimpliciter ita dicitur, aliquando tamen cum additamento *Chiæ*, ad differentiam *gummi Chamæleontis albi*, quod paſſim hodie in Græcia eundem & uſum & nomen habet, ut eſt apud Bellonium 1. *Obſ.* 18. *& lib.* 2. *cap.* 91. An eſt ἀκανθικὴ μαςίχη Theoph. 6. *Hiſt.* 4. 9. *Hiſt.* 1. Hujus generis & Chondrillæ eſt gummi apud Bellon. *loco poſt.* Quod enim miraculo dignum eſt, cum paſſim in Europa creſcat Lentiſcus: nullibi fœcundior eſt, quàm in *Chio* (*Schio* illi pronunciant) maris Ægei inſula: Hinc enim exportatur, non in univerſam modo Europam, ſed & Aſiam (de Africa non conſtat) cum Turcici Imperatoris magno emolumento, de quo vide dictum Bellonium *lib.* 2. *cap.* 8.

VI. Hujus notæ apud Dioſcoridem ſunt, ut ſit 1. Τυῤῥηνικῷ κηρῷ ὁμοία τῇ λευκότητι. Eſt autem *cera Tyrrhenica* factitia, 1. κ. γέν. 12. Galenus 7. *Simpl.* λευκὺν ſimpliciter probat, ut Plinius *Candidam.* Excluditur itaque hac χλωρὰ apud Dioſcoridem, quæ forte eadem cum *Ægyptia* Galeni, quam μέλαιναν vocat, & Nabathea Avic. & Capt. Scrap, 2. Ut ſit λαμπυρίζουσα, quod ex Serapione ſine ambitione verto *Pellucida.* Et hoc dicit qualis ſit candor. Non *lacteus*; cum ſubſtantia terreſtri & opaca, ſed *aqueus.* 3. Ut ſit ἀδρὰ καὶ κάπυρα. Conjungo enim & expono, *Denſa & retorrida* adeo, ut ad ignem durata eſſe videatur. Hoc vero pertinet ad *ſiccam maſtichen.* Nam *liquidam* etiam afferri ſolitam, capio ex 2. *Simpl.* 21. Explicat, ni fallor, ἀδρότητα Galenus 5. *Meth.* 4. & rurſus *lib.* 7. *cap.* 7. ut *pinguiſſima* ſit, quæque ritu aloës maſticata non comminuitur, ſed partes ſuas ſibi cohærentes ſervat. An τὸ ἀδρὰ ad gravitatem, pondusque ex Serapione referri poteſt? An ad magnitudinem ex Avicenna? Ita forte fuerit τὸ *Adulta.* τὸ καπυρὰ non poſſe referri ad colorem, conſentio Marc. Vergilio delendam tamen eſſe non conſentio. Cornarius *Valde aridam* exponit, ſive, ut ipſe vult, κα ſit particula extenſiva, ſive, ut Euſtathius docet, ſit ἀπὸ τοῦ καίειν, ſive πυροῦν. Utrovis modo ſignificabit τὸ κάπυρον, quod *valde ſiccum* eſt. An Serapio expreſſit per τὸ *Sicciſſ.* Marc. Virgil. *cap. ſeq. aridum.* Scholiaſtes Theocriti *Idyll.* 6. exponit κεκαυμένον ἀπὸ τοῦ ἡλίου διὰ τὴν θερμότητα. ut ſit εὔθρυπτος, *friabilis.* Ita enim lego & verto. Pendet hoc à priori. Si enim ſicciſſima ſit, erit etiam friabilis & laudabitur ad emplaſtra. An hæc eſt nota illa, quam alii habent, *Stridorem debere edere inter frangendum*, ſive manu id fiat, ſive dentibus. 5. ut ſit εὐώδης, *odorata.* 6. *ut minimè acris ſit.* Et hoc ex Galeno eſt 8. *Simpl. cap. de Reſinis.*

VII. Addunt tandem ex Avicenna *ut munda & ſincera ſit.* Adulterari enim dicitur

citur thure & reſina ſimpliciter dicta, hoc eſt *ſtrobilina ſeu pinea*, ut nunc qui-de ineruditus ſum.

VIII. Sed quid eſt, quod apud Avicennam legitur, corrigi, ſi per aliquot dies aceto imponatur, & iterum exſiccetur? Et quid in maſtice corrigibile eſt?

IX. De facultatibus acturus, ſeorſim explicet oportet *Lentiſci*, ſeorſim *maſti-cis*. In *Lentiſco*, ejusque tam ſucco quàm decocto, nihil fere laudaveris præter adſtrictionem. Quare commendant authores noſtri ad ſanguinem undequaque fluentem, ad fluxus alvinos & uterinos, ad procidentias ani, uterique, ad alia.

X. Præcipua ligni laus in confirmandis dentibus. Quo fine etiam fiebant, & fiunt hodieque ex illo *dentiſcalpia*, quæ dicuntur etiam oris halitum commen-dare. Adſtringit tamen non niſi modicè, ut Galenus ſcribit, qui etiam cum hy-pociſtide comparat. Habet enim, ut iterum Galenus, nonniſi ſubſtantiam a-queam, leviter calidam, cum terrena frigida non pauca.

XI. Ut dici poſſit in qualitatibus activis temperatam eſſe, in paſſivis ad 3. ſic-citatis accedere.

XII. Quomodo igitur ἐ ῥητικὴ eſt lentiſcus apud Dioſcoridem? Mihi contex-tus perſuadet legendum eſſe, ὀπελωτική ἐστι. In ulceribus enim cavis & putridis, in fracturis oſſium &c. ſuas habet laudes.

XIII. Quomodo igitur apud Avicennam eſt calida in 3. humida in primo? Mihi totum pene caput videtur eſſe de longè alia planta.

XIV. Qua de re viderint Arabicæ linguæ periti. Quo loco hoc etiam quæro quomodo Xylobalſami (Xylomaſtichen vocant quidam) ſuccedaneum eſſe poſſit? Equidem ſuprà. Terebinthum in poſſeſſionem hujus loci miſi: ſed neque Len-tiſcum contemno. Revera enim Galenus heic opus habet virgula cenſoria, adeo-que baculi lentiſcini non ſunt ſine acrimonia aromatica. Nec ſatis ſcio, quibus naribus uſus ſit Matthiolus, cum *graveolentes* ſimpliciter ſenſit. Sunt enim Clu-ſio judice, *Jucundi cum quadam tamen gravitate odoris*, *ſapore acidiuſculo adeo*, *ut ſitim arceant*, *elicita*, (quod Pena addit) non ſecus ac maſtix, pituita è cerebro.

XV. Et hæc de planta: de reſina ſcribit Galenus calidam & ſiccam eſſe in 2. ex contrariis alioqui facta qualitatibus adſtringente & molliente, ſimul digerente & ſiccante ſine morſu. Serapio heic intelligit ſiccitatem, quæ in fine 2. & prin-cipio 3. Ideo Averroës ad hunc aſcendit, & addit, Juvamentum ejus peculiari-ter eſt in ſtomacho: generaliter in aliis membris. Quod ita intelligendum eſt, tam manifeſtè juvat ventriculum frigidum & humidum, anorexia, nauſea, ructu, lienteria, laborantem, ut fere appropriata ſit; hoc bonum redundat e-tiam ad alia viſcera. Et hoc reſpectu præſtantiſſimam eſſe reſinarum concedo. Uſurpatur vel exterius, extenſa illa ſuper alutam: vel interius, deglutitis tri-bus, ſummum quinque granis.

XVI. Qui compoſitis delectantur, habent pulveres ſuos pepticos, in quorum pulveriſatione ſolet madefieri mortarium, ne, accedente à motu piſtilli calore, liqueſcat & contumax fiat. Eſt enim non tam reſina, quàm gummi, quod facile diſſolvitur in omni humido.

XVII. Propter hanc ad ventriculum prærogativam additur ab Arabibus pene omnibus purgantibus, habentque prævium Galenum. Nam 8. κ. τόπ. 2. in exam. ſimpl. Hieræ, exemplo aloës docet, purgantium vim frangere, ne ita corrumpant tonum ventriculi, præcipuè oris ejus. Serapio aliam cauſam dat, ut præbeat ſe illis vehiculum ad cerebrum, ad deducendam inde pituitam. Et petere lentiſcum caput Galenus ſcribit 2. κ. τόπ. 1. Quod ſcire debent illi, qui baccis ejus tam familiariter utuntur.

XVIII. Porro extenſæ ſuper alutam maſticis frequens eſt uſus in defluxionibus ad dentes, temporibus applicita aluta. Cùm enim in cutaneis vaſis fere eat materia, ipſa quidem intercipitur, vaſa autem clauduntur. In iiſdem malis frequentatur etiam ſuffumigium, præcipuè, ſi non ſuccedat affixio, & argumentum præbeat de via intrinſeca.

XIX. Eodem fine uſurpatur etiam pro maſticatorio. Non tantum enim inſenſibiliter exſiccat, ſed & ſenſilem apophlegmatiſmum præſtat. Eadem in dentifriciis, uſurpata, & roborat dentes, & ſordes abſtergit, & fœtorem aufert, & gingivas indolentes facit.

XX. Utebantur veteres in ſputo quoque ſanguinis, & indè pendente phthiſi, tuſſique antiqua. In inflammationibus etiam viſcerum internis valde neceſſarius eſt uſus ipſius, ob ſcopum adſtringendi, quo prætcrito, non uno loco accuſat Galenus Theſſalios aſinos, quod multos occiderint.

XXI. In inflammationibus gingivarum utitur Galenus 5. κ. τοπ. 9. oleo *lentiſcino*, quod *ex baccis* fit. *In oleo Maſtichino Meſue* ſingula ingredientia egent peculiari cura, quam commendo pharmacopœis, De uſu moneo, eſſe temperatius nardino, & 7. *Meth.* 7. ſubſtitui illi. At 11. *Meth.* 7. nardino ſubmittitur melinum, huic lentiſcinum, denique maſtichinum, quo multis paraſangis præſtantius eſt Chymicorum apud Euonymum, & alios, ſed cum ſuis cautelis. *Unguento Maſtichino* Gal. 7. *Simpl.* dat eaſdem vires cum ipſa Maſtiche. *Pilulæ Maſtichinæ Conciliatoris* ſunt multi uſus. Sed me abſterret, quod neſciam quid ſit *ſuccus Altii.* Noſtri ſubſtituunt *Syrupum de Stœchade ſeu Artemiſiæ.* Hoc vero divinare eſt.

II. TEREBINTHUS.

XXII. Τερέβινθος Græcum eſt, & dicitur etiam τέρμινθος, poëtice apud Nicandrum Τρέμινθος. Ita enim ſcribendum eſt per tranſpoſitionem litterarum in prima, & eliſione τοῦ ν. in ſecunda.

XXIII.

XXIII. Theophraſtus 3. *Hiſt.* 15. & Plinius *lib.* 13. *cap.* 6. agnoſcit duas ſpecies, *Marem* & *Feminam*, reliqui tacent, fortaſſis, quia tam minutam differentiam agnôſſe non potuerunt. Sic nec inter noſtros quisquam, ſolo Cluſio fatente rem. Interim 4. *Hiſt.* 5. eſt *Terebinthus Indica*, quam Pena & alii pro *Piſtaciis* noſtris habent.

XXIV. Apud veteres tam erant commendabiles *aſparagi*, ut in hyemem aſſervarentur, 2. *Alim.* 34. 57. & 60. Erant & *baccæ* 2. *Alim.* 38. 5. *San. tu.* 8. & ſunt hodie apud Turcas, ut Bellonius 1. *Obſ.* 67. *& lib.* 2. *c.* 96. Verumtamen intercedunt quidam, Piſtacia comediſſe olim Perſas, & comedere Turcas. Hoc probant ex 2. Itiner. Rauwolf. 8. & corollarium hoc ſtatuunt, ſimus cautiores in coacervandis facultatibus Terebinthi noſtræ, quæ fortè eſt femina Theophraſti.

XXV. Hæc fundit *Terebinthinam Officinarum*, quæ duplex eſt, ut ferè aliæ reſinæ; *Liquida*, qualis ex arbore fluit: & *Fricta*, ſeu *Cocta*, ſeu *Uſta*, ſeu aliter concinnata. *Cocta* tam diu ad ignem habetur in aqua, uſque dum ſicca evadat. *Uſta* quid differat, vide apud Dioſcoridem *lib.* 1. *cap.* 67. apud Matthiolum. Tu ſcito, ſiccari aliquando in arbore, & vocari *grumoſam*. Quidam inſtituunt quæſtionem, *Utra ſit vocanda ſimpliciter Terebinthina?* Liquida proculdubio. Hæc, non minus quam maſtix petebatur olim ex Chio, & vocatur *Chia*, 7. κ. γέν. 3. Petebatur etiam ex *Africa* ſeu *Libya*. Unde Andromachus *in Ther.* 1. *Antid.* 14. vult *Terebinthinam Africam*, ſeu *Libycam*, quod miratur Galenus, quod Chia ſemper ſit bona, Africa non ſemper ſit.

XXVI. Habemus hodie etiam ex Chio, vel Cypro; unde & nomen ſortitur. Habemus ex Sicilia quoque: quin ex Syria. Ubi notanda impoſtura, quam Cordus protraxit in lucem. Qui cum liquida ſiccam ferunt, liquidam quidam ſuo ſub nomine vendunt: ſiccam autem *Thus* vocant, ſeu *Incenſo*, nomine Italico, cum Thus ipſum *Olibanum* appellent. Quo magis ſtudendum eſt nobis, ut ex veris notis diſcamus veram & legitimam Terebinthinam diſcernere à non legitima.

XXVII. Ubi ante omnia ſciendum, quasdam in liquida eſſe evidentiores, quasdam in ſicca tam naturali, quam artificiali. *Prima* nota eſt, ut ſit διαυγής, *pellucida*. Talem vult Androm. 2. κ. γέν. 8. in Melino Menoeti, Damocrates 7. κ. γέν. 2. in primo Malagmate, Mithrid. 7. κ. τόπ. 2. in Arte. ſua. Intelligendum id autem eſt comparatè, ut Dioſcorides & Serapio explicant, ut ſit *pellucidior & clarior reliquis reſinis.* Hoc manifeſtius eſt in fricta. Siccam enim Plinius dicit *l.* 24. *c.* 6. *Candidam*, & intelligit de ea, de qua dixi. II. Nota eſt ut ſit λευκή, *alba*, ut Dioſcorides. *Vergens ad albedinem*, ut Serapio. Hoc de liquida accipiendum eſt: illud de cocta, quæ verè alba eſt. Utrumque hanc notam explicat, quod ſequitur, & poteſt III. Eſſe, ut ſit ὑαλίζουσα τῷ χρώματι, καὶ κυανίζουσα, quod Serapio exprimit ita, *Similis colori vitri, & colori cœleſti.* Cordus ita,

Vitrea aut candido-cæruleum colorem affectans. Hæc tria ſi quis velit jungere, hic erit ſenſus, *Terebinthina debet eſſe omnium maximè lucida, cum candore quodam obſcuro ad cæruleum tendente.* IV. Ut ſit καθαρὰ, *pura*, ut Damocrates 6. κ. γέν. 12. in Emplaſtr. *Ægyptio*, & iterum 7. κ. γέν. 16. in Acopo altero. Nimirum, hoc apud Dioſcoridem eſt commune omnibus reſinis, δεῖ μέντοι προδιυλίζειν, &c. Tum vero addit, γίνεται ἐξόχως λευκὴ, *fit eminenter alba.* An igitur καθαρὰ eſt illa, quæ *Pura* dicitur Plinio, aliis φρυκτὴ ἢ πεφρυγμένη? Ita. Cui rei ſi non ſatis locus Dioſcoridis allatus, is intelligat eundem in deſcriptione Cyphi, poſtulantem ῥητίνην ἀποκεκαθαρμένην. Ad Cyphi autem requiri *Terebinthinam coctam*, omnes norunt. Audiat etiam Galenum 3. κ. γέν. 2. agentem de ſiccitate actuali reſinarum quarundam: *Huic*, inquit, *ſuccedit, quæ ex fictilibus* ἀκάθαρθος *ſumitur nec fricta, quam ſi purges, infrictam mutabitur.* Confirmet hoc amplius Damocrates in Myracopo ult. 7. κ. γέν. 16. ubi vult τερμινθίνην λευκὴν, καὶ κεκαθαρμένην. V. Ut εὐώδης, τερμίνθου πνέουσα, *Odoris boni*, inquit Serapio, *habens odorem arboris Grani viridis.* Tu nota obiter appellationem Arabicam baccæ terebinthinæ. Nota verò etiam, quod vult odorem terebinthinum proprium. Sed quæ eſt illa proprietas? Theophraſtus 9. *Hiſt.* 2. ſcribit, ſuaviſſimum eſſe, & qui ſubito impleat totum conclave. Hunc ſenſum faciunt mihi verba illa εὐωδεστάτη, καὶ κουφοτάτη τῇ ὀσμῇ. Supinus igitur Plinius *lib.* 24. *lib.* 6. cum obſcurum per obſcurum explicat, imò, omittit vocem τῇ ὀσμῇ, quæ præbet nobis lucem, *Odoratiſſimum & leviſſimum* ait. Diligentior Alpinus meus 4. *Med. Æg.* 11. cum ait, *Elchemlimbat* (ſic enim vocant Ægyptii) *odoratum eſſe, & linguam aſpero, ſubdulci ſapore ferire.* Quanquam reprehendere quis poſſit, quod ab odore nimis cito tranſiliat ad ſaporem. Ego verò urgeo τὸ κουφοτάτη, & verto *Penetrantiſſimo odore.* Hoc enim obſervant Practici, Odoris vim manere etiam in urinis utentium, & violaceum quid repræſentare. Audivi, qui diceret, in doloribus partium genitalium eſſe præſentiſſimum anodynum, intus datam. Ubi alicui in mentem venerit, cur veteres Ægyptii Confectione Cyphi, 2. *Antid.* 2. voluerint τερεβινθίνην πεπεμμένην? Vide Not. in eum locum Galeni, & infra in Colophonia. Noſtri dicunt, *ut pulveriſari poſſit.* Atqui hoc modo amittit animam: quia fit ἄνοσμος. Poterat lentor illi adimi diutina concuſſione, quomodo in albo ovi fit. VI. De *Sapore*, cujus ſolus Galenus meminit 8. *Simpl.* non conſentiunt noſtri. Ut enim comprehenſum eſt, Alpinus *ſubdulcem* illi attribuit, Cordus *modicè amarum.* Atque hic omnino veriſimilior eſt, non propter ſocietatem amaroris cum εὐωδίᾳ tantum, ſed etiam Galeni auctoritatem. Idem Cordus ait, *Dum maſticatur, inter dentes lenteſcere: dum manibus friatur, diſſilire primum in plurimas micas*, mox lenteſcere. Atqui Perſæ, authore Bellonio 2. *Obſ.* 71. mandunt Terebinthinam, ut Cretenſes Maſtichen, nec dentibus hærere, nec in ore diſſolvi. An hoc fit, cum incaluit? Nam & Dioſcorides, εὔθριπτον καὶ καπνουρὰν laudat, perinde ac maſtichen.

XXVIII. Harum notarum pleraſque quæ habuerit Terebinthina, fuerit καλὴ Damocratis 6. κ. γέν. 11. in Æg. alt.

XXIX.

XXIX. In facultatibus oportet iterum diſtinguere Terebinthum à Terebinthina. In Therebintho, quemadmodum in lentiſco, laudatur ferè ſola adſtrictio. De primis qualitatibus ait Galenus 8. *Simpl.* Arborem tam viridem, quam aridam eſſe calidam in 2. ſiccam, viridem in eodem quidem, ſed aridam non niſi modicè. De fructu aſſerit accedere ad 3.

XXX. In

TEREBINTHINA.

MUlto plura ſunt quàm in Maſtiche. Adſtrictio quidem utrique communis eſt: in cæteris autem præſtat omnia alia gummata, digerendo, abſtergendo, attrahendo, & emolliendo. Et hoc eſt, quod poſt Theophraſtum *l. c.* Dioſcor. ait, *Terebinthinam præſtare omnes reſinas.* Quod Galenus 1. κ. γέν. 12. dixit *una cum larigna reſinarum omnium mitiſſimam eſſe.* Quod *c. ſeq.* § 15. κατὰ πάντα ἀμείνω eſſe puta, Cplophonia & fricta, cum quibus comparatur. Quod 3. κ. γέν. 2. Terebinthinam omnibus anteire reſinis, ὡς πολυχρηστότατον φάρμακον, *quia plurimi uſus.*

XXXI. De primis qualitatibus dicet tibi eodem loco, in caliditate eſſe infra ſtrobilinam & abiegnam. Abiegna autem nonniſi συμμέτρως θερμαίνει. ut mox declarabitur. Hoc de ſiccitate quoque dici debere, jubet nos ipſemet, cum 2. κ. γέν. 2. ait, & in caliditate & in ſiccitate moderatiſſimam eſſe. Quo loci univerſalem facit regulam de omnibus epuloticis, *Satius eſt*, inquit, *omnibus medicamentis, quæ ulcera rectè curabunt, Terebinthinam admiſcere*, quoniam primus, præcipuusque ſcopus eſt, ut id quod offertur, non mordeat, ut & aloë.

XXII. Cæterùm, digeſtio, quam habet, eſt ab amarore, ut Galenus docet, ut abſterſio. His duabus facultatibus, medetur aſperitatibus cutis, pſoræ, lepræ, impetiginis, ſcabiei, necnon ulceribus malignis, ſeu nomis, 4. κ. γέν. 10. Medetur etiam affectibus pectoris, à craſſa pituita ortis. In quibus licet plus poſſit, quàm farina fabæ freſæ, ptiſſana & ſemen lini torrefactum 7. κ. τόπ. 1. non debet tamen concludere inde Sylvius, mordacem eſſe his partibus. Expreſsè enim Gal. agere ſine acrimonia. Pertinet huc phthiſis quoque, in qua *Larignam*, quæ idem præſtat, ut dicetur, laudat Dioſcorides, & ex eo Vitruv. 1. *Archit.* 9. Iisdem facultatibus ventrem movet, præcipuè abſterſione. Egregiè enim mundificat viſcera, abductisque excrementis liberat ab impetu in alias partes. Hinc tantæ ipſius laudes in podagra, & omnibus articularibus malis, ſi, ut Avicenna docet, accipiatur ejus, quantum nux Avellana, ſingulis diebus à jejuno. Matthiolus in eam rem dat ℥j cùm pulvere Chamæpit.

XXX. In ſpecie utiliſſima eſt nephriticis. Cum abſterſione enim adeſt partium tenuitas. Hinc Practici in curatione arenularum, poſtquam mitefactum eſt ſymptoma, præcautionis ergo, utuntur terebinthina, ſed & cocta, ut dicunt, ut minus calefaciat, magis adſtringat. Idem fit in iſchiade, paralyſi, arthritide, data bis in ſeptimana, vel illota vel lota in aqua Cichorii. Vide Cratonem *Conſ.* 102.

102. & 103. Solenandrum, 5. *Conſil.* 3. & 5. Trincavellium, *Conſil.* 35 & 37. & *iterum l.* 3. *conſil.* 86. An acceptum hoc eſt à Galeno, cujus 5. *San. tu.* 9. hæc ſunt verba: *Quod ſi biduo ſenibus adſtrictus ſit venter*, &c. quæ vide. Idem facit Paulus *l.* 1. *c.* 23 & 43. In his accidit, ut, quod dixi, urina violas oleat, propter partium tenuitatem Amatus *in Dioſcor. l.* 1. *c.* 82. moſchum habet. Eadem attrahit e profundo magis quàm aliæ reſinæ. Dioſcorides ob id in pleuritide foris utitur. Eadem emollit, quatenus craſſos humores rarefacit. 3. κ. γέν. 1. & ideo malagmatis additur, acopisque.

XXXIV. In Officinis proſtat *oleum terebinthinæ*, verùm non ex baccis, ut Dioſcorides parabat per expreſſionem aut coctionem: ſed per deſtillationem chymicam. Duplex cum ſit, ſimplex habemus tantum, cujus uſus in affectibus frigidis, tam foris, quam intus, item in vulneribus & ulceribus, in tumoribus articulorum, &c. Exit autem primum aqua, cujus idem uſus.

III. LARIX.

XXXV. Abſoluta Terebinthina ſimpliciter dicta, quæ ſola etiam legitima eſt, conſequens eſt videam communes in Officinis dictas, initio facto à *Larigna*, quæ & viribus quàm proximà eſt Terebinthinæ.

XXXVI. *Lærch* vel *Larich* vocabulum eſſe Germanicum paſſus ſum mihi perſuaderi dudum, quod hodieque in illa parte Norici, quam Atheſis interluit, circa Tridentum, ut & in oppoſitis ex adverſo Rheni, & Allobrogum convallibus Nicolai, &c. *Larch*, *oder Larchenbaum* vocetur. Apud Cæſ. voces German. in *ich*, mutantur in *ix*. Et hæc poſt fuerit ἡ γαλατία πρὸς ταῖς Ἄλπεσι Dioſcoridi, *lib.* 1. *cap.* 92. *Gallia ſubalpina*, ut Saracenus vertit. Hæc ſit corrupta illa vox Δάλακα, quam in λάρικα mutavit idem Saracenus. Hæc fuerit λάρυγξις apud Galenum 8. κ. τόπ. 5. in Polyarchi pharmacis, ubi Cornarius jam mutavit in *Laricem*, quamvis Typographus non fecerit officium. Hæc eſt vox integra in utroque Græco codice κ. γέν. in Emplaſtris albis λάριξ. Integra quoque eſt apud Plinium multis locis: ſed demiror non ſcripſiſſe veriora, cum ex propinquis Veronæ montibus inſpicere potuerit! Verum non vidiſſe illum arborem, argumento eſt, quod peritiſſimus Cluſius 1. *Rar.* 23. illi oſtendit, vocaſſe Laricem πεύκην Theophraſtum. Plinii veſtigia quia odorari ſolet Gaza inverſione Theophraſti, mirum non eſt, modo πίτυν honorare hoc nomine, modo πίτυν & Laricem exprimere una appellatione. Quin *Laricem* ipſam Græcis non eſſe viſam; *Larignam* autem ipſam, ut & *Vernicem*, fuiſſe ad illos tranſportatam, certum eſſe poteſt. Prius illud ſtabilit Bellon. 1. *Obſ.* 44. qui ait, Univerſis locis Græciæ, per quæ ille tranſiit, laricem non apparere. Sum igitur ejus ſententiæ, laricem noſtram eſſe *laricem veterum* quoque. Nec quidquam proficiunt argumenta, Matthioli, 4 *Epiſt.* 1. multo autem minime illud, *Non decidunt folia hyeme, ſed novo vere cum recentia propellunt vetera.* Falſum hoc eſſe teſtetur ſolus Cluſius. Quid autem? Niſi omnes, qui hortum Medicum frequentamus, cœci ſu-

ſumus, verum eſt, ſingulis autumnis decidunt. Multo minus ſolis aſſertionibus credo illorum, qui *Cedrum Syriæ & Libani* eſſe volunt. Eos etiam rideo, qui *Cedrum Syriæ* ſeu *Græcorum* diſtinguunt à *Cedro Libani* ſeu *Hebræorum*. Nec minus fatui ſunt, qui θυῖαν Theophraſti diſſyllabum, & θύον Homeri (eſt hoc poëticum) huc acceſunt.

LARIGNA.

XXXVII. VUlgo *Terebinthina Veneta* dicitur. Veneti enim ad nos mittunt ſub nomine vel *Larga*, quod corruptum eſt, vel *Lagrimo*, quod ab Italico *Lacrima* eſt.

XXXVIII. Hujus notæ ſunt 1. ut *liquida* ſit, conſiſtentia τῇ πευκίνῃ (piceæ) *liquidæ* ſimilis, 3. κ. γὲν. 3 omnino, terebinthina vera, abiegna, & ſtrobilina, ut ſe explicat ibidem. Ne obſcurum per obſcurum declarare videar, oleo quidem craſſior, melle verò liquidior, ut Cordus docet. 1. ut *lenta*, *lentior melle*, *& nunquam dureſcens*, ait Plinius *lib* 16. *cap.* 10. *Probatiſſima*, inquit Cordus, *quæ ab intincto digito contumaciter & æqualiter defluit.* 3. *aliquantulum translucida*, *vitri inſtar.* 4. *colore flava*, *aut vitrea*: quæ antiquior flava? *Melleo colore*, Plinius. *Mellis Attici inſtar*, Vitruvius. Et hoc imprimis diſtinguit illam à Terebinthina, quæ alba eſt. 5. *Odore acris*, *ſuavis*, *aliquantulum gravis*, Cordus. An propter hanc gravitatem Plinius ait *virus redolere*? Qui odorem mellis tribuunt illi, indiſtinctè loquuntur. 6. *Guſtu amara*, *acris & tenuis*, iterum Cordus. Ex his intelligitur, qua in re ſit ſimilis aut diſſimilis Terebinthinæ. Superat illam acredine & calore.

XXXIX. Quare lotionem inſtituunt pharmacopœi, vel ex aqua fontana, Galeni exemplo, 1. κ. γὲν. 12. aut in ſtillatitia aqua plantaginis, lactucæ, alia, pro ſcopi varietate. Talis in ſequentibus etiam reſinis inſtitui poteſt, 2. *Simpl.* 15.

XL Heic non inſuper habendum eſt, quod Galenus monet 2. κ. γὲν. 2. quodammodo duplicem eſſe, unam Terebinthinæ ſimilem per omnia: alteram acriorem, calidiorem, liquidiorem, guſtu amariorem. An quod Dodonæus putat, altera & poſterior abiegna fuit? An potius, quia utitur vocabulo πῶς differentia pendet ab ætate arboris? Cum enim, quæ à juvenculis petitur, ſi candidior & pellucidior, procul dubio mitior etiam eſt, ut eſt apud Matthiolum. Dici poteſt, Galenum habuiſſe hanc pro prima ſpecie. Utraque cum ab inſtitoribus ignaris 3. κ. γὲν. 3. venderetur pro *Terebinthina*, mirum non eſt, fieri id hodieque. Neque tamen ea fraus eſt magni facienda cum 1. κ. γὲν. 15. ſint παραπλησίαι πῶς, in facultatibus puta. Hæc enim vox denotat, Larignam eſſe paulò deteriorem. Licèt enim 7. κ. γὲν. 11. & ipſa mediocriter tantum calefaciat: eſt tamen paulo calidior, ibidem & explicatius 3. κ. γὲν. 3. *odore*, *guſtu*, *& facultate acrior terebinthina.* Licèt etiam ipſa quoque ſit mitiſſima 1. κ. γὲν. 12. eſt tamen 7. κ. γὲν. 3. poſt terebinthinam. Quare uti cera, aut non adeſt, aut non ſatis eſt propoſito ſcopo emplaſtri parandi, ut terebinthina ſit opus: in defectu poteſt

ſubſtitui *larigna*. Nam ipſe Galenus & *locis citatis* id facit, & 3. κ. γὲν. 3 in medicamento δὶ εὐφορβίȣ, ut eſt 8. κ. τόπ. 5 in med. polyarchi, iterumque 7. κ. γὲν. 11. in Acopis. Et Practici in affectibus ſupra enumeratis, vel purgationis gratia, vel roborationis, idem patrant.

XLI. In deſtillatione Larignæ, perinde ut Terebinthinæ, primum aſcendit aqua, deinde oleum, cujus utriusque par eſt effectus cum aqua & oleo terebinthinæ.

IV. ABIES.

XLII. Ut breve faciam, *Abies* eſt arbor conifera ac tædifera, non ſecus ac larix.

XLIII. Ἐλάτη tria ſignificat apud Græcos, 1. *arborem*, quam præ manu habemus. 2. *ſpatam palmæ* dictam, unde & *Elatinum unguentum* apud Dioſcoridem, quod nihil commune habet cum arbore. 3. *latiorem remi partem*, quæ aquam ferit.

XLIV. Duplex eſt apud Theophraſtum 3. *Hiſt.* 10. *Mas & fœmina*, quas diſtinctas hodie non facile oſtenderis, Character eſt, quod folia ramulos amplectentia lateralia tantum ſunt. Ubi hoc addendum eſt, partem inferiorem apud Plinium & Vitruvium eſſe *Sapinum*: ſuperiorem & diviſam *Fuſternam*.

XLV. Lacryma

ABIEGNA.

Seu *Abietina* eſt duplex, *ſicca & liquida.* Illa concreſcit in ipſa arbore, & fuit Dioſcoridi tantum nota: ἐλάτινον φύσημα dici poſſit, & oſtendit ſe inter corticem & corticem, qua parte in novellis arboribus (non vetuſtis) tubercula quædam (*Denneblattern* vocant) exſtant, quibus inciſis, ſponte reſina effluit. Et tum πρωτόῤῥυτος ῥητίνη dicitur, etiam καπνέλαιον, 3. κ. γὲν 4. Noſtratibus quibusdam *Oleum abietis* dicitur. Oportet autem diſtinguere a factitio illo, quod Galenus parat 4. *Sanit. tu.* 8. pro tranſpiratu ſenum. Hæc, non minus quam Larigna, *Terebinthina Veneta* dicitur: Imo etiam de primatu certat, his quidem hanc præferentibus, illis illam. Matthiolus inter illos eſt, qui *Larignæ* præferunt: contrà, Sylvius, Fuchſius, Cronenburgius, alii, *Abiegnam* abjiciunt. Matthioli conatus vide 5. *Epiſt.* qua de Confect. Theriacæ.

XLVI. Mihi enim operæ pretium videtur eſſe conſiderare, in quibus differant, aut non differant. 1. *Abiegna* eſt longe pellucidior. Ideo quidam, ait Matthiolus, larignam colatam, & ad ultimam claritatem perductam vendunt pro Abiegna. 2. *Abiegna* non tam lenta eſt & contumax, ſed ſubito abrumpitur, ſi digito immiſſo attollatur. 3. *Abiegna* eſt odoratior, non larigna tantum, ſed ipſa etiam terebinthina. Eſt autem odor thuris. Hinc ſicca à nebulonibus pro thure venditur, & hinc in thure diverſitas coloris & odoris. 4. *Abiegna* eſt amarior,

&

& quodammodo refert (ut obſervat Dodonæus) ſaporem corticis mali Citrii. ſ. poſt annum incipit flaveſcere.

XXVII. Quod ad facultatem Abiegna, licèt & ipſa συμμέτρως θερμαίνῃ, 2. κ. γέν. 2. 7. κ. γέν. 11. tamen eſt calidior larigna, quippe acrior & amarior. Propter acrimoniam (eſt autem media authore Galeno 8. *Simpl.* inter Terebinthinam quæ minus acris eſt, & pineam, ſtrobilinamque, quæ acriores ſunt) & partium tenuitatem, magis attrahit è profundo. Propter amarorem magis abſtergit, ideo felicior ipſius eſt uſus in expurgandis viſcerum ſordibus, in ulceribus, aliis. Veruntamen quia calidior, etiam periculoſior eſt.

XLVIII. Quare mos eſt lavandi illam in aqua lactucæ, plantaginis & ſimilibus præcipue in gonorrhœa virulenta. Si libeat conferre cum aliis etiam reſinis, v. g. Terebinthi, dicet Galenus 2. κ. γέν. 2. & 2. calore eſſe medicaminter πιτυΐνην καὶ ϛροβιλίνην: ſed utraque liquidiorem & diutius manere talem. Et 3. κ. γέν. 2. & 4. in eodem calore eſſe mediam inter terebinthinam & ſtrobilinam. Et rurſus 7. κ. γέν. 11. calidiorem eſſe & terebinthina & colophonia.

XLIX. Scire vis, an poſſit terebinthina ſubſtitui 6. *Meth.* 2. in med. διεύφορβίου ad punctos nervos ſubſtituit Galenus. Id ipſum ſubintelligere oportet in eodem med. 3. κ. γέν. 4. Quid plura? 4. *Sanit. tuen.* 8. in Acopis diſerte ait, ſe abiegnæ ſuppoſuiſſe Terebinthinam Vide, ſi placet, 7. κ. γέν. 3. Hinc adeo factum eſt, ut in quibusdam Officinis *Terebinthina abietis* appelletur. Tu vero ſemper memineris caloris intenſioris.

V. PICEA ET PINUS.

L. HEic lites ſunt inexſtinguibiles, quæ ſint apud nos hæ duæ plantæ? quo nomine apud Latinos vocandæ? Quibusdam enim ἡ πίτυς eſt *picea*, & πεύκη *pinus*: quibusdam contrà. Egi de hoc negotio ex profeſſo *Animadv. in Theophraſt.* 1. *Hiſt.* 8. jam ſtrictim tantum. Primum offendiculum eſt ex Dioſcoride, qui *lib.* 1. *cap.* 86. ſcribit, πίτυς nota eſt planta: τῦ αὐτῦ γένοις ἐϛιν ἡ λεγομένη πεύκη. Prima contrà determinatio eſt apud Theophraſtum 3. *Hiſt.* 20. & Athen. *lib.* 2. unde ſic infero, *Ea arbor eſt pinus, quæ ſtrobilos fert.* Unde ſubito hoc πόρισμα, *Si ἡ πεύκη eſt Pinus, ἡ πίτυς erit Picea.* Et hæc fuit ibi determinatio mea: è qua ſe exſerit μορμολυκεῖον *Atqui Dioſcorides & Galenus Pineas vocant πιτυΐδας.* Summa, confuſa fuerunt hæc olim, & confuſa etiamnum ſunt. Interim diſtincte ego de utraque reſina.

PICEA.

LI. GRæcis πιτυΐνη eſt, πιτυΐνον φύσημα. Eſt enim generatio ejus, qualis Abiegnæ. Quare Galenus 2. κ. γέν. 10. & rurſus *l.* 7. *c.* 3. propriè vocari ait φύσημα. Et hæc fere ut ſupra, eſt duplex, ὑγρὰ *ſeu liquida* & ξηρὰ *ſicca*, quàm ſolam dari Plinius ait *l.* 24. *c.* 6. *Sicca* iterum duplex eſt. *Nativa*, qua ob ſimilitudinem thus adulterari, ait idem *l.* 16. *c.* 10. *factitia*, quæ communiter no-

minatur φρυκτὴ, ἢ πεφρυγμένα. *Liquida* 6. κ. γέν. 12. in Empl. Tyrio Damocratis, vocatur. λιπαρὰ καὶ ἄξυλος. *Frictâ* 6. κ. γέν. 16. in Acop. tertio ejusdem deſideratur μὴ δυσώδης. Cauſæ ſunt in propatulo, & dicetur aliquid in Pinea.

LII. Hæc quomodo diſcernatur à ſuperioribus, & à ſequenti, nondum legi apud quemquam, niſi forte illud, quod apud Plinium eſt, *l.* 24. nemini ſatisfacturum.

LIII. Eadem ratione de facultatibus vix quidquam peculiare legeris, niſi, modo huic, modo illi dictarum ſubſtituitur. Vide *lib.* 6. *de San. tuendæ*, *c.* 8. *&* 7. κ. γέν. 3.

LIV. Notandum, ne locum quidem habere in omnibus. Celeriter enim ſicceſcit, nec ſinit eſſe medicamentum tale, quale eſſe debet, 1. κ. γέν. 3 2. κ. γέν. 2 3. κ. γέν. 4. 7. κ. γέν. 3. & 16.

LV. Lavatur nonnunquam, ut deponat acrimoniam ſuam, 1. κ. γέν. 12.

P I N E A.

LVI. EXcitat nobis grave bellum, *An eadem ſit cum ſtrobilina?* Hoc quaſi à tergo habet aliud *Sitne* στρόβιλος *peculiaris planta*, non extra tamen has reſiniferas? an potius στρόβιλος ſit fructus, vel τῆς πεύκης, vel τῆς πίτυος! Non dememini ejus, quod dixi in veſtigio: ſed turbant me tres boni viri, Cornarius *in Dioſcoridem lib.* 1. *cap.* 68. *&* 71. Andernacus *in Paulum lib* 7. & Paſinus *in Matthiolum*, qui volunt eſſe plantam τῇ πεύκῃ congenerem. Turbant alii ex Plutarcho 3. *Sympoſ.* 2. & poſtea *lib.* 5. *cap.* 6. ubi hæ πεύκι diſtinguuntur ἀπὸ τῶν στροβιλῶν. Reſpondeo, Apud proprie loquentes, ἡ πεύκη quidem eſt arbor: ὁ στρόβιλος autem (idem eſt κῶνος καὶ κόκκαλος apud Galenum *in* 4. *Acut.* 70.) eſt fructus τῆς πεύκης. Apud minus accuratè loquentes, ὁ στρόβιλος etiam eſt arbor, quæ ſtrobilos fert, ut expreſsè Heſychius.

LVII. Ergone ἡ πευκίνη καὶ στροβιλίνη eſt eadem reſina? Non eſt. πευκίνη eſt ex ipſa arbore: στροβιλίνη ex ſtrobilo. Attuli mecum Venetiis hujusmodi pomum, cui multis locis adhæret reſina, ex qua deraſa ſtruebant antiqui *Eclegma*, ut eſt in loco illo Acut. ubi etiam expreſsè Galenus vocat ἰδίαν στροβίλῳ περικειμένην ῥητίνην.

LVIII. Hinc intelligitur, cur στρόβιλος quibusdam priſcis ſit πιτυΐς, ſit κῶνος πιτυϊνὸς ſit κάρυον πιτυϊνὸν ex priſca ſcil. confuſione Quin ulterius progredior, apud Galenum 3. κ. γεν. 4. στροβίλινον φύσημα non eſt στροβιλίνη, ſed πευκίνη. Quis enim in ſtrobilo quærat φύσημα? Ita, cum in comparatione reſinarum ſæpè habeat ſtrobilinam, pineam (quod ſciam) nunquam: ſum ejus ſententiæ *pineam* intelligi.

LIX. Heic pandere libet novellis quibusdam ſecretum, de quo non omnibus

con-

conſtat, *Olim reſina ſimpliciter decebatur ea, quæ præſtantiſſima, Terebinthina*, inquam, ideo apud Dioſcoridem *lib.* 1.23. in Comp.oſ. Cyphi Ægypt. eſt *Reſina ſimpliciter*, quæ apud Galenum 2. *Antid.*2. 8. κ. τόπ.7.9. κ τόπ.8. & ſæpe alibi, *Reſina eſt Terebinthina.* Noſtris moribus, ut eſt apud Braſſavolum *Exam. Simpl. f.*483. Cronenburg. *in Emplaſtro Gratia Dei*, apud Monachos *in Ceroto Oeſyp.* Meſue eſt *Reſina vel Pini, vel Pini & Strobili ſimul, vel abietis, ſæpè omnium aut plurium*, cum ſcil. audaculi accipiunt, quod præ manu eſt. Verumenimvero non eſt perinde, ſed quæ *vera Pinea* eſt, debet eſſe 1, *pellucida.* 2. *non ſicca* nimis, ut jam friabilis ſit, *non humida* etiam nimis. 3. odorata, non procul ab odore thuris, unde fraus non diſſimilis, ut pro thure vendatur. 4. colore quodammodo ceræ, non rubra, non alba, ſed flava.

LX. Ubi ſi quæras, poſſitne ſubſtitui *Terebinthinæ*: dicetur tibi. *Veram & non Confuſaneam noſtram* poſſe, authoritate Galeni 4. *San. tuen.* 8. κ. γέν. Tu vero ſcito ſimul, *Veram Pineam*, & multo magis *Strobilinam* in facultatibus non parum eſſe ſupra Terebinthinam. Galenus 2. κ. γέν. 2. ſcribit, reſinarum omnium calidiſſimam eſſe, 3. κ. γέν. 3. ſtrobilinam eſſe acrem: quin 7. κ γέν. 3. ſtrobilinam eſſe acrem: quin 7. κ. γέν. 3. additur vox *Vehementer.* Atque, ut ne dubites, eodem 7 κ. γέν. 11. *pineam* eſſe *terebinthina* calidiorem diſertè ait. Tamen, non magis digerit, quàm Terebinthina, quia non habet partium illam tenuitatem, 8. *Simpl.*

LXI. Ubi nec illud prætereundem eſt, Et pineam & ſtrobilinam habere ſibi innatum hoc vitium, ut Picea, quod celerrimè exareſcat, & perdat medicamenta, quæ liquida eſſe debent, 4. κ. γέν.2. 3. κ. γέν. 2.

LXII. Habent alicubi in Officinis *Unguentum de Reſina magnum*, ejusdem cum citrino efficaciæ ad curanda vulnera.

VI. RESINA COLOPHONIA.

LXIII. HEic neceſſario duplex eſt inſtituenda digreſſio, altera de Colophonia, quod nomen habebat olim *& Picea & Pinea* jam deſcriptæ, altera de *Pice*, quam in cap. ſeq. rejicio, quæ & ipſa aliquando communicat de nomine *Colophoniæ.* De Colophonia triplex eſt problema. I. quæ fuerit ratio Colophoniæ veteris? II. quæ ſit Colophonia fricta. III. quatenus conveniat cum noſtra?

LXIV. I. *Colophonia veterum* erat duplex *ſicca & liquida. Sicca* iterum vel naturâ vel artificio. *Colophoniæ* ſiccæ naturâ meminit Galenus 2. κ. γέν.2. Thus redolere cum ſuavitate quadam, fere, ut Abiegna, cui etiam in caliditate mediocri ſit ſimilis: naſci admodum modicè, & ideo pretioſam eſſe: à quibusdam dici ſolam Colophoniam. Et clarius 7. κ γέν. 3. Maſtichæ Chiæ eſſe ſimilem: habere aliquid emolliens, quemadmodum Thus. Colophoniæ liquidæ natura, quæ ἀπὸ κολοφῶνος (urbe Ioniæ in Aſia minore πάλαι ποτὲ ἐκομίζετο, non tantum

meminit Dioſcorides *lib.* 1. *cap.* 77. ſed & ait, πιτυΐνην καὶ πευκίνην fuiſſe. Galenus ſæpiuſculè meminit τῆς πευκίνης ὑγρᾶς, nunquam τῆς πιτυΐνης. Quod enim attinet locum 4. *Sanit. tuen.* 8. ubi eſt ἡ ἐκ κεραμίων πιτυΐνη, jure delevit illam vocem Linacer Interpres, quod jam ante deſcripta fuerit. Nimirum non heic tantum, ſed & 6. *Meth.* 2. 3. κ. γέν. 2. τὴν ἐκ κεραμίων ὑγρὰν vocat *Pineam.* Ideo idem Linacer *in Meth.* addit *Humidam pineam*, quod ipſum dari debet And. loco alteri. Hoc patere poteſt ex 2. *Simpl.* 21. ubi τὴν πευκίνην, in fictilibus contentam, in duas quoque partes dividit, quarum altera olei ritu ſupernaret. Necnon ex 2. κ. γέν. 2. ubi expreſsè, *In vaſis illis contineri* τὴν πευκίνην; *conſiſtentia & colore exquiſitè ſimilem Terebinthinæ, odore & guſtu diverſam, ingratiorem quippe odore, acriorem & guſtu mordaciorem.* Non negligendum eſt autem, quod ibidem addit, *Talem eſſe, non ſimpliciter, quæ in vaſis dictis continetur, ſed quæ in illis ſubſidet.* Hanc ipſam 3. κ. γέν. 4. vocat συγκομιςὴν πευκίνην, & addit, ὀνομάζω δὲ συγκομιςὴν, &c. Veriſimile autem eſt, ligna & lapides, poſt vecturam longiorem ſubſediſſe. Hoc idem accipere fas eſt de πευκίνῃ illa, adeoque eſſe illam nihil aliud, quàm *Colophoniam*, quam ἄγεσθαι ἐν ἀσκοῖς ὑγρὰν ait Theophraſtus 9. *Hiſt.* 2. Hoc credo Fuchſio, *in de compoſ. med.* id. afferenti.

LXV. II. Heic in genere ſcire oportet ex Dioſcoride *lib* 1. *cap.* 77. & Plinio *lib.* 16. *cap.* 11. iterum *lib* 2. *cap.* 6. Omnem reſinam primum liquari, deinde trajici per colum, ut depoſita omni ſpurcitie, aut coqui poſſit in aqua, aut uri ſuper carbonibus Terminus eſt, donec amittat omnem odorem & lentorem, fiatque tam ſicca, ut digitis teri poſſit. Sed cui bono? inquis. Docet Dioſcorides *eodem lib. cit. de Ung Megal.* ἡ μὲν ῥητίνη, &c. Quæ locutio exemplaris eſt, & duas inſinuat cauſas, alteram, ut colorem tribuat medicamentis: alteram, ut conſiſtentiam, quod idem dictu eſt cum hoc. *Ut materia ſit excipiendis medicamentis aliis.* Materia enim talis oportet ſit quàm maxime ἄποιος, ne effectum inſtitutum vel infringat, vel prorſus impediat. Veteres igitur *Trochiſcor. Cyphi* ſpecies excipiebant Terebinthina cocta ut commodius ſuffumigari poſſent. Nos qui alio ſcopo utimur Cyphi, poſſumus aut cruda uti, quemadmodum in Theriaca facimus, aut omittere.

LXVI. Hoc modo cocta aut uſta pinea dicebatur φρυκτὴ ἡ πέφρυγμένη, quemadmodum à præcedenti colatura, καθαρὰ ἡ κεκαθαρμένη. Et hæc videtur eſſe ratio, cur aliquando Galenus diſtinguat frictam à Colophonia, quam purificatam tantum intelligit, 1. κ. γέν 15. aliquando non diſtinguat, 2. κ. γέν. 4. 7. κ. γέν. 3. quam *Frictam* intelligit, quæque eſt *fricta ſimpliciter*, 6. *Meth.* 2. 4. *Sanit. tuend.* 5. Quo loco quilibet artificum ſecum animo fert.

LXVII. III. Colophonia uſualis eſt quidem reſina fricta: ſed non eſt *Pinea.* Imo vero, ne dici quidem poteſt, qualis ſit. Cum enim res ſit fraude parabilis, ut Cronenburgius alicubi loquitur, fiatque ex multiplici reſina, hinc adeo eſt varius ille color, pro varietate reſinæ, ex qua fit. Utplurimum eſt *fæx Terebinthinæ*, vel *Larignæ*, quæ ſupereſt poſt deſtillationem aquæ & olei. Plerique ut fraudem celent, *Picem Græcam* vel *Hiſpanam*, quæ ex Cedro legatur, quidam

etiam

etiam monſtroſum nomen fingunt, *Garipot.* Alii pro thure vendunt. Qui honeſtiores videri volunt, notas etiam præſcribunt, ut ſit *Pura*, *pinguis*, *odorata*, *non fumidum aut acidum quid olens.*

LXVIII. Qui hæc norit, de facultatibus non erit ſollicitus Multominus admittet illam pro ſuccedaneo Terebinthinæ. Atqui Galenus ſubſtituit? *κ. γέν.* 2. & 4. 6. *κ. γέν.* 8. *de Sanit.* & *Meth. l. c. Ille ſciebat veram eſſe Pineam, eamque non morticinam.*

LXIX. Qua occaſione uſus, monebo eos, qui Vina Græca ſolent concedere ægris. *Omnia*, *excepta Malvaſia*, dicunt quidam, *ſunt picata*, hoc eſt, ad conſervationem ſui, accceperunt pugillum unum, alterumve Colophoniæ pulveriſatæ, quam odor prodit.

VII. TÆDA, PIX, ZOPISSA, &c.

LXX. NE quid ad uſum deſit, tractabo hæc quoque particulatim I. *Tæda* vel *Teda* apud Latinos, prima & originali ſignificatione, denotat morbum ſeu vitium arborum quarundam pinguium, quo ita augetur humor earum nativus, ut ſuffocentur, morbo Plethoræ in corporibus humanis proportionato. Hoc eſt apud Theophr. 5. *Hiſt.* 15. 3. *Hiſt.* 10. 9. *Hiſt.* 2. δαδοῦσθαι, ἐνδαδοῦσθαι, ἔνδαδον γίνεσθαι, *in tædam mutari*, ut Gaza vertit Niſi penitus fallor, eſt apud eundem affectio quidem λιπᾶν, morbus autem λιπάς. ut doceo *Animadv. in* 5. *Hiſt.* 10. 6. *Hiſt.* 16. Hinc apparet à pleriſque notatus Plinii error *l* 16. *c.* 10. & *alibi.* Tædam facientis arborem peculiarem. Quem qui ſequuntur inconſultius, videant, quàm bene mereantur de bonis, quibus hoc malum affricant.

LXXI. Jam, quando vel dictarum, vel non dictarum arborum aliqua facta eſt *Tæda*, conciditur in taleas, & eo modo aptata, quo Theophraſtus 9. *Hiſt.* 3. Plinius *l.* 16. *c.* 11. & Matthiolus αὐτόπτης *in Dioſcoridem l.* 1 *c.* 82. ſcribunt, uritur, liquorque effluens colligitur, & πίττα ἢ πίσσα, *Pix* dicitur. Hinc ſubito eluceſcunt duo. I. Quæ ſit differentia inter *Picem*, & ſupra dictas *reſinas*? 2. Quod ſit diſcrimen inter Picem & Reſinas coctas ſeu frictas? II. Pix ita facta dicitur Theophraſto. 3. *Hiſt.* 10. 9. *Hiſt.* 2. πίττα ὠμὴ, *cruda*, ad differentiam τῆς ἑψηθείσης, *coctæ*. Hæc pix cruda, utra eſt apud Dioſcoridem *l.* 1. *c.* 94. & 97. ὑγρὰ, an ξηρὰ? *liquida an ſicca?* Prior certè: Poſterior enim etiam fit per ἕψησιν. Hanc κῶνον dici apud Dioſcoridem vulgata volunt exemplaria, & defendit Saracenus, reſpiciens ad οἶνον κωνίαν Hippocratis apud Galenum *in Gloſſ.* qui πισσίτην explicat, & docet modum conficiendi. Ego vero cum Marc. Vergil. κωνῖν lego, & refero ad uſum picandi vaſa vinaria. Vide ſuprà in Lente.

LXXIII. III. Sed quid eſt παλιμπίσσα, quaſi iterato facta pix? Eſt ἑψειθεῖσα Theophraſti: eſt ξηρὰ Dioſcoridis; eſt *Pix* Plinii *lib.* 16. *cap.* 11. in cortinas æreas conjecta, & aceto ſpiſſata; eſt βοσκὰς Dioſcoridis; eſt *Brutia* ejusdem & Plinii: Vide Colum. *lib.* 12. *cap.* 20. & *ſeq.*

LXXIV.

LXXIV. IV. Quid eſt πισσέλαιον? Eſt *Cedria Syrorum* Plinii *l. c.* primus ille ſudor, qui, dum coquitur παλιμπίσσα, ſuperſtat, quem ut Dioſcorides, excipiunt lanis mundis, & exprimunt toties, quoties opus eſt ad perfectam picis coctionem. Hinc *oleum picinum* dicitur, ὀρρόπισσα, ἡ πίττης ὀρρὸς Paulo & Aëtio, etiam Galeno 3. κ. τόπ. 1. in collutionibus aur. Apoll.

LXXV. Niſi fallor, idem Galenus 2. *Simpl.* 21. πίσσανθος, *florem picis* vocavit.

LXXVI. V. Ζώπισσα quid ſit, diſertè docet Dioſcorides, *Pix navalis*, quæ etiam ἀπόχυμα Græcis vocatur. Eſt miſtura picis & ceræ, quam Saxones noſtri maritimi *Derb* appellant. Hanc an ex recentibus navibus petas, an ex vetuſtis & ruinoſis, multum refert. Illa enim non plus poteſt, quam duo ſimplicia permittunt: hæc ab aqua marina multum digerentis habet facultatis, ideo in defectu ejus Aëtius molitur tale quid.

LXXVII. In Officinis eſt *Pix liquida* dicta, quamvis revera liquida non ſit, ſed ad differentiam *Colophoniæ*, quæ ſicca. Et eſt vulgaris illa, quam adhibemus picandis doliis cereviſiariis. Hæc ipſa cum pulveriſata injicitur aquæ ferventi, & trahitur, ſive, ut loquuntur, malaxatur manibus ſevo inunctis, fit ſutorum illa, qua fila ſua cannabina inungunt.

LXXVIII. Quædam Officinæ volunt uti vocabulo Hiſpanico *Kitram* ſeu *Alkitram*, idque auctoritate Sim. Jan. Sed nihil eſt. *Kitram* enim eſt *Cedria*, quæ exſtillat è *Cedro* quadam *baccifera* (credo) apud Cluſium 1. *Rar.* 26. & vocatur *oleum de Cade*, ab iis, qui Latinitatem affectant, *Cadinum*, aut corruptè *Takinum.* Meminit Scaliger contra Titium *f.* 183. Vide ſupra in Junipero. Præſcribunt ei notas Dioſcoridis, ut ſit σίλβουσα, λεῖα καὶ καθαρά. De colore ſoliciti non ſunt, ſi tria illa habeat. Impura ſi ſit, trajiciunt per ſtramen, lixivii ad inſtar. Quædam duplicem oſtendunt, alteram vulgarem jam dictam: alteram vere fluidam, ex 1. κ. τόπ. 3. Ex hac faciunt ſiccam, ſed coctione, ut de Reſinis dictum eſt, πίσσα φρυκτὴ ἢ πεφρυγμένη. Quædam etiam lotam habent ex 2. *Simpl.* 15. 1. κ. γέν. 12.

LXXIX. Credo cum Galeno 8 *Simpl* calidam & ſiccam 2 gradu: & addo, Niſi quid lotione illi decedit. Si qui ad 3 aſcendunt, de principio illius intelligendi ſunt. Pergit Galenus, Attenuare, digerere & abſtergere, propter acrimoniam & amarorem: concoquere etiam, præcipue fluidam, propter lentorem. Non eſſe etiam, ait, infimam ex iis, quæ ex alto trahunt, præcipuè quando cum dolore avellitur. Hinc eſt πίττωσις, *picatio*, in partibus, atrophia laborantibus, qua de re vide Galenum 7. *Meth.* 7 14. *Meth.* 16. 1. κ. τόπ. 1. Uſus etiam eſt τῶν πιττωτῶν (ita enim appellant hæc medicamenta) in vomitionibus, in cœliacis diuturnis, in longis inediis, &c. ad excitandum calorem.

C A-

Caput CXXVI.

DE PINEIS SEU PINEOLIS.

I. NON mirabitur, ſpero, ordinem, qui & *Pinum* & *Strobilum* cogitarit in ſuperioribus. Ut enim integra ſit doctrina *pinus*, non poſſum aliter facere, quam ita. Ratum igitur eſto & illud de *Pinu*, quod ſit illa arbor, quæ *Strobilos* fert: & hoc de Strobilis, quod ſit nomen fructus, non arboris. Atqui aliter conſtituiſti ſupra, qua de πεύκῃ καὶ πιτυΐ? Fateor: ſed hoc jam tibi oggero. *Aliud eſt* ἐπιςήμη, aliud τρόπος ἐπιςήμης. Ἐπιςήμη eſt illa, πεύκη eſt arbor ſtrobilifera: τρόπος eſt hic, Officinæ habent imperium, nec temerè recedendum eſt à conſtitutionibus ipſarum, maximè cum olent quid antiquitatis. Hac ratione & proba eſt appellatio τῶν πιτυΐδων, apud Dioſcoridem & Galenum, ſive propria illa ſit, ſive impropria: & perinde mihi eſt, an obſeleta ſit vox κῶνος, καὶ κωνάριον, 4. *Acut.* 70. 2. *Alim.* 17. ut &, an ςρόβιλος ſignificet, tam pomum ipſum, quam contentos nucleos, qui ὀςρακίδες ſunt apud Athen. *lib.* 2. *cap.* 16. ubi vide Caſaubonum; & tandem pomum an nux ſit? Summa Non curamus heic nomina.

II. Probamus igitur *Pineas plenas*, *recentes*, *ſiccas* (quatenus ſcilicet eſſe poſſunt) non *flavas aut pallidas*, *quæ jam rancidæ ſunt*. Has poſſemus diutius ſervare ſi integer fructus ad nos veniret ex montibus Tridentinis. Nunc vero Venetias convehuntur, & exſculpuntur, & per longas ambages ad nos tendunt, qua ratione fit, ut bonitatem ſuam ultra ſemeſtre non ſervent. Quidam propterea frigunt in ſartagine cum furfuribus, ut integrè ſiccentur. Quod an conſultum ſit, videant, quorum intereſt.

III. De Pinearum facultatibus dicturo opus eſt imprimis diſtinctione laudabilium, jam in aqua roſacea aut alia præſcripta maceratarum, aut nondum. Arabes, ut video, diſtinguunt etiam in *maſculas & fœminas*, ſeu *parvas & magnas* dicendo *Maſculas ſeu parvas eſſe medicamentoſiores: fœminas, ſeu magnas alimentoſiores*. Hoc, niſi fallor, non pendet à diverſa ſpecie, ut alia ſit major, alia minor, fortaſſis alia pinus, alia picea: ſed à loco, & tempore natali. Si enim ſtet arbor loco ſicco, & non perflatili, ſeu à Sole averſo: non poſſunt non eſſe ſtrigoſæ & auſteræ: contra, ſi contra. Unde hoc conſequitur, Male habitas indigere longiore maceratione, quamvis ne ſic quidem unquam tales fiant, quæ locum ſuum tueantur in Analeptica. Sed nec in Pharmaceutica poſſunt ſtare, ut in *Looch de Pino*.

IV. Jam igitur ſi quæras de primis qualitatibus, dicet tibi Galenus 7. *Simpl.* de maceratis in activis temperatas eſſe, miſtas ex ſubſtantia aquea & terrea, cum minima aëris particula: de paſſivis nihil ille quidem diſertè, ſed ex oratione colligitur, declinare velle ad humiditatem. Ait enim, non ibi tantum, ſed & 7. κ. γέν. 2. in Art. Mithrid. fieri λεαντικῶς. Hoc autem eſt ab humiditate, quam

vult etiam τὸ ἐμπλαςικὸν, quod mox ſequitur. Inducitur id autem fere à maceratione. Humiditati atteſtatur etiam ratio alimentalis, quam omnes illis tribuunt.

V. Nec eſt, quod differentiam quæras inter maceratas & non maceratas. Hæ non minus quidem habent, ſed tamen habent. Quod autem Avicenna ait, de grano minori (ſic appellat) non macerato, calidum & humidum eſſe in 3. non poteſt defendi. Quin reliqui volunt, ne humidum quidem eſſe, ſed ſiccum. Sed in quo gradu? Omnes fere conſentiunt, Humidum in 1. calidum eſſe in 2. Hoc propter acrimoniam fit, ob quam maceratio inſtituitur: imo etiam amarorem, quia habent ἠπινῶδές τι, quod apud Athen. legitur. Ex his licet judicium capere de ſecundis facultatibus. Nam quæ non maceratæ ſunt, habent vim abſterſoriam & penetratoriam inſignem: quæ maceratæ ſunt; tantum non amiſerunt utramque, & è contrario, habent vim leniendi & complanandi, non in affectibus arteriæ aſperæ ſolum, ſed & in reliquis viſceribus.

VI. Eædem ſunt ἐρητικαὶ, cum paſſo & ſem. cucumeris, apud Dioſcoridem & Iſaac. Ita cum ſucco portulacæ ſunt παρηγορικαὶ roſionum ventriculi, apud eundem Dioſcoridem. Ideo Iſchiadicis ſunt utiles.

VII. Quod præcipuum in illis eſt, reſtituunt amiſſum corpus, quo fine duplex eſt in Officinis *Conf. pineata*, ſimplex & compoſita, ut dicam. Coquuntur quidem difficulter: ſed alimentum dant validum & durabile. Huc pertinet, quod de tremore & mortificatione corporis (uno verbo) de ſumma virium debilitate dicunt Arabum quidam, quoties illa eſt ab humorum tenuitate. Ita lienteriæ & diarrhœæ quædam opus habent victu hoc craſſefaciente.

VIII. Ita quidam in Venere elumbes. Debent autem ſcire illi, qui quotidie uti illis volunt, non rarò pugnam in ventriculo oriri, qualis ex beta, braſſica, &c. ob partium diverſitatem. Hujus pugnæ magna pars quia eſt ab acrimonia, oportet omnino præmacerare, imprimis, ſi jam rancidulæ ſint. Hanc acrimoniam illis demit ſaccharum candidiſſimum in calidioribus, mel dulciſſimum in frigidioribus.

IX. Ita enim felicius concoquuntur. Idem fuerit obſervandum in uſu *Conf. Pineatæ*, quæ *Pineolatum*, ſeu *Pignolatum* vulgo dicitur, ſi quidem in morbo longiore conſumptis uti volumus. Eſt duplex eſt. *Simplex* fit ex ſolis pineis, in aqua roſacea ſæpe maceratis, & in ſaccharo roſaceo coctis.

X. *Compoſita*, additis amygdalis cum cinnamomo, macis, aliis. *Looch ſeu Eclegma de Pino* vocamus, licet non ex arbore fiat, ſed Pineis.

XI. Heic duo ſunt controverſa. 1. Crudæne, an maceratæ ſint accipiendæ? Plerique maceratas volunt in aqua violarum, tuſſilag. &c. &, abjecta aqua, abſterſas linteo mundo. Hoc videtur obſtare ſcopo, qui eſt, attenuare & abſtergere. Quomodo autem attenuabunt, perditis partibus tenuioribus? Reſpondeo, non abeunt omnes prorſus partes igneæ, ſed manet duplex ſcopus, attenuandi illud,

illud, quod influxit: abſtergendi illud ipſum, & expectorandi. 2. Quot drachmæ illarum eſſe debeant, 20. an 30? Me conſenſus tenet veterum codicum, qui contenti ſunt 20. Accedit 3. Quantitas amygdalarum amararum, & paſſulati mellis. In amygd. ſumo drachmas; in melle uncias.

XII. Uſum dixi eſſe duplicem. Quod repeto, quia multi ne meminere quidem poſterioris. Si compares cum aliis loch, eſt temperatius *Sano & experto*, ideo præcedere debet. Qui quærunt, an adſtringat, videntur neſcire, quid velit methodus. In affectibus enim pectoris non eſt locus adſtringentibus. Atqui Avicenna admittit? Non videtur intellexiſſe Galenum, qui de ſola ſubſtantia loquitur.

CAPUT CXXVII.

DE LEVISTICO.

I. HOC proculdubio factum eſt à *Libyſtico* Galeni, quod eſt *Liguſticum* Dioſcoridis, ita dictum, quod in Apennino, qua parte Liguriam attingit, frequens eſt.

II. Invenio octo præter propter plantas, hoc nomine inſignitas, è quibus huc accerſo *Leviſticum vulgare* Bauhini, (*in Matthiolo*, non *in Pinace*) & Dodon. Levin. Lobel. cui & *Laſerpitium Germanicum*, & rectè.

III. Rogatus enim ab aliquo, quo pertineat apud veteres? Ad *Laſerpitium* dicam, propter graviſſimum imprimis odorem.

IV. Sub hujus nomine in Officinis tres ſunt partes, radix, folia & ſemen. Radix & folia ſunt legitima: ſed ſemen tam diverſum aliis locis, ut ego libenter abdicem, donec fidem fecerint, eſſe hujus plantæ. Vide infra Siler montanum.

V. In facultatibus porro tam eſt vicinum *Angelicæ* & *Imperatoriæ* ſupra dictis, ut non putem neceſſariam eſſe commemorationem. Utar verbis Rhaſis in *Keiſim*. Sic enim Arabes appellant. Adjuvat digeſtionem, ventoſitatem diſſolvit & inflationem. Ex his facilis eſt conjectura de reliquis. Veteres Ligures, ut & hodie Hetruſci, ſemine pro pipere utebantur. Promovendis menſibus & ſudoribus ſufficit ʒ ß. ſeminis.

CAPUT CXXVIII.

DE LIGNIS.

I. STruem heic paro Lignorum, ſed novo artificio, ut ſingula ſint conſpicua & explicata.

II. Horum ſit I.

BRASILIUM.

QUod nomen habet à *Braſilia*, Americæ meridionalis regione ampliſſima. Ipſa America, ut hoc obiter aſpergam, non eſt noviter reperta, ſed dudum fuit cognita ſub nomine Æthiopiæ Heſperiæ, Carthaginenſium navigationibus celebris, ut oſtendi extremo App. Poſt-cur. mearum. Dicitur & *Vergineum*, aut ut Itali pronunciant *Verzinium*, neſcio unde. Vide Falloppium *in Dioſcoridem lib.* 1. *cap.* 20.

III. Duplex eſt apud Bauhinum *in Matthiol. lib.* 1. *cap* 19. *ruffum* & *citrinum*, quorum illud Braſilii nomen retinet, & eſt in magnis fruſtis, Guajaci inſtar: Hoc *Bugia* peculiariter dicitur, & eſt in baculis tantum.

IV. Neutrum ſervit uſibus Medicis. Si ſandali ſpecies ſit, ut idem retur Bauhinus, & *lib. d.* & *in Pinace*, accommodari illi poterunt facultates ibi dicendæ. Utuntur tinctores, & nos decoquimus, inde *unſer rothe Dinten*.

II. EBENUS.

V. UT *Edera* & *Hedera* ſupra: ita *Ebenus* & *Hebenus* in legentis arbitrio eſt. Ita Ebenus in fœminino, aut Ebenum in neutro.

VI. Duplex eſt, *Vegetabilis* & *Mineralis*. De hac Theophraſtus *lib. de Lap.* Pauſanias *in Attic.* Agricola *extr. lib.* 7. *de Foſſil.* Illa iterum duplex Theophraſti 4. *Hiſt.* 5. & Plinii *lib.* 12. *cap.* 4. Dioſcor. unius arboreæ meminit, Æthiopicæ, & Indicæ, quam Bauhinus peculiari quidem loco collocat poſt Guajacum: ſed poſtea *Palmæ* ſpeciebus videtur junxiſſe.

VII. Mentitur illam Thevetus, ut alia multa *lib.* 2. *Gal. Antarct.* Altera & fruticoſa Theophraſti Pliniique, videtur Anguillar. 4. *ſent.* 52. eſſe *Anagyris* ſeu *Laburnum*, cujus ſpecies numerat Bauhinus *in pinace.* Noſtra Ebenus quo minus ſit veterum, illud obſtat, quod odorata non ſit. Quare etiam non licet nobis facultates veterum huc conferre. De facto illorum, qui Guajaco ſubſtituerunt, alii judicent, Interim Guajaci ſpeciem eſſe non negabo Penæ, *Adv. f.* 440.

III. GUAJACUM.

VIII. Scribi ab Hiſpanis *Huiacum*, unde eſt *Hyacum* Fracaſtorii *lib. de Siphylide*, author eſt Paulus Riccus, Medicus Cæſareus apud Huttenum *lib. de morbo Ital.* Afferebatur ab initio ex Americæ inſulis, ſi ſpeciale quid vis, Hiſpaniolæ, D. Dominici, D. Joannis de Portuditive, &c. Duæ ejus ſpecies, altera ſub dicto nomine, altera ſub ligni ſancti: Verum cum hoc poſterius ſanctitatis nomen amiſiſſet, & non amplius afferretur: manſit & res & nomen Guajaci.

IX. Et hoc *Guajacum* eſt *Occidentale*, cujus ramum floribus, fructibus & foliis onuſtum pingit nobis Cluſius *in Monardin*, foliis Lentiſci Præter hoc an detur *Orientale*, neſcit. Video quid muſſitet Pena ab initio de orientis Calecuthii Indiis: at ubi ad *Palum ſanctum folio plantaginis*, pervenit, tribuit illum Indiæ occiduæ. Ex quo forte ſi Cæſalpinus 3. *Hiſt.* 22. hauſit, (ut videtur) ſua, non dubito dicere, tam longè abeſſe à Calecuth, quàm ego nunc. Quo dato, perierit etiam Bauhino *Guajacum Orientale*. Et hæ cauſæ ſunt, cur olim ſcripſerim, deeſſe Guajaco Orientali idoneos teſtes.

X. Verumenimvero ut rem à capite ordiar, cum anno Chriſti 1492 bellum eſſet ob Regnum Neapolitanum, inter Ferdinandum Arragonum Regem, qui primus *Catholicus* eſt dictus; & Carolum VIII. Regem Gallorum, dictum magno capite. Christophorus Columbus, an Colonus: in agro Genuenſi natus, verſus Maſſiliam, redux ex India Occidentali, quam primus detexerat, juſſus à Rege ſuo in littore Tuſco appellere, attulit ſecum miribalem hoſpitem, *Luem Veneream*. Ita enim malim appellare, absque ullius gentis contumella, ſi per conſuetudinem liceret.

XI. De hujus morbi cauſa interrogatus, afferam novam, & alibi non lectam mihi Morbus eſt *totius ſubſtantiæ*, ſi ad Galeni phyſiologiam reſpicias: ideo non curatur, niſi mutata ſubſtantia: nova quaſi ἀνασογχειώσει introducta. Id vero fit à ſolo fere Guajaco, cujus decoctum, & poſt illud imperati ſudores, continuatique per dies 40. & amplius, ita atterunt individuum, ut quaſi in Medeæ lebete recoctum ſit.

XII. Sed quæ cauſa morbi eſt? Canibalum (ita enim appellantur iſti Americani) τῶν ἀνθρωποφάγων converſatio. Huc ego deveni: tu comminiſcere tibi reliqua, & tandem notas auſculta. An capi poteſt argumentum ex immanitate veneni, quod fit ex bubonibus peſte exſtinctorum, de quo ego in Pathologicis, qua de Contagio peſtilenti.

XIII. Ante autem omnia diſcerne *notas utiles ab inutilibus*. Inutiles dico, 1. Quæ à triplici arbore petuntur à Monarde & aliis. Revera eſt unica arbor, cujus medulla nigra eſt, ſuperficies flava & exalbida. 2. Hæc arbor alibi matricem amplam habet, alibi pene nullam, ut Monardis habet, *c.* 20. & dicitur peculiariter

Lignum ſanctum. Atqui dixi ego jam, compertum fuit non reſpondere votis, ideo vetitum fuit inferri Europæ. 3. Orientale præſtantius eſt Occidentali, dicunt quidam. Atqui non datur, ut pariter dixi. 4. inter Occid. præſtat id, quod ex inſula D. Joannis. Sed quis mihi dicat, unde revera ſit? 5. Qui dicunt, non niſi minores ramos trahi in uſum, ridiculi fiunt. Tales enim non afferuntur. 6. ita illi, qui non niſi arborem juvenem volunt, aut certè mediæ ætatis. His oppono, qui non niſi vetuſtam deſiderant. 7. Nigerrimum lignum eſſe optimum, dicunt quidam. Voluntarium hoc eſt, & reprobatum ab iis, qui ligno ſancto ſunt uſi. 8. Partes tantum radici propinquas optant quidam. Voluntarium & hoc eſt 9. Quidam contempto ligno, corticem quærunt. Mercatorum nugæ, qui laudant venales, &c. Hæc ego tibi, mi homo, congerere volui, ut uno ore exſpuas.

XIV. Alioquin probatur Guajacum 1. quod recentiſſimum eſt, & ſucculentiſſimum, quantum quidem diſtantia loci, temporisque amplitudo permittit. Hujus rei ſigna ſunt, partim præſentia corticis, partim color ipſe. Si nondum ceciderit cortex, ſignificat, non eſſe perfuſum multa aqua marina Si cortex habeat colorem (amittit enim) ſuum naturalem, qui eſt inſtar equorum, rotatorum quos appellant illi, hoc eſt, *maculis magis minus viridibus*, *permiſto colore livido plumbeove*. Si cortex ceciderit, debet lignum ſubtus concolor eſſe. Si non ſit, indicat diu jacuiſſe ſine cortice, & multum bonitatis amiſiſſe. 2. quod ponderoſiſſimum. Tam enim grave eſt natura, ut parva ejus particula non ſupernatet, ſed ſubſidat in aqua 3. quod duriſſimum, & non niſi difficulter ſectile. Quod enim ſecus, jam pro carioſo habetur. 4. quod tam ſolidum, ut rimas agere non poſſit. 5. quod pinguiſſimum, cujus rei duo indicia, *alterum*, ut facile incendatur, & ſtatim difluat gummoſum quid nigrum; quod ubi in terram deciderit, dureſcat: *alterum*, ut compreſſa ſcobs pilæ inſtar cohæreat. Humor enim id facit. Hoc quod non præſtat lignum, ſecundæ bonitatis eſt, nec reprobandum: ſed habendum pro temperato, in tali individuo uſurpando. 5. Et dum inciditur, & dum decoquitur, debet ſuavem odorem emittere, ſed non ita acrem, ut ſternutamentum moveat, ut quidam volunt. An & hoc, quod non habet, eſt temperiatius? 6. In ſapore debet cum acrimonia amarities adeſſe, & utraque æqualis in vetuſtiori: in valde recenti, acrimonia ſuperante. Quidam variare hæc dicunt, pro ratione decoctionis longioris aut brevioris, pro quantitate & qualitate ligni, &c. Fit enim aliquando decoctum piperis inſtar acerrimum, aliquando longe minus, cujus moderamen penes Medicum eſt. Tandem præſtantius eſt lignum, quod plures ſuſtinet decoctiones, easque pro potu.

XV. Hæc ſi ita ſe habent, quis credat impoſtoribus, corticem præferentibus ligno? Mihi falſitas tam perſpicua eſt, ut non opus ſit verbo.

XVI. Sed & jam tempus eſt eundi ad facultates. In his quia omnia teſtantur caliditatem & ſiccitatem, videtur hoc proximum eſſe, ut intelligamus *quouſque?* Quidam volunt utrobique eſſe fine 2. gradus, aut etiam principio tertii: imo quidam ad finem tertii properant. Hoc intolerabile videtur illis, qui ſciunt in ca-

calidis quo que affectibus locum habere. Ideo ultra principium 2. gradus non eunt. Inter hos medii ſunt, qui calidum eſſe credunt in 2. verſus 3. ut loquuntur, & ſiccum in 1. verſus 2. in temperata regione. Id vero addunt, ut rationem reddere poſſint, cur quidam corpulentiores fiant? Hæc res apud alios tantum potuit, ut totum lignum, non temperatum tantum, ſed temperatiſſimum pronunciarint, non in activis ſolùm, ſed & in paſſivis. Quin temerè addiderint, tam ſimile eſſe corpori noſtro, quàm ullum alimentum. Sed revera hi decipiuntur, & cerebrum non habent, ut Falloppius loquitur, vel ob id, quod ipſimet fatentur, eſſe amarum & mordax, adeoque calidum & ſiccum.

XVII. Qua contradictione conſtricti quidam dixerunt, Lignum hoc curare quidem morbum hunc, ſive ex calidis pendeat humoribus, ſive ex frigidis, ſubſtantiæ proprietate, ſive, ut alii, occulta qualitate: conjunctos autem illi alios morbos manifeſtis qualitatibus. Sed revera hi multo magis decipiuntur. Si enim maxime ita eſt, ſi (inquam) ſubſtantiæ proprietate curat ipſam luem, deponitne manifeſtas qualitates? Non dicent ſpero. Propterea, problemata etiam manent indiſcuſſa, cur calidum pugnet calido? & ſiccum ſicco? cur corpus recipiant ægri calidi & ſicci, à medicamento calido & ſicco? Quod ſi tale eſt in morbis adjunctis, cur in ipſa radice non eſt? Sed & calidum & humidum perfectè & plus nutrit, quam jus pulli conſummatum?

XVIII. Stat igitur hoc, Guajacum eſt calidum & ſiccum: & quo modo pellit morbum calidum & ſiccum? Diſcuſſis, & abſumptis calidis & ſiccis humoribus, quæ eſt refrigeratio per accidens. Ita Rhabarbarum refrigerat purgatis ejuſdem generis humoribus. Facit id autem non ſine diſcrimine, & abſque methodi legibus, abſque quibus qui tentarunt, inſigniter læſi ſunt. Tamen nutrit? recipiunt enim corpus? Neutiquam nutrit. Cum enim alimenti vox ſit paſſiva, hoc eſt ſit rei, quæ vincitur, quis credat, medicamentum tam calidum poſſe vinci, & in ſubſtantiam aliti converti? Tamen fiunt habitiores? Enecas. Jam enim dixi, *per accidens* fieri, diſcuſſis calidis humoribus, & expeditis viſcerum obſtructionibus, quæ generationi ſanguinis obſtabant. Tamen. Quam malus es Logicus, qui non diſtinguis id, quod per ſe, ab eo quod per accidens? quin neſcis committere elenchum μὴ παρὰ τοῦτο, quod Loſſius te docuit? Unde ergo eſt alimentum? Ab alimento quo utitur æger ſimul cum medicamento. At victus eſt tenuiſſimus. Quamdiu eſt talis, corpus non augetur. Sed neque verum eſt, omnibus hoc accidere: quin, ſolo Matthiolo authore quidam penitus contabeſcunt. Si hoc non ſufficit, Fracanzanus tibi dicat, quosdam ad maraſmum ſenilem deduci, quosdam ad febres, quosdam ad hydropas. Addo ego, quosdam ad mortem. Vidimus nuper, cum Empiricus virum perfectæ ætatis, in doloribus vagis articulorum, eò perduxiſſet ut jam dimittendus eſſe ſubitò patientem mori, viribus deficientibus. Hoc nimirum fit cum alaſtores, illi, non æſtimatis viribus, ſemper urgent, urgent.

XIX. Et ſic confectum eſt, Guajacum ἀν ἀντιῤῥήτως agere eodem modo, calefaciendo & ſiccando, adeoque calidum & ſiccum eſſe abſque ulla contrarii miſtione.

tione. Sed quousque; & qui melius loquuntur de gradibus? Omnes rectè diſtinguas. Lignum amariſſimum & acerrimum, in debita quantitate ſumptum, debito tempore coctum, facit primum decoctum calidum & ſiccum in 3. gradu. Secundum in 2. Tertium in 1. Lignum minus tale, facit decoctum primum calidum & ſiccum in 2. & ſic deinceps. Eadem ratio eſt ſecundarum & tertiarum facultatum. Licet enim omne Guajacum, ob tenuitatem quidem partium egregiè penetret, attenuet, diſcutiat; ob craſſitiem validè abſtergat & mundificet: tamen magna eſt differentia ſecundum magis & minus, ſecundum variam præparationem. Quod verò mireris eſt etiam diſcrimen ratione individuorum. Quibusdam enim inſenſilem tantum movet tranſpirationem, quibusdam ſenſilem, vel per ſudorem vel per alvum, vel per urinam.

XX. Et hæc omnia ſolum facit Guajacum, idque inſigniter, quia omnia, quæ debet habere ad ſubſtantificam alterationem, habet inſigniter, neque opus eſt ulla occulta qualitate. In qua qui inſaniunt, quam miſeris modis fiunt ridiculi!

XXI. Tempus eſt ut accingar ad uſum hujus divini (ut prædicant) remedii, quod ideo ἁγιόξυλον vocant: is varius eſt. Plerique enim in decocto utuntur, cujus memini: pauci in electuario: pauciores rurſus in Syrupo: in vino Hippocratico: in aqua deſtillata; in oleo: in Extracto: in pulvere. Oportet autem dicere de ſingulis ſeorſim ne quid peccetur in re tam gravi, quantum humanitùs fieri poteſt.

XXII. *Decoctum duplex* eſt, ſimplex & compoſitum. *Simplex* aut primum, aut ſecundum, aut tertium. *Compoſitum* eſt, cum adduntur, aut alterantia, aut corroborantia, aut antidoti, aut purgantia. In utroque tria conſiderantur, præparatio; doſis; & tempus, quando, & quamdiu. In præparatione iterum tria, conſideratio ligni ipſius, liquoris, in quo decoqui debet; quamdiu decoqui debeat; quo igne, ad prunaſne, an in B M. Quod ad decoctum ſimplex, præparatio ligni prima eſt, qua confringitur in ſcobem minutiſſimam, quod *Raſpare* dicunt Itali. Cum enim ſubſtantia ſit denſiſſima, & ſolidiſſima, niſi tenuiſſimè concidatur, non deponit vim ſuam in liquorem. Hoc fit, vel torno, vel ſerra, vel lima, vel cultro, vel piſtillo in mortario. Ex his modis oportet eligere illum, qui citiſſimè abſolvit opus. Cum enim diutiuſculè verſatur lignum, incaleſcit & tenuitatis multum amittit. Habent in eam rem limas magnas & graves, peculiariter ita formatas, ut dentes quidem non ſint lati & longi, ſed ſtricti, breves, & robuſti, ut uno brachii utriusque jactu ſic ſatis multum decutiatur ſcobis; quæ ad tactum calida eſt. Ideo ne multum pereat ſubſtantiæ tenuis, oportet ſubito imponere liquori ſuo antequam refrigeretur. Hæc quaſi maturatio quædam eſt, ut Falloppius loquitur, ad futuram decoctionem & feliciorem ſucci extractionem. Hinc exſiſtit decoctum (ait idem) duplo præſtantius, quàm ſi diu poſt imponatur. Videant igitur quid agant, qui raſpatum diu antè lignum à meteterialiſta emunt.

XXIII.

XXIII. Oportet autem (quæ jam ſecunda eſt ligni præparatio) liquor ſit, non frigidus, non calidus, non tepidus, ſed in fervore. Oportet etiam vas ſit anguſti oris, quod ſtatim paleis, furfuribusve abſcondatur ad medietatem usque, vel quod melius in loco calido, ſuper focum, aut fornacem calidam habeatur, quam diu? Non ſemper per 24. horas, ſed modo per 12. modo per 48. prout decoctum vel validius volumus, vel debilius.

XXIV. *Liquor*, aut aqua eſt, aut vinum, aut aqua & vinum, aut jus pulli, carnium νεοσφάγων, aut ſerum, aut aquæ deſtillatæ. Cum *aqua cruda* ſumitur, melior eſt *pluvialis*, ſecundum locum occupat *fluvialis*, cum conditionibus ſuis: Tertio *fontana* cum iisdem. Non damnatur *puteana*; modo ſit bene exercita. Utuntur *aqua* Indi, & quibuscunque ſimplicior apparatus placet. Placet autem propterea quod aliarum omnium decoctionum materia ſit, & cur non hujus quoque? *Vinum* primus Matthiolus, ut. ipſe prædicat, ſumpſit: ſed in frigidis & humidis tantum, quibus ſolis concedit Fracanzanus. Qui reſpuunt, dicunt, valdè ingratum fieri decoctum. Quidam etiam aceſcere queruntur vinum, quibus nondum credo. Quidam putant ſe medium quid inveniſſe, & facto in aqua decocto ſuperdant aliquid vini ſed potentis. Verum, quia ægri noſtri alias arceantur à vino, quod malè ceſſerit iis, qui uſi ſunt, pauci id probant. Neque vero omnibus acceptabilis eſt diſtinctio non niſi in iis frigidis & humidis locum habere, qui diu jam laborarunt, & opus habent penetranti medicamento; jam enim lignum penetrantiam habet, quæ ſufficiat. Neque conſiſtit excuſatio, frigiditatem viſcerum, præcipuè lienis, nolle aquam, ſed poſtulare vinum. Jam enim aqua non eſt amplius aqua, quia imbibit ſubſtantiam ligni, ob quam non refrigerat, ſed calefacit.

XXV. *Juſcula* laudantur in emaciatis, in quibus viſcera ſunt valde debilia. Qua in re hoc conſulunt diligentiores, ne accipiantur jura facta: ſed ſub finem decoctionis addatur caro, pullusve gallinaceus. Secus ſi fiat, inquiunt, ſalſum fit decoctum, ob diutinam ad ignem moram.

XXVI. *Aquas deſtillatas* valde laudat Rondeletius, culpat contra Fracanzanus, quod pleræque adſtringant. Adſtrictio autem illa tam diuturna, periculoſa ſit. Summa: *Præfero aquam ſimplicem in univerſum.* Si vel augendæ ſint, vel minuendæ vires medicamenti, non deerunt alii modi.

XXVII. Sed quæ *proportio ligni* eſt *ad liquorem*? Communis ratio, & quæ ex India Occidentali putant petita, eſt, ut ad ℔. j. ligni, ſumantur ℔. viij. aquæ. Et hoc eſt, quod Falloppius ait, Communiter pro ſingulis ℥ ligni, dari ſingulas ℔. aquæ, quarum una pendit ℥ vij. Verum cum Empiricum quid ſaperet, decoctumque fieret validius, quam ut promiſcue dari poſſet omnibus, aſcenſum fuit ad ℔ xv. & xvj. imò ad xx. & xxxiiij. & ipſa coctio fieri cœpit, modo ad medietatem, modo ad tertias, pro qualitate videlicet mali fortis vel debilis. Hoc ipſum non poteſt ita ſcribi, dicive: ſed oportet conjectare ex temperamento ægri, habitu, ſexu, ætate, ambiente, magnitudine ſymptomatum,

aliis, quæ methodus præſcribit. Nihil igitur dicit, quicumque dicit, hæc quantitas deſiderat hanc qualitatem: hoc enim eſt calceare omnes uno calopodio. Eodem modo dici non poteſt, an à principio morbi ad finem usque ſervari debeat eadem proportio? Pariter, an ſit aliquando tranſeundum ad Chinam, ad ſarſam parigliam, &c. Pariter, an ſemper aliquid corticis ſit addendum. Pariter, an ſemper ſit ſubſiſtendum in decoctione ad medietatem, &c.

XXVIII. *Qualis* vero debet eſſe *coctio*? Conſuetudo fert, ut ad prunas fiat ſicco igne & lento, ne quid exæſtuet. Sed revera, in B. M. humido ſcilicet igne, major fit eliquatio & decoctum fit meracius, acrius & amarius, ut Falloppius loquitur.

XXIX. In hac coctione ſervetur *ſpuma*, quæ leniter aperto vaſe ſeſe offert, cujus uſus in ulcerum illitu, licet alii oleo deſtillato utantur.

XXX. Hæc coctio pariter non ſit unius horæ. Cum enim ſubſtantia ligni ſit denſiſſima, opus eſt mora, uſquedum exhalet aliquid ſubſtantiale. Hinc, ut dixi, iteratur coctio ſecundùm, tertiùm, &c. Sed quando finem ſuum ſortitur coctio? Non intra 10. horas. Qua in re, ut certum quid ſit antequam infuſum igni apponatur, effundere oportet, ut certum ſit, quantum liquoris imbiberit ſcobs. Solet media pars præter propter imbibi, verbi gratia ſi ℔. xij. ſumpſeris, ſolent vj. ſupereſſe. Ergo, ſi velis has ad medietatem redigere, effunde tres, & ſeorſim ſerva: alteras tres da ſcobi, & immiſſo baculo obſerva, quo pertingant. Tum vero affunde alteras, & ſinito bullire, uſquedum finem tuum aſſequare. Hæc cura quod locum habeat in B. etiam M. non dubito.

Jam factum *decoctum* colandum eſt. Id verò an fiat dùm calet, aut refrixit, perinde putatur. Et hoc eſt primarium decoctum, quod vulgo vocatur *das ſtarcke Waſſer*. Aliis *Syrupus* dicitur, quamvis, nec mel, nec ſaccharum acceperit. Interim quidam addunt alterutrum, ſive gratificantes ægris; ſive ob cauſam aliquam certam. Ego non facile aſſentior: obtundit enim vim medicamenti, ut jam dicam.

XXXI. Huic eidem ligno, ſic decocto, additur (ſine tamen repetita infuſione) eadem quantitas aquæ, & iterum coquitur ad tertias vel quartas, ſi æſtas ſit, aut æger alioqui bibacior; vel augetur quantitas aquæ pro ratione prioris aquæ, verbi gratia, ſi habuiſti ℔. xx. potes ſumere xxiiij. vel xxx. ſin eadem poteſt eſſe quantitas, & ſecunda vice coquitur. Ita tertia & quarta. Habet enim balſamum tenaciſſimum, ut iſti loquuntur, & ſcribunt quidam, etiam duodecies decoctum: curaſſe tamen pauperculos quosdam. Et hoc eſt *alterum decoctum*, quod vocant *das Drinckwaſſer*. Neque enim vel vinum, vel cerviſia illic conceditur. Quidam tam ſuperſtitioſi ſunt, ut tertiam faciant decoctionem pro abluendis manibus & pedibus. Qui pro ſecundis decoctionibus novum ſumunt lignum, ambitioſi ſunt.

XXXII. *Compoſitum* eſt, cum adduntur vel alterantia, vel purgantia, vel utra-

que. Hoc an fieri ullo modo debeat, controvertitur. Scripſit contra hunc morem non ſine bile, Antonius Gallus, natione etiam Gallus, niſi fallor, *in Aphoriſ. tom.* 1. *f.* 392. in quo forte nonniſi unicum hoc argumentum inveneris; *Stupor eſt*, inquit, *experimenta velle tractare methodo!* Tu, Ramiſta forma argumentum. Ego enim abſque diſtinctis propoſitionibus video, quo tendat, & unde petitum ſit. Noram illud Galeni 13. *Meth.* 6. à multis annis: ſed noram ſimul, non ſimpliciter procedere. Non longè petam exemplum. Quæ hactenus dicta ſunt de varietate *decocti*, pro varietate individuorum, unde ſunt? Certè ex Methodo. Ut nolens volens concedere cogaris, abſque illa non eſſe facilem ullam curationem. Interim pro Gallo ita ratiocinor. Addimus, aut (ut Medicè loquar) componimus medicamenta, ubi vel augere vel retundere volumus facultates medicamenti alicujus ſimplicis. At heic non eſt opus auctione: per te enim ſufficit lignum producendo effectui. Non eſt opus correctione: quia lignum nihil habet maligni. Quod ſi intendere libeat actionem, ſunt in medio aliæ rationes, vel ex dictis apertæ: ſin remittere, iterum aliæ ſunt.

XXXIII. Ut diſtinctè agam, *aut alterantia jungis*, *aut purgantia.* Illa manifeſtè infringunt qualitates manifeſtas ligni, ſine quibus actio nulla ſit: hæc naturam rapiunt aliò. Hinc præceptum ſaniorum Medicorum, interponenda eſſe purgantia ſeptimo quoque die, nono, decimo, aut ut Indi, decimo ſexto. Quo die autem ſit faciendum, ex ſola Methodo ſcitur ut iterum neceſſitatem ejus inculcem. Hinc orta vox eſt graviſſimorum virorum, *Neminem unquam ab hoc malo perfectè curatum fuiſſe iſtis decoctis compoſitis.* Id (inquit quidam ex iis) de morbo ſimplici credo, de compoſito non credo. Dic age, vir magne, quem vocas *compoſitum*? Qui habet conjunctos tofos, dolores, ulcera cutanea. Dic tu mihi viciſſim, Ex quibus ſymptomatis cognoſcis hunc morbum? Non ex aliis, quàm ex his. Ergo omnis lues venerea eſt compoſita. Quod ſi accedant diverſi generis morbi, hydrops, aſthma, &c. jam non eſt unus morbus compoſitus ſed tres. Et his, ut puto, perſuaſerim alicui, *decoctum Compoſitum* non habere locum in hoc negotio,

XXXIV. *Electuarium* an comparari poſſit cum decocto? dubitatur. Cum enim fiat ex pulvere ligni; ſubſtantia autem tam ſit ſolida, quis credat à calore noſtro confici poſſe? Braſſavolus probat incertum per æquè incertum. Aurum non conficitur, & tamen habet effectus ſuos, ita: Pax!

XXXV. IV. *Pilularum* eadem eſt ratio. Loquor autem non de Mercurialibus, ſed de pulvere ligni.

XXXVI. V. Eadem *pulveris ipſius* ratio eſt; ſive per ſe ſolus uſurpetur in liquore ſuo, ſuper pane toſto, aut aliter.

XXXVII. VI. Audeo dicere, eandem eſſe rationem *Syrupi.* Ne quid aliud dicam, *Contra methodum eſt per alvum & habitum ſimul vacuare.*

XXXVIII. VII. Non valdè diverſa eſt ratio *Vini Hippocratici*, quovis modo paretur.

 XXXIX.

XXXIX. VIII. Eadem *aquæ Philoſophicæ*. Tandem etiam *olei Chymici* Revera, extra decoctum, ſubſidium aliud nullum eſt, quod ἀναςοιχειῶσιν illam, de qua dixi, faciat. Poſſent multò plura afferri: ſed inſtitutum meum non eſt omnia corradere.

IV. SARSA-PARIGLIA.

XL. NOn eſt quidem lignum, ſed non ſine ligno, ut Lobelius & Pena pingunt. Vox eſt Hiſpanica *Sarſa*, vel aſperiore ſono, *Parza*, eſt *Rubus*: *Parra*, *Vitis*, & hinc factum diminutivum ſarriglia, *Viticula*, ut ſit *Rubus-viticula*.

XLI. Indubitanter eſt *Smilax aſpera* Dioſcoridis ſed loco natali differens. Affertur enim ex Peru, Indiæ Occidentalis parte, nec facit *Europæa ſmilax*, quod Indica. Uſus tamen eſt, Ghinus apud Solenandrum 5. *Conſ.* 4. & Falloppius *lib. de morbo Ital. cap.* 63. Ita loquor, quia de *Sarſa Orientali* non minus dubito quàm de Guajaco Orientali. Creſcit aliquot locis dictæ Indiæ. vel efficacior vel inefficacior.

XLII. *Optima* habetur Penæ *Adv. f.* 271. *quæ plenis medulloſis que eſt flagellis, ſolida, candida intus, & habitior, quæque facilius in æquas tota ſui longitudine, partes divellitur.* Mihi hoc obſervatu dignum videtur, quod Cæſalpinus addit 5. *Hiſt.* 27. *Omnem vim in cortice eſſe*,

XLIII Interim hoc moleſtum eſt, quod Practicidicunt, curare morbum Venereum, ſed non omnem. Quem vero, ô boni? Intereſt enim mea. Poſt multam lectionem & meditationem vidi, comparari non ſine ratione cum *China*, de qua ſuprà.

XLIV. Cum enim de primis qualitatibus non minus certetur, quam de Chinæ: huc tandem res pervenit, ut vel temperata ſit Sarſa, vel attingat 2. gr. caliditatis & ſiccitatis. Quamobrem ita dico, ut China convenit ſolis illis, qui tenuibus & calidis humoribus laborant: ita Sarſa. In hanc ſententiam induco Ill. Maſſariam, qui *lib. de morbo Ital. f.* 509. *edit. Francofurt.* iis præcipuè conferre docet, qui affectibus cutaneis laborant, in quorum diſcuſſione præcipuam operam præſtet. Si vero ſunt qui calidiore & hepate, & habitu ſunt, ideoque proni etiam ad tranſpirationem inſenſibilem. Hæc, cum virus hoc introductum eſt, & aucta intemperies calida & ſicca hepatis (hunc enim morbum cum Maſſaria ſtatuo cauſam dictorum ſymptomatum) cum non ſufficiat, & ſtagnantia in ſuperficie excrementa craſſeſcunt, ſive erodant: ſuperveniens decoctum Sarſæ temperatum attenuat, & ad diſcuſſionem apta reddit.

XLV. Quo habito, jam deſero Maſſariam in conjungenda Sarſa cum Guajaco. Hoc enim corrumpit temperiem Sarſæ. Vide Falloppium *loc. cit.*

V. SAS-

V. SASSAFRAS.

XLVI. CRredo ego Monardi, *Simpl. c.* 24. à Gallis eſſe hoc nomen, quo tempore Floridam, Indiæ Occidentalis regionem, tenebant. Sed non ſufficit mihi. An amplectenda eſt conjectura Capivaccii, qui quaſi *Saſſifragiam* addit? Cæterum ingens dubium mihi movet Bauhinus, cum *Ficulneo folio* vocat, & ait, miſſum ſibi à D. Doldio folium. Habeo & ego, ab eodem Doldio dona datum, ſed tam ſimile ficui, quàm quercui. Eſt enim oblongum, & utrinque habet inciſuras duas latas, inſtar ancilium, quæ hodieque in nummis Rom. viſuntur apud Goltzium *in Faſtis*, *f.* 206. *p.* Stolo. III. VIR. Vide immortalem Lipſium 5. *Antiq. lect.* 16. Si vis, etiam Pontanum & Taubmannum, *in Virgilium.*

XLVII. Odorem habet lignum fœniculaceum, eumque non exilem, ſed tantum, ut parva ejus portio totum conclave impleat. Hinc etiam decoctum prorſus ſapit ut fœniculum, & dicitur inde *Fenchelholk.*

XLVIII. Sum ejus opinionis, fœniculum, authore Galeno eſt calidum & ſiccum in tertio: ita etiam lignum hoc. Hoc perſuadet ſubſtantiæ modus, tanto efficacior, quo lignum eſt planta denſius. Conſentit Monardis, dum comparat cum Cinnamomo, & Guajaco. Hinc ſunt effectus, non in fluxionibus tantum podagricis, aliiſque, ſed & in lue Venerea. Curavi magnum quendam virum fluxione ad dextrum genu laborantem, decocto hoc bene gravido, cum aliis remediis nollet. De proportione ligni ad aquam vide dictum Monardim.

VI. SANDALI.

XLIX. NOmen eſſe ab Arabibus, puto; quid ſignificet, neſcio. Cognomen habent *Mahazari*, quod *odoratiſſimi* interpretantur Monachi *in Meſuem.*

L. Triplices ſunt ratione coloris, *Rubri*, *Albi*, & *Citrini*, qui ipſi ſunt optimi, ſed rarò afferuntur.

LI. Singulorum notas qui vult, videat apud Cordum, 4. *Hiſt.* 4. *& ſeq.* Quia enim nihil addere aut demere poſſum, nolo etiam expilare ſcrinia ipſius.

LII. Tanto autem libentius abſtineo, quo major eſt concertatio de Sandalis noſtris, an ſint Arabum? Diligentiſſimus harum rerum cenſor, Guilland. *in probl.* opponit ſe. Cujus rationibus ſatisfeciſſe ſe licet videri velit Matthiolus *in Epiſt. ad Cratonem*: non ob id tamen ita eſt. Amplius dubitabis, ſi legeris Garziam 1. *Arom.* 17. & quæ notavit ibi Cluſius.

LIII. Si ad Græcos diverti velis, Cordus quidem magnificè de Sandalo rubro promittet, *Lotum*, *arborem* eſſe: Sed nihil præſtabit. Si Cæſalpino 3. *Hiſt.*

36. applicare te voles, Aſphalathum eſſe. Vide an poſſis reſpondere argumentis Braſſavoli, *Exam. Simpl. f.* 423.

LIV. Ego, converſus ad pharmacopœos, moneo illos ex fide, videant (quod firmiter tenent omnes) an *Sadali noſtri*, quicunque illi ſint, frigidi ſint? Me retinent Monardes & Falloppius, ille inquit, *Calefaciunt*, *&*, *ſi guſtes*, *& ſi foris applices.* Hic, *Ex odoris ſuavitate*, *ex acredine cum aliquo amarore*, *& cum deco-quo*, *colligo*, *non eſſe frigidos in tertio gradu.* Interim quod mireris, frigidos aſſerit eſſe in 1. aut certè in 2. ne cogeretur deſerere Arabas. Quanto ſapentius Guilland. qui calidos eſſe in 2. ait, quod accepto, ſi admiſerit diſtinctionem, *Citrinos eſſe in fine ſecundi*, *aut principio tertii: albos & rubros in principio ſecundi. Siccos eſſe ajo in 2. omnes.* Has cogitationes diu ante me foviſſe Sylvium, & Fuchſium, colligo ex eo, quod ſcribunt, *Sandalis noſtris non eſſe utendum*, *niſi Medicus juſſerit*, *quod calidi ſint*, *præcipuè citrini.*

LV. Ego putem, ſeverius agendum (quod quidam jam fecerunt) interdicendum omnino uſum & *Confectionis Diatrionſandal.* Nicolai, & *Trochiſcorum Sandal.* Meſue & *Ceroti ſeu Ung*, *Sand. l. ejusdem* Meſue. His quidem terminis, ſi, inquam, refrigerandi gratia uti velint Medici Confect. Diatrionſandal. in calida viſcerum intemperie, declinationibus febrium, ictero ex cauſa calida, hydrope ex eadem. Neque me retinet amplius κρησφύγετον illorum, *Totam compoſitionem fieri temperatam à ſeminibus frigidis*, *gummis*, *aliis*, *atque ita remiſſum remittere intenſum.* Baſis enim eſt calida. Abſterreat vero quem etiam inſignis varietas deſcriptionis, in qua modo hæc, modo illa præponderant. Eadem eſt ratio *Trochiſcorum*, vel ideo, quia videntur nati ex *Confectione.* A *Ceroto* aſpellit me Foëſius, qui hanc obſcurè innuit calefacere. Neque verò abſterret me docta, (ut viſum fuit noſtris) Coſtæi reſponſio, *Camphoram non poſſe calefacere.* Vide Rondeletium *in Offic. pharmac.* de abuſu hujus Ceroti, ut & Ferrerium *in Caſtigationibus.* Quorum authoritate fultus, ſuaviter rideo illos, qui dictitant, *Non minus turpe eſſe*, *deeſſe in Officinis hoc ceratum*, *quàm ſaccharum.*

CAPUT CXXIX.

DE LIGUSTRO.

I. LIGUSTRUM è ligando eſſe facile perſuadeor. Hoc in Oriente *Cyprum* dici Plinius aſſerit duobus locis, *lib.* 12 *cap.* 24. *& lib.* 24. *cap.* 10. Hæc *Cyprus* tam elegans eſt planta, & odorem ſpirat tam gratum, ut muliebribus deliciis adſcriberetur, veluti τὸ Myrtò, Myrtine, Rhode, ut Illuſtr. Scaliger *in Euſeb.* monet, *numero* 19. qui etiam merè Hebraicum eſſe docet. Idem ſcribit, Rabbi Dau. Kimchi authorem eſſe, eſſe Arabum *Alhanna*, ſeu *Alhenna*, quod qui craſſius pronunciant, ſpiritum aſperum addunt *Achanne*, & tandem *Ackanne* dicentes

II.

II. Sciendum autem eſt differre in quibusdam *Liguſtrum Europæum* à *Cypro Orientali*: differre etiam *Cyprum Syriacam* ab *Ægyptia*. Liguſtrum noſtrum folia oleæ habet, unde *Olivella* Italis dicitur. Habet & *Cyprus*, ſed in Ægypto ſtrictiora, quam Alpinus pingit *lib. de plant. Ægypt. cap.* 13. In Syria latiora, quam Cluſius apud Bellonium 2. *Obſ.* 74. & Rauwolff. 4. *Itin. num.* 60. Et hanc differentiam ſolam agnoſcit Bauhinus *in Pinace*.

III. Hoc ipſum vel alterutrum, eſt *Liguſtrum Pœtarum*? An autem ſimul ſit *Vacinium* (ita enim nunc ſcribo, ut manifeſta ſit originatio ἀπὸ ὑάκινθος) neſcio, ſed magis inclino ad negativam. Quæ Anguillara 3. *Sent.* 6. & Dodonæus *P.* 6. *lib.* 2. *cap.* 10. contra Cyrum diſputant, non ſunt magni momenti.

IV. In Officinis & *Aqua deſtillata* eſt ex floribus, & *Oleum* ex iisdem. Radix quibusdam non eſt. Non eſt, ubi Anchuſæ nomen habet, ut ibi dixi, eſt ubi Spodium (de quo dicetur) ex Ægyptiaca paratur.

V. Scribit Galenus 7. *Simpl.* & ex eo Arabes, Cypri folia & ſummitates habere partes heterogeneas, quasdam modice calidas & digerentes cum ſubſtantia aquea: quasdam frigidas, & adſtringentes cum terrea. Sed utræ dominantur? *Frigidæ*, quod ex effectibus apparet. Avicenna definit frig. in 1. ſicc. in 2. & quidem absque morſu. Et vera ſunt hæc de floribus quoque, niſi quod paulò potentiores, quia εὐώδεις, ut Dioſcorides loquitur. ita tamen, ut non ſecus ac roſæ ſint frigidi. Eſt enim hæc caliditas tepida, de qua jam toties.

VI. Differt acutus hic odor, ut Arabes appellant, ſecundum regiones. Liguſtri noſtri valde remiſſus eſt: in Italia acrior: in Ægypto ad moſchum accedit. Forte in foliis quoque diverſitas eſt. Noſtrum non inficit: Ægyptium & Africum (de quo id Pena) flavo & rubro tingunt. Adſtrictioni teſtimonium præbet Galenus 6. κ. τόπ. *ult.* in medicamentis Archigenis, ubi Cypro pauciſſima adſcribitur adſtrictio. Laudatur enim ab Archigene, Galeno & Arabibus ad aphthas, unde *Mundtholtz*, noſtris hominibus.

VII. Laudatur in ambuſtis, in tumoribus omnibus calidis, præcipuè genitalium. Jactat ſuam experientiam in aqua ſtillatitia Paſinus. Sed revera etiam Avicennæ fuit notum. Et Chirurgis uſitatum eſſe remedium ante ipſum Tragus ſcripſit. Quin & in Ægypto frequens eſſe, author eſt Alpinus. Uſus ibidem eſt & folii in capitis doloribus, ſed non in aceto, ut Dioſcorides.

VIII. Maximus uſus apud eosdem eſt pulveris foliorum ad ruffandos capillos puerorum, ungues & manus, adeoque totam mediam inferioris corporis partem, qua de re Bellon.

IX. Habemus in Officinis *Ol. liguſtri*, ſeu de *Alcanna*, quod non credo habere effectus eos, quos Dioſcorides & Meſue tribuunt illi. *Liguſtrum* enim *noſtrum* neutiquam accedit ad partium tenuitatem, ad quam Orientale. Ideo non credo Diſpenſatori noſtro, *calefacere & emollire*.

AUC-

AUCTARIUM DE SPODIO ET Antiſpodio.

X. DEtegendus heic eſt inſignis error eorum, qui τὸ Alchanna ne agnoverunt quidem pro Arabico, hinc facto exordio. ἡ σποδὸς καὶ τὸ σπόδιον, ſignificat 1. in genere *Cinerem* & *Cinerulam*. 2. in ſpecie, *Cinerem* quendam *metallicum*, de quo poſt alios Cæſalp. 3. *Metall.* 25. *ſeu ult.* In Officinis ærariis favillæ ſurſum volantes vel adhærent tecti convexo, vel decidunt in terram. Quod adhæret leve & album, πομφόλυξ *Bulla* dictum, in noſtris Officinis *Nil album* vocatur, *Weiſs nichts*: quod decidit, ponderoſum & ſubnigrum, σποδὸς ἢ σπόδιον vocatum. *Nil griſeum*, *Grau nichts* noſtris appellatur.

XI. Hanc rem ſi inquiras apud Arabas, invenias utrumque dici uno & eodem nomine, *Tutiæ*. Hoc nomen in noſtris quoque Officinis eſt: ſed res neutiquam eſt. Eſt autem *Cadmia quædam*.

XII. Rurſus, apud eosdem, non in cenſu tantum ſimplicium, ſed & in compoſitionibus quibusdam eſt *Tabaiſir*, de quo certamen certatur, quid ſit? Plerique Interpretes Arabum *ſpodium* vertunt. Hinc aliud oritur dubium, ſitne accipiendum *ſpodium Græcorum*, an potius *Antiſpodiorum* aliquod ex iis, quæ Dioſcorides & Plinius recenſent? Qui ſpodium metallicum amplectuntur, proculdubio ſunt in magno errore. Cùm enim Arabes ſpodium vocarint Tutiam, & verò Tutiam ſepararint à Tabaiſir: qua fronte jam cumulabunt?

XIII. Quod rei caput eſt, cum *ſpodium* ſit *metallicum*, quod nemo intro det: quei poſſit ſubſtitui medicamento etiam cordiali, ut dicetur? Qui *antiſpodium* ſuſtentant, proculdubio etiam peccant. Cum enim fateantur, *Tabaiſir* longiſſimè abeſſe à ſpodio: quei poſſunt illi ſubſtituere aliquid, quod *ſpodio Græcorum* eſt viciniſſimum? Talia non debent eſſe τὰ ἀντιβαλλόμενα. Et eſſe ſpodio cineres omnes affines ob ἐμπύρευμα, quod habent, quis bonis negarit? Adde, cum Tabaiſir ſit frigidum in 3. gr. quis audebit cineres cum illo comparare?

XIV. Sed ut particulatum agam, impoſtores eſſe, non dubito dicere cum Matthiolo, quicumque ex Avicennæ (ut putant) ſenſu utuntur cineribus Cannæ ſeu arundinis noſtræ. De horum enim acredine videre eſt apud Galenum 7. *ſimpl.* & 1. κ. τόπ. 2. utitur idem cum Dioſcoride ad alopecias. Quomodo igitur tuebuntur 3. gradu frigidos? Quos ipſos cineres ſi non improbavit Matthiolus alibi, non propterea cauſa ipſius eſt melior. At Avicenna eſt uſus? Uſus eſt ſi vox Arabica ſit Latina.

XV. In eodem apud me honore ſunt, qui *Cinerem Oſſium* quorundam (*elephantorum* dicunt ut admirationem excitent fortaſſis) nobis oſtentant. Sed dicant aliquid: eſt cinis. Tu intelligis reliqua, ut & quid ſentiendum de cornu cervino. Revera habet illud quoque empyreuma. Quod ſi *ebur noſtrum* non habet, adeoque præparatione cum aqua roſacea ſimile alcannæ ſit, ut moderatè refrigeret, fiatque cordiale: quid *Camphora?*

XVI. Sed quid tandem eſt *Tabaiſir Arabum?* Abjectis fabulis, quæ ſunt apud Avicennam de incendio Arundinum ſpontaneo per ventos, dico, *Eſt pulvis foliorum Alchannæ*, de cujus uſu apud Turcas dixi. Huic affirmationi fidem aliquam fecerit, quod uterque Arabum dictorum in Hiſpania vixerit, & habeant Tabaiſir inter res marinas, hoc eſt, *aliunde allatas*, *&* *ignotas*. Rem verò confecerit, qui facultatis Tabaiſir inter res marinas, hoc eſt, *aliunde allatas*, *&* *ignotas*. Rem verò confecerit, qui facultates Tabaiſir cum facultatibus Cypri contulerit.

XVII Ego quidem detrecto nunc laborem, quod res facilis ſit unicuique: dico autem diſertè, ſicubi compoſitionibus Arabum opus ſit ſpodio, accipiendum eſſe pulv. Cypri Ægyptiæ. Facile enim haberi poteſt, & vidi Patavii in copia. Si pervicacia pharmacaſtrorum non permittat, accipiatur ſanè ebur noſtrum præparatum. Utrumque quia probavi *in problem. Med.* quæ anno 1617. diſputavit Cl. D. D. Joa. Georg. Fabricius, Practicus ;nunc Noriberg. non licet mihi actum agere.

XVIII. Hoc puto ſolum mihi reſtare, *in Trochiſcis de ſpodio* Meſue cauto opus eſſe. Cum enim ſit duplex deſcriptio, conſideratè oportet agere, ne ſimpliciter dictam confundamus cum ea, quæ cum ſemine Acetoſæ. Apud nos poſterior hæc tantum eſt in uſu, in dyſenteriis cum febri, aut alioquin, in febribus bilioſis, quarum comes ſolet eſſe diarrhœa. Retundunt humorum acrimoniam, parteſque roborant. Præterea ſitim ſedant, & viſcera æſtuantia placant. Ingrediuntur etiam compoſitiones quaſdam magiſtrales, Electuarium de pſyllio, roſatum Meſue, &c.

C A P U T CXXX.

D E L I L I O A L B O.

I. QUod Græcis eſt λείριον ἢ λίριον, id, mutata una litera, Latinis eſt *Lilium*. Invenio & καλλείριον q. d. καλὸν λείριον. Cui voci ſervit τὸ ἡμεροκαλλὶς, quod corruptum eſt tripliciter, in ἡμεροκαλὲς, ἡμεροκαλὶς, & ἡμεροκαλλος, uno tamen ſenſu, *cujus pulchritudo durat per unum tantum diem*. Unde D. Baſilius *in expoſitione Pſal.* 44. Nullum florem exprimere melius fragilitatem generis humani, quam hunc. Et Theocrit. *Idyll.* 28.

Λευκὸν τὸ κρίνὸν ἐςι, μαραίνεται ἄνικα πίπτει.
Album quidem lilium eſt, ſed candor ejus perit quam primum inclinat ſe.

II. Quo ex loco manifeſtum fit, Theocriti etiam ſeculo neglectam fuiſſe differentiam inter λείριον καὶ κρίνον, & per μεταπλασμὸν κρίνεον καὶ κρίνειον. Explicat illam Plinius *lib.* 21. *cap.* 5. Lilium album fuiſſe λείριον: rubens κρίνον. Hujus veſtigia ſunt etiamnum apud Athen. *lib.* 15. Cum enim ibi Cratinus inter λείρια καὶ

κρίνα ponit medias roſas; cum paulo poſt Nicander ait, poëtas quosdam τὰ λείρια vocare κρίνα: colligitur hinc, nomina fuiſſe olim diviſa. Poſtea autem etiam addita cognomina, *Lilium album hortenſe* ſeu domeſticum: *Lilium rubrum ſylveſtre*, ut apparet ex Dioſcoride. Sed & apud Plinium legunt quidam *Crinon agrion.*

III. Apud eundem eſt κυνόῤῥοδον, pro quo legendum eſſe κρινόῤῥοδον, de eodem rubro & ſylveſtri, perſuadeor à Dalecampio & Cornario *in Dioſcoridem*. Et hoc, ni fallor, eſt κρινόῤῥοδον Hippocratis, ad rubentia feminarum profluvia commendatum. Flores enim lilii ſua partium tenuitate id poſſe credibile: Cynorrhodi non eſt. Sed ſatis. Hermol. *in Dioſcoridem.*

IV. Ex lilio albo tres partes in uſum veniunt, Radix, folia, & flores.

V. Ut incipiam à *floribus*, intelligis ex modo loquendi, nolle me ſtamina lutea, ſed folia ipſa exungulata, ut ſupra in Roſis. Scribit de iis Gal. 7. *ſimpl.* & petunt inde Serapio & Avicenna heterogenearum partium eſſe, factos quippe ex ſubſtantia aquea temperata, & terrea tenui, non ſine tamen craſſitie aliqua, unde eſt amaror.

VI. Quibus ex verbis hoc patet, dicta *folia* eſſe calida & ſicca. Sed quousque? Jam dicti Arabes contenti ſunt 2. gradu. Quod non improbo, ſiquidem ad completum gradum iſtum pervenire me ſinunt. Inſignis enim partium tenuitas, quam arguit odor fragrantiſſimus, ſpondet nobis magnam efficaciam. Oſtendunt eandem opera particularia, in aqua præcipuè deſtillata, quamvis veriſimile ſit ignem magnam partem diſſipaſſe.

VII. Scribit enim Tragus, de aliorum licet ſententia, ij. aut iij. cochlearia reſtituere animo linquentes. Idem ſcribit, in obſtructionibus & inflammationibus (intelligo φλογώσεις) viſcerum plurimum poſſe. De facilitando partu idem prædicat. Tu vero accipies id ipſum de ſecundis quoque.

VIII. Camerarius *in Horto* nos monet, intutum ejus uſum eſſe ubi copia humorum eſt. Matthiolus auget penetrantiam croco & cinnamomo; quod profecto non conceſſerit illi Camerarius. Mizaldus *in Secr. hort.* pro fuco habet, ſed cum Anchuſa, ut puto.

IX. Non minus penetrantiæ *Oleum* habet, tu accipe de ſimplici per inſolationem facto: non autem de compoſito, quod unguentum potius eſt. Hujus varietates in compoſitione vide apud Foëſium & Cronenburgium. Præcipuum eſt, ne folia relinquantur in oleo vetere ad 15. dies. Cum enim, ut Pena nos monet, tota planta turgeat ſucco mucagineo, facile putreſcunt, & oleum jam redolet non lilia, quæ prima bonitatis nota eſt, ſed grave & fœtidum quid. Sufficit igitur triduum, quo exacto imponuntur alia: tum denique iterum alia. Satis enim eſt, tertiùm repetiiſſe.

X. Hoc *oleum* maximas habet vires in quibuscumque doloribus & affectibus fri-

frigidis præcipue tumoribus. Sua enim: quam dixi, penetrantia humores attenuat, fundit, & diſſipat, itaque tenſa remittit, dura emollit, dolores ſedat. Uſus ob id eſt in doloribus colicis & nephriticis, in pleuritide, &c. Uſus etiam eſt in induratis nervis præcipuè, in ſcirrho uteri, atque inde pendente menſium mora. Eadem penetrantia, quæ à frigore quaſi concreta ſunt, ſolvit. Hinc adeo quidam in has cogitationes venerunt, lilia non eſſe ſicca, ſed humida. Sed non eſt ita. Si enim propriè loqui velimus, tenſa remittit, non autem dura emollit. Hoc fit à caliditate quadam moderata (oleum enim remittit colorem foliorum) cum partium tenuitate, quam jam toties prædico, non autem ratione olei, quod Braſſavolus vult. Quamobrem hoc longe validius facit oleum compoſ. cujus vires nequaquam confundere oportet cum ſimplici, ut quidam faciunt.

XI. Heic dubito, an hoc *ol. compoſ.* pus movere poſſit? Reſpondeo. Non poteſt, ut neque ſimplex. Galenus enim 5. *Simpl.* 8. dicit, pus moventia eſſe infra emollientia At lilium ne quidem emolliens eſt, proprie dictum. Ratio enim dictat, calidius eſſe, quam ut poſſit tueri nativam partium humiditatem. Ergò ſi ſimplex oleum non poteſt, multo minus compoſitum poterit, calidius quippe.

XII. Et hæc de oleo: de *foliis* ipſius plantæ quæſtio eſt, quatenus in primis qualitatibus accedant ad folia floris? Sunt & illa in ſecundo gradu, ſed initiò ejus tantum, quod coincidit cum fine. 1. Hoc indicat nauſeoſus eorum odor, & ſapor non diſſimilis. Ob quem à veteribus illinebantur ſcorpionum morſibus, quibus obſiſtunt lentore ſuo. Fortaſſis etiam nonnihil repellunt, quod Hemero callidi tribuit Galenus. Eandem ob cauſam in eryſipelatis, in puſtulis anthracoſis, aliisque calidis efflorefcentiis utuntur quidam. Ob eandem in ambuſtis. ſed præcalefactis, ut aliquo modo penetrent. Verumtamen & alio modo profunt facultate (ut Galenus ſcribit) ſine morſu ſiccante & abſtergente. Has facultates ut augerent veteres, & aliquo modo facerent vulnerariam, aceto condierunt. Ut adſtrictionem conciliarent illis, vino auſtero rubro incoxerunt, non ſecus ac folia braſſicæ in fiſtuloſis ulceribus, ſi in ſucci proprii partibus quinque, in una oxymelitis macerentur. Qua in re errant Dioſcoridis exemplaria, quæ disjungunt acetum & mel. Neutrum enim ſolum ſufficit, ut Paſinus oſtendit.

XIII. A foliis venio ad radices, de quibus ſi quæras, quantum vel abſint à foliis, vel adſint? Reſpondebitur, Non gradu, ſed manſione gradus in fine ſecundi. Quare iisdem malis adhibentur, præcipuè ambuſtis.

CAPUT CXXXI.

DE LILIO PURPUREO, *ſeu Sylveſtri.*

I. EST hoc *Martogon* Matthioli, ut ſupra in Aſphodelo dixi. Huic ſubſtitui non poteſt, quia nullius acrimoniæ eſt. Scribit enim Cordus, Totam plantam habere ſaporem lentium, glutinoſum, & nauſeoſum, lilii ſapori reſpondentem.

II. Inde diſcas, verum eſſe, quod Pena aſſerit, habere eas facultates, quas veteres *Hemero-callidi* tribuunt. Eæ ſunt apud Galenum 6. *Simpl. Lilii noſtri albi.*

III. Idem Pena aurem nobis pervellit, ne temerè utamur Hemero-callide altera Matthioli. Teter enim, & viroſus ille halitus (inquit) longe alias facultates indicat. An idem dicendum eſt de *Corona-Imperiali* noſtra, quam Cluſius acceptat pro Hemero-callide calidè veterum? Fœtidus enim odor, & hircum olens, potius quam allium præ ſe ferens, non ſinit nos credere tam vicinam eſſe Lilio. Idem dico de *Lilio Perſico*, quod Colchicum olet.

CAPUT CXXXII.

DE LILIO CONVALLIUM.

I. FRUSTRA laborant, qui ex Græcis Botanicis obloquuntur nobis Lilium vernum, Polygonatum, Oenanthen, Hemero-callida, Ephemerum, Colchicum, Cacaliam, & forte alias plantas: at rem habent, qui lilium inter ſpinas Salomonis, Botanicorum Regis vocant. Qui cum Geſnero Callionymum, aut Chamæcytinum vocare volet, is vocet.

II. Apud me unica eſt ſpecies, cujus varietates quasdam connumerat Bauhinus.

III. In Officinis habemus *aquam deſtillatam* duplicem, ſimplicem, & cum vino. Qui cum vino parant, præmacerant flores in illo, & quidem generoſo aliquo, & diſtillant vel ſolos, vel cum floribus lavandulæ, Roriſmarini: Qui fortiorem volunt, repetunt infuſionem, iterumque deſtillant. Sic parata *aqua* dicitur Matthiolo *aurea*, quia in vaſis aureis argenteisve ſervatur, & tanquam ſecretum in omnibus incertis & periculoſis morbis adhibetur.

IV. Idem Matthiolus ſcribit, in Germania alicubi flores ſiccatos ſervari in autumnum, & calcari cum uvis, *vinumque* inde factum non minoris fieri quàm aquam inde deſtillatam.

V.

V. Intelligo de Lobelio, *ſuccum*, etiam alicubi ſervari, qui duplex etiam ſit. Aut enim exprimi, ut aliarum plantarum, & ad conſiſtentiam coqui, cum, vel ſine ſaccharo: vel impleri floribus vas bene obturatum in acervum formicarum recondi per menſem, & tum demum exprimi.

VI. De facultatibus judicaturus, imprimis debet præ oculis habere fragantiſſimum, & pene indicibilem florum odorem. Aliqui comparant cum floribus Oxyacanthæ Matthioli: aliqui cum mali Aurantii aut Citrii, unde *aqua Nanfa*, *Lanfa*, & forte aliter: alicubi Moſchum olet, neſcio ſatis an ex ſe.

VII. *Flores* ipſi ſunt amariſſimi. Unde patet proculdubio calidos & ſiccos eſſe. Sed quousque? Si partium tenuitati attendendum eſſet, ad 3. gradum perveniendum eſſet: at vero quia Medici id vetant, ſubſiſtendum eſt in 2.

VIII. In ejus confinio & *radix* eſt, odorata, & aromatica, ſternutamentis appetita: ut Camerarius ſcribit *in Horto*.

IX. Eſt etiam, ſed minus, *ſemen* ejus lapidoſum, aſparagi æmulum, ſapore amarum.

X. Ex his elucet, quid agere poſſit *aqua deſtillata florum*. Diſcutit, aperit, attenuat inſigniter: inſignitius aliis cum tenuitate partium, quia ab amarore habet abſterſionem. Non mirum igitur, ſi aqua, præcipuè illa, quæ cum vino paratur, valde laudatur in ſyncope, omnique partium principum corroboratione. Verumenimvero ſcire oportet, niſi debilitas ſit ab intemperie frigida, ſive nuda, ſive cum frigidis humoribus, vias obſidentibus, nihil fieri. Ubi enim à caliditate tali quid eſt, inſignem contra oportet exſpectare læſionem.

XI. Poteſt horum aliquid etiam *vinum*, ſed non niſi diuturniore uſu. Contrà *ſuccus expreſſus* eſt validior ipſa aqua, præſertim vino, aut alio liquore convenienti ſolutus. Is, qui poſt menſurnum ſpatium exprimitur, in doloribus articulorum, caliginibus oculorum, ſi à deſtillatione ſint, multum creditur poſſe.

XII. Eidem ſcopo *Extractum* ſervit. Aquæ apoplecticæ, quæ nihil aliud eſt, quam *aqua Lilii convallium compoſita*, uſum loquitur vox ipſa.

XIII. Mihi ἐπεισάγματος loco libet apponere hoc, non radices tantùm, ſed & flores exſiccatos inſigne eſſe πταρμικόν. Hoc primus me docuit D. Joan. Burcartus Tirnavienſis, Cheruſcus, Medicinæ Candidatus. Ex his facta conſerva eſt cephalicum inſignitum.

Caput CXXXIII.

DE LINO EJUSQUE SEMINE.

I. ΛΙΝΟΝ Græcis, *Linum* Latinis eſt, λινόσπερμον, uno verbo, *ſemen.* Hujus ſpecies apud veteres duas eſſe, Sativum & Sylveſtre facilè probatu eſſet, ſi neceſſe eſſet. Redegit utrumque in ordinem Bauhinus *in Pinace*, cui me dedo, & ſubito venio ad facultates *ſem. lini.*

II. Galeno conſentiunt Arabes, in activis calidum eſſe, in paſſivis temperatum. Caliditatem 3. *Simpl.* 10. 11. *Meth.* 16. *Tepiditatem* vocat, qualis in roſa & chamæmelo. Quæ cum ſit, ut ex 6. *Simpl. cap. de Glycyr.* jam toties dixi, humana natura frigidior, dicere etiam poteſt 4. *Acut.* 113. Lini ſemen refrigerare. Et 6. *San. tuen.* 14. parare ex illo potionem refrigerantem. Quibus ex locis jam intelligitur, quid ſit ſentiendum de comparatione Dioſcoridis, dicentis, habere eas vires, quas fœnugræcum. Revera longe calidius eſt fœnugræcum, calidum quippe in 1, & ſiccum in 2. Quod ad paſſivas, facit temperiem hanc ſiccitas quædam nativa, cum multa humiditate excrementitia conjuncta. Hæc duo contraria ut loquuntur, ſe invicem cogunt & refringunt, conſtituuntque medium quid.

III. Propter igitur ſiccitatem dicere poteſt Galenus *Acut. l. c.* ſiccare lini ſemen torrefactum. Partibus enim aqueis magnam partem conſumptis, evidentiores fiunt igneæ, à quibus etiam abſterſorium quid habet, ut dicetur.

IV. Propter humiditatem dicit idem *in de Simpl.* ſubſtantiæ modo multum differre à Chamæmelo & roſa. Et hæc eſt illa, ob quam 7. κ. τόπ. 6. habetur in cenſu frigidorum & incraſſantium, quæ in dyſpnœa dare licet, qualia ſunt mandragora, cicuta, pſyllium, hyoſcyamus. Ob eandem *in de San. tuen.* ex lini ſemine, in aqua cocto, ſuccum facit, qui refrigerandis renibus & vaſis ſpermaticis in gonorrhœa utilem operam navare poſſit.

V. Ob eandem, quantumvis diligenter toſtum & frictum, flatuoſum tamen eſt, ſi edatur, 7. *Simpl.* Edule fuiſſe patet ex Hippocrate *lib.* 2. *de diæ. num.* 8. apud Marinellum. In ſpecie de ruſticis Tranſpadanis ſcribit id Plinius: de Aſiaticis omnibus Galenus, 2. *Alim* 32. Quo loci hoc etiam animadvertitur, noxium eſſe ſemen hoc ventriculo, & difficulter digeri. Cum enim flatuoſum quid habeat, non poteſt non negotium faceſſere ventriculo. Sed & cum concoctum eſt, non niſi paucum, eumque pituitoſum præbet ſuccum. Quare Hippocrates *loco citato* ait, alvum ſiſtere, & frigę facere. Lentor enim pituitæ ſæpè ſuſpendit alvum, imo quandoque colicam facit. Hæc pituita, ſi uſus cibi continuetur, cachexiam inducit tandem & hydropem, quod exemplo Seclandorum quorundam Dodonæus comparat. Idem ſuccus arbortum poteſt facere, repletis muco acetabulis.

VI. Interim calidioribus quibusdam prodeſſe, obtundendo fervorem ventriculi, viſcerumque, ſi ut medicamentum ſumatur, libens do Lobelio, modo limitationem hanc meam admittat.

VII. In iisdem medicamentum eſt multi ſeminis, 5. *Simpl.* 23. Et hoc eſt, quod Dioſcorides ait, Venerem ciere, ſi cum pipere edatur, facta cum melle placenta.

VIII. Eodem modo diſtingue, ſi quæſtio ſit, ſiſtatne an moveat alvum? Quibus enim ob ſiccitatem excrementorum ſubſtitit, iis ciebit. Quare in clyſteribus emollientibus magnus ejus uſus eſt. Imo etiam in colicis ob dictam cauſam datur *oleum*.

IX. Idem oleum intus & foris fovet inflammationes omnis generis: Quam ob rem in angina & pleuritide datur quibusdam bibendum: verum cum cautela, ut recens ſit. Alii non oleum, ſed decoctum cum melle, inſtar apozematis, in quibusvis internis inflammationibus præbent. In externis illitum laxat tenſionem, quam impacti humores faciunt, ſine tamen manifeſtà calefactione, ut Galenus loquitur, *Acut.* 49. Eodem ſcopo, ni fallor, Dioſcorides & Plinius ad phthiſin & tuſſim quandam commendant. Pariter in hæmoptyſi & raucedine, 7. κ. τόπ. 1. & 2. Eodem mitigat dolores calculoſorum, promovendo quidem lapidem, aſperitatem autem factam lævigando. Ita in paroitidibus, poſt Dioſcoridem Galenus 3. κ. τόπ. 3. in ſcirrhis uterinis. Arabes commendant in doloribus hæmorrhoidum.

X. Summa, viribus eſt ſimile hoc oleum anethino & chamæmelino. Addo tria verba de *panno lineo*, ex quo Unguentum ad ulcera maligna parat Meſue. Niſi fallor, poteſt idipſum fieri ex charta hac noſtra ſcriptoria. An autem viribus par ſit futurum illi, quod ex charta papyracea faciebant veteres, non habeo dicere.

CAPUT CXXXIV.

DE LINARIA.

I. SI *Linaria* eſt à Linum, utique rectè illud præceſſit. Planta eſt ad *Antirrhina* referenda, ſi flores ſpectes, tertia in ordine apud Bauhinum, *Oſyris* credita Dioſcoridis: quamvis ſint, qui negant. Uus eſt *herbæ* ipſius.

II. Alicubi *ſuccum* etiam habent, ut & *aquam deſtillatam*.

III. De facultatibus trepidat Dodonæus, & incertum putat an in ictero proficua ſit, quod Oſyridi tribuit Dioſcorides? Ego video metum eſſe inanem. Licet enim forte Oſyris non ſit: tamen quia guſtu amara eſt, & propterea urinam tam potenter pellit, ut in de *Harncraut* dicatur, quis non agnoſcit penetrantiam ipſius?

ſius? Statuo calidam & ſiccam in 2. gradu, ſed non ſine partibus terreſtribus, à quibus abſterſio illa inſignis. Hac alvum quoque turbat, ut à Trago habemus. Hac medetur epiphoris oculorum, ut idem habet poſt Bruinſuigium. Hac vitia cutis, præcipue faciei, emendat. Hac ſordida ulcera, qualia cancroſa & fiſtuloſa, impoſita cum linteolis aqua purgat. Hac denique icteris, non recentibus tantum, ſed & jam ad hydropem ſpectantibus, veriſſimum & efficaciſſimum præſtat commodum, obſervatore Pena *in Adv.* Sed quomodo? Urinas movendo, ut Soldanella. Decoquunt eam in rem vino. Alii, ut purget, corticis ebuli ʒj. adjiciunt Alii *aquam deſtillatam* propinant.

Caput CXXXV.

DE LITHOSPERMO, SEU MIlio Solis.

I. Λιτοσπερμον à ſaxea ſeminis duritie dici manifeſtum eſt. Id vero non unius formæ eſt, ſed quoddam majus, cordis effigie, quod preculis ruſticarum numerandis ſervit, & eſt plantæ arundinaceæ: quoddam minus, quod milio cognominatum, ab Arabibus à ſuis quibusdam montibus, *Soler*, ſed poſtea ad *Solem* tractum, quod ad *Echia* ſeu *Anchuſas* pertinet.

II. Quo minus purgnandum nobis eſt de forma foliorum apud Dioſcoridem, ut neque debuit eſſe. In officinis eſt duplex ſemen, ſub nomine *Milii Solis*, alicubi *lacrymæ Jobi*, & eſt majus quidem I. apud Bauhinum, minus autem III. quod in arvis apud nos frequens, ſemine in quadrangulum poſito.

III. Quo loco non inſuper habendum eſt Cornarii *in Dioſcoridem* monitum, alicubi proſtare *ſemen phalaridis*, quæ eſt graminis ſpecies, authoritate Amati, qui ex profunda ignorantia tribuit illi folia olivæ. Riſum teneatis amici!

IV. Cæterum de facultatibus ſeminis ratiocinatur ex Galeno 5. *Simpl.* 13. Fuchſius, Lobelius & alii, quia diureticum eſt, calidum & ſiccum eſſe. Si quæras, quo gradu? Dicet Dodonæus in 2. quod neſcio an ſit. Imo verò nego, ſatis eſſe. Ut enim docet Galenus diuretica eousque calida & ſicca eſſe, ut liquare & fundere poſſint ſanguinem. Hoc vero quis exſpectet ab hoc grano? Sed ne dici poteſt pervenire ad 3. Ubi enim aut amaror aut acrimonia, quæ id perſuadeat? Multo minus ad contrarias facultates tranſire licet, & cum Avicenna dicere, frigidum in 2. eſſe, & humidum in 1. Siccitas enim terreſtris ad ſenſum tam conſpicua, non magis admittit humiditatem quàm ſilex.

V. Dico ergo. Semen lithoſpermi non eſt in genere diureticorum illorum, de quibus Galenus *loco citato.* Imo, ſi proprietatem ſermonis amamus, non eſt ullo modo. Atqui videmus eſſe? Eſt, ut oculi cancri, ut vitrum, & alia terrea, quæ nunquam tam exquiſitè levigari poſſunt, ut non maneat aſperum quid quod ab-

abſtergit, & radit. Movet ergo urinas non fundendo ſanguinem, quod propriè dictorum diureticorum eſt: ſed propellendo, & quaſi everrendo ſordes illas, quæ vias urinarias obſident, & fluxum urinæ morantur. Quare non datur ſolum, ſed cum liquore aliquo, præcipuè diuretico, quale eſt vinum album. Intelligo autem vinum album, quod tenue & aqueum, quodque diureticum ſæpe appellat Galenus.

VI. Datur autem pulveris non parumper, ſed integra ʒ. ut Plinius definit: quin ʒ ij. ut ex Paulo Serapio. Tantundem dat Matthiolus magno (ut ait) ſucceſſu, in lacte muliebri, parturientibus. Nec eſt, quod quem terreat Tragus, ſobriè, & prudenter eſſe illo utendum, cum nulla heic inſignis qualitas ſit. An autem frangere poſſit lapidem jam factum, quod quidam promittunt, equidem valde neſcio. Multo minus credo, aliquid perſuadere ſignaturam, quam ex Plinio prætendunt quidam.

VII. De *ſem. phalaridis* ſcire vis, habeatne ſimile quid? Habet. Commendant enim veteres ad veſicæ vitia & calculum. Intelligo enim conjunctim, conferre doloribus veſicæ à calculo.

Caput CXXXV.

DE LUPINO.

I. FATUUM eſt, quod de *Lupi* natura dicunt Etymologiſtæ. Vox eſt hæc Latina, ut θέρμος, quæ nihil commune habet, cum τῷ θερμὸς, adjectivo, vel θέρμοι Græcum. Recentiores tamen Græci, inter quos Suidas, vocem Latinam fecerunt Græcam, λυπινάριον, quaſi *Lupinulus*, ut & θερμίον, more Græcis valde uſitato diminutiva cum primitivis permutandi.

II. Invenio Diphilum Siphnium apud Athen. *lib*. 2. compoſita voce nominaſſe θερμοκύαμον, quod idem cum ſimplici θέρμος eſſe Euſtathium etiam monere Ill. Cæſ. notat. Ego vero puto, Diphilum aliò ſpectaſſe, videlicet per compoſitionem hanc voluiſſe exprimere evidentius naturam τȣ͂ θέρμȣ, quod ſit ex genere fabacco. An licet mihi inde petere rationem appellationis Germanicæ *Feigbonen*, fabæ tam dulces, quam ſunt ficus? Contrario ſcil. ſenſu, quomodo Græci τὰ γλυκέα vocant *Fel.* Vide Not. in Gal. 3. *de Fract.* 51.

III. Olim lupini, ut teſtatur Galenus 1. *Alim.* 22. cibus erant πολυχρήστος, *familiaris uſus*, ut ego intelligo. Sed tenendum eſt, diligenti opus habuiſſe præparatione ut edules fierent. *Triſtes* enim cum ſint, ut Virgilius loquitur, hoc eſt, *amari*, opus habent primum elixatione, deinde ſex aut ſeptem dierum maceratione, in aqua præcipuè pluviali, donec fiant ἄποιοι ſeu dulces. Hinc Ceno apud Athen. cum à meracioris vini hauſtu fieret hilarior, qui moroſus antea fuerat, Accidere ſibi, inquit, quod lupinis, qui non niſi macerati dulceſcant.

IV. De paratis hoc modo lupinis oportet longè aliter loqui, quam de crudis. Scribit enim Galenus 6. *Simpl.* eſſe jam de genere emplaſticorum. Hoc intelligit bene inſtitutus de primo genere quod eſt eorum, quæ ob ſubſtantiam terream prohibent effluvium caloris nativi, 4. *Simpl.* 5. Hanc ob cauſam dicere poteſt *in de Alim.* Lupinos in cibo ſumptos, neque ciere alvum, neque ſiſtere. Cum enim nullam ad alterutrum effectum, ſenſibilem qualitatem afferant, non poteſt etiam dici aliud ab eo genere, quam modus ſubſtantiæ præſtat. Quamobrem etiam non adſtringent, quamvis longa oratione conetur id probare Braſſavolus *Exam. Simp.* Interim corroborant & inteſtina, tollendo, quod Dioſcorides ait, faſtidium, quod ipſum fit dupliciter, & ſiccando ſuperfluos humores, & alimentum ſolidum dando. Et hoc eſt, quod idem Galenus ait ſuccum craſſum gignere, non tamen, ut ſe explicat, *de Cibis*, 5. malum ſeu excrementitium.

V. Hoc Diphilus apud Athen. ita, τοῖς θέρμοις ἀπεγλυκασμένοις ἔιται πολυτρόφοις. Hoc intelligere oportet, poſt difficilem & longam in ventriculo & venis elaborationem, quæ contingit illis ob ſubſtantiæ ſoliditatem.

VI. Sed & ob flatuoſitatem id accidit. Licet enim minimum intèr legumina hoc habeant, 4. *Acut.* 95. habere tamen vel ex eo ipſo loco patet. Quare ut citius coquantur exemplo veterum, ex oxygaro comeſſe oportet, cum ſale, attenuandi ergo.

VII. Cæterùm oportet ſcire, alimentum quod inde fit, ſiccum eſſe, ut dixi, & conducere tùm, cum πλάδος regnat in primis viis. Absque enim hoc ſi ſit, valde immorigeram reddit alvum. Quare cum grano ſalis accipere oportet, quod dixi ex Galeno, non ſiſtere alvum. Siſtunt, ſed non adſtringendo, quod ex Avicenna etiam jactant quidam, verùm ſiccando, tum demum ſi bene conficiantur. Sin, mera hinc exſiſtit pituita, quæ eſt *Crudus humor* propriè dictus veteribus. Non confici, ſignum eſt anxietas, & rubor faciei, qui à tali cibo ſubito fit.

VIII. Heic non exſpecto ullum, qui quærat, quales ſint in primis qualitatibus lupini, hoc modo macerati? Facile enim intelligit, qui fungus non eſt. In non maceratis diſtinguere oportet ſativos à ſylveſtribus. Hi enim ſunt longe potentiores. Mox in ſativis quoque oportet diſcrimen obſervare natalium. Quibusdam enim locis planta tam eſt amara, ut animalia non attingant, ſcribente Theophraſto 8. *Hiſt.* 7. & nominat Hetruriam Maranta. Quibusdam contrà locis tota hyeme ea veſcuntur, quam in rem Campaniam affert idem Maranta. Veriſimile autem eſt, ſemen plantæ ſuæ naturam ſequi.

IX. Hinc conciliatio pendet authorum, qui de primis qualitatibus diſſentire videntur. Qualis ſit ſubſtantiæ modus, facile eſt intellectu ex toties repetito amarore. hic facit, ut non leviter abſtergant, digerant & aperiant, ceu faciunt amara omnia. Uſurpantur igitur, foris quidem in amoliendis omnibus cutis fœditatibus, in ulceribus, & vulneribus, in diſcutiendis tumoribus: intus autem

in

in deobſtruendis viſceribus, in menſibus & hæmorrhoidibus ciendis, in facilitando partu, in aliis.

X. Ubi moneo. 1. in obſtructionibus decoctum potius locum habere. Subſtantia enim non poteſt penetrare. 2. In lumbricis præſertim, ſi pueri laborent, cautiores nos faciat Averroes qui 5. *Coll.* 39. ait occidere. Quare non oportet intus dare, ſed foris tantum farinam umbilico imponere, ſed cum iis, quæ deducere valeant. 3. Lupinum poſſe eſſe ἀμέθυϛον, non legiſſe ſe ait Ill. Cauſabonus *in Athen. lib. 6. cap* 9. Ego illi non authoritates propono, ſed rationem evidentiſſimam, Amarus eſt, & diureticus. Quo ipſo jam alia etiam ratione ſiſtit alvum, ex 4. *Aphoriſ.* 83.

CAPUT CXXXVI.

DE LUPULO.

I. AGitur heic iterum de lupulo, non ratione florum, qui cereviſiæ noſtræ ſunt dicati, ſed ſucci ex aſparagis expreſſi, è quo vel ſolo vel cum ſucco fumariæ ſyrupus conficitur in Officinis, qui mirificas habet laudes in Diſpenſatorio. Cordi. 1. dicitur refrigerare: hoc de ſimplici forte concedam? de compoſito, ratione fumariæ non poſſum. Concedam, quatenus aſparagi ſunt temperati, & remiſſum intendit intenſum. De fumaria litem eſſe, calidane an frigida ſit? conſtat ex ſuperioribus. Sed frigiditatem tam adimunt illi opera particularia, ut non poſſint manifeſtius.

II. 2. Dicitur, ſanguinem efferveſcentem contemperare, & purgare. Hoc retulerunt quidam ad laudes cereviſiæ, quam dicunt ſecuros facere potores à lepra. Atqui, dicebat Scherbius, in Germania tot ſunt leproſorum cœnobia, quot oppida? In Italia nihil tale videris. Nec ſublevat, non eſſe transferendum à ſucco ad flores. Loquitur enim ſive Cordus, ſive Camerarius de Syrupo ex ſucco.

III. Additur, bilioſis febribus & ictericis convenit, quæ non examino. Pollemus carere hoc toto. Tu vero inſurgis fortaſſis, Unde ergo eſt frequens illa Elephantia apud nos? Non eſt quidem loci hujus, ſed ut gratificer tibi, dico, tantum abeſt, ut cereviſia ſedet fervorem ſanguinis, ut etiam faciat. *Das ſehen wir an den vollen Bauren wohl.* Sed abſit riſus; Annon decoctum lupuli fermentat maſſam farinaceam? Ut propius veniam ad rem, Annon fæces cereviſiariæ in panificio faciunt, quod faciunt, ratione lupuli? Quæ eſt igitur cauſa Elephantiæ apud nos? Ego alibi retuli illam in pinguedines. Quo enim pinguiora ſunt jurulenta, eo gratiora ſunt pleriſque omnibus. Quo pinguiores ſunt carnes bubulæ, ovillæ, ſuillæ, eo ſuaviores ſunt adoleſcentibus rerum imperitis. Atqui dicunt, etiam ruſtici vorant: Illi habent exercitia valida, caloremque validum: tu ſedentarius es. Hinc fit, ut ingurgitata illa pinguedo, & non recte confecta, degeneret pri-

mum in bilem flavam, ex qua facili negotio fit bilis atræ ſpecies illa omnium deterrima, quæ deſcribitur 14. *Meth.* 19. *de Atra bile* 3. *& alibi*, quæ in habitum translata, fermentat carnes, fœtet indicibiliter, &c. Quæ vide ſuo loco *in tract. de Hum.* Cæterum ſuccedaneum lupuli in cerevïſia eſt alicubi *Chamæpeuce* Cordi, quam ad *Ciſtum-ledon*, Bauhinus refert. In Lituania uſurpari audio *Spondylium*, ſeu *Brancam urſinam* noſtram.

CAPUT CXXXVIII.

DE MAJORANA.

I. MAJORANA unde ſit, niſi ſit à Germano *Mejerohn*, neſcio. De reliquis tribus appellationibus, σάμψυχος, ἀμάρακος, μάρον, cenſeo, ἐπιχωρίοις eſſe, & habuiſſe etiam unguentum ex illa factum, diverſa nomina, prout heic aut ibi factum erat. Hoc ipſo includo τὸ παρθένιον, & ablego ad *Matricariam.* Excludo etiam *Tanacetum* & *Artemiſiam tenuifoliam* cum ſint alîus loci.

II. Cæterum inter has plantas diſcrimen fuiſſe majoris aut minoris εὐωδίας, probo ex 1. *Antid.* 10 3. κ. γέν. 8. Cur enim rejicitur ἡ ἀμάρακος? Non ſimpliciter, quod non ſit εὐώδης: ſed quod (ut ego interpretor) non ſit eximiè odoratus. Interim & *Amaracinum* non fuiſſe odoris aſpernabilis, diſcas licet partim ex Athen. *l.* 15. partim ex proverb. *Quid ſui cum Amaracino?* Si prorſus contemnere mihi voles *Amaracum*, dicam à *Maro*, quod etiam ingreditur, odorem habuiſſe. Tu vero neutiquam hinc exſculpſeris, diverſas prorſus eſſe plantas. *Specie* ſunt & natalibus, non *generi*.

III. Pro uſu Officinarum videtur monendum eſſe, licet hæ plantæ ſint congeneres: non tamen perinde eſſe, qua illarum in hoc Comp. in illa utaris. Verbi gratia, Marum ingreditur *Trochiſcos hedycroos*, hi rurſus *Theriacam*: non propterea ſumenda eſt *Majorana nobilis*, quæ IV. eſt ordine apud Bauhinum. *Perſagentile* Italorum, *Marum Cortaſi*, Penæ, quia arantior eſt & vehementior, ut ille loquitur.

IV. Quicquid ſit convenit *Majoranæ*, quod Theophraſtus ait 6. *Cauſ.* 2. habere ὀσμὴν δριμεῖαν, ſive ut Dioſcorides, eſſe σφόδρα εὐώδη, qui odor præſupponit magnam tenuitatem, quæ ipſa iterum calida & ſicca, de qua tamen ſubito dicere non poſſis, in quo gradu ſit. Si tamen dicendum eſt aliquid, dicam, Vulgaris eſt in 2. nobilis in 3. Nam quod olim de 4. dixi, jam diſplicet, quia pertinet ad ea, quæ craſſarum ſunt partium, & Cauſtica. Ex his facile eſt videre, quid poſſit in ſecundis & tertiis etiamſi ego nullus dicam. Communi Practicorum fama eſt medicamentum *capitale*, non tanquam alterans tantum, ſed & errhinon juxta & ἀποφλεγματίζον. Interim & in inferiori utroque ventre ſuas habet laudes, ubicunque opus habet pituita inciſione & attenuatione, verbi gratia, in aſthmate & orthopnœa quadam, in cachexia & hydrope frigido, in men-

menſium mora, &c. Quidam audent hoc ſine miſcere cum acetariis. Quod ut non reſpuo: ita moneo, præcipitare actionem ventriculi acredine ſua.

V. Habemus *oleum duplex*, *alterum* ſimplex quidem, ſed per deſtillationem: *alterum* compoſitum, quod refertur ad Actuarium, & videri poteſt de varietate ipſius Foëſius. Utrumque facit quod calidiſſima quæque, etiam foris, in frigidis nervorum affectibus, in peſſis muliebribus, &c. Non poſſum ſilere arcanum Penæ, Ol. ex Majorana nobili, miſtum cum coagulo leporino, addito tantillo moſchi, conceptum promovet.

CAPUT CXXXVIII.

DE MALABATRO, SEU FOLIO.

I. VOcabulum hoc barbarum mirificè transformatur ut fieri amat in talibus. Conſentio Garziæ, 1. *Arom.* 19. originem eſſe à *Tamalapatra*, quod Græcum eſſe auguratur ibi Scaliger, τὰ μαλάβαθρα. Dicitur modo ſimpliciter ita, ut apud Dioſcoridem *lib.* 1. *cap.* 11. Plinium *lib.* 12. *cap.* 26. Galenum 7. *Simpl. cap. propr.* ſi inſcriptionem & ordinem literarum videas, 1. *Antid* 7. in Ther. And. jun 7. κ. τόπ. 2. in Arter. III. Andr. & rurſus *cap.* 16. in Myracopo IV. Damacratis, & alibi ſæpe; modo φύλλον μαλαβάθρου, ut apud eundem Dioſcoridem *lib.* 2. *cap.* 16. Gal. 3. *Simpl. cap. prop.* 1. *Antid.* 6. in Ther. Andr. ſenioris, & rurſus *cap.* 10, in Hedry. & iterum *cap.* 17. in Ther. verſibus hexametris conſcripta, 4. κ. τόπ. 1. inter ocularia, quæ adſtringunt, & *cap.* 4. inter ea, quæ ſcabris palpepris, 7. κ. τόπ. 3. in Confect. Apoll. & alibi: modo μαλάβαθρον ἰνδικὸν, apud Galenum *de Ther. ad Piſ. ult.* in ſale Ther. forte etiam συριακὸν, καὶ αἰγύπτιον dici poteſt ex Plinio, licet neutrum ibi creſcat, ut Garzia oſtendit: modo φύλλον βαρβαρικὸν, *in Digeſt. l.* 39. *c.* 4. *de publ. l. ult.* §. 7. à Martiano Juriſconſulto: modo φύλλον ἰνδικὸν, apud Actuarium *in Hed* (qui tamen & φύλλον μαλαβάθρου habet) quomodo & Avic. vocat, 2. 2. *cap.* 259. & Serapio *cap.* 53. ut Garzia & Cluſius citant. In meis codicibus *Folium* ſimpliciter eſt. Unde, credo, mos inolevit apud Medicos noſtros, ut plerique ita appellent.

II. Cujus rei an certa ſint veſtigia apud antiquos, quod illi volunt, equidem ignoro. Quod enim Guilland. *in def. XX. problem. contra Matthiolum.* urget, Plinium diverſis locis egiſſe de utroque, ideo diverſa eſſe medicamenta, apud me nihil habet ſolidi. Ut jam non diſputem, an Plinius *lib* 12. *cap.* 12. diverſum medicamentum deſcripſerit ab eo, quod paulò inferius *cap.* 16. Certè, quod folium ibi dicit, eſt *Folium nardi*. Hoc vero non eſt ſimpliciter dicere. Quod idem urget ex Galeno 7. κ. τόπ. 12. & Plinio *lib.* 13. *cap.* 1. unguentum Malabathri differre à Folio verum eſt, ſed non probat, quod debet. Cum enim diverſis ex uno medicamento compoſitionibus diverſa dabant nomina Veteres, non ob id medicamentum ipſum ſimplex evadebat duplex. In eo enim quod Folium, ſubintelligebant Malabathri. Quod tantem cum Anguillara 1. *Sent.* 13. ait, Martia-

tia-

tianum IC. diſtinxiſſe *fol. Pentaſphærum & Barbaricum à Malabathro*, multo minus probat. Quivis enim videt & audit cognomina tantum. Quod Anguillara ex Nicolao Myrepſ. inveniri in Compoſ. ipſius folium cum Malabathro, eſt invalidum. Eſt enim imperitiſſimus ſimplicium. Idem dico de Avic. & Serap. Sed & interpretes ſæpè fallunt. Quod alii ex Plauti Curcul. de *Petalio*, fruſtraneum eſt. Correctiora enim Exemplaria *Bdellium* habent. Sed tu vide Taubmann. Ita quod ex Plutarcho *l. Quod bruta*. In Græco enim & in verſione Xylandri, eſt μαλάβαθρον. Ita, quod ex Diſcoride *lib. 2. cap. de Vip* eſſe interjectam Conjunctionem ἢ inter φύλλον καὶ μαλάβαθρον. Vetuſ enim Matthioli codex non habet. Sed & non horrebit illam, qui novit licentiam Græcanicam. De Serapione vide Paſinum.

III. Sed quid ago? Volui uno exemplo oſtendere, quàm frivoli ſæpè ſint Botanici noſtri in aſſertionibus ſuis. Quo minus exſpectet à me quis, ut pluribus occuper in liticula illa, An *Folium* ſit diverſum à *Malabathro*? ἕωλα καὶ ψυχρά, ut alibi ex Plutarcho locutus ſum. Interim duo ex illis capio monumenta. *Alterum*, ex Arriano, *in Periplo maris Erythr.* doceo, quid ſint apud Paulum *lib. 4. cap.* 48. & Conſtantin. *in Geopon.* σφαιρία μαλαβάθρου. Non ſunt, inquam, fructus arborei, ſed folia ipſa triplici ratione ita colligata, & compacta, ut aliud σφαιρίον ſit ἁδροσφαιρίον, aliud μικροσφαιρίον, aliud μεσοσφαιρίον.

IV. Quibus ipſis nominibus cum diſtinguantur Nardi folia apud Plinium, *lib. & cap.* 12. colligo inde Plinium putaſſe, Malabathrum eſſe Nardi folium.

V. *Alterum Malabathrum* non eſſe ſemper ſimplex medicamentum, quin ſæpè *Ung. Malab.* Ita accipitur apud Galenum 7. κ. γέν. 13. ext. ubi eſt & Malabathrum Alexandrinum, & μάγμα τοῦ μαλαβάθρου. Quæ ipſa vox etiam 7. κ. τόπ. 2. in Art. III. Andr. Ita apud Latinos authores, ut Horatium, cui nitent *Malabathro Syrio capilli.* Eodem modo *Nardus* pro *Nardino unguento* apud Tibullum. Ita in ſacris πιστικὸς νάρδος, de quo mihi actum eſt in variis.

VI. Ex hoc altero pendet deciſio quæſtionis, Quotuplex ſit Malabathrum? Quod confuſe proponunt quidam. Non enim de ſimplici, ſeu *folio* eſt quæſtio, quod revera unicum eſt: Sed de *foliato*, quod differt, non ratione natalium, ſed officinarum, ut venuſte diſtinguit Ill. Scal. *in Exerc. contra Cardanum.*

VII. Jam ergo, per ambages licet, pervenimus ad Notas legitimi Malabathri, ut exſolvamus nos à pedicis, quas peregrinatores Indici nobis induunt. Laudat ergo 1. Dioſcorides τὸ πρόσφατον, *recens.* Tale eſt, quod mox. ἄθραυστόν τι, καὶ ὁλόκληρον dicitur. Videntur etiam tranſpoſita eſſe vocabula, quia Serapio ait: Quando eſt integrum, & non facile confringitur. Hinc apponitur poſtea, & φαῦλον dicitur, τὸ λεπτοκεκομμένον (ita enim ſcribendum eſt ἀπὸ τοῦ κόπτω) καὶ εὐρωτιῶσαν ἔχον τὴν ἀποφορὰν, *non putridum, & iu parvis fruſtulis, ſitum olens.* Hoc facile fieri Plinius indicat, *Celerrime ſitum in vetuſtate ſentit.* 2. ἀπόλευκον ἐν τῷ μελανίζειν. Cum enim Plinius habeat *Nigricans*, videtur præcedenti jungendum hoc, ut fiat id, quod

quod Marc. ait, *In nigredine albicans*, ſeu, quod idem eſt, *In albedine nigricans*. Et hoc eſt, quod poſtea dicit, *Albido colore*. Ita enim legendum eſſe cum Cornario pro Arido, dejerare auſim Ita lego quoque apud Plautum *in Rudente* ſcil. Exi è fano, ſecurus, quid ex Turnebo & Grutero comminiſcatur Taub. noſter, vel ideo quia *purum & lucidum*. Nonii quadrat magis τῷ *Albido*. Ut ſit conſenſus, apud Serapionem lego, *Cujus color vergit ad albedinem & nigredinem*. 3. πληκτικὸν τῇ ὀσμῇ, καὶ ἐπιδιαμίζον τῇ εὐωδίᾳ, *odore acuto & caput feriente, nec ſubitò evaneſcente, ſed diutiuſcule permanente*. Plin. cum Croco comparat, quo odoratius eſſe ait. Idem *ſi in vino ferveat, odore eſſe, qui antecedit alios*. 4. Ναρδίζον τῇ γεύσει, μὴ ἁλμυρίζον. Hoc Plin. dixit, *Quodam ſalis guſtu*. Hic nodus Gordius eſt, qui cum Dioſcoride collatus, gladio Alexandrino opus habet. Eſſe igitur in vitio planè credo. Cur enim omiſſo Nardo, *Scabrum*, ſubſtituit? Et quid eſt *Scabrum in guſtu*? An id, quod Galenus 8. *Simpl.* eſſe partium heterogenearum, partim calidum & frigidum, partim acre & amarum? Hinc Braſſavolus jure refert ad guſtum.

VIII. Tale Malabathrum habemuſne? Garzia audaciſſimus eſt. Cum enim negaſſet ſua *pene* omnia eſſentialia: tamen vult eſſe *Malabathrum*. Et quam infirmum eſt argumentum ipſius, *Dicitur hodieque ſuo nomine in India!* Non dicitur, ſi ſtrictè agere velim. Neſcio etiam, quomodo placeat mihi conjectura Penæ, *in Adv.* dici ità quaſi *Betri de Maldvar*. ſed inverſis vocibus paucis.

IX. Malabathrum noſtrum eſt folium, vel Cinnamomi, vel certe Caryophyllorum, ut patet ex pictura Cluſii *in Garziam*, & qui inde acceperunt; nec recipio in Theriacam, & alias antidotos.

X. Sed quod das nobis ſuccedaneum; Diſputationibus inanibus omiſſis, do tibi *Nardum*, quidem *Celticam*. Gangetica enim ſeu Indica, quam Galenus habet 1. κ. γέν. 16. Dioſcoride teſte, eſt debilior. Si tamen res poſtulet Indicam, de conſilio Marantæ 1. *Ther*. 19. augenda eſt doſis tertia aut quarta parte, ut in Cinnamomo & Caſſia facimus.

XI. Hæc ſubſtitutio quatenus canonica ſit, oportet intelligere, partim ex iis, quæ dicta ſunt de odore, ſapore, aliis: partim ex iis, quæ dicit 7. & 8. *ſimpl. cap. propr.* παραπλήσιον εἶναι τῇ νάρδῳ. Quæritur vero quatenus etiam in gradibus ſit? Galenus videtur concedere *locis citatis* & 4. κ. γέν. 16. eſſe in eodem: Sed Dioſcorides dubius eſt. Cum enim conceſſiſſet, δύναμιν habere non παραπλήσιον, ſed αὐτὴν τῇ νάρδῳ: ſubjicit, ἐναργέστερον δὲ ἐκείνης πάντα ποιεῖ. Scio quid Cæſalpinus 8. *Hiſt*. 23. dicat, ſed non ſatis facit. Scio quid dici poſſit ex Galeno de Nardo Celtica: ſed nec illud ſatis facit, quia obſtat τὸ πάντα? An debemus delere, Serapionis auctoritate, qui non habet?

CAPUT CXXXIX.

DE MALVA, ALTHÆA, ALCÆA, & Malva arborea, ſeu roſea.

I. MALVA.

I. NEC Malvam, nec μαλάχην, vel à *molliendo*, vel ἀπό τῦ μαλάττειν eſſe credo. Accipio etiam I. in ordine apud Bauhinum, dico, ſi apud veteres fuit inter domeſticas, ſit mihi etiamnum Et addo, quod heic *equinum* eſt, eſt id, quod in aliis omnibus, qui cum ἵππο comparantur. Hæc fit *Equina*, quoties in locis cultis viſitur, & eſt hortenſis: eſt ſimpliciter *Malva*, cum vulgò creſcit præſertim ſiccioribus locis, & eſt *Sylveſtris*.

II. Ideo cum Galeno dicere poſſum 7. *Simpl.* hæc digerit, & emollit leviter: illa idipſum, ſed tanto debilius, quo aquoſior. Neutra refrigerat: ſed calorem habet manifeſtum, 2. *Alim.* 42. eſt terreſtrioris ſubſtantiæ, quàm atriplex, 7. *Simpl. c. de Atriplice*.

III. Succum habet lentum, *Alim l. c.* ſumpta ut edulium, non dat pravum ſuccum, inquit *de Cibis*, 11. Cui ego quomodo non pravum, certè victui attenuanti ex adverſo oppoſitum? Eo lentore ſyrupus & conſerva medentur dolori calculoſorum, ut & ſequentium duarum. In Ægypto etiam radix eſt edulis, 4. *Simpl.* 15. Addo, calore illo modico eſt remedium colicum in infantibus, in butyro frixa. Hoc in propriis liberis expertus ſum.

II. ALTHÆA.

IV. ESſe ἀπὸ τῦ ἀλθαίνειν, nullus dubito. Hæc quia πολύχρηςος Dioſcoridi dicta fuit quibusdam ἀρισαλθαία, & eodem ſenſu in Officinis *Biſmalva*, item *Malvaviſcus*, quaſi *Malva-ibiſcus*. Videtur apud Galenum eſſe 14. *Meth.* 5. ἀναδενδρομαλάχη, qui 2 *Alim.* 61. accenſet malvis agreſtibus. Idem neutrum nomen habet *in Simpl.* ſed vocat 6. *Simpl.* ἴβισκον, qui apud Virgilium eſt *viridis hibyſcus*, vel ut plerique ſcribunt *hybiſcus*.

V. Quo loco ait, folia habere facultem digerendi, mitigandi, & concoquendi. De radice docet eſſe tenuiorum partium, magis ſiccare & abſtergere. Addit, habere etiam aliquid adſtrictorii. Emollire, eſt 7. κ. γέν. 3. reſolvere & digerere, 2. *ad Glauconem*.

VI. Vellem addidiſſet, plus aquei humoris habere, potiſſimum radicem, quam malva habet. Inde enim ex mucilagine radicis fit, cum ſaccharo confectio *Dialthæas* in morſellis, in catarrhis ſubtilibus, in raucedine, in aliis gutturis vitiis. *Ung. Dialthæas* majus & minus multi eſt uſus in humoribus frigidis.

III.

III. ALCÆA.

VII. SCribo ita, dubitabundus, annon ſit eadem cum Althæa, ab imperitis abrupta. Nam & nomen *Biſmalva* habet Galenus, qui alias libenter Dioſcoridem ſequitur, & creditur habuiſſe pro *Malva ægreſti*, aliàs ſeorſim facturus ejus mentionem.

VIII. Facit id tamen Paulus, qui *lib.* 7. dyſentericis præſcribit, ob ſucci credo, glutinoſitatem, ut Dodonæus ſe explicat. In quibus Officinis eſt, eſt vulgaris, ſeu I. Bauhini in ſylvis etiam noſtris obvia.

IV. MALVA ROSEA, *ſeu* ARBOREA.

IX. ESt aliquot ſpecierum apud Bauhinum. Verum in facultatibus nulla eſt differentia.

CAPUT CXL.

DE MANDRAGOGA.

I. MANΔPA quid ſit, ſcio, quid item ἀγορὰ: ſed quid μανδράγορα, aut ut plerique, μανδραγόρας, ὁ, neſcio, adeoque venio in eas cogitationes, non eſſe Græcum, ſed Barbarum. Neque tamen ſubito credo Goropio, qui Germanicum eſſe, quaſi *Man dragen*, vult.

II. Non credo etiam Pythagoram vocaſſe ἀνθρωπόμορφον. Columel *lib.* 10. *princ.* *Semi-hominem* nominaſſe credere poſſum, quod eo quoque ſeculo valerent artes illæ diabolicæ, de quibus late Matthiolus *in Dioſcoridem.* Mihi quoque contigit audire talem nebulonem, qui fanda nefanda plurima jactabat. Eſt tamen inter noſtros Pierius Valerianus, qui *Hierogl. lib.* 58. naturaliter fieri poſſe contedebat.

III. Credunt quidam eſſe *Dudaim* in ſacris, & vocatam fuiſſe Græcis ἀντίμηλον, eo ſenſu, quo ἀντίθεος eſt *divinus*, ut ſit *bonum divinum.* Invenio apud Guilland. hominem diligentiſſimum, *in Theone*, φυξίμηλον Æſchyli dici, quod neſcio an huc faciat. De *Dudaim* vide Epiſt. eruditiſſimam apud Stuckium, *in Conviv. lib.* 3. *cap.* 8. Dabit etiam aliquid Kyberus *in Lat. Trago*, ut & Tremell. *Annot. in Geneſim.*

IV. Cum ad quæſtionem venitur, ſitne Theophraſto & Dioſcoridi Mandragora eadem planta, plerique præcipitant judicium. Ex uno enim & ſolo loco, 6. *Hiſt.* 2. quaſi ex tripode vaticinantur, non eſſe. Ego vero Animadv. in eam partem oſtendi iis tria alia loca è quibus dici poteſt eſſe.

V. Apud Dioſcoridem *lib.* 4. *cap.* 177. majores ſunt tenebræ. Cum enim ſuo more deſcripſiſſet geminam Mandragoram, marem & feminam, maremque cognominaſſet μώριον *quaſi fatuellum*, ab effectu: poſt multa addit, ἱϛοροῦσι καὶ ἑτέραν, μώρων λεγομένην. Quo ipſo teſtatur abunde, ſe ex aliena prorſus fide loqui & plantam deſcribere ſibi non viſam, ut alias multas. In eo etiam parum memor eſt ſui, cum μώρων ait vocari. Saracenus quidem vult conſulere honori ipſius, cum *etiam* addit, ſed parum agit. Aliter Bauhinus, qui νώριον legit. Hoc vero vitium eſſe ſcribæ apud Saracenum quaſi certus ſum. Ut dicam quod ſentio, Totum videtur aſſutitium.

VI. Putes cogitaſſe tale quid Serapionem, cum *cap* 333. inſcribit, *de Mandragora & Marbo*: ut & Paſinus, cum peculiarem locum tribuit, *Marbo & Morion*, vocat. Sed & longe alia exemplaria habuit, qui tribuit illi *Virgam longam*, cujus Dioſcorides (in verſione antiqua eſt) non meminit, nec vero obſervat Paſinus appendicem hanc non fuiſſe in codice, quo Plinius utebatur, *lib.* 25. *cap.* 13 ſatis indicat, quod non agnoſcit hanc tertiam ſpeciem. Habuiſſe vero & ipſum alium codicem, argumento ſit, quod feminam facit *Cauligeram*, qua in re quantopere ſudet Cornarius *in Dioſcoridem*, videat, qui volet. An παραμυθία aliqua peti poteſt ex MS. Dalecampii apud Plinium? Quod enim illi habent ἱπποφλόμον pro *hypophlomon*, proculdubio & ipſum eſt vitioſum, mutandum fortaſſe an in ἱππομώριον, ut Mandragora altera ſit μώριον ſimpliciter: tertia etiam hæc ἱππομώριον, Mandragora major, qualis forte Theophraſti illa, quam ſolam ſpeciem faciunt illam, quæ *Bella-donna* Italis dicitur.

VII. Nec vero movet me auctoritas Hermolai, & ſi qui alii pro tertia hac ſpecie habent *Melanzana*, ſeu *Melongena* Italis dicta. Pertinent enim ad *Solana*, vel Bauhini arbitrio. De his, & quam delicatus ſit cibus, vide Monachos dictos *in Antid. Meſue*, *diſt.* 12. *cap.* 426. Sed aberrationum ſatis.

VII. Uſus eſt in Officinis tantum corticum radicis Mandragoræ utriusque ut & ſucci ex illis expreſſi.

IX. Cujus facultates ut rectius cognoſcantur, oportet aſſumere etiam reliquas plantæ partes. Et ſunt pene hæ difficultates, quæ in cicuta. Statim enim quæritur, humida an ſicca ſit Mandragora? Ut de Galeno dicam primo loco, ſatis evidens eſt ille locus 4. *Artic.* 21. Diſtinguens enim frigida terreſtria, quæ ſimul adſtringunt, a frigidis & aquoſis, quæ ſimul humectant, habet mandragoram in ordine poſteriore. Non minus evidens alter 2. *Temp.* 2. ubi cum papavere, lactuca, aliisque ſomnificis ſtatuit. Ita 5. *ſimpl.* 19. dicitur. Mandragoram habere copiam humiditatis. Contra 3. *Meth.* 8. affirmatur, quod ſiccare poſſit tantum, quantum ulceri ſit ſatis. 8. κ. τόπ. *initio*, loquens de iis, quæ tenues humores ſpiſſant, ſiccando & refrigerando, habet in illo numero Mandragoram. Hoc ſcopo veriſimile eſt 7. κ. τόπ. 3. ingredi confect. Apoll. ad tuſſim. Eodem in potionem ejusdem, quæ ſtatim ſequitur, itemque in contiguum aliud medicamentum. Certe, eod. fit *cap.* 5. *ſeq.* in paſtillo ex Mandrag. dicto. Ab hac parte ſtant Arabes. Avicenna enim ſiccam aſſerit in 3. gra-

gradu. Serapio non mentione facta gradus in cenſu ſiccorum locat. Inter recentiores Sylvius eſt, qui ſiccam etiam ait eſſe, ſed non ultra 1. gradum.

X. Quid ergo heic dicendum eſt? Profecto tam leviter defungi non poſſumus, ut in Cicuta. Mihi hæc diſtinctio arridet, Tota planta plurimum habet humidi excrementitii, ſed plus habent poma, minus folia, iterum minus radix, minimum cortex radicis. Quamobrem dicit Galenus 7. *Simpl.* cum quo loquitur & ſentit Averroës, *Poma humiditatis aliquid habere, corticem radicis jam exſiccare.* Et diſtinctius 5. *Simpl.* cum totam plantam dixiſſet habere humiditatem, excipit corticem, tu puta, in terminis, ut tamen concedas illi aliquid humiditatis, qualis cum 1. gradu ſiccitatis eſſe poteſt.

XI. Falſi igitur fuerint Arabes, qui frigiditati in 3. ſociarunt ſiccitatem in eodem. Sed & non penitus ſibi conſentiunt. Avicenna enim cum *in c. de Jabrol.* id dixiſſet, ſubjungit, in Mandragora ipſa, eſt humiditas. Quare *in c. de Mandrag.* ne facta quidem mentione ſiccitatis humidam eſſe ait. Quid ſit tribuendum cenſuræ Serapionis, judicabit is, qui conſiderabit verba, ex 7. *Simpl.* jam allata.

XII. Et ita quidem in paſſivis qualitatibus ſe habet res: in activis etiam implicatior eſt, Licet enim conſenſus ſit inter Græcos & Arabes. frigidam eſſe mandragoram ad 3. usque gradum, forte ad finem usque ejusdem: tamen non pauca ſunt, quæ teſtantur caliditatem. Ne dubites. Scribit Galenus . *Simpl.* 15. *&* 19. ſi quis utatur illa in paulo majore doſi, mortem afferre poſſe. 3. *Meth.* 8. inquit, ſupra modum refrigerare. Quem modum? ut venenum frigidum ſit, *de Cauſ. morb.* 3. Is ipſe tamen *in 7. illo Simpl.* cum de frigiditate dixiſſet, quæ ego dixi, ſubjicit, *Verumtamen & caliditatis cujusdam particeps eſt.* Hanc collegiſſe videtur ex particularibus operibus, quæ Dioſcorides illi tribuit digerendi & abſtergendi, menſes ciendi, &c.

XIII. Quid dicam? Inſignis illa vis emolliendi, quam de ebore tradunt Dioſcorides & Plinius, & unde didicerunt noſtratium quidam (Rondeletius & Lobelius) uſum in ſcirrhis viſcerum, non poteſt eſſe cum ignavo tantum frigore, quodque viam ſibi præcludit, antequam vis mollificatoria pervadat. Saporque amarus, qui tam in pomo, quàm in radice eſt, arguit calorem. Eundem teſtatur odor, vel è longinquo caput feriens Rhaſis etiam apud Serapionem ſcribit, vidiſſe ſe, qui poma mandragoræ comederit, tota facie rubicundos, atque ſi è balneo egreſſi, multum vini bibiſſent. In quam ſentiam ſcribit Avicenna, ſymptomata hujus veneni, eſſe rubedinem faciei, exitum oculorum, &c. Tu adde ſis, quæ ex Aëtio ſcribit Matthiolus *in 6. Dioſcoridis.*

IV. Quibus tanquam ſuperpondium adjicio, Mandragoram tanta cum violentia purgare, ut cum helleboro compararint veteres. Quæ ſoli frigiditati quis auſit adſcribere?

XV. Sum ejus opinionis, eam eſſe heterogenearum partium, ut de Opio dicetur ſed ita, ut, quemadmodum actio Opii eſt à frigore, ita etiam mandragoræ

ſit. Interim non excludo totam ſubſtantiam, qua affectionem quandam inducit ὁμοίαν τῇ νεκρώσει, ut Galenus loquitur, 8. κ. τόπ. 3. qua & ſomnum facit, & dolores ſedat, &c. Hæc fere fundatur in humido illo excrementitio, de quo dixi, & quod, perinde ut in cicuta, ratione ſoli natalis, majus aut minus eſt. Cretica, qua Romani utebantur, 1. κ. γέν. 4. in unguento Diachalcit. proculdubio magis domitum habet, ideoque minus noxia Italica & Germanica. Rurſusque idem in aliis plantæ partibus (uti prædixi) potentius aut impotentius eſt, impotentiſſimum in cortice radicis.

XVI. Quare ubicumque in catarrhis, aut aliis affectibus ubi exſiccatione eſt opus, ſuccus corticis hujus ſumi debet, niſi omnia me fallunt. Fortaſſis non valde abeſt à fine hoc, ſuccus corticis ipſorum pomorum. Hunc enim 9. κ τόπ. 4. in colicis Aſclepiadis, video æquari ſucco cort. radicis, non etiam totorum pomorum, quem debilem ſeu ignavum facit Dioſcorides, quod de medulla excorticata etiam Galenus pronunciat.

XVII. Cauſa cur de cortice pomorum id dicam, eſt, quia odor ille bonus, qui heic prædicatur, eſt in cortice, ut in Citriis, & Aurantiis. An autem quisque pomum ipſum cum vel ſine cortice, impune poſſit eſitare, valde ignoro. Aëtius omnem malitiam videtur rejicere in ſemen, quaſi illo dempto, caro ſit indemnis, niſi nimis copiose ingeratur. Hæc enim ſomnolentiorem facit. Sed & loquitur ille de pomo maturo: de immaturo enim & crudo, cum ſemine comeſto, facit ſymptomata, quæ dicta ſunt.

XVIII. Certè, ſi ulla eſt ratio, qua innoxiè ſumi poteſt, oportet illa nota fuerit priſcis mulieribus, Rachaëli, & Leæ, quæ fœcunditatis cauſa liguriebant. Non dubito rationem illam, quæcumque ſit, in illis tantum regionibus locum habere, in quibus Sol bene illa terebrare poteſt, ut SCHERBIUS jocari ſolebat, & εὐώδη facere, ut Dioſcorides habet, unà cum ſapore vinoſo, ut Cordus. Ubicunque enim retinent odorem ſuum viroſum, cum ſapore abominando, exeſſe debent.

XIX. Sed jam exſpectas, quo gradu Mandragora ſit vel calida, vel frigida? Perſiſto in illo, quem Galenus poſuit in frigiditate, quemadmodum etiam in additamento, in caliditate: & explico me, calidam eſſe in 2. non ſine tamen latitudine, quæ ſit tam ex ſolo natali, quàm ex diverſitate partium plantæ.

XX. Sed quo modo tunc contemperare poteſt uteri ſterilis & retorridi calorem, ut patroni loquuntur? Poteſt: quia partes frigidæ præpollentes calidis, vehiculum illis præbent. Felicius omnino id præſtant quàm mala inſana, quæ ſubſtituunt quidam, ob calorem, quem Mandragora habet, mala iſta non habent. Sed & poſſunt aliquid in calidioribus, præcipue feminis. Supereſt, ut dicam aliquid de vi narcotica, tam nota veteribus, ut proverbii vice eſſet, bibiſſe Mandragoram illum, qui tardior in negotio aliquo eſſet. Ortum habuit ab iis, qui uſtione aut ſectione opus habebant. Hi enim præbibebant vinum mandragori-

gorites, ne ſentirent. Hoc enim minus abominabile, & naturæ humanæ contrarium eſt, 8. κ. τόπ. 3 in ſtomach. Aſclep. Alioquin ſolo odore ſomnificum eſt, ut Lemnius *in plant. Bibl.* de ſe ſcribit.

XXI. Moneo autem, etiamſi pro ſomnifico exterius tantum uſurpetur: non eſſe tamen citra periculum, ut ex Galeno oſtendi poteſt, 2. κ. τόπ. 1. 5. *Simpl.* 4. præcipue 12. *Meth.* 1. 1. κ. γέν. 4.

XXII. Utimur in eam rem *oleo de Mandragora compoſ.* Nicolai Alex. ſola illita fronte, pulſ. &c. Qui naribus etiam indere volunt, debent illud temperare lacte muliebri, oleo roſ. &c. Simplicius eſt, quod ad Meſuem refertur, in quem vide Monachos. Ubi haberi poſſunt poma, ex illis fit: apud nos ex cortice radicum cocto & contuſo, & tandem calamento addito reliquis.

Caput CXLI.

De Marrubio.

I. GRæcum non eſſe, abſentia aſpirationis facit in pleriſque MS. Latinum eſſe Plinius diſerte ait, *lib.* 27. *cap.* 8. Græcis πράσιον, quod utinam cum τῷ πράσον, quod *Porrum* eſt, non confudiſſet idem Plinius *loco citato* quod *lib.* 20. *cap.* 22 manifeſte dixerit, Græcis πράσιον vocari.

II. Duplex eſſe aperte dicit Theophraſtus 6. *Hiſt.* 2. Sed ſine agnominibus. Dioſcorides *lib.* 3. *cap.* 100. cum Balloten, dixiſſet vocari *Marrubium nigrum*, interpoſito Meliſſophyllo, deſcribit *Marrubium ſimpliciter dictum.* Plinius *loco poſt.* *Balloten* ait vocari μελαμπράσιον: Sed anteriore Caſtorem ſcribit diſtinxiſſe in *nigrum* & *candidum*, quod præfert. Obſervat diſtinctionem Bauhinus, connumerans ſubinde utriusque differentias. Creſcit utraque in ægris quoque noſtris: Sed nigrum demum poſt Catalogi editionem viſum fuit ad Gnadebergam.

III. In quibusdam Officinis utrumque eſt, *Album*, quod I. apud Bauhinum in illo ordine, *Nigrum* quod IV. In noſtris duplex etiam eſt: Sed utrumque album, alterum, ſub additamento *Noſtrum*, alterum, *Creticum.* Utuntur vero illæ Græca potius appellatione. Hinc natus eſt Commilitionibus Patavinis hic jocus. Stabam inter rhizotomas, quæ ex Euganeis vænum exponunt herbas, & admoto naribus marrubio albo: Ei, inquam, marrubium album? cui adſtans pharmacopœus in aurem, *Ei, ſignore, praſio!* Veteribus uſitatus fuit ſuccus, 7. κ. τόπ. 5. in remediis Aſclep. ex Marrubio recenti tuſo. An iisdem, quod *nigrum* eſt, *ſylveſtre* vocabatur? 3. κ. τόπ. 1. in remediis Archigenis? An marrubium noſtrum album eſt Theophraſti primum? Ait enim, unguentarios uti. His utile eſſe poteſt odore ſuo moſchato. At Cardiaca noſtra fœtet. An idem eſt μελισσόφυλλον ἢ μελίτταινα Nicandri *in Theriacis*? an potius μελισσόβοτος ἢ μελίσσα ejusdem eſt?

IV. Facultates ſeſe nobis aperiunt, mediante, partim odore (ut dixi, moſchato: partim ſapore amariſſimo, qui in ſucco præcipuè manifeſtus eſt, & quem Columella affundit plantis, pro arcendis erucis, &c. Utrumque cum indicet calorem, alterum partes arguit tenues, quibus in interna penetrat: alterum craſſas & terreas, quibus egregie abſtergit, illis quidem præcedentibus, his autem ſequentibus, Galenus 8. *Simpl.* quem ſectatur Averroës & Serapio, calidum ponit in 2. completo, ſiccum medio tertii. Uſus propterea eſt ad deobſtruenda viſcera, ad expurgandum thoracem, ad ciendos menſes, &c.

V. Eſt etiam errhinen in ictero, purgandæ bili, quæ oculos ſæpe contumaciſſime occupat in doloribus aurium diſcutiendo pituitam, quæ cavitates internas oblinit.

VI. Sed quomodo renibus eſt inimicum apud Dioſcoridem & Plinium? Frequenti uſu exulcerat. Multo igitur minus utendum in iis, in quibus jam ulceratæ ſunt partes illæ.

VII. Uſurpabant veteres in venenis, tam intra, quam extra in ulceribus malignis, 5. κ. γὲν. 2. in Panacea Heræ, in parotidibus; 8 κ. τόπ. 4. Facit autem hæc omnia potentius Meliſſa, 7. *Simpl. c. de Meliſſ.* etiam potentius Ballota ſeu Marrubio nigro.

VIII. Ulcera capitis manantia vocari alicubi *Andorn* intelligo, quibus quia præſens remedium, nomen inde habere credo apud nos. Hinc tranſitum facere licet ad alia ulcera περιμαδαρά, ut Hippocrates vocat *valde humida.*

IX. *Syrupus de Praſio Meſue* egregiè aſthmati antiquo ſervit, pleuritidi ſuppuratæ, &c. ſed valde calidus eſt, & qui ſenibus potius quam juvenibus, frigidis quàm calidis adhibendus ſit. Quidam metuunt adſtrictionem, quæ tantilla eſt.

X. Diapraſin Nicolai confuſio potius eſt, quam compoſitio, cui ideo præfero Pauli compoſitionem ex *lib.* 7. *cap.* 11. in Empyematicis & tabidis, quibus ſingulariter & mirificè utile eſſe ſcribit Dodonæus. Ab hac parum variat Tralliani *lib.* 5. *cap.* 4. ut & Aëtii, *lib.* 8. *cap.* 54. Non minus efficax eſt *Oxymel* Gal. 13. *Meth.* 18.

CAPUT CXLII.

DE MATRICARIA.

I. A *Matrice* ſeu *utero* dictam eſſe, recentioribus in confeſſo eſt. Quid apud veteres ſit, dubium faciunt, qui præter meritum *Parthenium*. Dioſcoridis excutiunt. Eſt autem παρθένιον diminutivum ἀπὸ τῦ παρθένος.

II. In his occupandis occupabor aliquantulum, ut pudeat magis. I. dicunt, eſt

eſt vox nimis πολυώνυμος. Jam adſtrinxi ad *Parthenium* Dioſcoridis, *lib.* 3. *cap.* 138. qui ſubito damnat illos, qui *Amaracum* vocabant. Qui etiam deinceps ita deſcribit, ut & *Artemiſia tenuifolia* Fuchſii, & *Cotula* exſulare poſſit. In primis abſolvit rem, ſi τὰ λεπτὰ referas ad ima & terræ proxima Coriandri folia, idque cum Dodonæo & Braſſavolo. Ego vero cum Cordo 2. *Hiſt.* 147. eadem eſſe video. II. Notæ etiam ſunt communes. Nil refert. Oportet enim animadvertere proprias potius. III. Parthenium veterum purgabat, matricaria hæc non purgat. Imo vero, & probabo ego mox. Ut Centaurium minus non propterea deſtituitur facultate purgatoria, quia non omnibus nota eſt: ita matricaria. III. Non conſtat de appropriata uteri facultate. Indicium ſtulti? Propterea ceſſo, ne ſtultiora afferre cogar.

III. In Officinis uſurpamus comam matricariæ vulgaris Bauhini. Hanc qui πλατύφυλλον vocant, ad differentiam τοῦ σμικροφύλλου Hippocr. *lib. de ulceribus*, videant, ne fruſtra ambigua inducant. In illa enim τοῦ παρθενίου latitudine ſciri non poteſt, quod *Parthenium* voluerit Hippocrates. Videant etiam illi, qui *Amaracum* Galeni & Pauli fovent, ne fruſta errores ſeminent.

IV. Facultates enim non prorſus eædem ſunt. In eodem metu ſunt, qui Matricariæ vires tradituri toto modio effundunt Centauria, Abſinthia, Tanaceta, & cum Parthenio Dioſcoridis miſcent. Interim nolim quemquam adſtringi ad pauca illa, quæ Dioſcorides Empirica habet. Ratio enim latius ſe pandit. Non minus debent facere, qui pro *Cotula* pugnant. Quia enim cauſtica eſt, & violenter purgat in ſua doſi, ſi infra illam detur, turbat tamen.

V. Tutiſſimum igitur eſt, ante omnia conſiderare odorem & ſaporem *Matricariæ noſtræ Germanicæ*. Sapor, quia, Cordo judice, & amarus eſt, & acris cum tenuitate, Tanaceto non inferior; odor acris, & valde gravis: Tanaceto ſuperior: ratiocinetur quis merito, in primis quidem calidam in 3. eſſe, ſiccam in 2. in ſecundis autem omnia præſtare, quæ amara & acria jam toties dicta ſunt. Ob amarorem dicitur Italis *Amarella*, & per apocopen Marella, *Amareggiola*, & Latina terminatione *Amarago*. Ob effectum *Febrifuga*, præcipuè in malis uteri, *Matricaria*, ut dixi. Quem qui negant, quod Dioſcorides non ſcripſerit, paulo minus quam delirant. Oppono enim illis totius orbis conſenſum: oppono ſpeciatim Ægyptios, apud Alpinum *de plant. Ægypt.* 29. Idem dico de iis, qui purgare nolunt. Oppono enim illis ſapientes mulieres Tragi 1. *Hiſt.* 50. quin ſapientiſſimum Medicum Braſſavolam, *in Exam. Simpl.* qui doſin ſtatuit ſucci ℥ iiij.

VI. Sed quid purgat? Pituitam & atram bilem. Experientiæ addorationem validam, Quæ tam potenter deobſtruunt, in juſta doſi ſimul purgant.

C a p u t CXLIII.

DE MATRISYLVIA.

I. SUB hoc nomine duæ plantæ valdè à ſe invicem diverſæ in Officinis ſunt, altera ad *Mollugines* & *Aſperugines* pertinens: altera ad *Periclymena*, ut ſic loquar ex hypotheſi.

DE PRIORI.

II. QUod in ſylvis frequens ſit, nomen hoc accipit à ſuperioris ſeculi Medicis barbaris. Eſt autem duplex forma, licet facultatibus eadem. Hæc eſt *Mollugo* duplex Bauhini, *latifolia* & *anguſtifolia*, à Galio ſupradicto differens ſola foliorum tenuitate. Hæc eſt *Aſperula* ejusdem, duplex & ipſa apud artificem Medicum, *Odorata*, & *non odorata*, non autem apud Bauhinum *Waldmeiſter*, *oder Waldmanlein* vocitata.

III. In quibusdam Officinis etiam *Hepatica ſtellaris* eſt, in quibus ſcil. *Matriſylviæ* nomen Periclymeno peculiare eſt. *Leberkraut*, *oder Steinleberkraut* vocant, quod affectibus hepatis conveniat, quibus autem nondum comperi. Quin *Herkenfrewdt*, & *herbam vitæ* appellitant, quod vino impoſita, odorata cum ſit, Cor exhilaret. His popularibus encomiis cum nihil juvetur Medicus rationalis, taceo.

IV. Utuntur Mulerculæ in ſcabie puerorum, aquæ dulci incoquentes. Aliæ pro confortandis artubus eodem modo uſurpant. Tragus in emolliendis abſceſſibus utitur.

V. Dodonæus *Aſperulam* quidem cum Galio comparat, quo debiliorem eſſe ait *Molluginem autem* pro inutili clarigat.

DE POSTERIORI.

VI. ILla, inquam, quæ *je langer je lieber* vocatur plerisque Germanis, aliis *Roſen von Jericho*, *Specklilien*, *Waldlilien*. Ita ordior propter plurimas tricas, quæ heic ſunt. I. ne putes, ullam eſſe ſimilitudinem *Clymeno* cum *Periclymeno*. II. diſtinguas Periclymenum rectum, quod eſt *Xyloſteum* Dodonæi, ab hoc noſtro. III. ne putes aliud ab hoc eſſe *Caprifolium* recentiorum. IV. ne credas idem eſſe cum *Lycio*, quo de errore ſupra in Buxo. V. ne circum agi te patiaris ab iis, qui vel *Clematim alteram*, vel *Cyclaminum alterum* Dioſcoridis producunt. VI. nec ab iis, qui *Peclymenum* Dioſcoridis. Ubi enim ſunt hederacea folia? ubi ῥιζαπαχεῖα καὶ μακρὰ, ſi maxime ex Crateva ita legas? Tamen ſi ita vis, vide Anguillaram 14. *Sent.* 13. Penam, *Adv. f.* 280. *Cæſalpinum* 9. *Hiſt.* 11. VII. Hujus confectarium erit.

VII. Neque Dioſcoridis, neque Galeni facultates heic locum habent. Flos quidem eſt odoratiſſimus: at de foliis conſtat nihil. Ut & an differentia aliqua ſit inter *Italicum* ſeu *Perfoliatum*, & *Germanicum* ſeu non *perfoliatum*. *Unguentum ex eo* fit capitale, promiſcui in Italia uſus, apud nos neglectum. Sunt ejus variæ deſcriptiones apud Melichium, Caleſtanum, alios.

AUCTARIUM DE MATRISYLVIA tertia.

VIII. Dum verſo Diſpenſatores herbarios, invenio, Mariſylviæ nomen tribui quoque *Hyperici* ſpeciei, *illi* quæ inter Androſæmi VII. eſt apud Bauhinum *Siciliana*, ſeu potius *Cæciliana* dicta. Nec dubito *Androſæmum* Dioſcoridis eſſe, licet obſtrepat Pena, *Adv. f.* 229. Quæ enim ſuccum ſanguineum ſeu vinoſum, ille non vidit, vidit Cæſalpinus & Dodonæus.

IX. Facultates ſi conferre libeat cum Galeno 6. *Simpl.* mitior, ſpero, eris: ſin minus, abi ad Penam *loco citato.*

DE MELILOTO, Vide TRIFOLIUM.

CAPUT CXLIV.

DE MELISSA.

I. ΜΕΛΙΤΤΑ, ἡ μέλισσα, & per ἐπένθεσιν, ut puto, apud Theocritum μελίτταια, apud alios μελίτταινα, *Apis* eſt. Hinc factum eſt μελισσόφυλλον, & per συνίζησιν potius quàm συγκοπὴν, μελίφυλλον, ut ratio reddi poſſit, cur ſecunda apud Virgilium producatur. *Apiaſtrum* hoc eſt Latinis, quod peſſimo errore ab *Apio (riſus)* Plinius deducit. Tantopere enim delectantur hac herba, ut ſi ſucco ejus alvearia linantur, nunquam diffugiant. Id fit ob odorem *Citri*, unde *Citrago*, & *Cedronella*, quia *poma Citria* ab Italis dicuntur *Cedri.*

II. Eſt vero odor ille tam intenſus alicubi, ut cimices oleat: ſed qui (ut dicunt) miteſcit tanto magis, quo propius naribus eſt. Ut opus non ſit fuga illa, ſylveſtre eſſe genus illud, niſi forte ſylvæ dici poſſunt omnia loca concluſa & non perflatilia. Quidam dicunt, putere illam tantum, quæ in vigore ſit, hoc eſt, in autumno, ut ſe explicant, & in uſu abjiciendam eſſe. Vulgus ex Græco appellat *Bienencraut*: feminæ ab uſu in affectibus uterinis, *Frauwen: oder Muttercraut.*

III. Pro Officinis colligenda eſt tempore verno, & extra florem, ad quem ubi pervenit, jam cimices olet. Quidam ob copioſum humorem metuunt hanc, & accipiunt autumnalem. Ego vero dico, in verna quidem abſumi ſiccatione,

quod ſupereſt humidi: in autumnali autem id ipſum humidum ita craſſefactum eſſe, ut ſit inutile, præcipue, in affectibus cordialibus.

IV. Edico autem ne ejus loco accipiatur vel *Meliſſa Fuchſii*, quæ eſt *Lamium montanum folio meliſſæ*, Bauhini, vel *Lamium luteum Lobelii*, quod alicubi fieri intelligo.

V. De facultatibus judicans Galenus neſcio an ſcopum aſſecutus ſit. Comparans enim cum *Marrubio*, infra illud collocat. Atqui *Meliſſophyllum* odoratum eſſe norat, 1. κ. τόπ. 5. marrubium eſſe, non norat, certè 8. *Simpl.* non meminit ullius odoris. Sed norit: novimus nos etiam differentiam inter utrumque, quod ſcil. Marrubii lenis ſit, inſtar moſchi: meliſſophylli gravis inſtar cimicum.

VI. Hinc fit, ut marrubium quidem diſcutiat flatus, ſed impotenter: Meliſſa autem potentiſſimè. Hinc in palpitatione cordis tantas habet laudes apud Foreſtum, aliosque, quantas marrubium nunquam habebit.

VII. Tu vero fodicas mihi forte latus, & meminiſſe jubes ſuperius dictorum? Memini optime. Locutus ſum ibi de vi abſterſoria, quæ in marrubio ſuperat: loquor heic de diſcuſſoria, quæ in meliſſa. Hac diſtinctione admiſſa nec falſus fuerit Galenus judicio, nec ego contraria ſcripſerim.

VIII. Et hæc quidem ex Galeno, & confectaneis ejus dici poſſunt: de cæteris Botanicis jubent nos conſulere Arabas. Hoc tamen non caret difficultatibus, quarum una hæc eſt. Cum enim ignorarent interpretes, quid apud Avicennam *Bedarungi* & *Marmacor* eſſet, reliquerunt. Utrumque vocabulum cum apud Serapionem detur uni plantæ, cujus deſcriptio eſſet meliſſophylli Dioſcoridis, venerunt quidam in eam ſententiam, eſſe utrumque unius plantæ. Quod ut falſum non eſt apud Serapionem: ita apud Avicennam non eſt, ut patebit conferenti. Hæc ipſa vocabula cum apud Meſuem (vixiſſe illum poſt Avic. conſtat, & multa ex eo ſumpſiſſe) aliosque mirificè traherentur, ut diſcere eſt ex Monachis *in Antid. Meſue diſt.* 1. *c.* 47. *c. de Diamoruſia*, & *c.* 56. *de Anacardina*: factum eſt, ut res ipſa periret pene tota. Hinc enim fit, ut ſi in compoſitione aliqua Arabum deſideratur alterutrum, tot ſint ſententiæ quot ſcriptores.

IX. Alii enim *Erucam* ſubſtituunt, alii *eryſimum* alii *nigellam*, alii *cubebas*, alii *ruſcum*, alii *Lactucam ſylveſtrem*, alii *ocymum*, alii *marrubium*, alii *aliud*. Ego ex Monachis jam laudatis, ex Luminario majore, Manardo, Fuchſio, videor mihi obſervaſſe, Bedarungi eſſe Meliſſam: Marmacor ei affinem, quale marrubium. De hoc quia dictum eſt, ſupereſt dicam de illa, & quidem ex Arabibus, apud quos vocabulum vehementer variat, præcipuè ratione vocalium, quæ (ut intelligo) in illa lingua ſunt arbitrariæ.

X. Ubi primum hoc eſt tenendum, *Meliſſæ* eſſe magnam varietatem ratione natalium, præſertim, in odore. Hinc peto excuſationem Avicennæ, qui de gradu

du primarum qualitatum aliter loquitur *in Canone*, aliter *de Viribus Cordis*. Quò enim acrior & penetrantior, eo magis aſcendit.

XI. Ubi hoc etiam judicare fas eſt, quo gratior, Citroque vicinior eſt odor, eo minorem eſſe copiam excrementitiæ illius humiditatis, quæ cimicesolet. An propter hanc virgam erigit, ut interpretes loquuntur? An propter hanc βȣϐῶνας βλάπ]ει, ut Sethi? Flatus enim facit extumeſcentiam. An propter ea nunquam eſt in uſum vocanda viridis, ſed ſemper ſicca?

XII. Tu autem hoc etiam conſidera, quo ſiccior eſt, eo infirmior. Vide igitur qualis ſit odor.

XIII. Sed quid eſt, quod Avicenna ait, eſſe in Meliſſa virtutes contrarias? Quia (inquiunt) contraria in corpore facit. Quomodo? Cum invenit in corpore multas ſuperfluitates præcipuè pituitoſas, partium tenuitate fundit, & μετάςασεις ſeu fluxiones in hanc illamve partem facit. Cum enim invenit, diſcutit, atque ita dyſenteriam & colicam curat, dolores dentium & ſtupores abigit. Hinc pendet illud quod idem Avicenna ait, in una complexione ſternutationem movet, in alia ſedat. In alia hæmorragias excitat, in alia ſiſtit.

XIV. Et jam definire illud etiam oportet in quibus flatibus præcipuè locum habeat? In melancholicis, ſive illi ventriculo ſint moleſti, ſive cordi, ſive cerebro. In his verbis permulta ſunt ſymptomata, quibus obviam it, ut vellicationes ſtomachi, inappetentia, ſingultus, vomitus, alia, in quibus ante cibum adhibere oportet: vigiliæ (ex debilitate cordis, inquit Serapio) ſomnia terribilia, ſegnities & torpor ad omnes actiones, in quibus poſt cibum. Summa, Melancholicis, tantum non appropriata eſt. Hinc in Epilepſia quadam commendatur, in quadam uteri ſuffocatione, in flatulentiis uterinis. Habet autem effectus ſuos, non intrinſecus tantum, ſed & extrinſecus, in inſeſſionibus, in cataplaſmatis, in illitionibus affectuum cutaneorum, in aliis innumeris.

XV. *Syrupus è Meliſſa* duplex eſt in Officinis, ſimplex ex ſucco, compoſitus Fernelii. Uſus eſt utriusque in febribus malignis, præcipuè, cum ſyncopæ ingruunt, & palpitationes cordis. Imo etiam cum extra febris infeſtat tale quid. Eadem ratio conſervæ eſt. Eadem olei Chymicè deſtillati. Eadem extracti.

CAPUT CXLV.

DE MEMITHE ET GLAUCIO.

I. IN Officinis eſt ſuccus quidam denſatus ſub hoc nomine, de quo tria conſideranda ſunt. 1. Quid ſit *Glaucium* Dioſcoridis? Fuit denominatum, non ab herba *Glauce lib*. 4. *cap*. 136. quam deſcribit foliis cytiſi ſeu lenticulæ: ſed ab

herba ſui generis, quam *lib.* 3.*cap.* 84. papaveri corniculato comparat & eodem cum ſucco ſuo nomine *Glaucium* vocat. Non eſſe ipſum papaver corniculatum, ſed ſimile, non ex *l.c.* tantum, ſed *ex cap. propr. de pap. corniculato.*

II. Hanc ſimilitudinem quæſiverant noſtrates in ſpecie, Cluſius 5. *Rar.* 6. Lobelius & Pena, qui Papaver quoddam corniculatum dant, XIV. & XV. apud Bauhinum, alii cornutum XVI. apud eundem. Alii, neglecta ſpecie, *Lycoperſium* Galeni putatum, quod inter Solana pomifera 1. eſt apud eundem iterum, porrigunt nobis. Verum, ſunt hæ conjecturæ absque veterum notis inanes.

III. Quò cum ventum eſt, Paſinus *in Matthiol.* difficultatem nobis movet, Dioſcoridem quidem mancum eſſe: ſarciendum autem eſſe ex Serapione. Verum ego video Dioſcoridem docuiſſe plane id, quod ille. 1. Enim ſapore vult eſſe πικρότερον. 2. Odore βαρύοσμον. 3. Colore κρονίζον, quod aſtringit ille ad internam flavedinem.

IV. Quod ad facultates, Galeno authore, 6. *ſimpl.* poterat Glaucium refrigerare & adſtringere: ſed neutrum inſigniter. Cum enim (ut ait) modus ſubſtantiæ ſit aqueus & terreus, & ita utrinque frigiditas: non eſt tamen illa ultra aquam fontanam, ut & lactucæ.

V. Unde quis æſtimet falſitatem verſionis Hermolai, qui ait, *Algentis naturæ eſſe in ſummo.* Nam τὸ ἐν ἀρχῇ non poteſt illuc trahi. Quin ſatis manifeſtum eſt, loqui illum de principio inflammationum. Quare etiam limitat, *Mederi eryſipelatis* ὅσα μὴ ἰσχυρά. Vide heic ſupra in Lactuca.

VI. Et ita quidem in activis: in paſſivis ſiccabat non inſtrenue. Nam 5. *Meth.* 10. agens de ulcere auris putrido, primo die glaucium applicat cum aceto, ſecundo paſtillos Andronis, & ſic deinceps ad validiora, 3. κ. τόπ. 1. de ulceribus aurium ſimpliciter loquens, percuraſſe ſe ait glaucio cum aceto, ſi non cum fluxione aut purc fuiſſent. Tum enim paſtillos ſe ſumpſiſſe, inquit, vel Polyidæ, vel Andronis, &c. Quare etiam 14. *Meth.* 4. in œdematis curatione, glaucio utitur, vel ſolo, in poſca liquato, vel medicamento, quod ex eo componitur. Id eſt (niſi fallor) inde κ τόπ. qua de dolore auris ex inflammatione. Dicit enim prodeſſe quidem in moderatis, (nota) in cote medicinali cum aceto tritum: Sed præſtare paſt. ex glaucio. Hunc fieri addit, &c. Quin & collyria ait, ex glaucio fieri, &c. Hinc collyrium διαγλαυκίυ apud Plinium, &c.

VII. II. Quid ſit Memithe Arabum? Si conſulas Serapionem, proculdubio videbitur tibi Glaucium jam deſcriptum. Nec alienus erit Avicenna quamvis ſolum ſuccum deſcribat. Idem dico de Averroë. Hac fini ſi ſtatum fuiſſet, in portu eſſemus. At vero, quia ſuperiori ſeculo Medici practicabant ex Arabibus, eruerunt alii *Chelidonium majus*, alii *minus*, quo modo vocabant *Archangelicam* ſupra deſcriptam.

VIII. Quid eſt Memithe Officinis? Jam cœpi dicere, alicubi eſſe hoc, alicubi

bi aliud: & addo, Matthiolo authore, eſſe apud quosdam ſuccum quendam incognitum, à quo tamen ille non abhorret.

IX. Quæritur, poſſis ne ex *papavere dictorum aliquo* parari *Glaucium?* Non poteſt. Sunt enim narcotica, non multum infra Opium. Poſſitne ex pomis noſtris aureis, ſeu *Lycoperſio Galeni?* Non poteſt. Fatente etiam Pena & ipſum eſt narcoticum. Poſſitne ex *Sonchio*, *Cicerbita*, *Chondrilla?* Poteſt. Licet enim ſuccus croceus non ſit, ut ex prædictis: in facultatibus tamen reſponſum eſſe, veriſimile eſt. Quid ſi ex lactuca fiat? Galenus enim calorem utriusque confert inter ſe.

CAPUT CXLVI.

DE MENTHA, CALAMENTHA, *Menthaſtro & Nepeta.*

I. CONFUSA eſt harum plantarum hiſtoria. Ego ita puto, μένθη (cave mutes in μίνθος: ſignificat enim fœdum quid) Græcis, *Mentha* Latinis eſt nomen plantæ proprium, quod, propter odoris ſuavitatem, mutatum fuit in commune, ἡδύοσμος, quantum colligere mihi licet ex depravato Plinii loco *lib.* 19. *cap.* 8. Hinc eſt Germanicum *Mint*, & noſtrum *Mink*, non autem *Munk*, quod moneta eſt. Hæc apud Dioſcoridem *lib.* 3. *cap.* 41. & 42. dividitur in ἥμερον καὶ ἄγριον, & ſtatim illi ſubjicitur Καλαμίνθη, cujus ſpecies eſt *Nepeta.* Apud Galenum 6. *Simpl.* ἡδύοσμος duplex eſt εὐώδης, καὶ μὴ εὐώδης, quæ καλαμίνθη vocatur, cui *lib.* 7. ſubcitur καλαμίνθα, non facta ulla ad ſuperiorem relatione, ut neque odoris mentione.

II. Unde fortaſſis colligere licet, καλαμίνθην eſſe ἄγριον ἡδύοσμον, quæ à Latinis peculiari nomine *Menthaſtrum* eſt appellatum. Eſt enim prorſus Latina derivatio, ut Poëtaſter: Hoc diſertè affirmat Galenus *in* 6. *illo Simpl.* ἡ καλαμίνθη ἐστιν ὥσπερ ἀγρία τις μίνθη δὲ ὥσπερ ἥμερος. Huc inclinat Theophraſtus 2. *Cauſ.* 22. licet Gaza *Calaminthem* mutet in *Nepetam.*

III. Hoc vidit quidem Mundella, ſed non rectè explicat. Debebat enim dixiſſe, *Mentha eſt duplex, quarum quæ ſylveſtris eſt, Calamentha dicitur.* Hujus rei indicium eſt apud quosdam, quod Calamintha 7. *Simpl.* inter Cauſtica eſt. Quo magis miror 6. κ. τόπ. 1. in ſtomatico διὰ μόρων, in eodem ordine haberi *Calaminthem & mentham odoratam*, vel ideo quia *Calaminthem* debiliorem ait eſſe Mentha.

IV. Quo loco moneo, cum τὸ εὐώδης in Mentha opponitur τὸ μὴ εὐώδης, in Calamintha eſſe illud δυσώδης, non quidem *Fœtidum*, ſed *gravis odoris.* Tale enim experimur *Menthaſtrum* noſtrum. Nec eſt, cur mihi eleves authoritatem Interpretis Ariſtophanis, *in Eccl.* unde capta eſt expoſitio. Ad vulgus enim pertinet hæc res, ut ex Galeno *in de* κ. τόπ. liquet.

V. Dicis, Quid Menthraſto cum τῷ καλῆς? Eſt vocabulum *Medium*, quale σεμνὸς βλοσηνὸς, &c. ut καλαμίνθη ſit *Mentha horrida, incana, & ingrati odoris.*

VI. Hoc accommodaris etiam Nepetæ, Romanæ appellationi, ut Dioſcorides loquitur. Revera enim odor ille, felem murilegam repræſentans eſt plerisque omnibus ingratus. Unde didiceris cauſam, Galeno incognitam, cur Andromachus junior 1. *Antid.* 7. *Nepetam* ſubſtituerit *Calaminthæ* paternæ, vocem Latinam Græcæ? Intellexeris etiam, non male ſcripſiſſe quosdam: Calaminthum & Nepetam eſſe eandem. Specie certè ſunt, ſi Dioſcoridem auſcultemus. Vide Cæſalpinum 11. *Hiſt.* 61. & eos, qui apud Bauhinum *in Calam.* Nepetam habent. Male contra Penam & Bauhinum, Calamentha, *quaſi delicatior & elegantior mentha, quaſi bona & utilis mentha.* In noſtra locutione eſt εὐφημισμὸς, contrarium ſenſum inferens. Ita in hac doctrina ſæpe dicitur εὐώδες, quod naturale eſt, quantumvis adverſum ſit naturæ humanæ.

VII. In Officinis res iterum confuſa eſt: ſed ita habet, ὅσον ἐγὼ οἶδα. Inprimis ablegare oportet *Saracenicam*, quæ I. eſt apud Bauhinum, & ſuprà deſcripta fuit in Conſolidis. Oportet autem ejus loco reſumere *Balſamitham* ſimpliciter & male dictam cùm *mentha Balſamitha* dicenda foret. Hæc III. eſt apud Bauhinum, cujus varietas in ſpicis & verticillis, in foliis latioribus, & anguſtioribus ſunt ſequentes apud illum. Dicitur in quibusdam Officinis. *Romana, Cardiaca, anguſtifolia.* Secunda eſt *Mentha criſpa, ſeu cruciata, Krauſ. oder Creukmink.* Hæc nihil aliud eſt apud Bauhinum, quam varietatum dictarum una & altera. Alicubi eſt I. inter aquaticas, & putatur eſſe *Siſymbrium* Dioſcoridis. Tertia eſt *mentha rubra*, quæ, mea opinione, non differt à præcedente, niſi hoc accidente. Quarta eſt *Mentha alba* quibusdam, quæ nihil aliud eſt quam *Menthaſtrum vulgare*, quod ego pro *Calamintha* declaravi. Quinta eſt Calamintha ipſa, pro qua uſurpatur, quæ apud Bauhinum inter Calamithas III. eſt. Sexta in quibusdam eſt *Nepeta* ſeu *Mentha cataria* omnibus nota.

VIII. De facultatibus loquuturo neceſſaria eſt hæc admonitio, Pharmacopolas, pro ſua libidine, mutare & nomina & res. Verum tamen non eſſe periculi quidquam, quod coincidant ferè, ſolo hoc dempto, quod Menthaſtra ſunt potentiora Menthis. At, qui eo audaciæ perveniunt, ut immiſceant alius generis plantas, verbi gratia Clinopodium, Pulegium, Meliſſam, alias, tolerandi non ſunt.

IX. Ego καδδύναμιν hoc agam, ut abſit omnis error. De Mentha ſcribit Galenus 6. *ſimpl.* calidam eſſe in 3. Verùm cum ipſe ajat, eſſe tam tenuium partium, quàm ulla alia planta, accipio pro limitatione, quod Avicenna & alii dicunt, in 2. eſſe. Tu puta in fine 2. qui eſt initium 3. Sed qualis eſt in paſſivis? Sicca an humida: Propter humiditatem excrementitiam, quam habet ſatis copioſam, nutant quidam.

X. Sed ita eſt. Quemadmodum in croco, ſtyrace. myrrha, & aliis, non facit

eſt excrementitium illud, quo minus ſint ſicca: ita in mentha. Videtur autem pervenire ſiccitas ultra 2. gradum.

XI. Hoc humidum eſt illud, quod ex cultura accidere illi ait Galenus, cujus merito venerem ciet. Hoc eſt illud, quod ventriculo aliquando eſt moleſtum, propter quod in *Electuarium de arom.* & aliis ſicca expetitur. Cur igitur alicubi humida ſeu viridis deſideratur? An in iis, quæ foris applicantur, verbi gratia, maturantibus abſceſſus; Propter enim majorem calorem negat Galenus Calamintham ſuam locum habere in his. An in iis, quæ ad venerem parantur; Quo loco moneo, Humidam dici, non ſimpliciter viridem; ſed quæ vel humido loco crevit, vel multa irrigatione & ſtercoratione talis evaſit. Hinc Columella, Palladius, alii locis udis ſerunt.

XII. Hinc eſt illud Ariſt. 20. *Probl.* 2.

Μίνθην ἐν πολέμῳ μηδ' ἔσθιε, μηδὲ φύτευε.

In bello enim non eſt opus talibus. Videtur autem dictum in Athenienſium mollitiem. Vide Eraſmum *in Adag.* Quæ igitur ventriculi laboribus mederi debet mentha, non debet eſſe talis: quin potius ex montibus accipi debet, in hortis autem abſtinendum ab omni adaquatione. Et talis venerem potius caſtigat, quàm irritat.

XIII. Sed quo modo; Non refrigerando, ut Philoſophus in ſcripto illo populari, ſed ut Hippocrates 2. *de diæt. n.* 14. colliquefaciendo, ut quis diffluat, & arrigere non poſſit.

XIV. Hanc colliquefactionem non oportet interpretari ex Plinio, *cohibere genitalia denſari*, quo modo jam quidam acceperunt: ſed de corporis robore, quale in æſtate eſt.

XV. An autem tanta ipſius vis ſit, ut admota tantum ante coitum, poſſit impedire conceptum, ut Dioſcorides ſcribit, & colligit Dalecampius apud Plinium ex verbis Hippocratis allatis, neſcio. An τὸ *admota* reſpicit peſſum muliebrem, ut ex Serapione colligo?

XVI. Eadem ratio eſt illius, quod apud Conſtantium eſt *in Geopon.* Si vulneri appropinquet tantum, non jam facile coaleſcere. An quia inflammationem inducit? Alioqui Dioſcorides applicat morſui canis rabidi. Et Avicenna tanti facit, ut dicat, *Mentham eſſe propriam ad illud.*

XVII. Sed & cauſa eſt, cur vulneribus proſit potius, quam obſit. adſtrictione ſcilicet, quam habet ab admiſtis partibus quibusdam frigidis & terreis. Iisdem ſanguinis quoſeam fluxus (recentes ait Galenus) præcipuè cum aceto, ſiſtit. Interim illis veniunt in ſubſidium partes tenues, de quibus dixi diſcutiendo ſeroſitates, quæ ſanguinem faciunt fluxilem. Quare Matthiolus non debet mirari tantopere hunc effectum.

XVIII.

XVIII. Putem, easdem una cum craſſis, à quibus mortem lumbricorum eſſe Galenus ſcribit, concurrere ad finem hunc. In reliquis ſolæ tenues agunt, verbi gratia, in prohibenda concretione lactis in ventriculis. Quare ſectari illam debent, qui vel coguntur crebrius uti lacte, vel aliud alimentum non habent.

XIX. Sed nec cibo hoc medicamentoſo oportet nimis frequenter uti. Utenim Sethi monet, gignit bilem atram, ab ſumpto ſero, quod ſanguini pro vehiculo fuit: Hoc fit in primis in bilioſis. Ideo cum Paſino lego apud Serapionem *Cholericis* pro *Colicis*. Idem metuendum illis, qui in Colicis, Ileoſis, Strangurioſis, in defectu menſium, &c. parant ſibi conſuetudinem talem. *Oleum de mentha* ſimplex poteſt, quod planta ſua. Et quidem de Mentha.

XX. De *Calamentha* hoc tantum moneo verum eſſe, quod calidior ſit, ut dixi & usque ad 4. gradum. Falſum tamen non eſſe, alicubi Menthæ parem eſſe in acredine, amarore, & ſuavitate odoris. Tu lege caput ipſum Galeni de Calamentha, ut perſuadearis, Nihil quidem aliud eſſe, quàm Menthaſtrum: ſed facultates non omnibus locis aſcendere ad ſummum illum caloris gradum.

XXI. Hac in re mecum ſunt, qui partes corrodentes non æque evidentes guſtu eſſe concedunt. Hoc ipſum ſerviat tibi ad judicium de locis Galeni parallelis. Videtur enim alicubi labaſcere, ut jam ſupra innui. Et quia Calamentha noſtra uſualis longiſſime diſcedit à Menthaſtro Galeni, tui erit laboris conſulere & odorem & ſaporem.

XXII. De *Nepeta* valde proba apud me eſt Tragi ſententia, Meliſſæ viciniorem eſſe quàm Menthæ. Hujus magnus apud nos uſus in inſeſſionibus ad muliebria. Imo decoctum non minus utile, eſt, quàm Meliſſæ in ſuffocatione uterina. Idem in ſcabie ſingulare experimentum eſt, ſi manus illi imponatur.

XXIII. Habemus *Syrupum de Mentha* duplicem, utrumque Meſue, in quo diligenter videndus eſt modus præparandi. Eſt enim ſuccorum & Menthæ non ubique eadem proportio. In majore modo eſt Gallia, modo non eſt. Facit enim valde ingratum. Minor frequentior eſt apud nos quàm major, & eſt modo ſimplicior, modo compoſitior. In Cydoniis etiam eſt ambiguitas. Vulgo legitur *Muzorum*: & legendum eſt *Mezorum*, Italico idiomate, hoc eſt *Acido-dulcium*. Uſus utriusque eſt in frigidis ventriculis, unde ſolent eſſe lienteriæ, diarrhœæ, & alia incommoda.

XXIV. Habemus etiam *Syrupum de Calamentha* ejusdem Meſue. Cujus non valde diverſus eſt uſus, præſertim, cum loco Calaminthæ domeſticæ ſumitur *Mentha hortenſis*. Uſus tamen crebior eſt, in viſcerum frigiditate, potiſſimum lienis, in aſthmate, in antiqua tuſſi, in aliis à craſſa pituita, præcipuè in ſenibus.

XXV. Tandem habemus & *Diacalamenthes duplex*, alterum Galeni, alterum Meſue, quamvis alicubi præferatur Nicolai, quæ minus acris eſt. Suum deſcribit,

bit, parandique modum tradit Gal. 4. *Sanit. tuen.* 7. Utriusque uſus eſt in Cachecticis, præſertim ſenibus, quartanariis, dyſpnoicis, &c. ubi ventriculus flatuoſus eſt. De ponderum diverſitate videris Foëſium *in pharmacopœa.*

Caput CXLVII.

DE MERCURIALI.

I. PLanta hæc duplex eſt, *mas* & *femina*, quam comitatur hæc fabula: Oſtenſam fuiſſe olim à Mercurio neſcio quibus conjugibus, qui amore alterutrius ſexus tenerentur. Hinc ἑρμῦ πόα. Sed cur à Mercurio præ aliis? Quia apud inferos præeſt animalibus huc redituris.

II Harum plantarum altera cum ἀῤῥενογόνος cognominaretur, altera θηλυγόνος; & vero cum apud Dioſcoridem *l.* 3. *c.* 123. Theophraſtum 9. *Hiſt.* 19. Plinium *lib.* 26. *extr.* & rurſus *lib.* 27. *c.* 12 φύλλον eſſet cum iisdem cognominibus: cogitatum fuit, eſſentne eædem plantæ, an diverſæ? Crudeliores quidam de Dioſcoride mutilando conſilia inierunt. Sed obtinent illi qui diverſas plantas eſſe ajunt. Et Mercurialis quidem ubique obvia eſt: Phyllon autem ex Hiſpania petit Cluſius, 4. *Rar.* 32. quem ſequuntur Lobelius & Dodonæus: Secutus hos Bauhinus jungit.

III. Habemus in Officinis *Mercurialem utramque*, & quidem herbâ tantum, non etiam ſemine, ut apud alios.

IV. Hujus facultates conſideraturo primum omnium perpendendum eſt, Jurene in cenſu 4. emollientium ſit? Neutiquam. Jam enim conſtat numerus, Malva, Biſmalva, Brancha urſina & Violaria. Præterea, nihil habet emollientis. At vulgo imponitur clyſteribus emollientibus? Recte, ipſa licet non emolliat, ſed abſterſione juvet actionem emollientium. Habet enim, non ſecus ac beta, braſſica, alia, talia, nitroſum quid, quo alvum ſtimulat *Scheiſscraut* dicitur. Marc. Vergilius adeo effert vim illius, ut dicat, In ſua gente pro maledicto eſſe, ob nimiam ſolvendi vim. Et Braſſavola mira vacuatione ſolvere ait decoctam in pultariis ruſticis.

V. Hinc quodammodo conſtat veritas, aſſertionis Averroiſticæ, Mercurialem in purgando ſimilem eſſe Caſſiæ, Tamar Indis, & aliis, quæ principio morborum dantur ante coctionem. Si enim tam potens eſt, ut dicunt iſti, proculdubio habet amplius quid Caſſia. Intelligitur id autem ex Galeno, qui cum 13. *Meth.* 11. prohibuiſſet purgationem principio inflammationis hepatis, mox *cap.* 15. diſertè ait, & repetit *cap.* 20. In declinatione purgandum eſſe vel cnico, cum cibis ſumpto, vel urtica, vel Mercuriale, vel polypodio, omnino tali quod modicè id agat. Nimirum, licet Mercurialis, non ſit inter vehementiora, qua-

 lis

lis Colocynthis: non eſt tamen inter leviſſima illa, quæ in principio admittuntur. Galenus enim conceptis verbis prohibet.

VI. Tale eſt, quod 5. *San. tuen.* 9. de eodem negotio legitur. Agens enim de cura ſenum, & quo modo ſit illis alvus laxanda, ſi ſubſiſtat: quotidie, ait, oleo utantur ante cibum, aut oleribus ex garo, aut ficubus, aut prunis Damaſcenis, nullo autem modo aloëticis, quæ nimis ſiccant. At, inquit, ſi hæc ſint leviora, & venter jam per biduum adſtrictus, Mercurialem herbam dato in ptiſana, aut braſſicam marinam, aut cnicum, aut horum aliquod. Nimirum, quia ſeparat heic à ficubus & prunis, oportet quid amplius habeat.

VII. Notandum, quod Galenus dat utrobique cum cibo, quod feciſſe videtur exemplo Hippocratis, cui purgatio per Mercurialem fuit familiaris. Nam 2. *de Morb. num.* 12. coquit in aqua, terit, colat, & cum ptiſana dat, ter in die. Sed alterum, de vi (inquam) purgandi vehementiori, docuerit aliquis *ex* 7. *Epid.* ubi dicit de Andrea, ſexto die datam Mercurialem bene purgaſſe, ſed tamen ſeptimum fuiſſe graviorem.

VIII. Hinc Valleſius colligit, intempeſtivam fuiſſe purgationem, quæ crudos humores fecerit rebelles. Si hoc, Mercurialis non eſt in numero benedictorum, quæ vocantur. Nam & ſuccus ille viroſus, quo, Pena authore, abundat, & vites inficit, ut de Fuchſio habemus, ſi copioſior ſit in vineis, contrà teſtatur.

IX. Sed quid purgat? Bilem & aquam, inquit Dioſcorides. Quod iterum argumento eſt, non eſſe inter leviſſima. Sed & hoc vires ejus intendit, quod errhinon eſt, apud Averroem. Et hoc, quod Hippocrates *lib. de ſterilibus*, tam frequenter utitur ad ciendos menſes in peſſo, in potu, in fotu ad alia, quæ Plinius collegit *lib.* 25. *cap.* 5.

X. Proinde, dubitarit etiam aliquis de gradu primarum qualitatum, quem Dodonæus illi tribuit, cum ait, non excedere 1. caliditatis & ſiccitatis. Hoc videtur accepiſſe ex Averroë. Ego vero audio heic Braſſavolam, qui in 2. collocat, quia ad ſenium talis eſt. Hoc autem illorum eſt, quæ ad 2. adſpirant. Confirmat hoc Galenus qui 7. *Simpl.* dicit, in cataplaſmate admotam digerentis eſſe facultatis. Fortaſſis igitur in medio ſecundi eſt. Sed quid de fœcunditate, de qua in veſtibulo? Vide Camerarium filium *in Horto*, & patrem 8. *Problem.* 9. Sunt putridæ ſpes.

XI. In Gallia, ut intelligo, uſitatus eſt *Syrupus ex ſucco Mercurialis*, qui ℥ iiij. pondere, purgare dicitur bilem & ſeroſos humores. Mel Mercuriale habent Colonienſes, ubi vide.

XII. Quæſtio eſt, an Mercuriali hortenſi ſubſtitui poſſit ſylveſtris? Ita. Vide Cordum 1. *Hiſt.* 80. Penam, *Adv. f.* 100. Cluſium *in Rar. loc. cit.*

CA-

Caput CXLVIII.

DE MESPILO, ET SORBO.

I. ΜΕΣΠΙΛΟΣ, ὁ καὶ ἡ, arbor eſt, μέσπιλον, fructus. Hic fructus creditur fuiſſe appellatus antiquis ἐπιμηλὶς, quamvis vox mirimodis corrumpatur in ἀπομηλὶς, ἀμαμηλὶς, ὑπομηλὶς ὁμομηλὶς. Mihi non liquet, quæ ſcriptura ſit vera: videtur autem diminutivum eſſe ἀπὸ τῦ μῆλον, cum *pomum* ſignificat. Huc me permovit Galenus *in Gloſſ.* qui tamen diverſos facit fructus, & propterea alterum habet in A, alterum in E. Apud Dioſcoridem duæ ſunt ſpecies, quarum altera ἀρώνια dicitur, oxyacanthæ folio: altera ἐπιμηλὶς ἢ σητάνειος. Veram hanc eſſe ſcripturam, oſtendit τὸ σῆτες Atticum, ut ſit veluti πυρὸς σητάνεος, *triticum hornum*, quod τρίμηνον etiam dicitur, *Sommercorn*. Apud Theophraſtum & Plinium triplex eſt, ἀνθηδὼν, ἀνθηνοειδὴς, καὶ σητάνειος. Ego utrique parum tribuo: illi, quia tribuit τοῖς περὶ Ἴδην: huic, partim, quia exſcribit, partim, quia *Unedonem* (penultima correpta) arbuti fructum appendit. Galeno etiam dicam dicit Cordus & alii, quod & nomen & facultates diverſorum fructuum confuderit.

II. Quicquid ſit, fructus Meſpili vulgaris, non tantum menſis ſecundis miſcetur conditus ſaccharo, melleve, ut & ſuccus in quibusdam Officinis eſt. Tum verò oportet exprimere, antequam fiat edulis ſeu morbidus. Uſus vero etiam eſt oſſiculorum, quæ *Semina* vocantur.

III. In facultatibus opus eſt cauto. Sunt enim qui Galenum recuſant amplius, quód Meſpila cum Arbuto confuderit. Meſpila enim, inquiunt; immunia ſunt à vitiis, quæ tribuit ipſis. Alius confuſionis reus eſt Serapio cum Sorbis. Non tantum idem cælum, idemque ſolum volunt, ut Tragus nos erudit: ſed & qualitates habent adeo vicinas, ut Galenus 2. *Alim.* 45. conjunxerit, hac tradita tantum differentia, quod ſorba ſint ſuaviora meſpilis, minus adſtringant, ideoque cibo ſint aptiora. Revera, ut eſt *in lib. de vict. atten.* 10. Meſpilis in ſanitate nemo utitur: ſed tum tantum, cum alvus eſt fluidior. Nimirum, licèt illa dicta ſint de Pazarolis (vox eſt Arabica, linguæ Italicæ adſcripta) conveniunt tamen etiam noſtro fructui. Non minus enim κακοστόμαχος eſt, niſi recte utare. Rectus uſus ex Iſaac eſt, ut ſit pro medicamento, non pro alimento. Imo ex Gal. *de Cibis* 11. Meſpilis, ad ſanitatem nemo utitur, niſi alvus ſit fluidior.

IV. Hoc qui contemnunt guloſi apud Bruyerin. 11. *Cib.* 21. experiantur alvi ſtuporem. Et quoniam quo immaturior eſt fructus, eò adſtringentior (ideo in Unguento Comitiſſæ poſtulantur meſpila immatura) operæ pretium eſt conſiderare, quousque progreſſa ſint. Quia enim matura ſecundum Sethi, participant aliquid caliditatis, proculdubio etiam minus adſtringunt.

V. Quia etiam multiplex eſt hujus fructus mangonium, videre oportet, annon ab inſitione acquirant majorem, quam a natura ſua habent, adſtrictionem. Quæ enim inſita fuêre Cydonia, proculdubio amplius ſtringunt. Forte autem talia

meſpila ſunt albidiora, & majora, ut Scaliger habet contra Cardanum. Eadem ratio eſt, ſi pyro ſylveſtri, aut Cynosbato, ut Tragus. Horum violentiam corrigit diligentior coctura, 3. *Alim.* 32.

VI. Hoc conſilio condiuntur, quæ in calidis alvi profluviis, in debilitate ſtomachi quadam, præcipue in gravidis, ſuum habent locum. Eam in rem accipiuntur minus matura, certe non morbida, ut eſt apud Pallad. *in Martio.* Fuerint talia, quæ jam à matre veniunt, in qua nunquam matureſcunt. Et hoc eſt apud Dioſcoridem βραδέως πεπαίνεσθαι. Propterea legere oportet, ſerena die, & extendere ſuper ſtramine, ne ſe tangant, & ſinere. Hinc proverbium apud Italos: *Col tempo, è colla paglia ſi maturano le neſpole.*

VII. Cujus occaſione referam & id, quod apud Muretum legi 9. *Var. lect.* 13. Cibum eſſe tam deſpectum apud eosdem, ut ſi ſignificare velint multa & magna ad hoc requiri, dicant, *longe aliis opus eſſe quàm meſpilis.* Atque hoc eſt ſetanium apud Plautum *in Trucul.* ſcil. ult. *Vilis & parvi pretii cibus.* Ubi leviter vello auriculam Taubm. noſtro, non eſſe perinde, *ſetanium* ſcribere, & *ſitanium*. Eſt enim, ut dixi, ἀπὸ τῦ σήτος. Eundem, ſi opus ſit, moneo, non eſſe Sarſinati ſermonem de panibus σιτανίοις, ἀπὸ τῦ σίτου: ſed de hoc genere Meſpilorum, ut Muretus indicat.

VIII. Sed hoc levidenſe eſt. Noſtræ rei eſt, quis ſit uſus ad ſiſtendam alvum? Quo fere trahunt condita, eo tempore quo virides haberi non poſſunt. Iſaac inquit, ut ante alios cibos edantur. Quod ut verum eſſe credo: ita falſum non eſt, poſt cibum ciere, niſi falſus ſit Galenus 2. *Alim.* 22.

IX. Hac de re dubito, quomodo urinam ciere poſſint, quod Iſaac affirmat, cum Avicenna neget. An in renum debilitate ſit? Ita in calculoſis ſæpe renes in cauſa ſunt. Hoc fine dari ſolet pulveris oſſiculorum cochlear, in vino, in quo petroſelinum bullierit. Vide Braſſavolum *Exam. Simpl. f.* 239.

X. Sed quale alimentum dant meſpila? Proculdubio paucum & craſſum, ut Iſaac docet.

XI. Qualia ſunt in qualitatibus primis? Idem Iſaac frigida & ſicca eſſe ait. Braſſavolus diſtinguit, Matura ad 2 gradum aſcendunt: immatura ad 3. Uſus eſt aliquando in inflammationibus faucium, repellendi gratia. Galenus utebatur ſucco, in doloribus capitis calidis, permiſto oleo roſato, perinde ut ſucco granatorum ſolet, & Cydoniorum 2. κ. τόπ. 1. Uſus etiam eſt in ſiſtendis menſibus facto inſeſſu. Tum vero & folia addi poſſunt. Eorumdem pulvis uſurpatur in recentibus, qui egregiè glutinat. Eadem in cruentis ſputis in dyſenteria quadam locum habent. Et hæc de Meſpilo.

DE

DE SORBO.

I. UT pauca: ὄη ἡ οὔη Græcis eſt arbor, ὄον ἡ οὖον fructus, perinde ut ibi. Et quemadmodum *Meſpilus* eſt duplex: ita *Sorbus* quoque, *Mas & Femina*, quarum hæc ſola fructum fert, alicubi orbiculatum, alicubi oblongum. *Torminalem* noſtrum cum Cæſalpino & Bauhino ad *Ariam* refero. Galenus 8. *Simpl.* ut & 2. *Alim.* 25. cum Meſpilis comparat in facultate aſtrictoria, & debiliora eſſe ait Sorba. Habentur in Officinis utraque condita pro fluxibus alvinis, licet, &c.

Caput CXLIX.

DE MEO.

I. MHON (corruptè, ut puto, μεῖον) *Meum*, & in Officinis *Meu*, *Mu*, herba eſt notior nomine quàm re. Qui enim ſuperiori ſeculo negotium hoc tractarunt, in diverſas partes abierunt, cum quidam *Meum* dicant, quod *Meum* non eſt: quidam *Meum verum* ſub aliis nominibus occultarent.

II. Meum non eſt.
I. Imperatoria ſeu magiſtrantia ſupradicta.
II. Angelica ſupradicta.
III. Seſeli Maſſilienſe Anguillaræ, quod eſt Seſeli Maſſil. fol. fœnic. Bauhini.
IV. Daucus Creticus Cæſalpini & Lobelii. Daucus 1. Matthioli. Daucus folio fœniculi Bauhini.
V. Lib. 1. Matthioli. lib. ferulæ fol. Bauhini.
VI. Olſenich. Cordi, Thyſſel. Plin. Apium ſylv. ſucco lacteo Bauhini.
VII. Muttellina Geſneri. Meum Alp. Bauhini.

III. Contra Meum eſt.
I. Tordylon, vel Tordylion Cordi, Meum folio anethi Bauhini.
II. Daucus I. ſeu Creticus Tragi.
III. Seſeli Creticum Fuchſii.
IV. Anethum ſylveſtre Offic. majus Bauhini.
V. Fœniculum porc. Offic. Peucedan. Germ. Bauhini.
VI. Fœniculum tortuoſum Offi. Seſeli Maſſil. Bauhini, Cluſii, & Lobelii.
VII. L'Imperatrice, ſeu la ſpicara Apul. Aqu. quæ eſt Meum I. Bauhini, contra quam diu pugnavit Matthiolus, ideo vexat eum Pena.

IV. Hac in re ut certi quid ſit, oportet præ oculis habere notas Meo datas, & diſpicere, an non pleriſque contigerit, quod fabula ait, Aſinum quæſiſſe, cui inequitabat. Ait I. Dioſcor. ὅμοιον eſſe καύλῳ, καὶ τοῖς φύλλοις ἀνήθῳ. Heic apud quoſdam plus potuit, quam fas eſt, auctoritas Plinii. Is enim loco Anethi

habuit aniſum. Inter autem utriusque folia cum ſit diſcrimen ὀξιόλογον, cœpit res obſcurari. At vero quia & vires & uſus Mei apud Plinium corruptus eſt, ut Cornarius loquitur, totus locus fit ſuſpectus. Debebat lectioni Dioſcoridis vulgatæ plus tribui, quia & Serapio ita legit.

Huic ſubſervit, quod antiquitus tam celebris fuerit comparatio Mei cum Anetho, ut Meum diceretur Anethum. Fœniculi eſt eadem eſt ratio. Matthiolo qui Aſparagum præ ſe fert, Pena recte objicit ſenſum. Sed & Matthiolus Aſparagum cum Fœniculo comparat. II. Inquit Dioſcorides πάχύτερον δὲ τȣ̃ ἀνήθȣ, διπηχὺ πȣ̃ ἀναβαῖον. Reſp. Pendet varietas ex loco natali. Et ſcribit hoc Cæſalpinus de Italico ſuo. Quin τὸ πȣ̃ ſubindicat. III. Ait Dioſcorides: ταῖς ῥίζαις ὑπεσπεϱμένον λεπϊαῖς πλαγίως, καὶ εὐθείαις μακϱαῖς. Hoc ipſum Dodonæus de noſtro dicit, fere iisdem verbis, ut alio teſte non ſit opus IV. Addit εὐώδεσι. Hoc Cordus amplificat, *Supra modum acri, ſuavi & aromatico, & tamen gravi odore nares opplent.* Hic odor ſi Matthiolo jucundus non eſt, non habeo amplius quod dicam. Sed & ipſus fatetur, Dioſcoridem agnoviſſe quid minus gratum, cùm κεφαλαλγεῖς vocet. V. Ait idem, θεϱμαίνȣσαι τὴν γλώτϊαν. Hoc iterum Cordus, *Sapore vehementer tenui, aromatum ſimili, & jucundo, quæ minima doſi longo tempore guſtum & olfactum obſident.* Hoc ſi in Germania eſt, quanto magis in calidioribus regionibus? Si Matthiolus hoc non obſervavit, habuit forte carioſas, & vietas. Hinc concluſionem paro, Habemus verum Meum, nec opus eſt alio.

V. Interim cura eſt opus, ne decipiamur.

VI. Ex odoris & ſaporis proprietate dicta judicat Serapio calidum & ſiccum eſſe in 2. gradu. Avicenna in 3 Hal. accuratius, calidum in 3. ſiccum in 2. Gæc. diſſonantia ſolet eſſe à ſolo natali.

VII. Habet autem radix, non ſecus ac Mentha humiditatem quandam excrementitiam, qua ad caput lata eſt κεφαλαλγὴς, ut prædixi. Unde intelligitur, non adeo frequentem debere uſum ejus eſſe, in iis præcipue, qui aut voverunt caſtitatem, aut alias Venere uti non debent. Qua enim vi agit illud, eâ agit hoc quoque.

VIII. Ex ſua eſſentia inſigne eſt deobſtruens in cauſa frigida (unde eſt cachexia, decoloratio, menſium reſtagnatio) in flatibus. Atqui ipſa etiam eſt flatuoſa? Sed per accidens. Avicenna igitur in aceto macerat per aliquot menſes.

IX. Platearius, ſi non adſit, aut ſit evanida, Valeriana utitur. Ego Angelica aut Imperatoria utar, in quibus excrementitium illud non facit nobis negotium.

CA-

C a p u t CL.

DE MILIO ET PANICO.

I. Κεγχρος apud Græcos dubium eſt, ὁ καὶ ἡ, ut pleræque plantæ, & eſt ab illo potius ἡ κεγχραμὶς in faucibus, quàm contrà. Milium dirivat Feſtus ἀπὸ τῦ *Mille*, quod fieri poteſt. Panicum eſt ἔλυμος ἡ μελίνη. Veteres non deſcribunt milium peculiariter, ſed ex iis, quæ ex Theophraſto & Plinio congeſſit Cæſalpinus *Hiſt.* 51. facile eſt judicatu, quod habemus, verùm eſſe milium. Utimur albo ſolo. Nigrum pro vitioſo habetur. Congener eſt & foliis & ſpica Panicum, Sorgi, & *Schwaden* noſtrum. De Maiz Indorum dubito.

II In facultatibus conſentiunt Galeno Arabes, frigidum eſſe in 1. ſiccum in 2. Extra oleas eunt Marc. Vergilius & Amatus, qui ad 3. frigiditatis gradum perveniunt. An patrocinium ſibi parare poſſunt ex Hippocrate, qui 5. *Epid.* 6. *t.*33. habet inter cibos frigidiſſimos? Sed ſatis eſſe debet unicuique Galeni authoritas, qui σαφῶς refrigerare negat. Poſſunt in ſubſidium vocare Galenum ipſum, qui 4. *Acut.* 113. eodem modo ſiccare ſcribit, quo refrigerat. Reſp. Verba non tolerant. Hoc autem volunt, milium, in cibo uſurpatum, ſatis manifeſtè ſiccat, quemadmodum etiam refrigerat. Elicio autem ex illo σαφῶς, frigidum eſſe in fine 1. gradus, quamvis non diffitear varietatem eſſe ratione natalium, 1. *Alim.* 15. *ult. verbis.*

III. Sic etiam, eſſe in fine 3. perſuadet mihi incorruptio ipſius. Si enim debito modo (docet illum Varro 1. *rei Ruſt.* 57.) condatur, durare poteſt ultra 100. annos, cum triticum 50. tantum. Hanc rem valde juvat denſitas & durities corticis, de qua Theophraſtus 4. *Cauſa* 2. & 16. Eſt autem hæc ſiccitas ab igne potius quàm à terra. Quam ob rem Galenus ait *loco citato* habere aliquid tenuitatis, ob quam etiam leve eſt præ aliis frumentaceis. Hunc ſiccitatis gradum confirmat, quæ huic apponitur, viſcoſitas & lentor, tam alienus à milio, ut cum omnis paſta ſit lenta, miliacea non ſit teſte Galeno 2. *Loc. aff.* 8. Licet autem appareat talis, quando cum multo liquore teritur, ut 1. *Alim.* 12. idem Galenus ait: ſubito tamen atque abſumptus eſt liquor, maſſa, & præcipuè panis, fit friabilis, ut experientia docemur. Hinc Galenus *in de Simpl.* ſcribit, ob friabilitatem vix uſurpari poſſe in cataplaſmatis. Confirmat eundem gradum, quod milium ſatum contra omnes tempeſtates durare poteſt, & ſi reliquarum frugum ſterilitas ſit, milii non ſit. Ideo maximum famis remedium dicitur. Ita ubicumque alia legumina non proveniunt, ibi lætum eſt milium, ut ex Strabone *lib.* 4 docent quidam. Hanc ſiccitatem norunt pharmacopœi, qui medicamenta quædam milio ſepeliunt. Norunt & matres familias, quæ per æſtatem carnes. Propterea tanta milii gratia eſt in fomentis ſiccis, verbi gratia, in pleuritide, in qua ſemper oportet ab eo ordiri curam, ut ex 1. *Acut.* 6. Practici docent. Ita in affectibus capitis quibusdam valde ὑποστηνὲς eſt διὰ τὴν κουφότητα. Hæ duæ voces ſunt apud Hippocratem, & laudat Gal. 2. κ. τόπ. 2. His accedit cauſa alia, quod

quod ſiccat ſine morſu, *Simpl. loc. cit.* cùm ſali, qui illi aliquando vicarius eſt morſus adſit.

IV. Hinc illa ſunt verba Galeni 2. *ad Glauc.* 6. τὸ πυρίαον διὰ κέγχρων eſſe ἀλυπώτατον τοῖς ὀδυνωμένοις. Et 12. *Meth.* 8. de doloribus aurium & oculorum in febribus agens, fomentum ex milio inſtituit, quod id omnium leviſſimum ſit (ita loquitur) & maxime ſiccans, quodque ab eo defluit, innoxium, experſque morſus. Nimirum quemadmodum fere in univerſum fomenta ſicca præferuntur humidis 3. κ. τόπ. 1. ita inter ſicca milium. Accedit, quod non raro locum habet fulcri ſeu ſtabilimenti, *Fract. ult.* Eſt enim periti artificis, ut ſæpe loquitur Galenus de Natura, uno inſtrumento uti ad plura. Hoc fine milium ſacculis incluſum, cum furfure & ſale in doloribus, qui ſunt à cauſa frigida, præcipue è capite defluente ad articulos, ad muſculos pectoris, in pleuritide notha, in colicis, in flatibus, hypochondriacis & uterinis.

V. Proceſſus hic eſt, Frigimus primum in ſartagine manipulum furfuris, vel ſalis, vel utriusque: quibus bene calidis, & tantum non ignitis ſuperaddimus tantum milii, quantum locus affectus requirit. Secus ſi fiat, amburit milium, & fœtorem excitat moleſtiſſimum. Edit hunc effectum, non milium ſolummodo integrum, ſed & κυϐήρια, aut ut Henricus Stephanus legit κυρήϐια, ut eſt apud Hippocratem *lib.* 2. *de diæt. num* 8. apud Marinellum. Sed quid ſunt? Plerique ſunt in ea ſententia, eſſe paleas & furfures: Ego qui ſcio ex Heſychio accipi etiam pro farina miliacea, hanc intelligo. Tam enim ſtrenuè ſiccat, ut uſus ejus quondam fuerit in vulneribus capitis, ad meningas usque penetrantibus, ut videre eſt 2. κ. τόπ. 1. dol. cap. ex plaga. De voce ipſa conſulueris dictum Stephanum, aut Foëſium *in Oeconomia.*

VI. Fortaſſis hoc monendum eſt, ne utamur in colicis illis, qui ſunt ab induratis ſcybalis. Rationem videt quilibet. Et hoc, tali uſu ſiccare quidem, ſed non refrigerare Cum enim caleat actu, potentur diſcutit, cum calorem quidem, ſed non refrigerare. Cum enim caleat actu, potenter diſcutit, cum calorem quidem facile recipiat ob tenuitatem: Diu autem retineat, ob denſitatem. Tu hinc intellige majus periculum, in hoc paſſu, ut ita dicam.

VII. Jam tempus poſtulat, ut dicam in uſu cibario quid faciat? Cum tantopere ſiccum ſit, non poteſt non fieri, quod Hipqocrates ait *l. c.* ςάσιμον εἶναι καὶ μὴ διαχωρέειν, *ſiſtere ventrem & tarde deſcendere.* Hoc facit in ſanis, & præcipuè natura ſiccis, quales ſenes ſunt, 5. *Sanit. tuend.* 8. At in iis, qui humidioris ſunt alvi, bene facit, 1. *Alim.* 15 *atten. vict.* 7. 6. *Simpl. c. de Panico.* Hoc norat etiam Hippocrates, qui 2. *Epid.* 1. *t* 24. apud Valleſium inquit, *Milium ſolidum ſiſtit crudos & humidos ſeceſſus.* Ubi eruditus commentator, Non præſtare hoc ait in quibusvis alvi fluxibus: ſed iis tantum qui ſunt à cruditate, ob debilitatem retentricis. Qua in re præſtaret (addit) farinam potius dare, aut etiam ſubſtituere orizam, in jure carnium aut oleo coctam. Et hoc eſt, quod Galenus ait 1. *Acut.* 18. Milium non dari in acutis, niſi ob quosdam ventris morbos.

Sunt

Sunt autem hi, non alii, crudæ (inquam) diarrhœæ. At Hippocrates 2. *de Morb. num.* 12. cum cucurbita & beta numerat, cibis, (ut poſtea loquitur) mollibus, & facile alvum ſubeuntibus? Revera non eſt ita, ſi locum recte inſpicias. Quod enim ad milium, jubet illud delingere: hoc autem eſt in forma eclegmatis uti, qualis in morbo capitis tali, quo de agit, non eſt inconveniens, ſiccandi ſcil. gratia. Tamen, ne quid celem, valde hoc urget apud me, quod paulo poſt, *num.* 19. in dolore capitis bilioſo cum febre dat milium tenue cum modico melle. Amplius, quod *num.* 22. in obmuteſcentia ex ebrietate, poſtquam æger ad ſe rediit. Item *numero* 36. datur iterum milium tenue, aut ptiſſanæ ſuccus. Qui modus loquendi etiam eſt *lib. de affect. num.* 39. poſt ſumptum purgans in febre.

VIII. Ut paucis me abſolvam. Mihi alterutrum ſubolet, aut menda ſubeſt, aut non ſunt iſta Hippocratis. Et quid eſt κέγχρος λεπ͂λὸς? An legendum eſt χόνδρος λεπ͂λὸς, & intelligendum eſt de tertio alicæ genere, quod *minimum* vocat Plinius, *lib.* 18. *cap.* 11. & poſtea *Cribrarium*? Hoc quia optimum erat, veriſimile eſt non ſimpliciter ita fuiſſe vocatum. Quare *eodem lib. de affect. num.* 42. Χόνδρος jungitur cum ptiſſana triticea, & manet id, quod dixi, Milium ſiſtere alvum, & quidem ſiccando, non adſtringendo, quod Herodotum (quem refutat Galenus 1. *Simpl.* 32.) voluiſſe credibile eſt, & quod quidam *ex 6. Simpl. cap. de Panico*, deducunt, ubi pro ψύχει male legitur ςύφει. Eſt autem error vetuſtus, qui Serapioni quoque adhæſit, à quo deceptus eſt Matthiolus.

IX. Sed quomodo urinam cit, quod eſt apud Dioſcoridem? An per accidens, cohibita alvo, *ex* 4. *Aphor.* 83. Quod de Meſpilis etiam olim ſuſpicatus ſum.

X. Qnicquid ſit, intelliguntur ex his duo. *Alterum* faciliſne an difficilis ſit coctionis milium? *Alterum*, quale præbeat alimentum? Galenus hac de re agens 1. *Alim.* 15. *de vict. atten.* 7. *de Cibis* 7. cum Panico comparat, ſed adeo præfert milium, ut abſtinendum ſit à Panico, minus enim malum eſt, cum quod ſuavius eſt, & felicius concoquitur & magis nutrit. Tu ſcito, quoſdam hoc totum invertere, & Panicum præferre, qua de re videris Paſinum *in Matthiolum*. Qua in re ut non facile conſentio: ita video omnia comparatè eſſe accipienda. Revera, milium ob ſiccitatem difficillime coquitur, & flatulentum eſt: poſtquam concoctum eſt, nonniſi craſſum & melancholicum limum generat. Ideo recte Iſaac, non eſſe edendum ab iis, qui carnes ſuas augeri volunt, & omnino ab iis, qui ſanguinem laudabilem expetunt: ſed iis, qui quærunt refrigerationem ſtomachi, & confortationem, humorumque ſuperfluorum exſiccationem.

XI. Hoc imprimis ſit à pane miliaceo, qui dulcis eſt, ut Plin. loquitur, ſed κραῦρος καὶ ψαθυρὸς, ut Galenus, *valde aridus & friabilis*, *arenæ aut cineris inſtar*, qualia etiam ſunt excrementa inde genita 3. *Prorrh.* 24. Nihil enim lentoris habet panis ille, niſi dum calet à fornace, quomodo in Italia vendunt piſtores cum elogio, *Bucellai caldi*, *caldi*. Tale quid fuiſſe olim quoque probaris ex Columella 2. *Agricult.* 9. Ut hoc addam non poſſunt illi pinſere, niſi ferventiſſimam affundant aquam.

XII. Hoc mali minus habet puls, præſertim ſi cum lacte paretur. Tum enim cibus fit tanto præſtantior, quanto lac eſt præſtantius milio, ut cum Galeno loqui licet *in de Aliment.* Hoc modo comediſſe olim Sarmatas, licet lacti (quod equinum tantum habebant) aliquando miſcerent ſanguinem, è cruribus equorum emiſſum, ut author eſt Plinius. Hoc modo comedunt hodieque, ut ſcribit Bruyer. ex fide illorum, qui apud eos peregrinati ſunt.

XIII Quibusdam Germaniæ regionibus, placentæ fiunt cum lacte, quæ magni fiunt à plebecula. Ex eadem pultes parant, cum ſplendidiſſime vivere volunt, cum ſaccharo Thomæo dicto. Ruſtici Aſiani cum multo oleo conficiebant, aut adipe, laridove, ut Galenus memorat. Ita enim illi corrigebant ſiccitatem ipſius.

XIV. Sed ſatis de uſu cibario: redeo ad pharmaceuticum. Licet ex his quodammodo judicare, quid egregii præſtare poſſit milium, antidotis impoſitum. Ut non nego poſſe aliquid, ſi, quod ex Plinio affertur, foris applicetur cum farina in vulneribus τῶν ἰοβόλων: ita non video, quid integrius præſtet pigra illa ſiccitas, etiam additis, quæ deducunt illam. Sed & exempla quæ afferunt, nihil valoris habent. De Theriaca Antiochi Dalecampius monet *in Plin. lib.* 20. *cap. ult.* apud Galenum 2. *Antid.* 14. pro *Milio* eſſe *Meum.* In altera, quæ ad Plinium Val. refertur, neque *Milium*, neque *Meum* eſſe, obſervat idem Delecamp. Idem judicium eſto de Antipatri Theriaca 2. *Antid.* 10. Quis enim ex veteribus novit *Milium ſylveſtre?* Hinc adeo (credo) aſteriſcum habet in quibusdam codicibus. Nec hilum proficit Anguillara, qui *Iſchemum* Plinii producit in ſcenam, Multo minus Cluſius, qui *Iſchæmon* jubet eſſe graminis genus illud, quod d. ab initio *Schwaden* fert. Voluntaria enim ſunt omnia.

XV. Non nego tamen, Syrupum de milio, quem D. Gregorio tranſcribunt in Italia, multum poſſe, præcipuique uſus eſſe apud eos qui ſumptus non tolerant, in paralyſi, catarrhis frigidis, omnibus, quæ per ſudores continuatos curantur. Spes eſt in illa partium tenuitate, de qua dixi, quam facile deponit in aquam.

XVI. De panico congenere ſubjiciam tria verba, ex Galeno. *Exſiccat & parum alimoniæ dat*, 6. *Simpl. Eſt pravi ſucci. Vict. atten.* 7. *Damnatur in totum*, *de Cib.* 7.

CAPUT CLI.

DE MILLEFOLIO.

I. APud Dioſcoridem duæ ſunt voces, μυριόφυλλον, καὶ χιλιόφυλλον, Nec refert in incertare, mille potius an decemmillia folia numeres.

II.

II. Verumenimvero in plantis ipſis, ut & cognominibus ipſarum, tanta eſt diverſitas, quanta ullibi eſſe poteſt. Hinc non eſt μυριόφυλλον ἀχιλλήιον, tantarum virium, quantarum Achilles fuit: σιδηρῖτις (μυριόφυλλος) ut cum ferro contendi poſſit: στρατιώτης, ut cum milite fortiſſimo. Rurſus, heic Coriandri folia invenias: heic marrubii, heic ſempervivi: heic cumini ſylveſtris. Vidi Dioſcoridem *l.4.c.29. & ſeq.* & poſtea *c* 92. & 110. apud Matthiolum. Hæc contuliſſe cum Plinio *lib.25. cap.5.* ingens labor ſit.

III. Ego hoc præſuppoſito, Millefolium habere folia multipliciter diviſa, divido cum Bauhino *in Phytop. & Pinace.* interreſtre & aquaticum. Ex his in Officinis venit ſolius terreſtris ſpecies altera cum differentiis florum ſeq. *Garb*, *Garbcraut*, *Schaffgarbe.*

IV. De facultatibus pleriſque omnes ſunt ſecuri, cum res non careat magnis difficultatibus. Si Dioſcoridem conſulas, de Achill. Stratiot. & Myrioph. invenies, illum tribuere omnibus tribus eandem vim adſtringendi & refrigerandi in vulneribus recentibus, in nimiis menſibus, in dyſenteria, in aliis. Apud Gal. 8. *Simpl.* non valde aliena offendes. Nos, ſi conſulamus linguam & nares noſtras, fatebimur oportet amarorem & acrimoniam illam, cum odore aromatico conjunctam, præſertim in millefolio minore Cordi, itemque nobili Tragi animadverſam, in illa eſſe planta, in qua dominentur elementa calida & ſicca. Accedit, quod recentior obſervatio docuit, Millefolium noſtrum tantum abeſſe à facultatibus hæmorrhagias ſiſtendi, ut etiam cieat. Tam etiam vehemens eſſe diureticum ut diuturniore uſu cruentas urinas pariat. Vidit hoc Tragus. Ideo contrariis, & mirandis viribus præditum eſſe ait. Quod non eſt ſatis. Si enim heterogeneæ ſunt partes, dic utræ prævaleant.

V. Ne longius abeam, videtur mihi diſtinctione opus eſſe, non omne millefolium, quovis loco natum, facit idem. Propterea aliud guſtu acerbum eſt, cum amarore tantillo, quod proculdubio frigidum eſt. Quare jam non poteſt ſimpliciter reſponderi ad quæſtionem, quale ſit, in primis qualitatibus? In activis quoddam eſt calidum ad 2. gr. quoddam eſt in 1 ut frigidum dici poſſit: in paſſivis omne eſt ſiccum, non infra 2. gr. definitore Braſſavolo. Quod acerbum eſt, proculdubio habet inſignem illam vim glutinandi, quam Chirurgi prædicant. Si enim recenti vulneri herba tuſa imponatur, tam apte glutinat, ac ſi acu ſutum eſſet, ut ſcribit Tragus. Hoc accidere puto, quia arcet inflammationem.

VI. Tale millefolium in nimiis menſibus viride impoſitum, ſecretum eſt mulierum, ait idem Tragus. Eſt autem hoc ex Achilléa Dioſcoridis, & accommodari poteſt hæmopthyſi, gonorrhœæ, profluvio muliebri, &c. in decocto, in pulvere, cum aliis huc pertinentibus. At vero ſi hoc ipſum acerbum millefolium adhibere voles curandis internis vulneribus, diſſolvendis grumis, lumbricis necandis, torminibus ſedandis, quæ certa experientia comprobata eſſe ait Tragus, Falleris. Contra, ſi amarum illud uſurparis, videbis abductione ſeri ad urinas multum effici. In diſſolutione thromborum odoratiſſimum & acerrimum ha-

bet locum. In lumbricis, niſi amaror ſit valde evidens, nihil fiet. In colicis, quod vel leviter adſtringit, nocet. Idem judico, de dentium dolore, in quo folia commanducata laudantur. Quod ſi millefolium ſit odore & ſapore matricariæ, quod de ſuo ſcribit Pena, non difficile fuerit judicium ex ſuperioribus.

VII. In peſte quod & quale Mille folium requiratur, non eſt obſcurum. Quod enim amarum eſt, & aromaticum, præfero pilulis peſtilentialibus, propter effœtam noſtram myrrham. Idem, non vero acerbum illud, in emplaſtris mundificantibus & abſtergentibus uſurpabitur. Acerbum, cum conſolidandum eſt. Hinc pendet uſus Syrupi è ſucco Millefolii.

MOMORDICA. Vide BALSAMUM.

Caput CLII.

DE MORIS CELSI ET BASSI.

I. UTRAQUE appellatio eſt barbara, & ſignificat fructum arboris, quorum *alter* cum naſcatur in arbore, quæ reſpectu alterius eſt celſa: ab ignaris appellativum fuit mutatum in proprium, quaſi à Celſo, ſcriptore Medico, dicta forent. *Alter*, cum proveniat in frutice, qui reſpectu alterius baſſus ſeu humilis eſt, dicuntur ipſa quoque baſſa, Alii derivant à Græco βάτος, qui Latinis *Rubus* eſt, is ipſe ſcilicet frutex, qui fert mora, mutato βάτȣ in *Bati*, *baci*, *bacci*, *baſſi*.

DE MORO, ET MORIS.

II. EX Athenæo dicet Caſaubonus *in Athen. lib. 2. cap. 11.* μόρος per ο parvum, eſſe μόρον fructum, qui per ἔκτασιν dicatur μῶρον, quood Ovidius etiam imitatus ſit, *denſis hærentia mora rubetis*, quamvis de altero genere. Addo duo, *Alterum*, cadere hinc etymon, Morum dici, quaſi ἥκιςα μωρὰν, *minime ſtultam*, quippe quæ folia dat nonniſi ſero, & jam ſecura frigorum. *Alterum*, μόρος, ἡ, quemadmodum & συκάμινος, ἡ, & dialecto Alexandrina μορέα ἡ συκαμινέα, eſt arbor, quæ mora proprie dicta fert. Tertium ſuperaddo, συκάμινος non eſt ἀπὸ τȣ̃ σύκȣ, *ficus*. Et ridicula eſt ratio, quia morum eſt quaſi inverſa ficus. Hinc clarior fit confuſio cum τῷ συκομόρος quæ eſt *ficus Ægyptiaca*, fructum in caudice gerens.

II. Fructus noſter colore differt. Fabula ait, omnem ab initio albam fuiſſe: ſed tinctam ſanguine Pyrami & Thisbes rubere incœpiſſe

IV. Maturus venit aliquando in uſum cibarium: immaturus in officinis ſervatur.

V. Hinc patet, in inquiſitione facultatum diſtinguenda eſſe hæc, quin, ne maturam quidem eſſe ſic accipiendam. Quæ enim mora ſunt matura, cujus rei intenſus rubor, & tantum non nigror, eſt indicium, quia ſunt dulciſſima, jam etiam calida ſunt & humida apud Hippocratem 2. *de diæ. num.* 15. Iſaac & Avicenna ſed non longe ultra temperiem. Caliditatis ſignum tenuitas eſt partium, qua manus inficiunt, ut argumentatur quidam ex Plinio *lib.* 15. *cap.* 24.

VI. Damnantur à quibusdam in totum, quod corrupta in ventriculo in venenum abeant, auctoritate Galeni *lib. de Cibis* 8. Ex quo loco colligo. 1. Quæ ſit illa corruptio, quæ verbis explicari non poſſit, 2. *Alim.* 11. 2. Exemplo Galeni cautius eſſe nobis loquendum in quæſtione, illa, an venenum in corpore humano gigni poſſit? Non, inquam ego, ſed quod non longe à veneno abſit. Cur ita nobis ſit loquendum, cauſam dixi alibi.

VII. Et hæc de maturis: quæ nondum perfectè maturuerunt, licet etiam dulcia ſint, eſt tamen dulcedo vel cum acerbitate, vel cum aciditate, pro majore & minore progreſſu, & facit, ut frigida & ſicca dici debeant cum multa humiditate actuali, 4. *Simpl.* 7. Quamobrem licet & cohibere & laxare poſſint alvum: tamen hoc potius agunt, quam illud.

VIII. Et hoc eſt, quod Hippocrates ait *l. c. Mora humectant, & alvo ſecedunt.* Faciunt autem hoc cum duabus conditionibus. I. Cum eduntur ante alios cibos, quod dicunt plerique *à jejunis.* Intelligere vero oportet, non de quibusvis individuis, ſed de iis, qui quibus æſtuant viſcera, & ventriculus cum hepate ſquallet. Sed & non quævis mora id præſtant, ut quæ in Sole pependerunt, ſed refrigerata, vel refuſione aquæ frigidæ, vel in loco ſubterraneo, quod *cap.* 13. *ſeq.* de rubis expreſſè docetur. Talia non modicè refrigerando, ſed egregiè humectando, id beneficii habent. Sed & ſitim ſedant, appetitum reddunt. &c.

IX. Atqui Romani in fine menſæ comedebant? Videant Medici, ſiquidem ab iis profectum eſt, quam cauti fuerint. 2. Si invenerint ventriculum ab aliis humoribus vacuum. Niſi id ſit, morantur ibi & corrumpuntur, tantum abeſt, ut boni aliquid operentur.

X. Heic illud non inſuper habendum. Galenus *in de Alim.* ſcribit, *Mora alvum ſubducere, non ſola lubricitate, ſed vi aliqua purgantibus propria, quamvis exigua.* Hujus veriſimilitudinem venatur 7. *Simpl.* ex cortice radicis. Ob hanc, quia tota ſubſtantia contraria eſt naturæ humanæ, facilius in ventriculo corrumpi ait. Quod an neceſſe ſit, dubitari poſſit. Jam enim citæ corruptelæ cauſa eſt in promptu.

XI. Ex his intelligitur, quomodo mora ſimul ſint εὐςόμαχα, quod Diphilus ait apud Athenæum, ſimulque κακοςόμαχα, quod Dioſcorides. Si enim ſimul ſint εὐέκκριτα, quod Diphilus vult, mitigant æſtum ventriculi, capitisque dolorem inde ortum auferunt: at ſi corrumpantur, utriquè parti negotium faceſſunt.

XII. Hæc ſi admittuntur pro veris, inexplicabile apud me eſt., quo modo ſint ἔυγυλα, ὀλιγοτροφαδῆ: ſunt hæ voces apud Athenæum, & videtur illas exprimere voluiſſe Iſaac. Quin Galenus ait τροφὴν διδόναι ἐλάχιςη. Si enim laus ipſorum conſiſtit in eo, quod cito deſcendant, quo modo ſperari poteſt inde quidquam ſubſtantiale? Vel boni vel mali?

XIII. Hoc non difficile explicatu eſt, quomodo ſint diuretica? Subſtantia ſua aquea, quæ excrementa ſanguinis expurget ſeroſa. Sed quæ ratio reddi poteſt, cur, quod Athenæus ſcribit, ex Pythermo, podagra tantopere ſævierit, totis illis 20. annis, quibus mororum proventus non erat? Non abducebantur excrementa aquoſa. At dici hoc non poteſt. Malum enim etiam ſæviebat in oves, adeo quidem, ut duæ ovium partes corriperentur. Dici ergo debet, conſtitutionem aëris frigidam & humidam tam pertinacem fuiſſe, ut arbores quidem ſterileſcerent, animalia autem quæque fluxionibus infeſtarentur.

XIV. Reſtant mora prorſus immatura. In his quia aciditas eſt major acerbitate, 7. *Simpl. c. de Ceraſis*, proculdubio & illa ſunt frigida & ſicca, ſed longe amplius: non puto tamen aſcendere ad 3. gradum, quod Dodonæus vult, ſed in 2. manere, quia utraque qualitas à terra eſt, quæ pigra eſt.

XV. Uſus horum eſt, vel in pulvere, vel in ſucco, decoctove. Pulvis aſpergebatur olim cibis, inſtar rhois in affectibus ventriculi & inteſtinorum fluidis. Succi & decocti uſus erat, & eſt in calidis faucium affectibus, qua de re mox. Parabatur etiam medicamentum ad hæmoptoicos, ut videre eſt 7. κ. τόπ. 4. ubi requiruntur mora rubra immatura. Cur hoc? Cum immatura omnia ſunt rubra? De albis enim non poteſt loqui.

DE RUBO ET RUBI MORIS.

XVI. BΑτος (βατὸς aliud eſt) ὁ καὶ ἡ hinc mora aut poëticè μῶρα βάτινα, aut ſimpliciter βάτινα. Hinc χαμαιβάτος *humilis rubus*, κυνοσβάτος, cum βάτος in genere dicitur de omni ſpina, atque ita etiam roſam complectitur, etiam ſentem, quæ cum κυνοῤῥόδω eadem eſt.

XVII. Hac ratione tollitur difficultas, An Cynosbatus Theophraſti 3. *Hiſt.* 9. ſit eadem cum tergemino illo 3. *Hiſt.* 18. Non eſt: Sed eſt prima tantum ejus ſpecies, ὀρθοφυὴς dicta quæ & Oxyacantha Dioſcoridis.

XVIII. *Rubus Idæus* Dioſcoridis videtur colore fructus tantum differre, quia ruber eſt. Quo pacto Ida quoque in noſtris ſylvis fuerit. Vocamus *Hintbeer*, quaſi *Cervarum baccas*, & mirabiles effectus tribuimus, ut dicetur, Utimur in Officinis, nigris quidem baccis ad *Diamoron*: rubris autem ſeu Idæis, ad aquam & acetum. Uſurpantur alicubi folia, aut etiam ſummitates flagellorum cum floribus.

XIX. Facultates fructus non ſunt valde diſſimiles niſi quod ruber vincit nigrum

grum tenuitate partium, quam oſtentat odor violaceus. Gal. 2. *Alim.* 13. comparans hæc mora cum prioribus, adſtringere ait & ipſa, ſed validius ibidem docet, rubi mora ventrem non ducere, ſed cohibere, forte, quia ſubſtantia terrea adſtrictoria numquam ita vincitur, ut in moris ſimpliciter dictis. At quia 6. *Simpl.* ait, rubi fructum habere non parum ſucci calidi temperati, qui dulcis ſit: non putarim à veritate alienum, & hunc fructum aliquando alvum ſubluere.

XX. Oportet autem revera heic quoque diſtinguere inter immatura, & matura, magis, minus. Quo admiſſo, intelligetur, quid ſit ſentiendum de altero illo Galeni, *Quosdam ex uſu harum baccarum caput dolere, quoſdam ſtomacho angi.* Ab exactè enim maturis neutrum horum exſpectem, maximè, ſi ex Galeni præcepto ex aqua frigida ſumantur. Non minus quid de illo, quod 6. κ. τόπ. 1. qua de confectione ſtomatici ex granatis dicit, ſuccus mororum rubi habet, quid, quod ſtomachum roborat, quale mororum ipſorum non habent, tu puta, cum maturrima ſunt.

XXI. Quare jam iterum dicendum eſt, rubi fructus maturus calidus eſt temperate: immaturus eſt apertè frigidus, hoc eſt ad 2. gradum, ſed in primo adſtringentium, 6. κ. τόπ. 3. Quod ſi exſiccatus reponatur, magis refrigerabit, & adſtringet.

XXII. Hæc duo faciunt & radices & folia. Quare uſus horum eſt, intus quidem in pulvere & decocto: extus autem in cataplaſmate contra dyſenteriam, hæmoptyſin, nimium menſium fluxum ex ἀτονίας, &c.

XXIII. Oportet vero heic iterum diſcrimen facere inter folia viridia & exſiccata. Multum enim his perit ſubſtantiæ aqueæ. Quare viridia manſu tantum curare poſſunt aphthas, & alia leviora oris ulcera: ſicca etiam magna.

XXIV. Dicis, quomodo urinam ciere poſſunt: non fructus tantum, ſed & flos, ut eſt apud Plinium *lib.* 24. *cap.* 13. Fructus eo modo, quo mora ipſa, ſubſtantia aquea: flos propter adſtrictionem, in renibus debilibus.

XXV. An hoc ad cynosbatum pertinet? Hujus fructus etiam vulgo laudatur ad calculum.

XXVI. Habemus in Officinis aquam & acetum mororum Idæorum, quæ pro cordialibus habentur in febribus malignis, ipſaque peſte, de qua vide Geſnerum *in Euonymo*, & Occonem *in pharmacopœa Auguſtana*, Camerarium *in Horto.*

XXVII. Habemus etiam

ROB DE MORIS.

QUod uſitatius *Diamoron* ſimpliciter. Hoc triplex eſt apud nos, *ſimplex* Galeni ex ſolis moris; *Compoſitum* Nicolai ex utrisque; Cordi ex tribus, mo-

ris,

ris, rubi moris nigris, Idæis, & denique fragis. Hinc videt unusquisque quàm periculoſum ſit Medicos dormitare!

XXVIII. Galeni illud, locum habet in principio, cum repellere volumus. Vide autem quomodo variet 6. κ. τόπ. 1. Nicolai, quia ſapam habet, in progreſſu, cum jam diſcutere volumus, debet uſurpari. Ita Cordi, propter rubum Idæum. De Meſue compoſitione, quæ alicubi uſu videantur omnino Monachi, *cap.* 113.

XXIX. *Syrupus de ſucco rubi Idæi* mirificus eſt in peſte, ut & acetum.

CAPUT CLIII.

DE MUSCO ARBOREO, PULMONARIA, *Hepatica*, & *Corallina.*

I. MUSCUM, βρύον voco (non pruritu aliquo definiendi, ſed ut intelligatur, quid ſit id, de quo tractatio inſtituitur) *quicquid ad Plantæ perfectæ naturam non accedit*, ſed vel arboribus vel ſaxis innaſcitur, lanuginis modo.

II. Equidem non diffundam ego me, meo alioqui more: ſed continebo me in Officina mea pharmaceutica, cui me de induſtria incluſi. Qui volet, Bauhinum adeat, *in Pinace.* Hanc ob cauſam etiam non agam de Muſci terreſtris ſpeciebus duabus, quæ ſunt apud Bauhinum X. & XI. in Catalogo noſtro, *alter* quidem ſub nomine *Muſci terreſtris Matthioli*, *Muſci Clavati* Lobelii, qui olim ſub *ſpicæ Celticæ* nomine latebat in Officinis: *Alter* autem ſub nomine *Muſci terreſtris ult. Matth. Selaginis* Plinii, quæ ſub *Sabinæ* in iisdem erat. Et de hac accipio fabulam, quam ſenex Philiater, ut ſe ipſum appellabat, narrabat olim juvenibus nobis, JUNGERMANNO & mihi, Sabinam arborem, ante fundatam Academiam, fuiſſe frequentem in his ſylvis, poſtea vero, propter abuſum fuiſſe extirpatam, juſſu magiſtratus. Mihi enim veriſimile non fit, vel Sabinam bacciferam unquam duraſſe in locis his Septentrionalibus, cum vix in hortis duret: vel unquam periculi quid fuiſſe à ſelagine iſta, quæ etiamnamnum creſcit in vicino Palatinatu. Sed hæc obiter: à quibus redeo in viam, & explico

MUSCUM ARBOREUM.

III. QUi eſt *Uſnea* Offic. Bauhino. Heic ſtatim monent quidam, πολύσημον eſſe apud Arabas. Significat enim ajunt, modo Kali, ex cujus cinere fit vitrum: modo Iſatin, ex qua Indicum pictorum. Alii diſtingui volunt ab odorato illo Officinarum medicamento quod Arabes nobis ſub eodem nomine *Muſci* vel *Moſchi* præbent, & affirmant vocem animal, *Gazellam*, & eſſe *Oryga* veterum, ut Bellonius ſcribit 2. *Obſ.* 57. Qua de re vide Cluſium *ibidem.* Sci-

bant

bunt ex paſtu Muſci vulgaris fœta fieri animalia tam precioſi odoramenti, quamobrem à Nicandro dicatur *βοτάνη δορκαδίας*.

IV. Quo relicto dico, cum in plurimis proveniat arboribus, Bauhinum præferre *Cedrinum*, *lariceum*, *pineum*, & *abiegnum*, quod video acceptare alios, ſi modô odoratiſſimus ſit, qualis candidus eſt. Niger enim, rutilusque improbatur. Odor ille, mea opinione, non fuerit alius, quàm tædaceus, cum planta ſit paraſitica, (ut ſic dicam) arborum pinguium. Ex quo genere cum quercus, populus, ulmus, pyrus, &c. non ſint, non habent etiam heic locum.

V. Galenum 6. *Simpl.* ita explico, quod in facultatibus ſit muſcus quidem *ἐγγὺς τοῖς μέσοις*, *temperatis*: Sed ita, ut calidis ſit propinquior. Hinc enim vis illa *διαφορητικὴ* & conſequenter *μαλακτικὴ*. Interim & *συπτικὴν* habet, verum *οὐκ ἰσχυρὰν*. In paſſivis ſiccum eſſe credo Alcanzi apud Avicennam: ſed non vehementis ſiccitatis, forte ut vinum. Ut enim Serapio ſcribit, vinum, in quo maduerit, eſt ſoporiferum, propter (credo) partium tenuitatem, unde odor ille. Propter hunc eſt baſis *pulverum Cypriorum*, ut & *avium Cypriarum*, *der Kauchterklein.* Pulveres ſolent mulierculæ, non veſtibus tantum aſpergere, ſed & capillorum cincinnis. Compoſitionem vide apud Caleſtanum, qui habet etiam oleum de uſnea compoſitum ex Avicenna.

II. MUSCUS PULMONARIUS.

VI. Etiam arboreus eſt, ſed habet nomen à pulmonibus; quorum colorem refert, VII. in ordine apud Bauhinum. Imo, qui ſignaturis delectantur, pulmonibus proprium faciunt, experimento capto à paſtoribus, qui ovibus aſthmaticis dant cum ſale.

VII. In quercubus quia ferè reperitur, non eſt diſſimilis in facultatibus muſco querno in frigiditate & ſiccitate. Ideo mirum non eſt, ſi ulcera quædam conſolidare poteſt, catarrhos ſiſtere, profluviis muliebribus mederi, dyſenterias & diarrhœas bilioſas curare, &c.

VIII. Sed quomodo aſthma? Ipſe ſolus non poteſt, ſed cum Syrupo de glycyrrhiza, hyſſopo, helenii rad. Oxymelite ſcillit. quo modo Matthiolus dat. Aut in pulvere cum ſemine aniſi, fœniculi zingiberis & ſacchari, quo modo Tragus. Ipſius opus proprium eſt ſiccare caput, vias claudere humoribus delabentibus, &c.

III. VISCUM QUERNUM.

IX. Ἰξὸς, ὁ videtur progeneraſſe Latinis *Viſcum*, quamvis alii in maſculino dicant *viſcus*, *ci*. Ab hoc factum, ut piè creditur, *ἡ ἰξίνη*, *ἡ ἰξία*, *ἡ ἰξίας*, *ἰ*, quod multum turbat in doctrina Chamæleontis utriusque, ut ſupra vidimus. Quo ſepoſito, miror Bauhinum abrupiſſe à Muſcis, quorum ſuper aliena arbo-

re:viſcum pululat. Neque vero ſuper quercu ſola viſitur, ſed multis aliis, quas numerat ipſus.

X. XI. Meriſſima fabula eſt, & Poëticis digna, quæ proverbio locum fecit, *Turdus ſibi exitium cacat.* Ex ſucco enim arboris proprio gignitur, ut ſtolones dicti, tum videlicet, cum in eo ſunt arbores, ut exareſcant. Variant pro ratione natalium, quæ nomen etiam mutant. In Arcadia enim ὑφέαρ dicitur; in Eubœa στῆλις, Theophraſto authore 3. *Hiſt.* 9. & 16. Plinio *lib.* 16. *cap.* 44.

XII. Uſurpant Officinæ quædam & gluten ex baccis factum & lignum. Hoc tanti faciunt mulierculæ, ut non tantum certis divinis ſacrent, ſed & pro amuleto infantibus appendant contra epilepſiam. Mihi in ea æſtimatione eſt, in qua olim Priapus. Interim ſcobem non contemno, ſiccando quippe efficacem.

XIII. Revera derivata eſt conſuetudo hæc à Druidibus Gallis, qui è quercubus vaticinabantur. Illud apud quosdam peſſimè audit, veneno Ixiæ apud Dioſcoridem *lib* 6. comparatum. Ego vero mitius ſentio, perſuaſus à Pena, *Adv. f.* 282. melancholicum & pituitoſum ſuccum purgare, ideoque vertiginoſis & epilepticis commodum.

XIV. Idem jactat experimentum ſuum de vi epiſpaſtica, modo emplaſtri viſcini Scribonii, pro educendo pure, ſub muſculis & cartilaginibus collecto, ſine ſectione. Credam ego, ubi videro. Interim habebo pro Chymiſtico, qualia vendere ſolent Roſeæcrucis fratres. De nocumentis ejus in uſu interiore, vide Dodonæum, quem non auſculto.

IV. LICHEN, SEU HEPATICA Officinarum.

XV. DE quo Lichene loquar, patet ex adjecto. Eſt autem *muſcus ſaxatilis Bauhini*, de cujus prima differentia hoc moneo, minus rectè pingi vel à Matthiolo, vel à Dodonæo, vel à Lobelio. Quos enim exhibent pediculos, quibus folia inſident, ſtellæ in modum diſpoſita, illa ſuo tempore floſculos ſub ſe habent verticillatos, luteos, cum ſtaminibus exalbidis, ex quibus quid fiat, nondum obſervatum eſt: Alibi, loco foliorum & florum ſunt umbellæ ſolæ, alibi pilei, alibi calcei, alibi alia, prout libuit Naturæ ludere.

XVI. Videtur eſſe Theophraſti 4. *Hiſt.* 7. βρύον, ὃ φύλλον ἔχει πλατὺ, καὶ οὐκ ἀνόμοιον ταῖς θριδακίναις Ita fuerit Muſcus lactucinus Plinii *lib.* 13. *cap.* 25. & βρύον θαλάττιον Dioſcoridis, *lib.* 4. *cap.* 94. ſi quod Hermolaus vult, pro τριχῶδες legas θριδακῶδες.

XVII. Tu vero, quisquis es, vides cum Salmaſ. *in Plin. f.* 1148. falſarium Codicum editorum βότρυον, & velle τὸ βρύον, ſed cum conditione a viro illuſtri dicta, quatenus eſt idem τῷ φύκος.

XVIII.

XVIII. Cujus rei occaſione moneo, valde improvidos eſſe, qui apud Latinos τὸ *phucus*, cum muſci genus ſignificat; & conſequenter pigmentum muliebre, confundunt cum Latino *Fucus*, cum de animali eſt ſermo. Retineatur τὸ φ. & teſtimonium det pro origine ſua, itaque videtur amphibologia.

XIX. Cæterum τὸ *Hepatica*, caveat credat mederi hepaticis, propriè dictis, 8. κ. τόπ. 6. 5. *loc. affect.* 6. qui (inquam) laborant ἀτονίᾳ dicti viſceris, ex intemperie frigida & humida: ſed in contraria potius intemperie, cum à calore reſolvitur & flaccidum fit. Sapor enim, quem habet, aqueus cum amarore nonnullo & adſtrictione, arguit frigiditatem & humiditatem prædominantem cum tantillo calore.

XX. Hinc Tragus quidem frigidam & humidam ſimpliciter pronunciat: Braſſavolus autem definit in 2. gradu. At Galenus 7. *Simpl.* & cum eo Serapio, exſiccare ait, adeoque facultatem illam nanciſci à petris, quas lambit. Cui oppono, ſi petras ſiccas tangeret, fortaſſis acquieſcerem: nunc quoniam, ipſomet docente, in humidis & graviter olentibus, non credo. Accedit, quod Galenum citans Serapio, comparat cum lente paluſtri, non tantum in modo generationis, ſed in facultatibus, ut autumo, laus illa eſt in humido. Quamobrem iis etiam fidem derogo, qui ſimpliciter ſiccare volunt, aut in primo gradu. At ſentio ſiccam in ore? Adſtrictio fallit. Eſt igitur frigida cum humiditate.

XXI. Quare rectè Amatus, in calidis hepatis malis (intelligo calidis cum ſiccitate) præ cæteris remedium anteſignanum eſſe. Non tantum enim contemperat utrumque exceſſum: ſed & abſtergit, &, quod amplius eſt, tonum reddit viſceri. Hinc ſi decoquatur, præcipuè in ſero (oportet autem ſingulis diebus repetere decoctionem, quia facile exoleſcit) & detur in ſat magna doſi ad ℔. ij. curat obſtructiones hepatis calidas, unde pendet ſcabies quædam ſicca & pruriginoſa, item ulcera quædam & exedentia, quaſi inundatione quadam abductis craſſis & melancholicis ſuccis.

XII. Ita loquor, quia peculiari vi purgante præditam eſſe, non magis credo quàm ſerum: Ita, curare icterum quendam concedo, qui ſcil. ſit à φλογώσει (non φλεγμονῇ) hepatis. Sic enim explico Doctores, & aſpello litum Dioſcoridis. Quis enim unquam tale quid ſcripſit?

XXIII. Nempe ita ſe habet res, male diſtincta eſt lectio, & pertinet illitio, non ad præcedentia, ſed ad ſequentia, quæ de oris & linguæ rheumatiſmis calidis. De ictero probo ex 9. κ. τόπ. 1. ubi ex mulſa aut vino meraco propinat ʒj. lichenis hujus: de affectibus oris præter alia omnia docet orationis ſeries, ne dicam de more Dioſcoridis. Quia enim antea dixerat, in cataplaſmate ſiſtere ſanguinis profluvia, ſeu ut Serapio menſes: debet jam dicere, quis uſus in oris affectis, non διαπλασθὲν, ſed διαχριόμενον.

XXIV. Habetur alicubi *Syrupus de hepatica Pedemont.* cujus idem effectus cum *Syr. de Nymphæa.* Vide Concil. *in Add. Pract. Meſ.*

V. CORALLUS ET CORALLIUM.

XXIV. MIraris! Atqui prior me fecit Bauhinus. Quid? Antiquiſſimus Orpheus in carmine quodam ſuo φῦκον, τὸ, appellavit. Hoc enim vult carminis ratio. Auſon etiam *in Moſ. Muſcum* vocavit. De generatione ipſius ex variis authoribus plura, quam hominem ſcire fas ſit, I. L. Canſius, habet *in tractat. ſing. Francofurt.* 1630.

XXV. Ego contentus ſum illis, quæ Imperatus habet, *Hiſt. nat. lib.* 27. & Cerutus *initio Muſæi Calc.* De medicamentis Chymicis multa colligit, credibilia, incredibilia dictus Ganſius, quæ relinquo illi, contentus *Diacorallio* noſtro uſuali, in quo ſubſtantia lapidoſa facilè ſolvitur, quia jam in pulverem eſt ſoluta, & ſuper marmore lævigata. Ille ſolutionis facilitatem acceptam fert naturæ ſatis, quod dare illi poſſum.

XXVI. Mei officii eſt meminiſſe alterius *Diacorallii*, ut ſic dicam, quod apud Paulum eſt inter medicamenta podagrica, & fit, (uti volunt) ex *Anagallide arom. purp.* Mihi res ſuſpecta eſt, neque tamen recipere poſſum τὸ κολλάριον, ἀπὸ τοῦ κολλᾷν.

VI. CORALLINA.

XVII. EST minor ſeu tenuior Corallus, licet alii aliò eant. Videtur eſſe φοινισσον φῦκος. Nicandri, ideo volunt quidam *rubram* tantum. Sed experientia comprobat, *Cineream* aut *Candidam* non eſſe deteriorem.

XXVIII. De facultatibus certamen certatur, calida, an frigida ſit? Qui urgent τὸ ψύξεως Dioſcoridis, vexantur à Cornario, ςύψεως legendum eſſe dicente. Præterea cum habeat manifeſtam ſalſedinem, par eſt, conſentire nos Braſſavolo calidam ſtatuenti in ſecundo.

XXIX. Idem affirmat, habere vim purgantem, & lumbricos non tantum occidere, ſed & educere, quæ duo quæ habent, habent prærogativam præ aliis. At ſalſedo eſt in ſuperficie, & ideo melior eſt, quæ à mari recens eſt. In Græcia hodie, ut ſcribit idem Braſſavolus, in plateis proclamatur σχολεοβοτάνι, corruptè pro σκωλικοβοτάνη.

XXX. Sed qualis eſt in paſſivis? Sicca proculdubio, ob prædominium terræ. Quæ de humiditate garriunt, erronea ſunt ex Lichene huc illata.

C A

Caput CLIV.

DE MYRRHA.

I. Nomen hoc tribuitur duabus valde diverſis rebus, aliquando gemmæ viliori, quam *Onycha noſtrum* ſuſpicatur Agricola, è quo *vaſa Myrrhina* ſeu *Murrhina*, de quibus nos olim multa *in Poſt-curis noſtris*: aliquando gummi cuidam, inde usque ab hominum memoria in ſacris uſitato, ſed cujus arbor à nemine noſtrûm usquam viſa fuit.

II. Nam quod de Bellonio 2. *Obſ.* 8. recenſent quidam, quod viderit Ramæ in Palæſtina, inane eſt. Hariolatur tantum, ut Scaliger loquitur, ex vicinia cum Acacia Ægyptia, cui comparari audiverat à Dioſcoride *lib.* 1. *cap.* 78. Eadem conditio eſt Theophraſti 9. *Hiſt.* 4. & Plinii *lib.* 12. *cap.* 14. & 15. ad quos Cluſius fruſtra nos allegat. Quibus meliora ſi non ſunt, quæ commentatum ſe ait eſſe in Dodonæum Gallice à ſe verſum, equidem videre non deſidero. Vide etiam Diodor. Sicul. *lib.* 3. & Solin *cap.* 36.

III. Apud me plauſibile eſt, quod Garzia ſcribit 1. *Arom.* 7. afferri ab Arabibus montanis terreſtri itinere, in Brava & Magadoxo (regiones mihi incognitas) ex Chaldæa venire ſe mentientes.

IV. Interim non contemno ſpinoſam arborem Penæ, *Adv. f.* 428. quod & Acacia ſpinas habeat in trunco, licèt alio modo ut Weslingius noſter repræſentat. At Theueti arborem, quam *Hiſt.* Lugdun. etiam dat, rideo.

V. Sed ut certi quid afferam, de voce, Athenæus & Caſaubonus *lib.* 15. *cap.* 11. memorant, eſſe ab Æolico μύῤῥα. Nam quia inquit *Dipnoſoph.* pleraque unguenta mixta myrrha componuntur; quædam etiam ſola myrrha conſtant, obtinuit uſus, ut ἀπὸ τῆς μύῤῥας unguenta omnia μύρα dicerentur, ἀπὸ τοῦ μύρω. *ſtillo*, quod ego addo.

VI. Ex hac oratione intelligitur, utra vox ſit Æolica, μύῤῥα ἢ σμύρνα? Non hæc, ſed illa. Hoc cum ſibilo cùm efferrent; quidam etiam ſcriberent ζμύρνα: factum eſt, ut compendii gratia, tota vox ſignificaretur per geminum ζζ Quod neſcientes alii, Zingiberi legerunt. Notarunt hoc Hermolaus *in Dioſcoridem*, Cornarius *in Paulum*, Gorræus *in Definitionibus*, Goupylus, *in Trallian.* alii.

VII. Heic quæritur, quam cognationem cum Gummi hoc habeant duæ plantæ ὑποκοριστικῶς dictæ, Myrrhis & Smyrnion? Aliqualem odoris ſimilitudinem.

VIII. Difficilius eſt, quid differant Myrrha & ſtacte? An ſint ſpecies? an στακτὴ (à στάζω, *ſtillo*) ſit myrrha præſtantiſſima, ſive ex arbore ſtillarit, ſive per expreſſionem facta ſit? An στακτὴ ſit compoſitio quædam ex myrrha? Mihi varia legenti occurrit, hoc vocabulum deberi rebus diverſis.

IX. Accipio primum diſtinctionem Theophraſti, 2. *Hiſt.* 4. ſub finem, Myr-

rham eſſe duplicem, ϛακτὴν, καὶ πλαϛὴν; & explico, illam quidem naturalem eſſe: hanc autem factitiam. Quo minus enim ſtem cum illis, qui priorem interpretantur *Liquidam*, poſteriorem *Siccam*, facit τὸ πλάτlω, quod artificioſum quid importat.

X. Hoc deduco ex Dioſcoride & Serapione. Ille enim poſtquam docuit, *lib.* 1. *cap.* 67. myrrham eſſe lacrymam, quæ fluat ex arbore inciſa, quaque expreſſa fiat ſtacte: non multo poſt dicit, ex eadem fieri πιέσματα, ut loquitur, uſus etiam verbo ἀναπλάσεως. Hic cum *cap.* 282. priora omnia ex Dioſcoride attuliſſet, affert ex eodem Trochiſcos, de quibus dicit, quod de πιέσμασι. Hoc ſenſu ſtacte erit ſpecies myrrhæ, omnis ſcil. illa, quæ ϛάζει ex arbore, adeoque nativa eſt, opponiturque τῇ πλαϛῇ. Deinde ex Plinio, Myrrham nativam fuiſſe diviſam in *Stacten* & *Myrrham*. Scribit enim *lib.* 12. *cap.* 15. Myrrham, quam arbores ſudant ſponte, priusquam incidantur, dici *Stacten*. Unde intelligitur, myrrham ſimpliciter dici, quæ ex arbore inciſa colligitur. Quo ſenſu etiam Stacte erit ſpecies. Tertio, ex utroque jam dicto. Scribit enim Dioſcorides *cap.* 62. & repetit *cap.* 67. Plinius *lib.* 13. *cap.* 1. (meminit etiam Athen. *loc. cit.*) Myrrham recentem in aqua tuſam, per ſe ſolamque, ſine oleo exprimi, quodque effluit liquidum, conſtituere unguentum, quod *ſtacte* appellatur. Hoc idem fieri addito Cinnamomo, docet Theopraſtus *lib. de Odor.* Hoc poſtmodo erit compoſitum: illo priori ſimplex.

XI. De hoc loquuntur DD. Hieronymus & Baſilius, uterque *in Pſal.* 44. ubi *guttam* vertunt quidam, reſpicientes ad τὸ ϛάζειν. Hinc pendet hoc corollarium, præter ſtacten liquidam, dari ſolidam, quæ ſit magma ſuperſtes.

XII. In his tam denſis tenebris ſecuri mercatores fingebant ſibi tot myrrhæ ſpecies, quot volebant. Apud Dioſcoridem quinque ſunt, πεδιάσιμος, γαβιρέα, τρογλωδυτικὴ, καυκαλὶς, καὶ μιναῖα. Ita enim ſcribere oportet hoc ultimum genus, ut dicam. Has appellationes quomodo Serapio accommodarit ſuo palato, legere eſt apud ipſum. Apud Plinium, non modo plura nomina ſunt, ſed & plura monſtra, quæ non exſcribo. De Indica hoc tantum moneo, Theophraſtum 9. *Hiſt.* 1. non vocare myrrham, ſed ὅμοιον τῇ σμύρνῃ. Præter hæc omnia, apud Hippocratem *lib. de Nat. mul.* eſſe *Calontiam*. Mirantur docti, cur Galenus 1. *Antid.* 14. dicat, *Troglodyticam* eſſe eandem cum *Minæa*, cum etiam Dioſcorides & Plinius diſtinguant! Neque valet heic fuga, Dioſcoridem habere *Amineam*. Quod enim jam dicendum eſt, Cornarius *in Dioſcoridem*, & Foëſius *in Oeconomia*, cenſuere, redundare primam literam, ſiquidem dicta ſit à Minæis populis, quorum meminere præter Plinium, Strabo & Stephanus.

XIII. Hæc ſcriptura firmatur ex 5. κ. τόπ. 7. in medicamento Zeuxidos ad lichenas. Quod ad Galenum *in de Ant.* locutus ille eſt cum mercatoribus ſui ſeculi. Præter has ſpecies apud Dioſcoridem & Galenum 8. *Simpl.* eſt myrrha *Bœotica*.

XIV. De cujus hiſtoria cum jure dubitarit Marc. Vergilius nec tamen tentarit quid-

quidquam: quid ſi ego ita legam? Η δὲ βοιωτικὴ σμύρνα ἐςὶ δένδρȣ γεννωμένη τῆς ῥίζης τετμημένης. Cum hac eandem eſſe puto Achaicam Col. Eſt enim Achaia pars Bœotiæ apud Plinium *lib.* 4. *cap.* 7.

XV. Sed quid eſt *Oronea* Myrrha apud Propertium? Non *Syriaca* ab Oronte fluvio, ut Scaliger & Paſſeratius explicant: ſed *Arabica*, ab Orontibus populis, quorum Plinius meminit *lib.* 6. *c.* 26.

XVI. Hac de re olim in variis egi: nunc, parergis ſepoſitis, inſpicere par eſt notas legitimæ myrrhæ, quam πρώτην Hippocrates vocat, *lib. de ſuperf.* ἀληθινὴν Actuarius.

XVII. Harum igitur prima eſt apud Dioſcoridem, ut ſit νέα, aut, ut de ſtacte loquitur, πρόσφατος, *nova*, ſeu *recens*. Hæc dubio procul eſt illa, quam vocat λιπαρὰν, καὶ λιπαρωτάτην, ob copioſam ſtacten. Talis eſt πεδιάσιμος καὶ γαβιρέα. Plinio ſola *Troglodytica*, Galeno etiam *Minæa*. Dioſcoridi improbata. II. eſt, ut non ſit ψαδυρὰ ἢ ψαθυρὰ. Attice 3. *Prorrh.* 24. Hoc vocabulum cum ambiguum ſit, referaturque, vel ad ſubſtantiam, vel ad calorem: in quo ſignificatu heic accipiemus? Ab ſubſtantiam, qua opponitur τῇ λιπαρῇ, ἢ γλίσχρῃ, referendum perſuadet, non id tantum, quod de pinguitudine dictum eſt: ſed etiam, quod Dioſcorides τὴν ἐργασίμην, ob id, quod ſit ψαφαρὰ. Nam ita quoque ſcribitur. Eſſe autem hoc idem cum *friabili*, conſentiunt Lexicographi. Qua de re ne dubites, addit Dioſcorides τὸ ἀλιπὴς, quaſi intento digito diceret, Hæc eſt ψαφαρὰ quod tu intellige de abſentia pinguedinis, & expone, non *Squalidam*, ſed *Friabilem*? Quid hoc audaciæ eſt, Legiſne negative ȣ̓ ψαφαρὰν? Lego, quia Dioſcorides χειρίςην ait eſſe τὴν ἐργασίμην, quod ſit ψαφαρὰ καὶ ἀλιπὴς. Et hæc ſunt poſteriores meæ curæ, quas qui contendere velit cum prioribus, quæ erant, ψαθυρὰν probari, is poſſit. Atqui etiam Plinius probat *Aridiorem*, *horridam* & *barbaram*. Loquitur de ſola Troglodytica, & manifeſte ἀσύςατα ſpargit. Quo enim modo quod *pingue* eſt, ſimul *aridum* eſt? Quo veriſimilius Dalecampius ex Dioſcoride legit χλωρoτέρα *viridior*. Summa, Plinius quoque habuit corruptos codices. Neſcio quid ſpectarint, qui in hac rerum dubietate, ſitum ante canitiem collocarunt. Hoc addo, Serapioni quoque ſuſpectam rem fuiſſe, ideoque omiſiſſe vocem. Jam video Paſinum quoque mecum eſſe velle, ut fiat ſic ſenſus, *Eligito recentem, quæ ſimul tenera & mollis ſit, ob multam pinguedinem, non ſqualida, & friabilis.* III. eſt, ut ſit κούφη, *levis*, non *ponderoſa*. Hoc opponit τῇ βαρείᾳ, quam mox damnat. Hoc fiebat ab adulteris, qui authore Plinio, conciliabant illi gravitatem ſpuma argenti, cujus ſi forte plus indebatur, prodebat artificem. Κȣφότης igitur intelligenda venit, quatenus myrrhæ convenit. Non enim plumæ inſtar debet eſſe levis, alioquin iſti non mentirentur pondus. IV. Quærit ὁμόχρȣν πάντοθεν, *undique ſibi concolorem*. Quod ut recte intelligas, addit, τὴν ἐν τῷ θλασθῆναι ἔνδοθεν λευκὰς, ὀνυχοειδεῖς διαφύσεις ἔχȣσαν, λείας, *quæ dum confringitur, veluti venas & maculas albas, unguibus non diſſimiles, undiquaque æquabiles habet.* Huc pertinet quod dicitur, *Secunda bonitas intus varia: peſſima intus nigra: pejor, ſi eſt foris.* Et hæc illa πισσώδης, *picei coloris*, quam Dioſcorides abjicit.

jicit. Quæritur an ulla poſſit eſſe *viridis coloris?* Quæſtionis fundamentum eſt in illo ὑπόχλωρος Dioſcoridis. Hoc, ut alibi docetur, tam eſt pallidum ſeu ſubflavum, ut dubitari non poſſit. Et de hoc ipſo negotio arguit Galenum Rondeletius 6. *Piſc.* 16. Interim Pena, *Adv. f.* 429. & Braſſavolus *Exam. ſimpl. f.* 468. *Viridem* aut potius *viridantem* nobis promittunt. Vide etiam Paſinum *in Matthiol. f.* 38. Marantam *in Ther. cap.* 19. V. Μικρόβωλον ſeligit, quod Plinius vertit, *In minutis glebis, nec rotundis*, addit. Hoc refero ad molitiem, quæ rurſus à pinguedine, ob quam facile mutatur rotunditas. Heic Paſinus *l. c.* ex Serapione ſuo urget negativam. Ego vero contemno, quod Plinius ſatis ſibi conſtet. VI. poſtulat πικρὰν καὶ δριμεῖαν. Conjungo enim contra auctoritatem Græci Codicis, & explico, *Amarum cum acrimonia quadam.* Quod ſi diſplicet, quod nec Plinius in notis optimæ myrrhæ, nec Serapio laudans Dioſcoridem, meminerint acrimoniæ; & vero quia Dioſcorides paulo ante acrimoniam tribuit peſſimæ omnium myrrhæ, *Ergaſimæ*: ſufficiat hujus rei mentionem feciſſe tantum. An ſufficit, quod Dioſcorides δηκτικὴν pronunciat *Troglodyticam*, quæ πρωτεύει inter alias ſpecies? Et Plinius aſſerit, eſſe acriorem cæteris? Non enim heic exquirimus, quid in quaque ſpecie ſit eximium: ſed quid in univerſum debeatur optimæ. Cæterum, quia τὸ πικρὰ magnam habet latitudinem, recte Plinius explicat, *Probari guſtu leniter amaram.* Quæ ipſa verba debent accommodari τῇ πικρίτητι, ἐκ ὀλίγῃ, de qua Galenus 8. *ſimpl.* ut intelligatur, quo fine ſtet illa lenitas. Hæc ipſa fuerit δοκιμασία illa ἐν τῇ γεύσει, quam ſolam Theophraſtus præponit 9. *Hiſt.* 4. additque, καὶ ἀπὸ ταύτης τὴν ὁμόχρουν λαμβάνουσι. Quod ita intelligo, *Ubi guſtu invenerunt talem accipiunt concolorem.* VII. Εὐώδη petit, *Odoratam*, quod Galenus (quamvis de Troglodytica ſola loquatur) mutat in εὐοδμοτάτην. Heic dubium eſt, an per ſe, non accenſa, bene oleat, ut thus? Plerique dicunt, & poſſunt pro ſe allegare Theophr. *lib. de Odor.* non niſi igni admotam emittere odorem. Ego vero ſcio *ex* 9. κ. τόπ. 4. per ſe etiam odoratam eſſe. Cum enim imponatur Colicæ Pacii Antiochi, odoris tantum gratia, quis non intelligit, quid ſit ſtatuendum? Quid dico autem? Eſtne veriſimile, Galenum *in de Antid.* myrrham, antequam imponeret Theriacæ, incendiſſe? Quare ita dico, laudatiſſimam myrrham etiam per ſe olere, ſignumque eſſe exoletæ (Dioſcorides talem vocat ὑπέρωρον, ut Marc. Vergilius interpretatur) ſi non ſit per ſe odora. Hoc tamen non diſſimulo, in ſacris noſtris Myrrham aliquando dici, quæ *Stacte* eſt, de qua hoc Dioſcoridis eſt, λίαν εὐώδη eſſe. Et hoc Cordus *in Dioſcoridem* experimento ſuo comprobavit. Quid, ſi non ſola myrrha præſtet odorem, ſed mulſa, in qua macerata ſit? Tale quid enim evenire ſcribit Theophraſtus, 6. *Cauſ.* 25. VIII. addunt quidam ex Hippocrate *lib* 2. *de affect. mul.* ut ſit ἄκρητος, *ſincera & impermiſta, ſine lignis, lapidibus & aliis ſordibus.*

XVIII. Hoc loco ſi quis me jubeat ſermonem inſtituere de adulteriis, à Dioſcoride & Plinio ſcriptis, negabo me illi obtemperaturum: eorum autem loco expoſiturum cogitationes meas, de *Opocarpaſo*, ſeu *Opocalpaſo.* Quia Plinius ſcribit, fallaciſſime adulterari myrrha Indica, quæ ibidem quadam è ſpina colligatur, quid ſi hæc Myrrha ſit Opocarpaſum? Quæ poſſit enim

ma-

major eſſe fallacia, quam ſi venenum ſupponatur? Nimirum pro Opocarpatho, cujus mentio *lib.* 2 .*c.* 10. & rurſus *lib.* 32. *cap.* 5. *fine*, ita lego ex Dioſcoride *præf. lib.* 6. Galenus 1. *Antid.* 11. 1. κ. τόπ. 3. inter Archigenis medicamenta ad criſpandos capillos 5. κ. τόπ. vult in Emplaſtro molari, quod ait multis fuiſſe miraculo, ex Aëtio, Paulo, &c. Deduco autem rem inde, quod Galenus dicat, *in de Antid.* Medicos, qui antidotos conficiebant, tanquam optimam myrrham, injeciſſe Opocarpaſum, quod viderint in collyriis optimè facere. Nempe, ſi Opocarpaſum mentiri poteſt optimam myrrham, quei (dico iterum) poſſit eſſe major fallacia?

XIX. Jam, quod rei caput eſt, Habemuſne veram myrrham? Non magnis tuto reſponderi poteſt, quam ſupra, An verum bdellium habeamus? Revera, tam varia eſt in ſubſtantia, colore, ſapore, & aliis, ut difficile creditu ſit, eſſe ab eadem arbore, nedum à myrrhifera. Eſt etiam bdellio ſæpe tam ſimilis, ut dignoſci non poſſit. Quare ſunt, qui quod purius, bdellium vocent; quod impurius, myrrham. Habet bdellium vires myrrhæ, de experimento Rondeletii, quem Pena laudat. Quamobrem, qui falli non vult, conferat cum notis allatis. Niſi enim erro, ſatis non eſt cum Cordo diſtinxiſſe in ſex genera, quod nihil heic perpetuum ſit, ob lubricam mercatorum fidem. Quare etiam Bauhinus negligit.

XX. De facultatibus res facilis eſſet, niſi affectuum multitudo obſtaret. Galeno 8. *Simpl.* conſentiunt omnes, calidam & ſiccam eſſe in . Solus Serapio laudato etiam Galeno, in 3. Quod ut falſo dictum eſſe puto, ita utor pro Galeno. Cum enim 1. κ. γέν. 16. in albo Heræ doceat, medicamentum eſſe ἰσχυρῶς θερμαῖνον, ἱκανῶς τε λεπτομερὲς; cum 6. κ. γὲν. 8. ἐκ ἀγεννῶς θὲρμαίνειν καὶ ξηραίνειν: has mihi cogitationes parit, calidam & ſiccam eſſe in fine 2. gradus, qui coincidit cum principio tertii, ut ſæpe locutus ſum. Habet cum partibus illis tenuibus (ob quas diutinam in compoſitionibus coctionem non patitur, 6. κ. τόπ. qua de Diamoron) craſſas non paucas, quas indicat πικρότης ὐκ ὀλίγη; ut Galenus loquitur, *in de Simpl.* Jam igitur non tantum incidit & aperit: ſed & abſtergit.

XXI. An autem adſtringat quoque, in obſcuro eſt. Galenus ait clarè 6. κ. τόπ. 3. in ſiccis Aſclep. *Mediæ*, inquit, *facultatis eſt & miſtæ myrrha, quemadmodum & nardus Celtica, ita ut tum diſcuſſoria, tum adſtrictoria facultas in eo* (altero, inquam, compoſito, quod ibi diſcribitur) *ſint moderatæ.* Viciſſim non minus clarè id negat 6. κ. τόπ. 1. in Diam. ut & 5. κ. γὲν. 12. in Panacea Heræ. Definiens enim in illo, quando τῷ διαμόρων addenda ſint alia adſtringentia, quando non: viciſſim ab adſtringentibus compelli myrrham, itaque ſe mutuo adjuvare, ut vis utrorumque altius ſe inſinuet. Examinans autem in hoc ſingula ingredientia, *Myrrha & Aloë*, inquit, *citra morſum ſiccant: verum differunt, quod Aloë adſtringat, myrrha ſit tenuiorum partium, magiſque ſiccet.* Utrobique cum myrrham opponat adſtringentibus, quivis videt conſequentiam.

XXII. Ne quærere videar effugia, ſto cum Sylvio, *de comp. med. f.* 83. qui

ſine adſtrictione ſiccare ait cum Lobelio, *Obſ.* 578. Cujus verba ſunt, *Quod adſtringat, à veritate alienum videtur, quia menſes & partus celeriter ejicit.* Ibidem reſpondet objectioni, quomodo aliquando ſiſtat menſes? *Siccando & ſerum abſumendo.*. Idipſum reſpondebitur, ſi ex Dioſcoride afferantur λύσεις τε κοιλίας καὶ δυσεντερίαι. Heic enim plane ſecedo à Lobelio, qui dyſenterias promoveri vult à myrrha, quatenus abſtergit & adſtringit. 1. Enim jam negavit ipſus, myrrham adſtringere. 2. Quorſum in dyſenteria abſtergentia, ubi ſcopus eſt obtundere humorum nimis ſtimulantium & radentium acrimoniam? 3. Si Rhabarbari aliorumque in dyſenteria purgantium ab aliquibus receptum uſum urgere volet, dicam myrrham in horum cenſu non eſſe, vel ideo, quia, Galeno doctore, ipſoque Lobelio, nonniſi moderate & debiliter abſtergit, ſeu, ut Serapio loquitur, cum temperamento. Puto igitur prodeſſe dyſenteriis, quatenus ſiccat & digerit humores acres & rodentes. Idem dixero de aliis alvi dejectionibus. Jam enim illud repeto, cum negarit Lobelius, myrrham adſtringere, cur jam aſſerit?

XXIII. Quod vero de concoctione ait, non aliò pertinet, quam ad digeſtionem, de qua dixi. Hoc nimirum non aliud ſignificatur, cùm myrrha dicitur eſſe concoctorium, 3. κ. τόπ. 1. in med. ad inflam. aures, 4. κ. τόπ. 1. in art. 5. & 6. Quamobrem hoc ipſo mitigare dolores, adeoque anodynum eſſe, *locis citatis.* Tenſa enim hoc modo remittit, & quandam emolliendi ſpeciem nobis præbet.

XXIV. Non diſſimile quid facit in menſibus, cum ſubſiſtunt ob uterum refrigeratum. Uterum enim calefacit, ſanguinem attenuat, vaſa aperit, quomodo Lobelius explicat Dioſcoridem.

XXV. Idipſum reſpondebitur, ſi ex eodem Dioſcoride afferatur gingivarum ſtabilimentum, & dentium. Digerendo enim, non adſtringendo agit, niſi cum ol. omph. (ita explicat Lobelius) aut vino auſtero adminiſtretur. Tum enim ſociata vis adſtrictoria feliciorem facit effectum. Eodem modo emendat animæ fœtorem, alarumque tædia, diſſipando putridos humores, &c.

XXVI. Putarim etiam cavis dentibus impoſitam, non tantum abolere fœtorem, ſed & ſiſtere putredinem, ne ſerpat. Notus enim aliàs etiam uſus eſt in conſervandis cadaveribus. Eodem modo, non ulla viſciditate, exſiccante videlicet vi, humorem ſuperfluum abſumente, & pus collectum diſſipante. Eodem curat achoras, facto inde cum aliis unguento, quod Diaſmyrniu appellatur, 2. κ. τόπ 8. ex Critone. Eodem Catarrhos, aut potius Coryzas quasdam, illitis pennâ naribus. Lego enim cum Cornario apud Dioſcoridem διαχρισμένων. Eodem dolores capitis quoſdam cum Serapione, non autem, quod ſit caputpurgium, ut ipſe loquitur. Eadem ſanat affectus oculorum varios, factis collyriis, quæ Diaſmyrna vocat Galenus 14. *Meth. ult.* 5. κ. τόπ. 1. verbi gratia, ulcera cicatrices craſſas, quas λευκώματα Græci vocant, ſuffuſiones incipientes hypopya aſperitates, &c. Eadem collyria non raro applicantur ulceratis, putridis, fluentibus auribus, vel ſola, 3. κ τόπ. 1. vel cum aliis, meconio, caſtorio, glaucio

Dio-

Dioſcoridis. Eodem flatus diſcutit in Hydrope & Colica, de quibus Serapio & Avicenna. Eodem defluvia capillorum cum ladano & vino myrtite ſiſtit. Eodem de fluvia capillorum cum ladano & vino myrtite ſiſtit. Eodem tandem vitia quædam cutis, varos, lichenas, &c. cum aceto illita.

XXVII. Tum verò non mediocriter effectum promovet vis abſterſoria, quam ab amatore habet. Hoc Galenus ait, non lumbricos tantum, ſed & fœtus enecat, ejicitque. Hoc factis ſublingualibus, raucedinem tollit, & quæcumque ſunt à frigidis craſſisque humoribus, pectoris mala, ut veterem tuſſim, aſthma, orthopnœam mitigat, præparata materia ad expulſionem. Lobelius tamen monet, de mente Galeni & Serapionis, ſolam myrrham in his affectibus eſſe debiliorem, quam ut effectus ſequi poſſit. Quare adduntur acria quædam, ut piper, ſuccus porri, alia, quæ vel ſapa, vel ſyrupo de capil. Ven. excepta mirifice proſunt. Idem faciendum eſſe judico in menſium promotione & fœtu. Dioſcorides enim in caſu hoc apponit forinſecus, vel cum abſinthii decocto, vel cum lupinorum cremore, vel cum ſucco rutæ. Sic enim Dioſcoridem explicat. Avicenna, qui per clyſterem infundit. Idem ſentio, ſi eodem ſcopo uti quis velit intrinſecus. Sola enim parum præſtat.

XXVIII. De ſudoribus idem eſt judicium. Ideo Dioſcorides, &, qui inde habet, Lobelius, fabæ magnitudine, cum pipere dat ante febrium acceſſionem, in quartana quidem ex vino albo, in aliis autem ex aqua, & inde exſpectat obſtructionum apertionem, horrorumque ſolutionem. Et Matthiolus de proprio experimento ſcribit, Myrrhæ ʒj. in vino Cretico calido potam hora una ante acceſſionem, ut in ipſo paroxyſmo ſequatur ſudor, curare quartanam, ſi ter repetatur potio. Idem eſt author, ſi myrrha cum Theriaca conformetur in pilulas, ciceris magnitudine, quarum una ſumatur hora una ante paroxyſmum, bono id eſſe quartanariis. Nimirum ex his diſcimus, facere quidem id, quod Dioſcorides jubet: ſed non facere niſi cum aliis efficacioribus.

XXIX. Ego hoc etiam addo, quia myrrha cum partium tenuitate abſterſionem præſtat, eſſe non minimam inter illa quæ viſcera de obſtruunt. Quare Abugerius apud Serapionem laudat in aqua citrina, h. e. hydrope.

XXX. Hoc ſcopo in peſte ſolent dari ſingulis diebus aliquot pilulæ de communibus dictæ, quas Ruflo adſcribit Rhaſis. Tu vide cautionem in Millefolio.

XXXI. Heic quærunt quidam, quid ſit id, quod Dioſcorides ait, myrrham habere δύναμιν καϑαρτικήν? Jam id dixi non ſemel ex Cæſalpino, & dico denuo ex Galeno. Scribit is 2. κ. τόπ. 1. in medicamentis Apoll. ad dol. cap. Myrrham inducere quibusdam dolorem capitis, non ſedare. ſ. *Simpl.* 19. habet myrrham inter illa, quæ ob copiam humiditatis, ſi largius ſumantur, quosdam dementant, quibusdam etiam mortem inferunt. Et ſupra vidimus, ſomnificam eſſe & narcoticam.

XXXII. Ubi tamen fortaſſis exclamas, Hui, contrarii effectus? Dolor enim

 ſen-

ſenſus acutus eſt: ſomnus hebes. Non detinebo te, qui ſupra in Croco legiſti, quæ huc faciunt. Ex iis hoc tibi etiam clarum erit, non facere ſoporem in omnibus, ſed in capitibus, aut frigidis natura, aut alioquin pituita occupatis, in quibus aromata id faciunt.

XXXIII. Ex hoc pendet alterum, in iis, in quibus alioqui calor prædominatur, ſive ſine calidis humoribus, dolorem & gravedinem excitare, & conſequenter vigilias. Vide 5. *Aph.* 38.

XXXIV. Sed qua ratione ebrietati reſiſtit? An ſiccando? An hoc ipſo foris impoſita dolorem capitis curat? An potius poros laxando, ut inſenſilis tranſpiratio fiat major?

XXXV. Heic cogitant quidam de ſuccedaneo, ſiquidem myrrha ſit evanida? Qui *Bdellium* dant, in iiſdem ſunt difficultatibus, niſi certi ſunt de bonitate bdellii ſui. Quamobrem parum abſum ab iis, qui ſuccum Smyrnii vel Apii. Intelligo autem per Smyrnium, non tantum Creticum Lobelii, cujus ſemen habet odorem myrrhæ, ut poſt Dioſcoridem (qui ipſe eſt inter hos) ſcribit Pena: ſed etiam, & quidem potiori ratione, vulgare ſeu Matthioli, quod ipſum eſt Hipposelinum Theophraſti, forte etiam Dioſcoridis & Galeni; *Schelino* Italorum qui familiariter manducant. Hoc enim, præterquam quod à quibusdam habitum fuit pro myrrha, ut ex Dioſcoride dixi, & peto id ipſum à Theophraſto, 7. *Hiſt* 6 ait idem Theophraſtus τὸ δάκρυον ipſius ὅμοιον eſt τῇ μόῤῥῃ. Et *lib.* 9. *cap.* 1, τῦ ἱπποσελίνυ δάκρυον παρόμοιον τῇ σμύρνῃ. Huc reſpicit, & Plinius *lib.* 19. *cap.* 8. Per *Apium* intelligo, non vulgare *Petroſelinum noſtrum*, ſed *Apium off. Paludapium* ſeu *Helioſel.* herbariorum. Hoc enim, authore Galeno, ejusdem cum Hippoſ. & Smyrn. generis eſt. Imo, in facultatibus coincidunt, ut ex collatione liquebit. Ne quid diſſimulem tamen, mavelim Smyrnium Cordi, quod eſt *Angelica* noſtra *uſualis*, in qua nihil eorum, quæ heic deſiderantur, deeſt contra quam in *Helioſelino.*

XXXVI. Habemus in Officinis *oleum de myrrha deſtillatum*, quod diſtinguere oportet à *Stacte*, quod etiam ol. dicitur, ſed fit per expreſſionem tantum. Et hoc, loco *Opobalſami*, imponitur antidotis quibusdam. Utrumque diſtinguere oportet ab eo quod fit per humectationem, ut loquuntur, quando coquuntur ova aliquot ad duritiem usque, inciduntur, & abjecto vitello, implentur pulvere myrrhæ, inque cellam, præcipuè vinariam, ponuntur, aut etiam in puteo ſuſpenduntur, pedem unum atque alterum ſuper aquam, usque dum ſenſim exſtillet liquor omnis. Hoc ſervit ferè tantum phucis muliebribus, quamvis primum quoque ſeu deſtill. huc petrahatur. Vide Matthiolum *in Dioſcoridem*, & Geſnerum *parte alt. Euonymi.*

XXXVII. Habemus etiam *extractum*, quod ab *oleo per deſtillationem* non differt, niſi craſſitie. Hoc enim fluidum eſt: illud ſolidum. De hoc vide Melich. *in Diſpenſ.* & Fioravanti *in Secret.* Tandem habemus *Trochiſc. de myrrha*, qui referun-

feruntur ad Rhaſim 9. *ad Almanſ. c.* 83. *de provocatione menſium.* Hoc enim ſcopo uſurpantur frequentiſſime à ʒ. j ad iij. in liquore convenienti: quin etiam in pellendo fœtu, ſecundinisque. Videndum autem eſt diligenter, cum Nicolaus Florentinus, Montagnana, Wilhelm. Placotomus, Matthæus de Grad. & alii quædam ſuo lubitu mutarint, ne quid erretur in doſi.

XXXVIII. In primis hoc mihi monendum videtur, Fuchſium *in ſuo de comp. Med.* in poſtremis ingredientibus habere ℥. loco ʒ. & videri σφάλμα typographicum eſſe. Debent autem duo conſtare. *Alterum*, quo ſucco ſpecies ſint exceptæ; ipſaque gummata diſſoluta? Cum enim Rhaſis non nominet, alii ſuccum, aut decoctum abſinthii ſumunt, alii artemiſiæ, alii rutæ, alii ſabinæ, alii granorum juniperi, alii rubiæ tinctorum, alii capill. Ven. *Alterum*, ut pulveres quam exactiſſimè ſint triti. Quia enim penetrare debent longius, niſi beneficium id habeant, ſubſiſtent in via, & deſtituent tam Medicum, quam ægrum.

Caput CLV.

DE MYRRHIDE ET CICUTARIA.

I. Moneo, non doceo, Longo tempore fuiſſe in Officinis plantam quandam, quæ nomine quidem *Myrrhis dicebatur*, ob aliquam odoris myrrhacei ſimilitudinem, quamvis authore Pena, *paſtinaca tenuifolia* potius ſit: cognomine autem *Cicutariam*, quod *Cicutæ* folia quodammodo habeat. Eſt autem illa, quam Bauhinus inter myrrhidas 1. loco ponit.

II. Ubi pro Anguillara dico, cum 12. *Sent.* 6. ſcribat, Seſeli Peloponeſ. in Italia creſcere *in gran copia*, ut ipſius idiomate utar; mox autem 14. *Sent.* 102. neget *Myrrhida* in Italia reperiri: dici tuto vix poſſe, Seſeli Peloponeſ. & Myrrhida ſecundum Anguillaram eſſe idem.

III. Addo, quibusdam locis uſurpatum fuiſſe *Chærefolium Hiſpanicum*, qua occaſione alius & periculoſus enatus eſt error, ut pro *Chærefolio*, quod eſt *Korfelcraut*, acciperetur *Kelbercorn*, quod eſt *Cicuta*.

IV. Et hoc, *Myrrhin*, ut Cæſalpinus ſcribit 7. *Hiſt.* 28. alicubi & odore & ſapore eſſe fœniculi, unde *Finochiella* dicatur.

V. In hac igitur rei obſcuritate videant noſtrates, qua fronte utantur *oleo myrrhidis*? & in quibus affectibus Galenus 7. *Simpl.* de radice ait, calidam & ſiccam eſſe in ſecundo gradu, cum partium tenuitate, ob quam & menſes moveat, & pectus purget. Dioſcorides & Plinius plantam dicunt edulem eſſe. Qua de re quid ſit, deſpiciant noſtri, maximè propter *Cicutariam fatuam* Lobelii, quæ eſt *Cicuta minor* Cordi & Bauhini. *Die Gleiſſe* vocatur hortulanis, à ſplendore foliorum, quo ſe prodit, Petroſelino ſimilis.

CAPUT CLVI.

DE MYRTO ET MYRTILLO.

I. MΥΡΡΙΝΗ ἡ μυρσίνη, eodem modo μύῤῥινον ἡ μύρσινον, non eſt planta tantum, de qua agimus: ſed & *vinum myrtites*, quod una voce *Myrrhina*, ſeu *Murrhina*, formatione ſingulari dicitur, quæ potus erat quotidianus mulierum Romanarum, cum à vino prorſus arcerentur.

II. Oportet autem ab hoc potu diſtinguere *vina myrrhata*, hoc eſt, myrrha condita. De utroque (potu) Plinius *lib.* 14. *cap.* 13. Sed & *Murrhina*, ſubaudi *vaſa*, ſunt ex gemma, cujus initio ſup. cap. memini. De hac ambiguitate vide *App. Poſt-Cur. noſtrarum.*

III. In hac planta hoc peculiare eſt, quod ὀξυμυρσίνη, non eſt *Myrtus Sylveſtris*, ſed *Ruſcus* infra dicendus. Qua ex re documentum capere poſſunt, qui in facultatibus contendunt inter ſe *Myrtum ſativam & Sylveſtrem*. Omnis enim myrtus eſt ſativa.

IV. Quo loco, noto, ipſiſſimam hanc plantam etiam Græcis dici μύρτον, & ὑποκοριστικῶς μυρτίδα, adeoque *Myrtum*, Græcum eſſe vocabulum, non Latinum.

V. Rurſus, baccas myrti non in feminco jam dici, ſed in neutro, τὰ μύρτα Dioſcoridi *lib.* 1. *cap.* 128. *& lib.* 5. *cap.* 32. qua de vino myrtite Galeno 2. *Alim.* 18. 1. *Simpl.* 34 4. *Meth.* 7. 8. *Meth.* 5. Nicandro *in Ther.* Myrta tamen & Murta in feminino eſt apud Catonem non de arbore, ſed de baccis, ut ego puto. Quod mirabitur, qui ſcierit, quam profuſe liberales ſint veteres in mutandis plantarum generibus.

VI. Sed quid eſt μυρτίδανον? Non unum quid, ſed tria diverſa quæ vide apud Foëſium *in Oeconomia*, Litigarunt hac de re olim Matthiolus & Guiland. ut videre eſt *in Probl. Venet.* 1562. *in* 8. Porro quia nec Dioſcorides *loc. cit.* nec Theophraſtus ullibi deſcripſit plantam, videbitur operæ pretium feciſſe Cæſalp. qui 3. *Hiſt* 49 corraſit omnia quæ apud Theophraſtum ſparſim ſunt. Hunc olim ſecutus ſum ego, quod duæ aliæ plantæ ſint, quæ certant in Officinis cum *Myrto vera*. Sed cum longe brevior ſit via perveniendi ad ſcopum, relinquo ambages.

VII. Prima eſt *Myrtillus* præſcriptus, quem Bauhinis ſubjicit Myrto, & putat eſſe *Vitem* ſeu *Radicem Idæam*. Altera eſt *Elæagnus* Cordi, *Chamelæagnus* Dodonæi, quam Bauhinus inter Rhois (ſic ille ſcribit) ſpecies habet IV. loco. In his deſcribendis olim officioſus fuit Lobilius, *Obſ. f.* 560. *& ſeq.* quem æmulari placet præ Bauhino, diſtinguendo Myrtum *in majorem ſeu Latifoliam*, & *minorem ſeu Tenuifoliam.*

VIII. Quo loco id obſervandum, non eſſe contendendum cum illis, qui myr-

myrtum quidem hortenſem vocant domeſticam, ſylveſtrem autem agreſtem, licet dictum ſit, non eſſe in hoc genere illam differentiam. Utrum autem domeſtica ſemper & ubique præſtet ſylveſtri, quod vult Matthiolus, ignoro. Contrà, pugnandum eſſe contra illos qui myrtum nigram volunt eſſe ſativam noſtram, ut candidam ſylveſtrem. Tueri enim animus eſt veterem λέξιν.

IX. Multo magis pugnandum eſſe contra pravam conſuetudinem Officinarum, quibus idem ſunt *Myrti veræ* ſive ſemina, ſive grana, ſive baccæ, & *Myrtilli noſtri unſer ſchwark Beer*.

X. Habetur alicubi & *ſuccus* alterutrorum *expreſſus*. Quinetiam folia aut potius tenera germina, è quibus pariter ſuccus exprimitur, Non negligendus eſt locus natalis plantæ, ob quem vel lætior, vel ſtrigoſior eſt, & conſequenter facultates non ſunt eædem.

XI. Volunt baccas recentes, plenas, bene nutritas, odoratas, (de veris loquentes) nigras potius, quàm albas. Pro varietate harum circumſtantiarum, *Myrtus* quædam eſt calidior, minusque adſtringit: quædam frigidior, magisque adſtringit. Undecunque ſint tam baccæ, quam folia, conſtant contrariis qualitatibus ut Galenus docet 7. *Simpl.* 2. *Alim.* 18. Baccæ ob odorem gratum, ſaporemque vinoſum, non parum ſubſtantiæ tenuis & igneæ participant, ob quam, ut Galenus loquitur, valenter ſiccant. Eadem, proportione quadam eſt in foliis, præcipuè viridibus, ſuccoque eorundem.

XII. Sed enim folia ſicca merito ab his diſtinguuntur, 7. κ. τόπ. 14. in Glaucino Heræ, 7. κ. γέν. 14 in Acopo Clementis.

XIII. Præter caliditatem hanc plurimum habent ſubſtantiæ frigidæ & terreæ, ob quam, ut idem ait, valenter adſtringit planta, licet non perinde valida ſit frigiditas, obtundente videlicet illam caliditate, de qua dixi.

XIV. Si de gradu quæras, dicet tibi Sethi, idque authoritate Galeni, ut puto, baccas quidem frigidas eſſe & ſiccas: plantam autem Avicennæ frigidam eſſe in 1. ſiccam in fine 2. In activis conſentit Braſſavolus: in paſſivis diſtinguit. Licet enim (vult dicere) & germina, & fructus, & ſuccus valenter exſiccent, quæ locutio eſt de 3. gradu: tamen quædam ſunt in fine 2. quædam in principio tertii.

XV. Qua de ἀκριβείᾳ quicquid ſit, intelligitur inde, unde pendeat diverſitas effectuum. Caliditate illa tenui, quam indicat tantilla dulcedo, non ſine tamen acrimonia, juncta cum frigiditate & adſtrictione ſatis valida, decoctum baccarum poteſt lenire dentium dolorem quendam, ut & tuſſim quandam, videlicet quæ eſt à tenui calido humore, & in principio, cum nondum exulcerata eſt ulla pars, ut videtur explicare Sethi, mitigata humoris acrimonia, & partibus roboratis, ut ad excipiendum minus aptæ ſint.

XVI,

XVI. Idem judico de vi diuretica baccarum. Quia enim ſimul mentio fit exulcerationis veſicæ, puto eſſe referendum ad humorum acrimoniam, quæ facit dyſuriam. Alioqui veſicæ obeſſe, quod iterum Sethi, exaſperando ſcil. non dubito. Idem cenſeo de aliis calidis fluxionibus, eryſipelate, verbi gratia, herpete, dyſenteria, 4. *Meth.* 7.

XVII. Sed hæc de uſu interiore: alioqui foris in omnis generis ulceribus non parum opis præſtat ſiccando & adſtringendo.

XVIII. Iisdem facultatibus in nimiis menſibus, hæmorrhagiis, hæmoptyſi, diarrhœa, &c. prodeſt *Meth. l.* 1. 9. *c.* 9. κ. τόπ. 5.

XIX. In roborandis viſceribus intus, in artubus exterius, præcipuè cum à calore nimio languent, habet ſuas laudes. Prohibet etiam aſcenſum vaporum ad caput, & eſt inter ἀμέθυστα, 2. κ. τόπ. 2. In debilitate ventriculi Archigenes olim baccas dabat *num.* 20. 8. κ. τόπ. 4.

XX. Quæ aves paſcunt baccas, carnem adipiſcuntur ſolidam & minus excrementoſam. Inter has ficedulæ, quarum ſtercus cum omnibus inteſtinis comeditur, addito joco, eſſe ipſa carne melius. Et eſt ita locis iis, ubi ſpontanea eſt myrtus. Apud nos nugatorium eſt. Hinc intelligi poteſt, quale alimentum humano corpori dent baccæ? Reſpondet Galenus *Alim. loc. cit.* Habere hoc commune cum omnibus medicamentoſis, ut poſtquam coctione, aſſatione, maceratione depoſuerunt acrimoniam, parumper alant, ante vero nihil prorſus. Cum enim, ut dictum eſt, neque debiliter ſiccent, nec inſtrenuè adſtringant in 2. ordine, 6. κ. τόπ. 3. quid boni inde ſperes in uſu cibario? Pleriſque Italiæ locis utuntur illis coriarii ad denſanda coria.

XXI. Habemus in Officinis *Syrupum myrt. duplicem*, ſimplicem & compoſitum. Simplex multipliciter variat: apud nos eſt deſcriptio Meſue *in Antid.* neque tamen ad nutum ipſius fit. Ego duo noto. *Alterum*, ſuccum eſſe exprimendum ex bene maturis, ita enim digeret etiam. *Alterum*, ut ſtatim ab expreſſione fiat Syr. cum paulo vetuſtior jam amiſerit partes tenues.

XXII. Quo habito, dicendum eſt, ſuccum, qui apud nos fit ex aridis decoctis, vel parum, vel nihil poſſe. Idem judicium ſit de melle myrti, quod alicubi fit pro Diacodio Nicolai. Tum vero videndum, quæ ſit proportio ſacchari. Variat enim.

XXIII. Uſus ſimplicis hujus Syr. eſt ad catarrhos calidos tenues præcipuè, cum pectus occupant. Quod quidam dicunt, tum habere locum, cum contrariæ ſunt indicationes, expectorandi & adſtringendi, apud me fidem non meretur. In dictis enim catarrhis non requiritur tenue-calidum myrti, ſed oppoſitum, frigidum. Eadem ratio eſt in ſanguinis fluxibus, ex quacunque corporis parte. Scopus enim noſter eſt ſanguinem refrigerandi, & quaſi immobilem reddendi. Eadem in nimiis aliis vacuationibus. Viſcera roborat, & ſanguinis acredinem temperat. Eadem ratio eſt viſcerum in nimio calore.

XXIV.

XXIV. Quæritur, an, ſi ſuſpectus ſit nobis ſimplex, ſubſtitui poſſit compoſitus? Ad hunc enim ſenſim delabor. Pleriſque dicunt, Nicolaum hoc ſpectaſſe. Mihi enim primum cum Sylvio ſuſpecta eſt nimis magna farrago adſtringentium, cum unum ſufficere poſſit. Deinde, ſi omnino adſtringendo poteſt aliquid, in ventriculo ſolo & inteſtinis poteſt, cum præcludat ſibi viam ad hepar, & ulterius. In mitiganda igitur tuſſi, tantum abeſt, ut aliquid proſit, ut etiam amplius exaſperet. Multo itaque minus locum heic habent contrariæ indicationes. Unde enim illi facultas attenuatoria?

XXV. Heic etiam non minus quàm ibi, imo magis attentendum eſt varietati deſcriptionis. Tanto magis, quod Cordus noſter olim ita mutavit, ut author non ſit agniturus. Hoc vero de ultima edit. anni 1598. accipiendum non eſt, quippe, in qua ad fidem Auguſtanorum Medicorum, quibus Occo præfuit, emendata eſt. Et hæc de Syrupis.

XXVI. In oleo Myrtillorum, Myrtorumve duplici Offic. magnæ ſunt turbæ. Duplex eſt, & alterum fit ex baccis myrti, alterum ex foliis. Atque ut differentia ſit, quod ex baccis fit, myrrinum vocatur: quod ex foliis, Myrtillorum: atqui fit etiam quoddam ex baccis & foliis ſimul, cui quod nomen? Ego non magni facio, & ſicubi opus illo ſit extrinſecus, in fluxibus alvi, in ambuſtis, intertriginibus, debilitate generis nervoſi, &c. utor melino potius, cum hac atteſtatione, inferius potius eſſe Melino, quàm ſuperius ut quidam volunt.

XXVII. Oritur heic quæſtio, an myrtilli noſtri poſſint eſſe ſubſtitutum Myrtorum? Ego qui neque noſtra omnia contemno, neque exotica omnia præfero, cenſeam, myrtillos noſtros nigros rectè atque ordine poſſe ſubſtitui, ſed cum his conditionibus 1. ſubſtituo non Italos, aut Hiſpanicos, aut ex aliis regionibus calidis, ſed Septentrionales noſtros, qui naſcuntur ferè in ſylvis opacis. 2. Non exactè maturos, quorum ſuccus eſt dulciſſimus: ſed eos, qui ſunt in maturationis initio, ut Monachi loquuntur. Si enim quod Paſinus vult τὰ χλωρὰ μυρτὰ apud Dioſcoridem ſunt immatura; illa vero ſunt ſucco aptiora: fuerint utique in hoc quoque genere. 3. Non virides ſeu recens decerptos: ſed exſiccatos, abſumpto jam humido excrementitio. 4. Non ſuccum crudum, qui ob aquoſitatem multam, multum refrigerat, adſtringit parum: verum in Rob denſatum, ut Officinæ vocant. Hunc tanto efficaciorem eſſe crediderim Rob Myrtorum, quanto plures ſunt in illo partes tenues, qua non ſecus ac Gulioca juglandium, de qua in Nucibus, imprimit manibus & ori manducantium notas penè ineluibiles. Quo loco ſi quis mihi objicere velit larvam Dodonæi, qui frigidos dicit in 2. intenſo & ſiccos, cum manifeſta adſtrictione: dicam, myrtillos loco aprico natos, & bene maturos, nullatenus eò aſcendere, ut alvum frigidam cruditate ſua perturbent, tantum abeſt ut adſtringant, fluentémve ſiſtant. Nimirum, non oportet æſtimare hæc ex ventriculo frigido ſed temperato. Hoc Galenus toties inculcat, ut pudor ſit advocaſſe loca Interim non diffiteor, habere plus aqueæ ſubſtantiæ quàm oportet, ideo præcoquo, antequam

pro ſuccedaneo recipiam. Quid autem? Scribit ipſemet, *Ventriculo æſtuanti convenire.* Quæ quantum abſunt ab illis, quæ de Syrupo ſimplice dicta ſunt? Quantum ego à me ipſo.

XXVIII. Et quæ hæc quidem per anticipationem de

MYRTILLO.

Dicta ſunto quibus addo, ſi nolit quis uti nigris, utatur rubris, qui *Knaftelbeer* dicuntur, & ſunt, ipſomet Dodonæo judice, frigidiores & adſtringentiores.

XXIX. Ego, corollarii vice, tractabo quæſtionem illam, *An myrtillus ſit* ἄμπελος τῆς ἴδης *Theophr.* 3. *Hiſt.* 17. *& vitis Idæa, ſeu Alexandrina* Plin. *lib.* 14. *cap.* 3. Dioſcorides non meminit: Galenus habet ſub alia nomenclatura, ἰδαίης ῥίζης, fortaſſis lapſus memoria, & quidem *lib.* 6. non 8. *Simpl.*

XXX. Ego duo moneo 1. Idam intelligi, non Cretæ, ſed Troadis, & propterea Alexandream Troadis, non Ægypti, ubi Accdemia fuit 2. Phalacras Theophraſti eſſe quidem locum Geographis incognitum, obſcurum quippe: ſed nomen inſinuare nobis planitiem nudam, perflatilem, arboribus minime conſitam. Unde veriſimiliter concluditur, myrtyllos ibi fuiſſe valde ſuaves & ſalubres, unde condimentum paſtoribus & tenuioribus aliis gratiſſimum. Addo 3. Plin. ut perfectam nobis daret vitem, τὰς ῥᾶγας mutaſſe in *Racemos.*

XXXI. Huic credo innifus Dodonæo, qui dicit, *deſcribi ibi Vitis viniferæ ſpeciem*, quia locutio ſit abſoluta. *Abſoluta vero?* ἄμπελος τῆς ἴδης, *Vitis Idæa?* Præterea cum negare non poſſet, *Vacinium* eſſe è Græco ὑάκινθος, quomodo vitis eſt hyacinthus, quid in illo γραπτὸν? Dico igitur, Conſolida noſtra media poteſt eſſe Hyacinthus Poëtarum: Vitis nulla eſſe poteſt. Cætera Dodonæi riſus habet.

CAPUT CLVII.

DE NARDO, SPICA, VEL SPICA-NARDI, *quæ & Indica, Nardo-Celtica, ſeu montana & Lavendula utraque.*

I. Vide mihi heic iterum licentiam Botanicorum, qui dicant ὁ νάρδος, ἡ νάρδος, τὸ νάρδον! Et quia planta, ex pluribus contexta particulis, στάχυν, *ſpicam* referentibus, ſingula illarum dicuntur νάρδοστάχυς, aut uno verbo ναρδοστάχυς. Conſentiunt authores, cum ſimpliciter dicitur, *Indicam* intelligi. Re enim vera omnis eſt *Indica* ſeu *Gangetica*, vel Dioſcoride teſte: Conſentio Paſino *in Matth.* Dioſcoridem eſſe vitioſum: ſed cum ex vitioſo Serapio *Ignem* facit *Gangem*,

gem, & in Syria collocat, turpiſſimè errat. Quæ autem attexitur fabula de monte Syriam ſpectante, unde *Nardus Syriaca* ſit, non magis eſt credibilis, quàm ſi Ægyptia diceretur, Romana, Veneta, Norica. Omnis enim ex India Orientali per mare Erythræum ſurſum venit in Ormuz, Aden, & alia ibidem emporia, è quibus in vicinam Syriam. In hanc quia magna copia diſtribuebatur olim propter luxum unguentarium, qui porro ex Syria in Europam vehebant, *Narcum Syriacam* vocabant. Nec magis a *Naarda*, urbe Euphrati inædificata apud Stephanum, nomen habet, quam à *Nar*, Italiæ fluvio. Idem judicium eſto de Gallico & Cretico Nardo Plinii, *lib. & cap.* 12. vel ideo, quia affingit illi *folium* ſeu *Malabathrum*, ſupra dictum.

II. Planta tota eſt, qualem Matthiolus, Lobelius, Dodonæus, alii pingunt, hoc excepto, quod ſpicæ non ſemper in faſciculo rotundo ſunt: ſed variè fluitant, ut Cluſius pingit *in Garz.* 1. *Arom* 33. An eſt μεγαλοςάχυς Sampharitica? Hæc radix non eſt, ut vulgus ſibi perſuadet, quia radiculæ ſubtus ſunt, quaſi ἐν πυθμένι Græcis dicto in bulbaceis. Nec refert, ſi Galenus 1. *Antid.* 14. & 9. κ. τόπ. 4. in Philonio Tarſ. ut & 8. *Simpl.* pro radice agnovit. Secutus enim eſt judicium vulgi. Revera radices ipſæ adhærentes inutiles ſunt.

III. Naſcitur tale quid ſpurium in Narbonenſi provincia Galliæ, quod Pena deſcribit & pingit. Naſcitur & apud nos in pratis uliginoſis, quod in Catalogum nondum venit.

IV. Notis nardi non immorabor, ſed exſcribam tantum Dioſcoridis verba de Syriaco, ſecus quàm Galenus, qui 8. *Simpl.* Indicum: Sed lis eſt verbalis, ut ex ſuperioribus patet. βελτίων, inquit, ἡ πρόσφατος καὶ κȣ́φη, πολύκομος, ξανθὴ τὴν χρόαν, εὐώδης ἄγαν, καὶ μετὰ τȣ̃ κηπειρίζειν (κυπαρίζειν, malè. Vide Hermol. in Dioſcor.) ἐν τῇ ὀσμῇ, μικρὸν ἔχȣσα τὸν ςάχυν, πικρὰ τὴν γεῦσιν, καὶ γλώσσης ἀναξηραντικὴν, ἐπιμένȣσά τε τῇ εὐωδίᾳ ἐφ᾽ ἱκανὸν. Ubi noto Galenum Indicam ſuam ἰσχυρωτέραν eſſe dicere, καὶ μελαιτέραν. An ἡ ξανθότης indicium eſt exoleſcentis.

V. Tu videris, an nardus noſtra habeat vel omnia, vel pleraque hæc ſigna: Ego cum Matthiolo, Fallopio *in Dioſcor.* & Garzia (ſufficiat hæc triga) ajo.

VI. Nec metuo *Piſum* venenum vocatum, quod φαρικὸν Dioſcoridis & Athenæi eſſe Hermolaus putat *loc. cit.* quia deſcribatur odore nardi. Me ſecurum faciunt (ne de experientia quotidiana dicam) Garzias & Acoſta. Cæterum idem Garzias hujus *Piſi* authorem facit Lacunam *in Dioſcoridem*, *lib.* 1. *cap.* 6. Ego in meo libello *Rouill.* anni 1554. nihil tale reperio. Cluſius tacet. An eſt dulcis ille liquor, quem Paſinus invenit in confracta Indica, qui ſimilis erat melli, non minus odoratus, quam balſamus? quem tamen excuſat eventus? An *Antimonio alterata* nardus ſuſpicionem fecit aliquando veneni?

VII. Facultates intuituro ſtatim ſe objicit difficultas. Calidam quidem & ſiccam eſſe Dioſcorides etiam dicit: ſed in gradu diſſenſus eſt in codicibus Galenicis. Uterque enim codex Græcus habet ἀπόςασιν τρίτην in caliditate. Hanc negat

 illi

illi Falloppius *in Dioſcoridem cap.* 10. & δευτέραν legit. Sed & hanc negant Recu. πρώτην volentes, qua in re conſenſum habent Averroes 5. *Collect.* 42. & Avicenna 2 2. *cap.* 640. In paſſivis conſenſus eſt, ſiccare κατὰ δευτέραν συμπληρωμένην, *in 2 completo.* Addit Galenus, *heterogenearum partium eſſe, compoſitam quippe ex ſubſtantia ſic ſatis adſtringenti, & calida non multa, cum quadam ſubamara pauca.* Hæc ipſis verbis volui, quod Averroes quidem infideliter verterit: Avicenna autem prorſus ſilentio involverit. Pergit Galenus. *Talis cum ſit nardus, veriſimiliter prodeſt & hepati ventriculoque & bibita, & foris impoſita, &c. 6.* κ. τόπ. 1. addit, diſcutit & adſtringit, 9. κ. τόπ. 4. concoquit affectus frigidos, *Præcognit.* 11. in illa pulcherrima hiſtoria Marci Imperatoris laborantis τρίψει ventriculi, nardinum unguentum in lana imponit.

VIII. Ex his quia ſuperiora legit, facile cauſam reddiderit particularium operum, à Dioſcoride, Serapione & aliis deſcriptorum, parcam ego operæ.

IX. Habemus in Officinis *Ol. Nard. Meſue duplex*, utrumque compoſitum, ſed alterum compoſitius altero: cujus utriusque inſignes ſunt virtutes, ex ipſo Diſpenſ. hauriendæ. *Ol. benedictum* vocat author, quod credo, ſi ſæpius repetatur infuſio.

II. DE NARDO CELTICA.

X. Non debuit Bauhinus toto ſpatio diſtinguere ab Indica, quod in poſſeſſione nominis fuerit à ſæculo Dioſcoridis usque, & ulterius. Quod enim alibi deduxi, Conditio materiæ ſubjectæ, in doctrina Botanica eſt confuſior natura ſua, quam ut leges methodi ferat: quin ubicunque inſtituuntur, ſatis eſt, ſi funis ſit ex arena textus. Quo minorem gratiam apud me iniit Matthiolus, cum Methodum Dioſcoridis oſtentavit. Scimus quanti fecerit Theophraſtum Ariſtoteles. Is tamen exemplo nobis præivit, nulla opus eſſe methodo. Quod ſi quis tanti faciat umbram methodi illam, quam ex comparatione cum animalibus ſumunt, quod aliæ ſint in ſicco, aliæ in humido; & rurſus, quæ in ſicco, aliæ in montibus & ſylvis, aliæ in agris & cultis: & porro faciat, modo non ſeparet, ſed pro congeneribus habeat, quæ vetuſtas voluit, verbi gratia, Centaurium majus & minus, Chelidonium majus & minus, &c. &, quæ methodus eſt Lobelii; incipere à graminibus, & cum his jungere, quæ qualemcumque foliorum ſimilitudinem habent? Interim ſufficit mihi ſive methodus, ſive ordo qualiscumque ſit. Viciſſim quid proficit ἀκρίβεια Cæſalpini à ſeminibus capta? Non ego hoc dico, ut ſugillem virum graviſſimum, quem merito maximi facio: ſed ut oſtendam, neque locum habere in Phyſicis, quatenus in ſcientiarum numero eſt Botanica: neque in Medicina, quatenus Medicus quidam eſt quaſi Deus apud Ariſtotelem, qui (Medicus) alio fine creatas à Natura plantas, uſibus humanis accommodat. Et quis quæſo, vel hortulanorum vel Medicorum, unquam reſpexit ſemina quæ ſunt poſteriora, & tum demum ſeſe exhibent, cum plantæ moriuntur? Novi, qui omnem eruditionis laudem ponit in cognitione ſemi-

ſeminum terræ mandandorum? Sed quem unquam adoleſcentum fecit meliorem Medicum? Nec dicere poteſt, revera hoc univerſale eſſe. Nam & heic eſt naturæ imperfectio quædam. Sed hæc ego flumine orationis abreptus, tanquam equus percitus, quo modo Galenus alicubi loquitur.

XI. Sed ad Bauhinum revertor, qui tacite proſcribit totum caput de Nardo montana, licet rationes facti non det. Illarum prima fuerit, quam Marc. Vergil. oſtendit, plura in parvo cap. obſtrepunt vitia. Secunda contradictio, cum dicat folia Eryngii habere, tamen poſtea neget illi prorſus folia. Tertia, Avicenna prorſus non habet. Serapio habet, ſed non ſine vitio, quod Paſinus ſignat. Oribaſius excludit illa, ὅτε καυλὸν, &c. & recte: eſt enim fabula illa, de qua ſupra in Dictamno. Hanc dum ſtabilire vult Saracenus ſuo illo *Diu ſuſtinet*, parum prudens eſt. Idem dico de Marc. Vergilio, qui pro καύλοις, legit κλάδοις.

XII. Ut igitur ad Celticam reditum faciam, recte ajo, feciſſe eundem Vergilium cum *Gallicam* vocavit, Plinii imitatione, *lib. & cap.* 12. Per *Galliam* intelligit Falloppius *in Dioſcoridem*, illam Italiæ partem, quæ Mediolanum & Pedemontium habet, hodie Inſubria, quam Liguriæ includunt quidam, & *Liguſticam nardum* vocant. Bauhinus latius extendit, ut Germaniam etiam includat. In Auſtria enim, Styria, Pannonia, Norico, & Alpibus Heluetiis provenit. Huic conſonant illi, qui ἀλιέγκαν (vox variè torquetur) Dioſcoridis, & *Saliuncam* Plinii, Germanicæ originis faciunt, quaſi *Seeljung* dixerint majores noſtri, quæ Animam rejuveneſcere faciat. Vox eſt in Officinis quibusdam, de qua vide Falloppium, Marc. Vergilium, Matthiolum *in Epiſt.* Arabibus, itemque Officinis quibusdam *Spica Romana* dicitur. *Rumim* enim appellant hodie in Oriente & India, omnes Europæos. Planta ipſa eſt apud Bauhinum *in Pinace*. IV. in ordine, *Nardus Celtica Dioſcoridis.*

XIII. In facultatibus comparat Galenus 8. *Simpl.* quadantenus cum Indica, ſed imbecilliorem ad omnia eſſe, præterquam ad urinam ciendam. Hac enim in re potentior eſt, calidior quippe. Interim & minus adſtringit, ait. Hinc de modo ſubſtantiæ quæſitus, partium eſſe ait tenuiorum quam Indica. Hinc 6. κ. τόπ. 3. dicere poteſt, moderate diſcutere & adſtringere. Mihi hoc nota dignum viſum eſt, quod Matthiolus ſcribit, ex Styria noſtra in Ægyptum portari, ubi uſus ipſius ad balnea ſit.

III. DE LAVENDULA UTRAQUE.

XIV. DUplex cum ſit, altera folio anguſto, quæ *Italica* dicitur, *Spica*, vel *Spica Nardi* Officinarum; alia lato, quæ *Germanica*. quæque generis nomen retinet, ab uſu in balneis: ago heic de utraque.

XV. Contendunt heic Botanici more ſuo, quid ſit apud veteres? Κνέωρον utrumque Theophraſti 6. *Hiſt.* 2. quod Caſſiam vertit Gaza, contendit eſſe Guiland-

land. quem refutavi *dicto l. Animad.* Nardis aggregat Matthiolus, Stœchadi Bauhinus, quem ſequor.

XVI. Utraque calida & ſicca, propter inſignem odorem, cum multa partium tenuitate, hac (meo judicio) differentia, quod Lavendula noſtra in 2. gradu ſit, Spica in 3. Lavendula vix venit in uſum, niſi cum falſificatur, ut ſic dicam, ea ſpica. Eſt enim in omnibus inferior.

XVII. *Spicæ* autem *Oleum* tam penetrantis eſt odoris, ut ego toto corpore abominer. Alioquin quid poſſit, ſatis patet ex ſuperioribus. *Conſerva* eſt inſigne capitale, ſed ingratum.

CAPUT CLVIII.

DE NASTURTIO ET Cochleariâ.

I. TAM amica fuit exteris quibusdam Varroniana originatio, *Naſturtium*, quaſi *Naſitorium*, ut ſuis linguis accommodarint. Itali enim vocant vel *Torchinaſo*, vel *Torchionaſo*, Galli *Naſitort*. Græcis eſt κάρδαμον, & eſt primitivum mea opinione. Cum hoc idem eſt, ut in aliis quoque, diminutivum καρδαμὶς. Longè vero aliud eſt καρδαμίνη, καὶ καρδαμαντική, quod quidam pro corrupto habent, licet Siſymbrio alteri Dioſcoridis tribuatur, διὰ τὸ ἐοικέναι καρδάμῳ τὴν γεῦσιν, ut loquitur.

II. Quæ ipſa vox cautos nos faciat, ne erremus cum iis, qui huc trahunt plantas, vel *Thlaſpi* debitas, vel *Erucis*, vel *Drabis*, vel *Lepidiis*, vel *Buniis*, vel denique aliis. Quam in rem opus habemus accurata veterum deſcriptione, quam illi neglexerunt, quod obviæ cognitionis *Naſturtium* eſſet. Sed neque ex aliis locis fieri tale quid poteſt, quod alioqui ſolenne eſt Cæſalpino. Nimirum, tam erat vulgaris notitiæ, ut ſtupidis & inſenſatis diceretur, κάρδαμον ἔσθιε, qua de parœmia vide Eraſmum. Et hac pertinent Plinii illa *lib.* 19. *cap.* 8. locum eſſe factum proverbio, veluti torporem excitantis. Et *lib.* 20. *cap.* 13. inquit, animum excitat.

III. Dioſcorides *lib.* 2. *cap.* 149. apud Matthiolum, 187. apud Saracenum, Babylonici tantum meminit. Theophraſtus 7. *Hiſt.* 4. negat plures eſſe ejus ſpecies. Apud Galenum 7. *Simpl.* ſilentium. Interim 10. κ. τόπ. 2. in med. Hygieni Hipparchi, quemadmodum etiam apud Paulum *lib.* 3. *cap.* 77. qua de Iſchiad. eſt *Naſturtium ſylveſtre*, quod præſupponit *hortenſe*: rurſus 9 κ. τόπ. in potione ſplenica Antipatri, eſt *Nigrum*, quod ſpectat album. Apud Plinium *lib.* 20. *cap.* 13. ſunt tenebræ, ut neſcias utram diſtinctionem velit. Apud Bauhinum *in Pinace* omnia alia ſunt, hortenſe, pratenſe, aquaticum, montanum, ſylveſtre.

IV. In Officinis uſurpatur *ſemen Naſturtii hortenſis vulgaris*, quod eſt II. apud Bau-

Bauhinum, cujus folia etiam Lactucæ eduli miſcent, *das Saure* vocant. In Catalogo noſtro eſt III. Ubi notavimus, quibusdam locis uſurpari Naſturtium aquaticum 1. ſub nomine *Senetionis*, vel *Senationis*, *unſer Brunnerſs*, quo, tempore hyemali utimur in acetariis. Hoc ipſum quædam Officinæ *Naſturtium aquaticum* vocant, aut *Sylveſtre*: quædam *Naſturtium pratenſe I. Bauhini* volunt, quod eſt *Flos cuculi* Dodonæi, *Iberis* Fuchſii, & III. in Catalogo.

V. Galenus 7. *in Simpl.* ſemen, quod primo loco heic poſitum eſt, comparat cum ſem. ſinapi, & ait, καυϛικῆς μετέχει δυνάμεως, ὥσπερ τὸ νάπυ, quod eſt, *Calidum & ſiccum eſt in* 4. Et licet Avicennæ videatur conſiſtere in tertio: facile tamen eſt agnoſſe ſcribæ errorem, quia non admittit Avicenna comparationem cum ſinapi. In eodem gradu eſſe folia ſicca, inquit Galenus: ſed humida ſeu viridia usque adeo abundare aquoſa humiditate, ut cum pane ederit aliquis pro obſonio.

VI. Quo ſermone proculdubio reſpexit ad Perſas. Hi enim parcè & duriter vivebant, ob regionis aſperitatem, ut author eſt Plato 3. *Leg.* ut & Xenoph. 8. παιδ', pane & naſturtio famen tolerantes, ut poſt dictos duos, Cicero 5. *Tuſculan. & 2. de finib.* Hieron. *lib.* 2. *adv. Jovin.* & iterum *in Daniel cap.* 8. Strabo *lib.* 18. *Geogr.* & Suidas *in voce.* Κάρδαμον. Horum ipſa verba, qui volet, adeat Briſſon. *lib.* 2. *Perſ.* Quamvis autem hæc ratio non immerito videatur ruſtica Bruyer. 8. *Cib.* 23. noxia tamen dici non debet, præſertim, ſi accedant exercitia, quæ illis uſitata erant, aut potius fames, qua pro condimento utebantur. Hanc in victu continentiam ſequebatur, ut Briſſonius loquitur, ſumma ſiccitas & integritas valetudinis. Qua de cauſa, ut ait Xenophon, neque ſpuebant, neque emungebantur, neque ſufflato corpore erant. Ob eandem cauſam, cum, ut Ammian. Marcellinus *lib.* 19. loquitur, Romanorum cadavera cæſorum, mox fatiſcebant, & defluebant adeo, ut nullius mortui facies poſt quatriduum agnoſceretur, interfectorum Perſarum inareſcebant inſtar ſtipitum, nec liquentibus membris, nec ſanie perfuſa madeſcebant.

VII. Sed de his obiter: ex quibus tamen occaſionem captabo excuſandi Naſturtium, quod κακοϛόμαχον ſit, & quidem inter olera calida & acria maximè: conſuetudo enim una cum exercitiis mitigabat iſta.

VIII. Noſtris moribus, ut jam innui, cum lactuca ſumitur, cujus frigiditatem, ſi rectè æquatur, utraque non emendat tantum, ſed & viſcerum fervorem attemperat. Quidam hoc modo pueris verminoſis dant, ſperantes inde alvi fluxum, quo vermes occiſi ſimul excutiantur. Quod ut in ſemine ſuccedit aliquando: ita de foliis non conſtat Accipio autem de ſeminis pulvere, quod pituitam incidendo & abſtergendo ſolicitat ad exitum. Quare hoc ſcopo datam Tripheram minorem Meſ. quod Naſturtium aſſatum ingreditur, improbo. Siccando enim ſiſtit potius alvum. Vide Monachos *in Meſuem.*

IX. Ubi ſcire cupio, quem lentorem ſemini tribuat Avicenna? Tribuit toti compoſito, quod ob Cydonia & Myrta ſit tale, non ſecus ac milium & oriza in lacte.

X.

X. Cæterum, quia hoc ſemen tam acre eſt, laudatur in omnibus obſtructionibus, de quibus particulatim non dicam, quod intelligatur res ex ſupra dictis.

XI. His addo, quod exterius ſit metaſyncriticum, ut Methodici vocabant ea, quæ ex profundo in ſuperficiem trahunt. Et hæc de Naſturtio altili, Naſturtio aquatico, & herba & ſemine non longe hinc abeſt, ideoque in Scorbuto Cochleariæ locum occupat. Rurſus, infra hoc eſt Naſturtium, Iberis dictum.

XII. Hac occaſione attexam pauca de

COCHLEARIA.

QUæ novi fortaſſis morbi (Scorbuti) novum eſt remedium. Licet enim & *Naſturtium*, & *Anagallis-aquatica*, & *Sium*, & alia in Scorbuto ſuas habeant partes: tamen hæc prærogativam habet peculiarem, & tantum non appropriata eſt, ut teſtantur illi, qui de hoc morbo ſcripſerunt.

XIII. De herba ſeorſim ſcripſit diligentiſſime Joan. Wierus, *in Obſ. ſuis*, *Baſil.* 1563. accuſans in quibusdam Dodonæum. Bauhino *in Matthiolum*, hoc ſuggero, eſſe illam ſpontaneam in ſuperiori etiam Germania, & quidem in Norico etiam noſtro, prope Herſpruccam, duobus abhinc miliaribus. Nimirum & morbus ab anno 1604. usque ad hunc, cœpit nobis familiaris eſſe, ut de illo ſcribere Medici noſtri coacti ſint, Caſpar. Hornius, & Joan. Kotenbek, uterque fato ſuo functus.

XIV. Quo loco illud noto, Et

SIUM ET SISYMBRIUM GALENI.

IN caſu neceſſitatis, poſſe locum habere in Scorbuto. Per illud intelligo *Sium* ſive *Laver Dioſcoridis*, *Lobelii*. Per hoc *Naſturt. aquat.* ſive *Sium* Cratevæ, Dodonæi, quod in Officinis quibusdam *Senecio* eſt, peſſimè.

CAPUT CLIX.

DE NARCISSO.

EX magno numero Narciſſorum apud Bauhinum, neſcio quo utantur Officinæ ad conficiendum *Oleum*. Multo minus ſcio, quo modo facultates, à Cordo in Diſpenſario illi tributas, accommodem iis, quæ habet Galenus 8. *Simpl.* Dodonæus ſua deſcribit ex Galeno & Dioſcoride. Mihi *non liquet*.

CA-

Caput CLX.

DE NIGELLA.

I. QUOD Græcis erat olim *μελάνθη*, *ἢ μελάνθιον*, *ἢ μελάνθεμον*, *ἢ μελάνσπερμον*: id Officinis eſt *Nigella*, à colore ſeminis. Apud Dioſcoridem, Plinium, & Columellam *Gith* eſt, unde *Gidda*, *Githago*, quod Hebraïcæ originis eſſe Kyb. contendit apud Tragum, *lib.* 1. *cap.* 36. Apud Theophraſtum miras turbas cit Gaza, quod indicaſſe ſufficiat. Apud Dioſcoridem eſt, dici quibusdam *Papav. nigrum* & ſylveſtre, quod quosdam in errorem induxit. Ita in Officinis quibusdam *Schwarker Coriander* dicitur.

II. Quò poſtquam veniemus, diſtinctè agendum eſt. Sunt ibi tres ſpecies, non ab omnibus diſtinctæ. 1. eſt *Nigella Romana*, ab Arabibus credo, ita primitùs vocata, quod Roma ſeu potius ex Europa haberent. Eſt autem *Melanthum ſativum Matthioli*, quod V. eſt in ordine apud Bauhinum; quod ut dixi, *ſchwarken Coriander* vocant; aliæ *Nardus-Saamen*, *oder ſchwarken Nardus-Saamen.*

III. Hoc, ex Dioſcoride & Galeno, ſapore eſt cum amarore acri. Quare *Damaſcena*, ſpecioſo nomine ita dicta quibusdam: ſed quia & inſipidum eſt, & inodorum, merito reprobatur. Plinius ſignificantiſſimè, *Excitatiſſimi odoris, & quam nigerrimum.* Quædam ejus loco utuntur *Cumin. ſylv. alt. Matth.* quod eſt I. in ordine apud Bauhinum, Nigella Arv. cornuta. II. eſt *Nigella Citrina*, VI. apud Bauhinum, quæ olim à mercatoribus afferebatur ſub nomine *Cardamomi minimi.* At Bononienſes in Antidotario ſuo ſubſtituunt *Cardamom. majus*, Amatum forte ſecuti *in Dioſcoridem*, quem Matthiolus refutat *in Apolog.* III. *Nigella* ſeu *Melanthium ſylveſtre*, quod plerisque locis eſt *Cumin. ſyv. alt. Matthioli*, quod primum apud Bauhinum eſſe dixi. *Wilder ſchwarker*, *oder Horntummel.* Olim uſurpabatur *pſeudo-Melanthium Matthioli*, quod Bauhinus ad Lychnidas remiſit, Lychnida ſeg. maj. vocans, *unſer Kaaten.*

IV. De facultatibus *Nigellæ Romanæ* & ſimpliciter dictæ ſi quæras, ablegabit te Galenus 4. *Simpl.* 7. ad ſaporem. Cum enim manifeſta ſit amarities, non poteſt non eſſe calida & ſicca, ut rem deducit *cap* 19. *ſeq.* quò ſe refert ad cap. prop. 7. ubi etiam promit 3. gradum. Huic ego ſuccenturiatus addam *Excitatiſſimum odorem*, ut cum Plinio locutus ſum. Conſentiunt Avicenna, Serapio, Averroes & inter Græcos Paulus, Aëtius, Sethi: ſolus Braſſavolus *Exam. ſimpl.* nodum in ſcirpo quærit, productis in medium recentioribus quibusdam, qui in 2. conſiſtunt, idque ideo, ut commendet *pſeudo-Melanthium* ſuum, quod in 2. eſt, quia inodorum.

V. Tu vero ſcito, *Melanthium verum* eſſe in 3. gradu, ſi rectè exſiccatum ſit. Viride enim habet excrementiam humiditatem plurimam, ob quam non niſi cum periculo intus ſumitur, ut Tragus nos commonefacit. Hoc indicat magis, quam dicit Plin. *lib.* 19. *cap.* 7. cum *Gith*, ait, *difficillimè inareſcere.* At *lib* 25. *cap.* 4. ſine

ne ambitu ſcribit, ex ſemine hoc colligi venenum, ſuccum, qui, hyoſcyami inſtar, mentem, caputque infeſtat. Nec diſſimulat Dioſcorides *lib.* 3. *cap.* 93. & poſtea *lib.* 6. *cap.* 33. Miraris! etiam lactuca in ſubſtantia eſt alimentum: in ſucco venenum. Ideo ut ſemen Carui poſt ablutionem laborioſè ſiccari debet: ita Melanthium quoque. Quam ob cauſam frictum potius quàm crudum in Catarrhis & Coryzis uſurpatur, linteo incluſum, & ſæpè naribus admotum. Eadem ratio eſt omnium frigidorum capitis affectuum, ſi naribus infundatur, qua de re vide ſis Galenum 2. κ. τόπ. 2. *extr.* & adde, quæ ſcribit *lib. de Inſtr. od.* 4. ubi videris etiam diligentiſſimam medicamenti præparationem.

VI. Hanc deſidero in omnibus, in quibus pro errhino uſurpatur, necnon in affectibus pectoris à craſſa & viſcida pituita; item in ventriculo, inappetentia laborante, qua de re legere potes, quæ Colum. habet *lib.* 6. *cap.* 34. & Amatus *in Dioſcor.* de mulieribus Luſitanicis.

VII. Eandem volo, ſi quis panibus inſpergere volet, ut poſt Dioſcoridem, Plinius habet *lib.* 19. *cap.* 8. Eandem in condimentis, moſtardis, aliis, contra flatus, vermes, de quibus Pena *Adv. f.* 329. Neque enim puto, *Citrinam* heic prærogativam habere.

VIII. De provocatione menſium, ad quos Hippocrates utitur in peſſo, locis à Cornario & Foëſio laudatis, non videri opus eſſe hac cura, niſi mali contumacia id velit. Vult, cum non eſt in vaſis uteri tantum, ſed in ipſis viſceribus. Nihil proficitur, præterquam in frigidis, in quibus etiam Venerem, & lac auget. Calculi & arenarum eadem eſt ratio. Ita in febribus, niſi phlegmaticæ ſint; in veneno, niſi frigidum ſit, effectum nullum edit.

IX. Et hæc omnia uſu interiore: exteriore, ſanat ſcabrities, lichenas verrucas, &c. in quibus diſcuſſione & abſterſione operatur.

X. In *Citrina* conſideranti & conferenti omnia, apparebit inſignis paritas cum *Romana.* Nec dubium erit ſubſtitui poſſe *Cardamomo.*

XI. De *Melanthio ſylv.* ſi inſtituatur quæſtio, videbitur quidem efficacius eſſe ſativo, ob odoris ſuavitatem: ſed ſi Penam conſulas, dicetur tibi, non eſſe ſatis. Cur? Quia deeſt acrimonia. Fortaſſis eadem ratio eſt *Cumi ſylv. alt.* Tandem ſi *pſeudo-Melanthium*, nego plane eſſe Melanthium Hippocratis. Amaror enim tantillus absque omni acrimonia, non ſinit nos huc pervenire, licet Mathiolus id velit. Quare etiam non credo Dodonæo, calidum & ſiccum eſſe in 2. intenſo. Olim in uſu erat, *Ol. de Melanthio*, ſed per expreſſionem ſeminis tantum, cum falſa etiam indicatura *olei Nardini.* Idem Pena eſt author, mulierculas ad accelerandum partum, in pellendis ſecundinis, &c. uti.

CA-

CAPUT CLXI.

DE NUMULARIA.

I. QUIA folia habet inſtar *numi* rotunda, *Pfenningcraut* vocarunt noſtri. Quia paſſim creſcit ad paludes, ubi *hirudines*, *Egelcraut*. Quia *ſerpentes* vulnerati ea comeſta creduntur ſibi mederi, *Naterwurk* dicitur, ſed cum additione *Klein*, ad differentiam *Dracunculi majoris* Matthioli. Quia Chirurgi plurimis morbis adhibent, *Centimorbia* à mulieribus appellatur. Paracelſiſtæ accenſent *Lunariis*, quibus Mercurium ſuum fugitivum figere volunt. Vide Heſnerum *in lib. de Lunar.* Iidem *Boriſſam* vocant, authore Cæſalpino 6. *Hiſt.* 56.

II. Soliciti ſunt Botanici quam poſſint ſiſtere plantam apud veteres. Anguillara 12. *Sent.* 127. ἐρευθέδανον Theophraſtus 6. *Hiſt.* 1. 7. *Hiſt.* 9. 9. *Hiſt.* 13. 14. ubi Gaza inconſulto *Rubiam* vertit. Sequitur Anguillaram Pena, *Adv. f.* 198. nec abludit Bauhinus *in Pinace. Mimulum* ſeu *Mimmulum* Plin. *lib.* 18. *cap.* 28. alii ſuggerunt, & *Numulum* legunt, Dalecampius *in not.* alii rurſus *Alyſſon* Dioſcoridis eſſe volunt, quam ſententiam Cornarius amplectitur. Alii cum *anagalli-luiea* confundunt, de quibus Pena *l. c.*

III. Sed hæc omnia fruſtra. Quæ ſunt facultates? Nomina promittunt nobis omnia magnifica. Senſus non niſi frigidam & ſiccam cum manifeſta adſtrictione. Quare Fuchſ. *Hiſt.* 153. in 2. aut 3. ordine ſiccitatis ponit. Ad hujus mentem Dodonæus accedit, cujus verba & exempla morbifica vide, ſis. Laudatur in ſcorbuto quoque, & aliis.

CAPUT CLXII.

DE NUCIBUS.

I. QUOD diu volui animo, id hoc loco exponam, Quod Galenus non ſemel dicit de animalium partibus, Naturam nullam illarum reliquiſſe ἀφρούρητον, *incuſtoditam*, *contra injurias non bene munitam*: Id de plantarum ſeminibus commodè dixeris Herbarum annuarum vaſcula, conceptacula, loculamenta, aut quomodocunque volueris appellare, ariſtas, lobos, folliculos, veſicas, &c, non attingam, quia res foret infiniti laboris.

II. In arboribus I. ſunt baccæ, mora rubi: quibus vicina ſunt, heic quidem in herbis fraga, in arboribus autem ficus, quas tenui primum membrana texit, deinde autem ſemina ipſa involvit carni fluidæ, in qua tanquam in B. M. coquerentur. II. Poma, ſub quibus pyra habeo, circumdedit ejusdem quidem generis membrana, ſed ſemina in centro poſuit, concluſa validis munimentis, ne de propriis tunicis dicam. III. Poma, quæ propria nomina habent, eaque

calidarum regionum inquilina, Citria, Arantia, Limones, denſo, eoque duplici, corio induit, ſemina pariter in acri & aromatico liquore condita maturavit. IV. Ceraſa, Perſica, Armeniaca, Albercottos, partim tenui amictu contenta eſſe juſſit, partim villoſo & aſpero, veluti gauſape texit: ſed in vicem nucleos incluſit oſſi craſſo & lapidoſo.

III. V. Nuces ſimpliciter dicto cortice duplici obduxit, altero carneo, altero lignoſo, quod in juglandibus quidem & amygdalis ex toto eſt manifeſtum: in avellanis autem utplurimum ex parte, quibus ſcil. laciniosſus ille cortex mediam partem obtegit, non ſecus ac in quercubus cupula.

IV. V. VI. Caſtaneas & fagos ἐχίνῳ propriè dicto operuit. Eſt autem & is duplex, exterior fortis & aculeatus, interior levis quidem, ſed ovillo & vitulino corio non inferior. Nuces pineæ, κῶνον ſeu ſtrobilon acceperunt, cumque ſquamoſum & diviſibilem, ut Sol penetrare poſſit ad concluſos intus nucleos. VII. Nuces Indicæ in Officinis, dictæ *coccos*, in ſolo natali, duplicem etiam corticem adeptæ ſunt, ne de aqua contenta dicam. VIII. Nuces Moſchatæ etiam triplicem habent, ut dicetur. Propero enim ad particularem exegeſin, ne Oratorem egiſſe videar potius, quam Medicum pharmaceutam. Hæc autem expreſſit mihi nominum proprietas, quam ubique ſector, præcipuè cum alii remiſſiores ſunt.

I. DE AMYGDALIS.

VI. NOmen Græcum eſſe, uno ore confirmant ſcriptores, Cato, Varro, alii. Et Plinius eſt author. *lib.* 15. *cap.* 22. Romanos vocaſſe nucem Græcam. Eſt autem proculdubio ἀπὸ τῦ ἀμύττειν, ſive referas ad facultatem abſterſoriam, quo Plutarchus inclinat 1. *Sympoſ.* 6. ſive ad ſcarificatus, qui ſunt in cortice ligneo, ut Etym. magnum vult, ex Athenæo puto *lib.* 2. ubi refertur ad Herodianum quendam.

VII. Ab his (ut interloquar) dici etiam poſſunt nuces *Ocellatæ*, ſi modo ullæ ſunt, non minus, quam oſſa Perſicorum, de quibus id Alex. ab Alex. 3. *Genial.* 21. Credo enim Ill. Caſaub. *Animad. in Auguſtum Suetonii*, ex quo ſunt illæ, alia opus ibi eſſe diſtinctione, & *Ocellata* ſubſtantivum eſſe, dicique de globulis lapideis, eburneis, alius materiæ, quibus olim ludebant puellæ.

VIII. Apud eundem Athenæum videre eſt ludicrum certamen de accentu vocis ἀμυγδάλη. Quale cum fuerit etiam de genere, ut diſcere eſt ex Galeno, pertinere ad eos, qui nullam artem, ad vitam utilem excoluerunt, ne id ipſum intelligentes, de quo litigant. Tamen ſi aliquid mihi dicendum eſt, puto, originalem vocem eſſe ἡ ἀμυγδαλέα, & contractè ἀμυγδαλῆ, ut συκέα συκῆ pro *arbore ſola.* Cujus poſterioris originem, cum neſcirent illi, facile paſſi ſunt circumflexum verti in acutum. Rudiores alii acutum in gravem verterunt, ut diſtinguerunt fructum ab *arbore.* At vero ſi analogia locum habet, quemadmodum de

de fructu dicetur, non συκῆ σῦκον: ita de fructu dici debet ἀμύγδαλον. Hoc ut in Grammatica firmum eſt: ita in Medicina negligere licet.

IX. Porro conſtat ex eodem Athenæo, veteres olim ſimpliciter κάρυα vocaſſe. Præterquam enim, quod Heraclon diſertè id ὁ καρυοκατάκτης eſt συνώνυμος τῷ ἀμυγδαλοκατάκτου. Veriſimile autem eſt id de dulcibus potius, quàm de amaris verificari. Archigenes enim apud Galenum 8. κ. τόπ. 8. in med. ad ſtom. dol. habet *nuces amaras*, quas omnes exponunt de amygdalis amaris. Habet & Soranus 1. κ. τόπ. 1. in med. ad alop. Habet Celſus *lib. 6. cap. 5.* in compoſ. Triph.

X. Et quia ut Plinius ſcribit, è Thaſo inſula petitæ præferebantur, dulces quidem & ipſæ dicebantur *Thaſiæ*: amaræ autem cum adjectione hujus vocis. Ita 10. *Geopon.* Θάσιαι ſimpliciter ſunt in inſcriptione, qua agitur de ſerendis illis. Seruntur autem dulces, quæ cum in amaras degenerarunt, artificio quodam reducuntur. Aliquando tamen additur. Charixenes enim 9. κ. τόπ. 1. in paſt. ad Ict. vult, Θασίας πικρὰς, ubi interpretes *Amygdalas amaras* vertunt. Vide Monachos *in Diaphœn. Meſue.*

XI. Deſcriptionem plantæ molitur *Cæſalp.* 2. *Hiſt.* 14. Sed non eſt opus. Quàm enim notæ fuerunt omnibus ſæculis amygdalæ: tam eſt amygdalus ipſa. Habent Amygdalæ, præter cutim, quæ immediate illas ambit, duos, ut dixi, cortices, quorum interior & oſſeus, aliquando tam mollis eſt, ut digitis teri poſſit. Hinc *molluſcæ* dicuntur ex Plinio, & *Tarentinæ*. Tarentum enim ſeu Terenum eſt *Molle* apud Macrob. 3. *Saturn.* 18.

XII. Habemus apud Materialiſtas & vulgares ſeu Italicas, & Hiſpanicas, quæ triplo ſunt majores, quales olim erant Cypriæ, ut Caſaubonus refert, *in Athenæum.* Contra Aſiaticæ ſunt triplo majores, ut Cordus 4. *Hiſt.* 47.

XIII. XIV. Prior & potior magnitudine eſt differentia à ſapore, de quo dixi, eſſe quasdam dulces, quæ nativæ ſint, quasdam amaras, quæ degeneres. Quare excogitatum eſt artificium reducendi illas in naturam ſuam, de quo tibi conſulendus Theophraſtus 2. *Hiſt.* 1. 1. *Cauſ.* 21. Plin. *lib.* 17. *cap.* 27. Africanus inter Geopon. *lib.* 10. Ubi etiam illud, quomodo ſterilis arbor fœcunda fiat?

XV. Plurimus ubique terrarum uſus eſt amygdalarum, dulcium quidem tam in culina, quam in Officina: amararum autem in Officina tantum. Eliguntur à coquis, quæ extus quidem fulviſſimæ ſunt, intus autem albiſſimæ, planè non rugoſæ, non confractæ, aut corroſæ, bene ſiccæ, ideo leves, fragileſque, ſapore dulces, ut nomen cluet; odore, dum maſticantur ſuavi. Improbæ ſunt, quæ foris quidem vel exalbidæ ſunt, vel nigræ: intus autem pallidæ, molles, quæque non franguntur, ſed lori modo torquentur, odore & ſapore abominabili, uno verbo, *rancidæ*.

XVI. Qui de facultatibus differere vult, hoc imprimis debet præ oculis habere, quod Galenus monet 6. *Simpl.* etiam dulces habere aliquid amaroris, qui

 ta-

tamen à dulcedine vincatur. Hoc clarum facit ætas, ob quam amareſcunt, ac mel. Quare quæ de amaris dicuntur, maxime iis, quæ eo aſcendunt, ut vix mandi poſſint, intelligenda ſunt de excellenti gradu. Intelligenda tantum ſunt aliquo modo de dulcibus, quandoquidem & illæ, ob cauſam ex Galeno allatam, habent amaroris aliquid. Quare recte ait Dioſcorides Dulces minus valere in remediis: ſed tamen & ipſas attenuare, & urinas ciere. Hinc Avicenna. *In omnibus ſpeciebus amygdalæ*, inquit, *eſt mundificatio, & abſterſio, & apertio: Sed in dulcibus eſt debilior*, &c. Idem docent Paulus, Iſaac, Sethi, alii.

XVII. Exemplariter Galenus 5. *Simpl.* 12. de vi abſterſoria, *Amygdalæ amaræ*, inquit, *& detergunt. & meatus expurgant: quæ verò edendæ ſunt, detergunt quidem, non tamen infarctu meatus liberant.* Hinc intelligitur, fruſtra laborare Paſinum, cum iſta apud Dioſcoridem delenda eſſe cenſet, quod Serapio non habeat. Quicquid ſpectarit Serapio, quicquid etiam factum ſit codicibus ipſius, verum eſt, quod ſcripſit Dioſcorides. Ideo non delendum eſt, ſed explicandum.

XVIII. Deinde & hoc debet animadvertere, ut ſive dulcibus, ſive amaris velit uti, utatur recentibus, non racidis. Quia enim naturâ pingues & oleoſæ ſunt, ſi vetuſtas contingat fieri, evadunt prorſus oleoſæ, quia aquea & excrementitia humiditas abſumitur, propria à calore nativo elaboratur & exactè concoquitur, ut Galenus loquitur, 4. *Simpl.* 8.

XIX. Licet autem hoc minus ſit in Amygdalis, quam in juglandibus, tardius etiam contingat, 2. *Alim.* 29. Contingit tamen. Contigiſſe, indicio ferè eſt, cùm eſitatæ faciunt illud κεγχρῶδες ἢ κερχνῶδες, (non καχρυῶδες, ut Caſaubonus vult *in Athen.*) de quo mihi dictum *in Variis*, ex Foëſio, quam vide in κέρχνῳ. Quanta autem ſit à ſtatu naturali mutatio, non eſt difficile judicatu.

XX. Ab hoc pendet tertium, non minus conſideratione dignum, quouſque progreſſæ ſint illæ, quæ nondum ſenſibiliter ſunt rancidæ? Quæ enim recentiſſimæ ſunt, quia plurimum habent ſubſtantiæ illius aqueæ, cujus memini, quæque amarorem illarum obſcurat penitus: ventriculo ſunt amiciores, ſive alimenti, ſive medicamenti loco uſurpes, minuſque caput tentant. Quo magis autem progediuntur, eo fiunt deteriores.

XXI. Quare ſunt, præſertim apud nos, qui longè petitas habemus, qui in uſu alimentario acceptant conſilium Iſaac *lib.* 2. *cap.* 61. quod videtur captum *ex* 2. *Alim.* 28. qua de juglandibus, ſemper, poſtquam delibratæ ſunt, macerandi aliquandiu (ferè per noctem) in aqua calida, ut deponant acrimoniam vetuſtate contractam.

XXII. In eodem caſu non poteſt ſperni conſilium Mneſithei apud Athæneum, qui præterquam virides, edendo non eſſe ait, niſi illæ torreantur ad ignem, atque ita abſumatur pinguedo nocentiſſima, uti vocat. Hinc Epicharmus *ibid.* re-

recenſet inter ea, quæ edebantur καπυρὰ, hoc eſt *calida & ferventia*, ut videtur interpretari dictus Caſaubonus.

XXIII. Quarto & illud non videtur prætermittendum, ſemper & in omni uſu detrahendum eſſe corticem illum flavum, immediatè obhærentem nucleo. Ille enim, quia ſcabra & terreſtri ſua ſubſtantia obtundit, & mitem calorem dulcium, & acrem rancidarum, quivis videt cauſam. Eſſe hoc vetuſtiſſimi inſtituti, patet ex his locis 2. *Antid.* 13. in Ant. Simmiæ, 2. κ. τόπ. 1. in rem Arch. ad dol. cap. 7. κ. τόπ. 5. in rem. Aſclep. ad phthiſin, 9. κ. τόπ. 1. bis in paſt. duplici ad Ict. 7. κ. γέν. 15. in Acopo ad paral. Plura loca non deſiderabis, credo.

XXIV. Ex his judicare licet, quanta ſit latitudo temperamenti, ſiquidem ἀκριβῶς agere velis. Si enim à dulciſſimis ad amariſſimas procedas, à recentiſſimis ad vetuſtiſſimas, à delibratis ad integras: videbis, quantopere differant in primis & ſecundis qualitatibus.

XXV. Quod ad primas, dulcium recentiſſimæ, ſed ob aquoſitatem nativam minus dulces, erunt forte in calore temperatæ, in humiditate in 1. gradu, quod Averroes & Avicenna inſinuant. Quæ minus recentes & jam dulciores, erunt calidæ & humidæ in 1. gradu, quod Archigenes & Scindaxar apud Serapionem volunt. Forte illæ, quæ jam inaruerunt, erunt in medio 1. gradus. Forte illæ, quæ ad ſenectutem jam ſpectant, erunt calidæ quidem in fine 1. gradus, humidæ autem vix. Cum enim ſenſim amareſcunt, cum etiam ranceſcunt, jam ſiccæ ſunt.

XXVI. Quod ad amaras, vetuſtiſſimæ illarum etiam amariſſimæ, non tantum in 2. gr. calidæ & ſiccæ ſunt, quod Meſue apud Serapionem & Avicennam dicit: ſed & in fine ſecundi. Averroes quidem putat, propter pinguedinem non ſiccare ultra 2. Sed id de oleo potius, quam de ſubſtantia verum eſt, in qua terreſtreitas, & cum hac amaror dominatur, ut ipſus innuit. Recentiores & minus amaræ, forte in principio 2. ſunt.

XXVII. Quod ad reliquas facultates, quæ recentiſſimæ ſunt, licèt ſtomacho temperato aut etiam frigidiori minus graves ſint: difficulter tamen & ipſæ coquuntur. Hoc alii ita efferunt. Hærent in ventriculo, non facilè deſcendunt, leves quippe & reliquis cibis innatantes. At ubi concoctæ ſunt, ſuccum præbent non usque adeo malum, ſed paucum, eumque medicamentoſum potius quam alimentoſum. Ubi enim alvus, ob pituitæ copiam, immorigera eſt, ſive cum dolore ſit, ſive ſine illo, incidendo & abſtergendo movent illam loco. Et hoc eſt, quod Dioſcorides ait: eſſe ἀνώδυνα, καὶ κοιλίας μαλακτικά.

XXVIII. Sæpè etiam blandum ſomnum conciliant, quo roborata natura celerius facit officium. Nimirum, non ſunt prorſus expertes amaroris, ut præſuppoſitum eſt, quemadmodum & oleoſitatis, ob quam caput petunt.

XIX.

XXIX. Et hæc quidem accidunt in ventriculo frigido. In calidiore libenter credo melius confici, & fieri, ut poſt Hippocratem *lib.* 2. *de diæta. num.* 15. ait Diocles, τρόφιμα καὶ εὐκοίλια. poſt (inquam) caſtaneas, de quibus id ſupra. Oportet verò calor hic ventriculi non ſit intenſus. Si enim hoc, fiunt, ut ait Hippocrates καυτώδεα, *æſtuoſa*, quod eſt, *corrupta in bilem porraceam*, dolorem capitis inducunt, & alia. Hoc magis, minus fiet, quo magis, minus amaræ, vetuſtæve fuerint amygdalæ. Amaræ enim, vel origine vel ætate, difficillimæ ſunt concoctu, propter pinguedinem, qua abundant. Ubi vero concoctæ ſunt, ſuccum faciunt & ipſæ medicamentoſum, hoc eſt ſiccantem, incidentem, attenuantem & abſtergentem.

XXX. Quamobrem Galenus *de vict. atten. cap.* 10. nequaquam illas improbat. Improbat autem, & jure, in victu ſenum 5. *Sanit. tuen.* 8. vel ideo, quia ſiccant. Propterea laudatur cibus in iis, qui ob recentes cruditates laborant obſtructionibus, ἐν τοῖς πέρασι τῶν ἀγγείων ut loquitur, *in ſuperficialibus vaſis*, doloribusque viſcerum, quales fieri ſolent, ſi quis poſt balneum, aut cum alioquin incaluit, avidius comedat.

XXXI. Sed tum felicius rem expedit liquor illarum, quem Lac appellant hodie, 6. *Sanit. tuen.* 3. Fortè felicior eſſet eventus, ſi cum caricis fieret, *de Cibis* 8. Cum enim vis deobſtructoria (adde attenuatoriam, 8. κ. τόπ. 2. in paſt. hep. amaro) major fiat hac ratione, fiet, quod dixi, promptius.

XXXII. Putarim non longè diverſam rationem fore in arenulis, & calculo, in doloribus colicis levioribus, & ſæpe repetentibus, in tuſſi & dolore quodam vago pectoris, &c. Pendet ſcil. efficacia, ut Averroes monet, non ab inſigni aliquo calore, ſed ab apertione modica, quam habent amygdalæ ab unctuoſitate ſua, ob quam evidentius operantur, quàm perſuadere ſibi quis poſſit. Eſt tamen hæc ipſa unctuoſitas non ubique locorum tuta, ut mox dicam in *amygdalato*, & *oleo*.

XXXIII. Jam conſiderare operæ pretium eſt, illud, *An in bilioſis naturis idem ſit metus de amaris, qui fuit de dulcibus*? Prorſus. Cum enim propter amarorem difficulter coquantur, ſi contingat corrumpi in ventriculo, fit corruptio in bilem porraceam dictam, unde magna humorum commotio metuenda.

XXXIV. In hac ambiguitate oportet, ut dixi, de conſilio vel Iſaac, præmacerare, vel Mneſithei apud Athenæum, frigere in ſartagine.

XXXV. Quæritur, quid præſidii ab illis ſit in laxiore alvo? Galenus *in de Alim.* expreſſè ait, non habere facultatem ullam adſtringendi, nec quicquam prodeſſe ventri retinendo. At noſtri commendant vel ipſos nucleos, vel lac cum aqua calida factum? Dico proſunt, non adſtringendo, ſed humorum acrimoniam temperando & incraſſando. Hoc ob ſubſtantiæ craſſitiem, qua morantur aliquandiu in inteſtinis: illud, ob lenitatem oleoſam. Interim aliquo modo adſtrin-

ſtringere conatus ſum probare *in Variis meis*, *pecul. cap.* Hoc paucum adjuvat chalybs, Tum vero vis abſterſoria ſenſim agit etiam res ſuas.

XXXVI. Hoc in caſu oportet etiam videre, ut abſit cortex flavus, qui id faceret, quod in tritico furfures. Eam in rem bene faciunt, qui fiunt inde *Marci-panes* dicti. Saccharum enim, quod additur, facit, quo minus ſubito areſcat alvus. Melius faciunt *Tortæ* appellatæ, ob additam orizam.

XXXVII. Hinc intelligitur, quid ἐν ταῖς τοῦ αἵματος ἀναγωγαῖς apud Dioſcoridem, in ſanguinis eruptionibus qualibuscunque, ſperandum ſit. Si enim aliquò fluat ſanguis ob tenuitatem, incraſſare illum poſſunt, ſiccando ſeroſitates ſuperfluas. Quod autem objicit Paſinus, eſſe contrarium illis, quæ de vi aperiendi & attenuandi dicta ſunt: non impedit quidquam. Amylum enim quod additur, auget craſſitiem & quaſi corrigit attenuationem. Quæritur etiam quid poſſint contra ebrietatem, quando tam celebris eſt hiſtoria illa Medici apud Plutarch. *loc. cit.* ex quo laudat Athenæum *itidem loc. cit.* (meminere rei ipſius Dioſcorides & Plinius) qui præſumptis quinis, ſeniſve amygdalis amaris, tam præſentaneum habeat ἀμέθυστον, ut Hectorem præſtaret inter Hectoreos ſocios. Reſp. ſi ſufficit experimento opponere experimentum, jam totum hoc nihil eſt. Cronenburgius enim *in Losh de Pino* ſcribit, & ego novi exempla eorum, qui fruſtra id tentarunt An nimis paucas ſumimus? Avicenna enim dat 50. Quo minus autem cogitem de mendo in veterum libris, facit, quod ὁλογραμμάτως ſcribitur, πέντε ἢ ἕξ. Sed quæ cauſa, ſi omnino conſtat τὸ ὅτι? Athenæus refert in ſiccitatem, qua cito ſubducunt vinum, vetantque caput incaleſcere. Sed obſtat, quod non ſunt diuretica propriè dicta. Ideo confugiunt quidam ad occultam proprietatem, ad quam non ego comitabor quenquam.

XXXVII. Atque ut redeam abſterſionem in calculoſis, & ob id dyſuria laborantibus præſcribit Dioſcor. & quidem cum paſſo, quod lenit partes exaſperatas. Hinc ego depromo pulcherrimum præceptum, quod acceptum fero Cl. Caspa-ro Bauhino, Doctori meo, qui dicebat, *In curatione calculi ſi bene diſtingueremus remedia*, *pauciores haberemus calculoſos. Qui enim perpetuo utuntur propriè dictis diureticis*, *præcipuè non purgatis primis viis*, *adducta ad locum affectum materia calculoſa*, *malum faciunt pejus. Quanto melius illi*, *qui præſervationis quidem gratia*, *ſingulis anni quadrantibus everrunt primas vias dictas*, *deinde utuntur Lacte amygdalino per aliquot dies: pro curatione autem ante omnia leviter purgant*, *poſtea utuntur diureticis impropriè dictis*, *frigidis ſcil. quæ tonum reddunt renibus*, Syrupo de limonibus, chamæmelino, &c. cum aqua flor. pruni ſylveſtris, fragariæ, equiſeti, ſem. paliuri, fl. viol. malvæ, althææ, linariæ, plantaginis, &c. quorum quædam adſtringunt, & diuretica non ſunt, quædam diuretica ſunt, propter ſubſtantiam aqueam.

XXXVIII. In clyſteribus maximè juvant emollientia, ob dilatationem viarum. Hæc ferè ille: quæ inveni non multo poſt in Conſil. MS. Joan. Grandis, Medici Pariſ. ab Anglo quodam communicatis. Quin cum Argentinæ a-

liquandiu ſubſiſterem, vidi in Offic. Ringler. DD. HAVENREUTERUM, & AGGERIUM eadem uti ἀγωγῇ.

XXXIX. Sed hæc hactenus. Quæritur an & quatenus amygdalæ amaræ menſes moveant? Abſtergendo maximè, attenuando minus. Quare Dioſcorides ait, προσθιθέμενα, *foris appoſita id poſſe*, hoc eſt in peſſo, ut Serapio explicat. Nimirum ſi tantum contingat τὰ πέρατα τῶν ἀγγείων, non poſſunt etiam aliter juvare actionem illam, quam ſi vaſa uteri ſunt in culpa.

XL. A menſibus ad ſemen venio, & quæro, quomodo dulces id augeant? Non profectò copioſum alimentum dando, ſed mundificando, & contemperando partes genitales.

XLI. Hinc capio reſtrictionem ſententiæ illius, quæ amygdalis dulcibus hoc tribuit, quod obeſos faciant. Non aliter id faciunt, quàm refrigerando calidos quosdam. At ſiccant. Leviſſimè, & præponderat levis calor, qui heic frigus dicitur. Fortaſſis dicam, humiditate ſua potius conferre corpori augendo. Eâdem hecticis & phthiſicis non lac tantum amygdalinum intus datur, ſed & oleo illiniuntur. Nec diſpliceat Julii Alexandr. *loc. cit.* ratio, vi ſua exterſoria expedire meatus, quo felicior ſit deſtributio alimenti. Huc accedit, quod quicquid tribuunt alimenti, id ſolidum ſit, & minus difflabile, cujus rei magna eſt neceſſitas in hecticis.

XLII. Sed eſtne verum, quod amaræ vulpes necant? Vide Marc. Virgilium qui felem vidit miſerrimè interire poſt horam, comeſtis 7. aut 8. Interea applaudo codici illi, qui loco vulpium lumbricos habebat.

XLIII. Verum, ut ad effectus externos veniam, dubium mihi non eſt, in affectibus cutaneis plurimum poſſe abſtergendo. Hin 2. κ. τόπ. alopeciis medentur, ſi integræ urantur. Magma, quod ab expreſſo oleo ſupereſt, manus mundificare etiam vulgus novit. Ipſas commanducatas faciem reddere claram, quæ ancilla neſcit? In ſordidis & phagedænicis ulceribus non abſterſione tantum efficaces ſunt, ſed & ſiccatione & diſcuſſione, quod faciunt ſine morſu, 2. κ. τόπ. 1. in rem, Arch. ad dolorem capitis in quibus fronti & temporibus tuſæ imponuntur, in aceto roſaceo. Ita & ſomnum conciliant, non ſecus ac nuclei Perſicorum. Quomodo autem ſubſtantiam cerebri augeant, quod quidam impudenter jactant, hactenus intelligere non potui.

XLIV. Conſequens eſt, ut duo proponam edulia non ſpernenda. Horum *alterum* eſt *Amygdalæ conditæ*. Condiuntur vel virides, vel ſiccæ. Cum illæ, ut plurimum totæ ſumuntur, hoc eſt cum nucamento externo, quod gulioçæ in juglandibus reſpondet. Uſus eſt in ventriculi debilitatibus, præcipuè in gravidis, pica laborantibus. Dioſcorides enim præſcribit contra ςομάχον πλαδόν. Hic autem eſt in pituitoſis fere, cum reſtagnat frigidus ille humor ab utero ſurſum. An in bilioſis quoque locum habent, ut Iſaac videtur velle? Temperata enim pluribus exceſſibus opponuntur.

XLV.

XLV, Hæ minus difficulter concoquuntur, quia nondum oleoſæ ſunt, & propter ſaccharum deſcendunt facilius. Non oportet in his vereri ſtricturam gingivarum, propter ponticitatem & acetoſitatem illarum, ut loquitur Meſue apud Serapionem 44. Cum ſiccæ condiuntur, reponuntur in melle. Ab hac conditura aliena non eſt, cum ſaccharo obducuntur. *Alterum* edulium eſt *Amygdalatum* vocatum, quod fit contuſis amygdalis dulcibus decorticatis expreſſis, & liquore illo cum ſaccharo cocto. Hujus uſus in febribus, in pleuritide, tuſſi, obſtructionibus viſcerum ſuperficialibus, 5. *Simpl.* 12. in dyſenteria, in affectibus renum & veſicæ, in puerperis ad promovenda τὰ λόχεια: ſed addere oportet 6. vel 7. amaras. Vocatur hæc confectio etiam *Saponéa*, quamvis revera differant.

XLVI. Amatus *in Dioſcoridem* monet, videamus, ne licentioſiores ſimus. Cum enim, ut ex Hippocrate dictum eſt, amygdalæ ſint æſtuoſæ, hoc eſt ob pinguedinem facile concipiant calorem, ſuſpectus eſt uſus ipſarum in ventriculis bilioſis, etiam ubi febris non eſt. Et hoc ex Avicenna eſt.

XLVII. De dyſtenteria hepatica præceptum eſt Tralliani, *l.* 8. *c.* 4. ne dentur, quod facile corrumpantur in bilem. Huic ſe opponit Braſſavolus *Exam. ſimpl. f.* 323. Verum ille loquitur de ſubſtantia, præcipuè ſi non bene contuſæ ſint. Debet autem dari veſperi, ut ſimul concilietur ſomnus. Hoc fine addi ſolent ſemina papaveris.

XLVIII. Sequitur *Oleum Amygd. duplex*, quod magna opus habet diligentia, à me non poſtulanda. Hoc tantum dico, tam dulcium, quàm amararum intus dari illud tantum, quod prima preſſura it: foris uſurpari quod poſtea. Uſus interior eſt in catarrhis ſiccis, in calculo, in ardore urinæ; &c. exterior in colicis, non inunctione tantum, ſed infuſione quoque per clyſterem, in puerperarum lochiis non procedentibus, &c. Cum dulcis uſus non ſufficit ſubſtituunt amarum. Atqui habet adſtrictionem? 6 *Simpl. c. de ol. com.* An regeri poteſt ex Averroe dulce etiam habere? Jam ergo res ſtat in æquilibrio. An illud habet, quod fit ex non delibratis?

XLIX. Gummi ſine lite adſtringit, & habet id à cortice, cui adhæret. Quo minus veriſimile eſt, calculum frangere poſſe. Poteſt id quod gummi Arabicum, incruſtare partes dolentes, quo minus ſentiant vim arenularum. Eadem ratio eſt catarrhi ſalſi. Interim etiam tonum reddit renibus.

II. DE ANACARDIIS.

L. ITa enim ſcribere oportet, ſiquidem Græcum eſt, à ſimilitudine cordis. Garzias putat, *Arom.* 30. factum eſſe ab Arabico *Balador*, quod Scal. (is enim creditur eſſe Notarum ſcriptor) concedere illi non vult. Noſtris *Elephanten-Leuſs.* neſcio cur?

LI. Plantam qui deſcripſerit, nondum vidi Quo minus credo Cæſalpino 2.

Hiſt. 19. eſſe *Perſeam*, Theophr. 4. *Hiſt.* 2. & Plin. *lib.* 15. *cap.* 13. Sed neque fructus reſpondet, neque color, quem pyro comparat Theophraſtus coloris herbacei. Quod ad Avicennam ait I. ſcriptor, juglandibus comparari ab illo, non autem amygdalis. Præterea medullas tantum comparat, non figuram, quæ medulla *Tamar* eſt, id eſt, dactylorum, non *Tamar-Indorum*. Naſcitur nux in Indiæ Orientalis iis locis, quæ Garz. & Acoſta nominant. Aliter Serapio qui in Sin ait naſci, hoc eſt India Orientali ultra Gangem. Sed quod addit, in Sicilia etiam creſcere in montibus ignis, planè fabuloſum eſt. De planta, ut dixi, nihil conſtat: de nuce, quam Cluſ. pingit *in Garz.* nihil aliud ſcimus, quam quod duplicem habeat corticem, inter quos (addit Acoſta) liquor fit cauſticus, quo etiam cauſtici loco incolæ utantur. Sylvius ſuccum hunc *reſinam* vocat.

LII. Quæritur, an hic ipſe ſuccus ſit venenum, quod tribuitur illi? an potius ſit diſperſum per totam ſubſtantiam? Hanc excuſat uterque, Garz. & Acoſta: de ſucco referunt id, quod dixi.

LIII. Serapio cum collocaſſet ſuccum ſanguineum, ut vocat, inter corticem (ſic loquitur) & medullam, calidum & ſiccum eſſe ait in 4. gr. & fortaſſis occidere. De Avicenna neſcio quid dicendum ſit, niſi codicem ipſius fuiſſe corruptum. Ex Cordo 4. *Hiſt.* 22. & nucleum & melliginem, ut appellat, pro veneno ſtrangulatorio declares, quale Colchicum noſtrum eſt. Unde ego progreſſus damno Anacardios, ſive cauſtici ſint ſive ſtrangulatorii.

LIV. Non admitto etiam, vel mel Anacardinum, vel Anacardios, quovis modo præparatos. Imo damno penitus *Confectionem Anacardinam*, quamvis *ſapientum* dicatur. Imo, eſt *Confectio ſtultorum*. Habeo enim ab amicis, quosdam ab ejus uſu maniacos eſſe factos, & catenis opus habuiſſe. In adoleſcentia mea cum quidam ex condiſcipulis muſſarent hanc Confectionem, novi præceptorem meum opt. max. M. JOH. HELDERUM, acerbiſſimè eos increpare & proponere exempla eorum quibus peſſimè ceſſerit. Interim, alter præceptor dediſſe ferebatur cuidam ex ordine noſtro, quem omnes ſciebamus aſinum eſſe, qui tamen paucos intra menſes eo doctrinæ provectus eſt, ut mutato nomine de nobis aliis narraretur fabula. Hic JC. factus, ad Profeſſuram Witebergenſem adſpiravit, ſed intra paucos annos ita exſiccatus, ut, cum perpetua ſiti premeretur, quotidie ad ebrietatem uſque biberet, itaque & ſibi & ſuis inutilis factus, tandem miſerè perierit.

LV. Hinc ſapere diſcant ij, qui in morbis frigidis auſi ſunt febres excitare uſu hujus medicamenti. Quemadmodum apud JC. vulnera ad menſuram non dantur: ita nemo perſuaſerit mihi, reperiri poſſe doſin morbo proportionatam. Sed & ubi inventa fuerit, quis ſiſtet actionem ipſius, ubi neceſſitas poſtularit?

III. DE

III. DE AVELLANIS.

LVI. AVellæ, ſeu, & olim ſcribebant, *Abellæ*, ut & *Abellinum*, urbs eſt Campaniæ, ſeu, ut hodie, Apuliæ à qua dictæ ſunt hæ nuces. Author eſt Macrob. 3. *Saturn.* 18. Dictas etiam fuiſſe *Præneſtinas*, à *Præneſte*, Latii opido. Hoc quidam deducunt ex Catone, & Plinio: verum illi diſtinguunt ab *Avellanis*. *Alareás* etiam dictas fuiſſe author eſt Hermolaus *in Dioſcoridem*, ab Alaria forte arbore, jaculis, & haſtis faciundis apta.

LVII. *Barbatas* vocant alii à laciniis ſeu fimbriis extimi corticis. *Calvas* (non *Garbas*) alii. Vide Turnebum 25. *Adv.* 19. & iterum *lib.* 27. *cap.* 17. *Ocellatas*, quarum mentio in Amygdalis, alii vocarunt. *Ponticas* à Ponti, minoris Aſiæ provincia, nominatas fuiſſe Plin. ſcribit *lib.* 15. *cap.* 22. Et quia *Heracléa* fuit *urbs Ponti*, ἡρακλεωτικὰς vocavit Theophraſtus aliquot locis, ut & arborem, quæ *Corylus* eſt, omnium notitia, καρύαν ἡρακλεῶτιν, ἢ ἴδα, ἢ ἡρακλεωτικήν. Interim Athenæus *lib.* 2. & Macrobius *l. c.* ad *Caſtaneas* referunt. Caſaubonus excuſat Athenæum ſuum, quod Epitomatoris hæc fraus ſit; ποντικῶν ſcribentis loco εὐβοικῶν, argumento certiſſimo quod Nicandrum *in Georg.* faciat autorem. Vide locum. Græci καρύσιον ἢ λεπτοκάρυον vocant, ad differentiam juglandium. Sunt tamen, qui ex Caryſto, Bœotiæ urbe deſumant, quos ridebit, qui Athenæum ipſum legerit. Præterea vox ipſa ſæpiculè eſt apud Galenum.

LVIII. Pollux ait, λεπτοκάρυα οὐκ ἔχοντα διφυῆ χν. qua in re fallitur, ſi de nucleo intelligit. Ni fallor ego, apud Hippocratem 2. *de diæt.* dicuntur κάρυα πλατέα, ad differentiam τῶν στρογγύλων, quæ ſunt *juglandes*. Quidam *Numæ nuces* vocare volunt, quod neſcio unde ſit acceptum. Quidam etiam *nuces minimas* Juvenalis & Macri.

LIX. De τῷ Κόρυλος, unde *Corulus* Latinis, moneo, ſi Græcæ ſit originis, ut conſtans ſcriptura videtur velle, cur in Lexico Græco non exſtet? Quidam ob id ſcribunt *Coryrus*, ut poſſint derivare inde τὸ *Colurnus*. Arboreſcere aliquando, ut eſt apud Theophraſtum 1. *Hiſt.* 5. quemadmodum & juniperum, non dubito.

LX. Quærunt quidam, an flos ipſius ſit nucamentum illud, quod primo vere dependet ex arbore, farciminis inſtar? Tragus, & ex eo alii, oſtendunt rubra quædam ſtamina. Quæ ſi ſunt verus illius flos, videndum an in juglande etiam ſit tale quid?

LXI. Differentiam inter Corylum ſativam & ſylveſtrem vix video, adeo minuta eſt. Nucem quandam ex toto tegi exteriori illo fimbriato cortice, ex luſibus naturæ eſt. Ejusdem generis eſt: ſi ſcindatur tam variè, quàm videmus in Byzantinis ſciſſum eſſe apud Cluſium, 1. *Rar.* 7.

LXI. Nec putem aliò referendum eſſe, ſi membrana intima, vel alba ſit, vel

 ſan-

ſanguinea, vulgo tamen fit, & vocantur poſteriores vel Lombardicæ, vel Lambertic, noſtris *Zellerniſs*, à Cella, in vicinia, Franconiæ civitate. Laudantur in dyſenteria ridiculo argumento, à ſignatura ducto. Quod ſi alius etiam ſaporis ſunt, jam id à ſolo natali eſt. Ab eodem eſt, accedente cultura, quod aliæ minores. De purgantibus Indicis nihil dico.

LXII. In Officinis ſunt ſeorſim nuclei: ſeorſim tunica illos ambiens, præſertim rubra illa Cellenſis. Meo tempore in Italia ex ſecretis Saxoniæ erat cortex externus ligneus uſtus in Colicis.

LXIII. De facultatibus quicquid dicitur, oportet accipere de καθαροῖς, ut Hippocrates loquitur, abjecta ſcil. membrana etiam intima, quæ eſt, ut idem loquitur ςάσιμος, *ſiſtit ventrem.* Ubicumque enim ſevatur, fit illud propter fluxiones uterinas & alvinas, præcipuè dyſenteriam, in qua rubræ illæ deſiderantur, & vocantur *Kubrniſs.*

LXIV. Quod ad primas qualitates, quidam cum audiunt Galenum dicere 7. *Simpl*, eſſe terreſtriores & frigidiores juglandibus, ſubito pronunciant, frigidas & ſiccas eſſe. At vero cum locutio ſit comparativa, non poteſt hoc concedi illis. Quin potius ita referendum eſt, ſi juglandes ſunt calidæ & ſiccæ in 2. gradu, avellanæ erunt in 1. Verumtamen quia juglans differt à juglande, ut abſolutè non poſſit dici quidquam; differt vero ita avellana quoque, diſtinctione opus eſt.

LXV. Avellana igitur recentiſſima, & forte non perfectè matura, quia excrementitia humiditate plurima abundat, eademque dulciſſima eſt: proculdubio eſt illa, quam calidam & humidam vocat Sethi. Ita enim habet uterque codex editus, non autem ſiccam, ut Tragus exponit. An Avicennam voluit ſcribere? Utrobique non tranſcendit 1. gradum, ita tamen, ut humiditas ſuperet caliditatem. Quare tales avellanæ non flatulentæ tantum ſunt, ſed & diarrhœas, ſi corrumpantur in analogum quid bili porraceæ, etiam dyſenterias facere poſſunt, præſertim ſi in copia ingerantur, & cum membrana intima.

LXVI. Ubi iterum hoc notandum, ſi pluſculum abſint à maturitate, & edantur moderatè, præſertim, ſi ſint Cellenſes illæ, poſſe alvum ſiſtere. Quo ſcopo, ut puto, feminis in Galliis expetuntur, ut eſt apud Bruyerinum.

LVII. Avellanæ bene maturæ, præſertim in montibus bene perflabilibus ortæ, quia minus excrementoſæ, jam ſunt illæ, de quibus Avicenna, declives eſſe ad caliditatem quandam, & ſiccitatem parvam. Tamen heic quoque ſubſiſto in 1. gradu, ita ut caliditas ſuperet ſiccitatem. De hac verum eſt, quod Jul. Alexannus 10. *Salubr.* 15. commemorat, liberaliore ejus eſu vim æruginoſæ (malim ego porraceæ) bilis in ventriculo fieri, quæ vomitu aliquando ejiciatur. Quamvis enim verum ſit, quod Averroës ſcribit, Avellanas minus, (ita enim ego intelligo) provocare vomitum, quam juglandes, ob ſoliditatem puta ſubſtantiæ ob quam

quam non ita ſupernatant: recentes tamen, ob copiam humoris, miſti ſubſtantiæ pingui & oleoſæ; in calidiore præſertim ventriculo, facile corrumpuntur, vomitumque excitant in iis, qui alias proni ſunt ad illum. Qui ſecus, incurrunt in dyſenteriam, ut Tragus obſervavit. Hoc in aſpera hac regione tantum non perpetuum eſt, ut quoties uber eſt proventus avellanarum, toties occupent vulgus promiſcuum fluxus tales.

LXVIII. Dicis At Galenus ait adſtringere ob auſteritatem? Adde, plebecula comedit cum interiori tunica, quæ adſtringit? Reſpondeo, ſi diligenter legas Galenum, videbis 1. illum *in de Simpl.* adſtrictionem collocare in foliis præcipue & putaminibus externis, minimum quod in fructu, 2. *in de Alim.* expreſſe dicere de fructu, rentem habere aliquid adſtrictionis, ſed quod procedente tempore exoleſcat. Imo recentem & humidum non conſpicuam habere illam, ſed eſſe quodammodo ἄποιον. Tu memineris, loqui illum de nucleo mundato, ut Hippocratem loqui dixi. Si per ſortem contigerit, non fuiſſe talem: ſperem tamen ſubſtantiam multam, uvidam juxta & oleoſam, fore victricem. Hæc ſubſtantia ſi jam corrupta ſit in bilem, dictus effectus contrarius erit in proximo.

LXIX. Avellana jam ſicca, quæque albedine & dulcedine tendit in flavedinem & amaritiem, eſt illa, ſi quidquam judico, jam calida & ſicca ad 2. usque gradum. De hac enim jure dixeris, quod de juglande veteri & rancida dicitur, ſi quis poſt alios cibos edat, & copioſe, & ſitim futuram ampliorem, & inflationem moleſtiorem, ſuperveniente tandem vel motu, vel dejectione. Vide Athenæum *loc. citato*, ut confirmatior fias in eo, quod dico, avellanas facere poſſe dyſenteriam.

LXX. Ibi cum fueris, intelliges ex Philotimo, quid in uſu alimentario exſpectandum tibi ſit ab illis, Dicit, nucem hanc eſſe λιπαρὰν, καὶ δυσκατέργαστον, *pinguem & difficulter coctilem.* Propter pinguedinem enim eſt ἐπιπολαστικὴ, ut Diocles ibi loquitur. Hinc eſt κακοστόμαχος Dioſcoridi, adeoque pejor juglande, ut Galenus ſcribit 2. *Alim.* 28. Non tantum enim pinguis eſt, ſed & dura, ſolidaque, durior certè & piſtaciis & amygdalis, *de Vict. atten.* 10. & quæ non, ut illa, habeat ullam abſtergendi. Ab hac δυσκατεργασίᾳ pendet etiam dolor capitis.

LXXI. Quo loco ſimul incipit quæſtio, Quomodo, quod ex Plinio jactatur, poſſit pinguefacere? Apud me contrarium eſt verius, adeoque habet vim ἰσχναντικὴν, ut quidam loquuntur. Hoc confirmo jam ex Hippocrate, qui διαχωρητικὴν vocat, quod fieri ob humiditatem excrementitiam, de qua Galenus *in de Alim.* puto. Qui hoc etiam habet, plerosque ventris ſubducendi gratia præſumere: virides autem ei rei accommodatiores eſſe. Quare ubi copia earum non ſit, macerari in aqua.

LXXII. Hoc velim conſiderent illi, qui ſuccum ex avellanis tractum (*Lac avellanatum* dixeris) valenter alvum ſtringere dicunt, atque ita cœliacis & dyſentericis prodeſſe. Licet enim non negem, avellanas tale quid, & quidem præ amygdalis, poſſe: tantillum tamen eſt.

LXXIII.

LXXIII. Eſt & alia ratio, cur plus poſſint amygdalis. Quia ſubſtantiæ ſunt craſſioris, & tardius deſcendunt. Quod ſi lac hoc fieret ex avellanis cum liquore, felicior eſſet effectus. Quo caſu ſi maceratio ſit etiam diuturnior, & in multo liquore, eoque abſterſorio, iterum felicior poſſet eſſe effectus.

LXXIV. Tum vero etiam non deſperem attemperationem acrium humorum, præſertim atræ bilis in ventriculum effuſæ, ut eſt apud Sethi. Hac ratione veteri tuſſi opitulatur apud Dioſcoridem, præcipuè cum mulſa, ob abſterſionem Fortaſſis toſtæ melius id facerent, abſumpto ſcil. κερχνώδει illo, de quo dixi.

LXXV. Quod de vi illarum alexipharmaca dicitur, apud me in dubio eſt. Cinis uſtarum avellanarum laudatur in alopecia. Oleum commendat Meſue in affectibus nervorum frigidis. Aquam deſtillatam in torminibus, Euonymus ſeu Geſnerus *parte alt. Theſ.*

IV. DE CASTANEIS.

LXXVI. PRo confirmatione eorum, quæ dixi, ſupra, antequam nucum affinitatem comminiſcerer, libet addere paucula. Juſtiſſima eſt reprehenſio Macrobii, & conſectaneorum, qui Διὸς βάλανον nolunt appellare *Caſtaneas*, tribuunt autem *Juglandibus*. Quam enim inepta eſt derivatio, dicitur quaſi *Dyuglans*? Quis enim tolerare poſſit hybrida iſtam? Διὸς glans? Eadem ratio eſt, nucis Euboicæ. De hac verſus eſt Nicandri ex Georg. (quæ non habemus) apud Athenæum.

——— λόπιμον, καρύόν τε,
Εὐβοιὲς, βάλανον δὲ μετεξέτεροι καλέσαντο.

Nimirum, tangit controverſiam antiquam, Caſtanea nux ne ſit an glans? Parum quidem refert, nec fas eſt, nobis obloqui Arcadibus, qui glandem primitus vocabant, ſed ego nucem eſſe ajo, ob multiplicem tutelam, nucibus potius propriam, quam glandibus. Hanc quia λόπιμον (λώπιμον falſa eſt ſcriptura) iidem Arcades vocarunt, ſubintelligendo, puto, πώγωνα, *barbam coriaceam*, illa verò in Caſtaneis eſt, non in juglandibus: quid hæremus? Addo, conſtanter tribuitur à veteribus (Heſychio, Dioſcoride, Galeno, Nicandri Interprete *in Alex.*) Euboicæ nucis appellatio Caſtaneis, ut nefas ſit mutire contrà. Gaza etiam, alioqui Proteus in talibus, τὴν διὸς βάλανον perpetuo apud Theophraſtum 3. *Hiſt.* 3. 4. & 6. 4. *Hiſt.* 6. Caſtaneam vertit. Hac in re ſecutus eſt Plinium *lib.* 16. *cap.* 18. & 25. Interim nihil obſtat, ſi idem Theophraſtus 1. *Hiſt.* 18. 4. *Hiſt.* 6. *ſub fin.* & καρύαν εὐβοϊκὴν, & κάρυον εὐβοϊκὸν habet, ut & Plinius *lib.* 16. *cap.* 40. & 42.

LXXVII. Cæterum Nicandri Interpres *in Alex.* quatuor facit Caſtanearum genera. 1. σαρδιανὸν, à *Sardibus*, urbe Lydiæ, ut ſupra: non autem ab inſula *Sardinia*, ut Turnebus 5. *Adv.* 12. vult, qui etiam apud Plinium legit *Sardinianos*. 2. λόπιμον, quæ forte eadem cum *Tarentina minus tractabili* Plinii, ob πώγω-

γῶνας ſeu ἰχῖνον. 3. γυμνωλικὸν quod Turnebus *loc. cit.* mutat in τιμωλικόν. An γυμνόλοπος legi poteſt, ut intelligatur *Balanitis* Plinii, quam ait maximè purgabilem eſſe, & quaſi ſponte proſilire? 4 μαλακὸν, quæ forte *molluſca* eſt, & *Caſtanea mollis* Virgilii, de qua olim *in Var. meis*. An apud Plinium, ſecus quam Turnebus ibi vult, 27. *Adv.* 13. legendum eſt? *Nam διὸς βαλάνε nomen poſtea Theophraſtus impoſuit.* Dicis, Plinius *cap. præced.* Juglandibus tribuit. Scio, ſed, quia, quæ immeditate præcedunt de Thaſiis, ſeducunt nos ad Amygdalas, fortaſſis de Amygdalis accipi debent. Ita Macrobius prætendere poſſit auctoritatem Plinii.

LXXVIII. Corollarii loco addo, apud Dioſcoridem eſt, Caſtaneas etiam dici μότα: apud Athen. non fructus, ſed arbor dicitur ἄμωτα. Proculdubio alteruter locus eſt corrigendus, inquit Caſaubonus; ego olim ſuſpicionem meam exhibui, nunc taceo, ne videar ſapere ultra talem virum. Sed & alioquin plus de nominibus, quam moroſi vellent. Reliquas pertinentias vide ſupra in C.

V. DE NUCIBUS INDICIS.

LXXIX. QUæ ita dicitur in Officinis nux, conſenſus eſt, eſſe Arabum & Arabizantium (Avic. 2. 2. *cap.* 509. Serap. *cap.* 218. Rhaſis 3. *Cent.* 20. Pand. *cap.* 565. *Neregit*. vel ut Scaliger *in Garz.* 1. *Arom.* 26. *Nergil*, *Nergel*, *Nargel.* Vocales enim in iſta lingua ſunt liberæ, inquit idem alibi. Luſitanis, authore Garzia 1. *Arom.* 26. a ſimilitudine cum capite cercopitheci, *Coquo* vocatur, unde *Coccos*, ſeu *Coccus* noſter, ſub quo nomine & Cluſius pingit *in Garz.* & alii.

LXXX. Ab hoc diſtinguere oportet *Coca*, ſeu *Cacao* Occid. quæ fructus eſt Amygdala minor, cujus meminit author innominatus, ſed doctus, Hiſtoriæ Indiæ Occid. *lib.* 4. *cap.* 22. qui *cap.* 26. *ſeq.* deſcribit noſtrum Coccum parvo meliori comparans. Coca alia inter myrtos eſt apud Bauhinum *in Pinace f.* 469. *Noſtrum Coccum* Bauhinus *loc. cit.* inter palmas nuciferas primo loco habet, & tamen mox *ſub. n. IX. Cuci* collocat. Nimirum relicta *Elate palma* Dioſcoridis, Amati, ut & *nuce Regia* Galeni, Braſſavoli, & *Nicolao* Cæſalp. aſſocio me Guilland. Papyri membro 7. eſſe *Cuci* Theophraſti. 4. *Hiſt.* 2. quo loco in Animad. noſtris accipio emendationem Ill. Salmaſii, legentis, τὸ δὲ κεκὶ καλούμενον διάφορον, ut ſit *pretioſum*, ſeu *in magno honore*, ut Plinius habet *lib.* 13. *cap.* 9. Fuerit itaque planta *Fauſel*, ſeu *Areca*, ſeu *Arræqua* Garziæ, cujus varietas eſt *Coccus de Maldiva*, quod deſcriptiones & figuræ oſtendunt Cluſii apud Garz. *loc. cit.* licet diſſentiat Bauhinus.

LXXXI. Argumenta Guil. duo ſunt. 1. Garziæ teſtimonio, palma dactylifera nulla Indiæ parte provenit, ſed inferuntur palmulæ ex Arabia. Ergo Indica hæc folio illis ſimilis, eſt Cuci. 2. Strabo, Herodotus, Plinius dicunt, ex illa fieri vinum, mel, panem. &c. Hæc omnia fiunt ex hac palma. Sed revera duo valde inſignia poſſunt objici. 1. negat Theophraſtus eſſe μεροφυὲς. Atqui eſt, neque σχίζεται εἰς ῥάϐδοις. 2. negat fructum eſſe ἀθρόον. Atqui eſt racemoſus. Ad-

do, καρπὸν ait eſſe χειροπληθῆ. Atqui ſæpe eſt capitis humani magnitudine, ut pendat ad ℔. 27.

LXXXII. In facultatibus non conſentiunt Arabes. In activis quidem idem dicunt: ſed in paſſivis humidam alii, ſiccam alii. Expediunt ſe autem, quod viridem, & in India conditam, humidam eſſe cenſent: ſiccam & apud nos, poteſtate etiam ſiccam. Cum reliqua conſidero, video laborare hoc vitio, quod non ſecus ac Amygdalæ & Avellanæ, præſertim veteraſcens ranceſcat. Ideo difficilis eſt concoctionis, διὰ τὸ ἐπιπολάζειν, ut Græcè dicam. Apud nos analepticum eſt in dyſenteriis, cui parum fido, & ratione & experientia in meo corpore fultus. Imo ſunt ex Practicis, qui pituitæ feracem eſſe dictitant. Credo autem lumbricos necare, eo modo, quo omnia oleoſa. Ita ventrem ſiſtere puto craſſitie ſubſtantiæ, ut duæ prædictæ uſurpatæ.

LXXXIII. Sed quis eſt ille uſus non omnibus revelandus, ut eſt in Diſpenſario Colon. *f.* 44. Puto illum eſſe, cujus Alpinus meminit 3. *Med. Ægypt.* 16. Venerem ſtimulat ob flatuoſitatem. Nam Rhaſis quoque concedit renes calefacere.

LXXXIV. De oleo duplici per expreſſionem, videris Garziam. Uſus eſt in frigidis affectibus partium nervoſarum. Ego penetrantiam requiro, & oleum potius de Euphorbio laudo, ſed ritè paratum.

DIGRESSIO IN LAUDEM COCCI.

LXXXV. Contemplanti mihi Naturæ liberalitatem in famelicos & multimodis miſeros Indos, occurrit primo intuitu hæc arbor, de qua Ludovicus Romanus, ſeu Wartomannus pronunciat, non eſſe illâ feraciorem in toto mundo. Quo factum eſt, ut in bellis habeat hoc privilegium, *Qui illam læſerit, pacem nunquam conſequatur.* Hoc tanto æquius, quo verius, non vulgo creſcere, & totis ſylvis, ſed intervallo paſſuum 1200. vix unam. Hinc proprios dominos habent. Caritatem auget, quod nec omnis arbor fructum fert, nec quæ fert, omnibus ramis. Quæ fert, præbet incolis cibum, potum, oleum, lac, butyrum, linum, pannum, patinas, pocula, ligna ad focum & carbones I. Cibum præbet, non tantum medulla fructus, qui ſuaviſſimus eſt, ſed & exterior cortex, amygdalis non inferior, antequam obduruit. II. Potum dat aqua, quæ in medulla continetur ſuaviſſima. Et ne contemnas, ſingulæ nuces continent ℔ iiij. præter propter. Uſus eſt ferè medicus tantum, quando vel à Sole nimis incaluerunt Indi, vel laborarunt calida aliqua viſcerum intemperie, præcipuè renum. III. Oleum ex nucleis expreſſum conficitur ad lucernas, ad orizam coquendam ad infirmitates corporis frigidas. IV. Hoc etiam butyri loco illis eſt, ad condiendos cibos. V. Lac exprimitur, non ex nucleo ſolum, ſed & ex cortice medio, lacte caprino non deterius. VI. Lini, ſparti, xyli, lanæ, cannabis ad veſtes texendas. Ad funes torquendos, locum apud illos occupat cortex nucis villoſus. Imo veſtes & funes ſunt longe præſtantiores noſtris, quia

in

in mari non ita facile vitium ſentiunt. Ex eodem tomento naves ſtipantur melius, quàm ullo alio. Ubi enim permaduit, turgeſcit, & rimas obſtruit vel tenuiſſimas. Panni ipſi cum ſerico contendere poſſunt. Ita aulæa quoque. VII. Patinas, ſed præcipuè pocula, tornant ex cortice interiore, de quibus hanc perſuaſionem habent, paralyticos ex illis magnum emolumentum capere. VIII. Idem cortex ſervit cibis coquendis præbetque carbones. Et hæc quidem facit coccus frugifer: qui fructum non fert tamen I. Aquam ſubminiſtrat, quam *Suram* vocant, quæ ex præciſis ramis exſtillat; muſto non diſſimilis. II. Ex hac decocta vinum conficit. Huic generoſitatem conciliant, affuſo vino ardenti, quod ex eadem aqua per deſtillationem parant. III. Cum acetum volunt, ſtare ſinunt per triduum, & ferè ſub Solis radiis. IV. Ex eadem aqua, ad tertias decocta, Mel fit. V. Quod denſatur in arbore, ſaccharum eſt. Nec ſatis hæc omnia. Ex foliis texunt petalos ſuos, ſtoreas. In iisdem ſcribunt. Iisdem tegunt ades ſuas. Videas aliquando ex ſola hac arbore ſtructas & inſtructas totas naves. Eadem oneratur poſtea mercibus, ex ſola hac arbore collectis. Ita ædes integræ cum omnibus neceſſitatibus ſuis ſtruuntur. Sed luſus ſatis ſuperque.

VI. DE JUGLANDIBUS.

LXXXVI. ITerum rideo derivationem, dicitur *διὸς glans!* Præterea non eſt βάλανος, ſed κάρυον, *Nux*, quorum utrumque æquè ridiculè deducitur, illud quidem ἀπὸ τȣ̃ κάρα, poëticè. pro κάρηνον, hoc à *nocendo.* Revera non minus quàm φιλοριςία morbus eſt, ita φιλετυμία, ſi nimia ſit & Varroniana, ut ſupra locutus ſum.

LXXXVII. Manet hoc concuſſum ἡ διὸς βάλανος eſt *Caſtanea*, quam Jupiter monſtraſſe creditur Arcadibus, herbas & radices faſtidientibus. Tu vero ſi vis derivationem, accipe talem, qualis illa, *Teſtamentum eſt Teſtatio mentis*, & dic, *Juglans* eſt quaſi *Jugulansglandem* ſeu *quercum*. Utraque enim arbor cum ſit πολύῤῥιζος, altera propè alterum ſata perimit alteram. Hinc tu cape præceptum ruſticum. Ac ne videar tibi φορτικὸς, hem tibi locum Theophraſti 3. *Hiſt.* 3. ut hunc ſolum producam. Jungit ſibi τὴν καρύαν τῇ διὸς βαλάνῳ, & dat mihi occaſionem quærendi, διὸς βάλανος eſt Juglans, quid eſt καρύα? Hoc uno loco ſi non flecteris, nec centum aliis flecteris. Quare nunc quidem te ſino, & hoc te doceo, ſi neſcis, *Cur vocata ſit nux Perſica & Regia?* In ſtricto illo Perſarum victu, de quo in Naſturtio, ſolis regibus permittebantur juglandes. Hinc βασιλικὰ κάρυα, ἢ περσικά. Hinc veriſimiliter concludo, longè ante Alexandrum Magnum veniſſe in Ægyptum.

LXXXVIII. Unde & hoc deduco, *Molluſcas*, ſeu *Tarentinas* non ob id præſtantiſſimas eſſe, quod ſine nucifrangulo comedi poſſint, cum apud nos quoque ſapidiores ſint illæ, quæ vocantur *Steinuſs*, *Surdæ* Italis. Ubi hoc noto, quod alibi etiam τὸ περσέα ἢ περσαῖα, περσίον ἢ περσεῖον quorundam è veteribus, eſſe eandem cum καρύα, qua de re infra.

LXXXIX. Differentiis non immoror, quod omnes videantur accidentales, etiam illæ, qua quædam *Caballinæ* dicuntur eadem occaſione, qua *Caſtaneæ equinæ*, quamvis hæ peculiarem plantam habeant. Eſt enim ab intenſiva particula ἱππο.

XC. Partes potius diſtinguendæ, propter Officinarum celeberrimum medicamentum ſtomachicum, de quo ex Galeno dicetur, Διακαρύων Græcis, *Rob Nucum* Arabibus, *Dianucum* Barbaris, non fit ex ipſis nucibus, ſed è putamine exteriore viridi, quod corrupte apud Feſtum *Gullioca* ſeu *Guliaca* vocatur, cum *Coleola*, ἀπὸ τȣ̃ κωλεὸς, non κωλαιὸς, ἡ κωλειὸς *vagina*, ſeu *ſacciperium* vocari deberet.

XCI. Contrà, tota nux viridis cum utroque cortice, condîtur. Nucleus, excluſis membranis interſepientibus, in ſecundas menſas venit. Rurſus ex Culeola ſeorſim deſtillatur aqua ut & ex totis nucibus immaturis. At oleum, aut per expreſſionem fit, aut per deſtillationem.

XCII. De facultatibus qui diſtinctè loqui vult, non minus quàm in amygdalis ſolicitus eſſe debet, 1. ut diſtinguat recentes à rancidis. 2. ut de recentibus conſtet ſibi, quousque ſint progreſſæ. 3. ut detrahat iisdem tunicam, quæ medullam ambit. Tunc vero inter recentiſſimam nucem, eandemque perfectè maturam, & inter vetuſtiſſimam tanta erit temperamenti latitudo, ut pene dici poſſit, hanc calidam, illam frigidam: hanc ſiccam, illam humidam. Ut enim Galenus ſcribit 2. *Alim.* 28. viridis, quia pene eſt ἄποιος, ſaporemque habet aqueum, ob humiditatem non paucam, parum abeſt, quin ſit frigida. Licèt non collata ad hominem temperatiſſimum ſit calida in 1. gradu, ut Sethi determinat: eſt tamen illa tam vicina tepiditati, quam eandem eſſe cum frigiditate non ſemel dixi, ut non peccarit, qui prorſus eandem eſſe dixerit. Eandem eſſe humidam tam non diffitetur Galenus *in de Alim.* ut concedat uſum illius ad ſubducendam alvum. Ubi notandum, interpretem, cum τὸ προλαμβάνειν exponit, per *præſumunt*, attigiſſe quidem verum ſenſum, ſed non ſatis dixiſſe. Senſus eſt, ut ante alios cibos, in ſat magna copia, à jejuno ſumatur, cum garo, melle, defruto, & his ſimilibus abſterſoriis, ut Iſaac docet. Hoc qui volunt alio tempore, quàm autumnali, ſiccas macerant in aqua, de Galeni conſilio. Quæ humectationem hanc admittere debent, non omnino retorridæ ſint, ut Julius Alexandrinus monet 10. *Salubr.* 15. Tales enim humorem externum non admittunt, Quæ vero admittere debent, eorum putamina leviter aperiri debent, ut hient tantum, itaque poni in aqua calida per biduum, ut paulatim abſcedentibus membranis, aqua ſubſtantiam nuclei ingrediatur. Tum vero ſi, docente Matthiolo, per aliud biduum macerentur in aqua vitæ, &, præmiſſis præmittendis, dentur feminis menſes non habentibus, ubi alia omnia non profuerint, hoc proderit. Oportet autem per decendium dare ante ſtatum menſium tempus.

XCIII. Et hæc quidem recentes faciunt, recentatæque: quæ vero his ex adverſo opponuntur, jam apud Serapionem & Sethi in 2. gradu calidæ ſunt, apud Avicennam etiam in 3. Eædem ſiccæ quoque ſunt in 2. Tota enim ſubſtantia

earum,

earum, inquit Galenus, in ſuccum pinguem tranſmutata eſt, adeo, ut cibo prorſus ſint ineptæ. Id vero ſatis clarum eſt, ex oleo, quod oleo veteri diſſimile non eſt, ut amplius dicetur. Apparet etiam in lingua, in qua veſicas excitant rancidæ illæ.

XCIV. Quæ ergo in utrarumque ſunt medio, prout magis, minusve diſcedunt aut accedunt ab extremo ad extremum, tanto magis minusve faciunt hoc, illud. Non diſſimilis eſt ratio in ſecundis.

XCV. Tota arbor habet adſtrictionem, habet & fructus: verum ut expreſſè docet Galenus quia in recenti obtunditur à copia humiditatis, in antiquo ab acredine, neutrubi evidens eſt. Evidentior autem eſt in media ætate, ſed rurſus magis & minus. Evidentiſſima eſt in cortice extimo viridi, è quo Diacaryon, ut dixi. Hic recens, nondum habet ut alvum ſolvat; adultus etiam diſcutit egregiè.

XCVI. De nucibus ita habet res. Quo recentiores, eò aquoſiores, facileque deſcendunt, tam ob copiam aquæ, quàm ob defectum oleoſitatis. Contrà inveteratæ, & copiam olei nactæ, ſunt κακοσόμαχοι, ut Dioſcorides vocat, quia ἐπιπλαστικαὶ, ut Diphilus apud Athenæum, in δυσπεψία illa accedit κεφαλαλγία. Poſtquam coctio aliqua facta eſt, tamen bilis fit, adeo odioſa Practicis, ut cum venenis comparent. Hinc adeo natura ſæpè vomitu prævertit febres, choleras, & alia talia.

XCVII. De juvenibus peculiariter Julius Alexandrinus ſcribit, adverſiſſimas illis eſſe, præſertim ſi calores æſtivi durent: contrà ſenibus utiles, quod tamen non credo. Quin imò tam refractarius ſum, ut nolim acceptare celebre illud Mithridatis alexipharmacum ex nucibus apud Plinium *lib.* 2. c. 8. quod apud Galenum 2. *Antid.* 8. tribuitur Apollonio Muri, cum larga ſecuritatis promiſſione.

XCVIII. Sed valeat in venenis aliis; in contagio peſtilenti quid facit? Sed & forte in primoribus labris & ſcutica aſpellit telum illud, quod meridie medio volat; ut ſacræ literæ appellant? Multo minus credo Scholæ Salernitanæ proceribus, *Poſt piſces nuce*, & poſtquam legi Julii Alexandrini commentum, prohibere noxam putrefactorum in ventriculo piſcium. Quomodo prohibent? Calefaciendo & ſiccando corrigunt frigiditatem & humiditatem piſcium. Egregiè! Tales enim jam rancidæ ſunt. Pudet me, pigetque & hujus & tot anilium fabularum, in quas tamen libros commentarios ſcribunt homines non ignobiles! Mundus vult decipi. Ideo Montimbancis (ut cum Italis loquar) ſuppetias eunt, quos fames eò adigit! Sed recolligo me.

XCIX. Hoc maleficium habent pene omnis ætatis juglandes, quod faciunt ilud κεγρῶδες, aut Jonicè κερχνῶδες illud, 3. *Art.* 61. cujus & in Amygdalis, & in Avellanis mentio, ob quod omnia talia ſunt inimica τοῖς βρήτλοισι, ut Dioſcorides

rides loquitur, *omnibus* quidem *tuſſientibus*, ſed præcipuè illis qui phthiſi proximi, & rurſus qui ex calida cauſa laborant. Hoc eſt, quod Diocles ait apud Athenæum, τὴν φάρυγγα τραχύνειν, καὶ τὸ ςόμα. Hoc (uno verbo) eſt oleoſum id, quod habent, quo etiam vermes occidunt, tam certo (ut audivi) apud Mediolanenſes experimento, ut alio non utantur. Sed oportet in magna doſi dare. Quemadmodum ſi quis ipſa κάρυα velit exhibere, oportet πλείονα ſint, ex Dioſcoride præcipuè, quod Sethi explicat per κατακόρως, *oportet ad ſatietatem comedere*.

C. Hinc facile quis æſtimarit, quod alimentum dent? Parcius quidem, ait Galenus, avellanis, quia minus denſæ. Hanc raritatem efficit copia olei, ob quam etiam majorem bilis partem dant. Hoc verum eſſe docet φαινόμενον Julii Alexandrini, etiam inculpatiſſimæ ſitim adducunt præſertim in calidioribus, in quibus etiam dolorem capitis faciunt. Hoc facilius fit, ſi poſt alios cibos edantur, & ex vino. Dixi *in calidioribus*, ſcil. ventriculis, in quibus ſtatim corrumpuntur, cum in temperatioribus aliquo modo coquantur. Hoc ex Galeno deduxeris, ſi pro ἐκχολοῦται accipias ἐκχολεῖται, quod faciendum eſſe conſulo *in Variis*. Hoc incommodum avertunt quidam maceratione, de qua fusè. Alii torrent, imitatione Mneſithei apud Athenæum.

CI. Quo loco non prætereundum, quod Averroës monet, *Nuces has habere malam qualitatem*, quæ faciat paralyſin linguæ, ſi frequentior ſit uſus. Hoc intelligo de rancidulis, quæ habent inſignem acrimoniam, & inde inſigniter attenuant. Eædem fortem habent abſterſionem apud Avicennam. Hinc in alopeciis infantum maſticatæ in vino imponuntur. Aëtius peculiariter laudat in livoribus. Dioſcorides in gangrænis, carbunculis, ægilope.

CII. Crediderim, cinerem in his efficaciorem fore, quod ſiccitas etiam huic adſit, & ſine morſu, ut Galenus monet.

CIII. Jam hinc tranſire oportet. I. ad nuces immaturas virides conditas. Has, ad deponendum amarorem, præmacerare oportet ad 15. dies, ſi quidem cum nucamento condiantur: dico 15. ſummum terminum indicans, ſi ſingulis diebus ſemel mutetur aqua pluvialis. Si ter aut quater, poſt triduum periclitari oportet, reſtétne amaror aliquis? In reliquis res planta eſt. Uſus eſt, quia caryophyllis Indicis configuntur, in ſenibus, aut alioqui ventriculo refrigerato.

CIV. II. Ad *aquam earundem* diſtillatam, quæ valde commendatur in omnis generis caloribus, præſertim in febribus peſtilentibus, in quibus etiam bubonibus imponitur. Vide Euonymum Geſneri parte utraque.

CV. III. Ad *aquam Culiolæ* ſolius, quæ in peſte ſudoriferum dat, quod non fallat, vide eundem Euonym. IV. ad oleum ejuſdem, de quo eundem.

CVI. V. Ad *Robnucum*, quod pariter ex *Culiola* fit, ſed eadem matura. Vide Hiſtoriam ipſius apud Galenum 9. κ. τόπ. 1. itemque variationem pro temporibus anginæ, in qua præſtat alia ſtomatica. Succus hic cum multa partium tenui-

tenuitate eſt, quæ valde penetrat, habet inſignem vim adſtrictoriam, qua pertinaciter hæret.

CVII. VI. Ad oleum nucum Meſuæ quod & *Caryinum* vocatur, & *Juglandium*, cujus ætatem diligenter diſtinguere oportet. Cum enim ſit ex nucibus ætatis mediæ, quæ habent adſtrictorium quid, non eſt tam ſecurus uſus, in colicis, in lumbricis, in cibis apud Polonos, qui pro oleo communi utuntur. Quin & Inſubres non raro periclitantur in vermibus, quia ſtomachum inflat, &c. Inſubres partium nervoſarum utitur Meſue cum calce lota. Hoc videtur factum imitatione Galeni 6. *Meth.* 3. Ex his judicare licet, quatenus coincidit *cum oleo de Ben* ſeu *Balanino*, cum quo comparant quidam.

CVIII. VII. Non oportet etiam contemnere *Iülos* ſeu *catulos arboris florentis.* In ſuffocationibus enim uterinis ad ʒj. in vino albo dat Matthiolus. In Epiſt. Cratonis idem eſt medicamentum, cum hoc elogio, *In hoc affectu nihil novi præſtantius*, ait ille, qui ſcribit. Dat autem ad ℈ij. in olei ſuccini gutt. ij. Affirmabat mihi in Italia D. Joan. Ranzenbach, Anabaptiſtas in Moravia jactare, habere ſe Antepilepticum *ſecretiſſ.* quo dato infantibus ante omnes alios cibos, præſtet illos ſecuros per totam vitam, hos, inquam, Iülos. Camerarius *in Horto* habet pro vomitivo, à ʒß ad j. in doloribus colicis & nephriticis.

CIX. VIII. Folia tenera in aqua decocta, moderatè alvum ciere ſcribit idem Camerarius. Idem *in Matthiol. German.* foliola prima rubentia loco piperis eſſe alicubi. Audivi neſcio ubi, culeolam idem præſtare Wormatienſibus. Idemmet de cortice medio radicis memorat, & ſucco & pulvere furſum deorſumque purgare.

VII. DE NUCIBUS MOSCHATIS, & Maci.

CX. Μόσχος, ὁ, tria ſignificat apud Græcos. 1. *vitulum.* 2. *taleam* ex arbore decerptam, & alteri inſitam, unde eſt μοσχεύειν καὶ μόσχευμα, *Propſen*, apud Theophraſtum. Quidam volunt claviculam eſſe, qua vites v. g. arbores proximas apprehendunt ſcanduntque. 3. Apud recentiores Græcos eſt *odoramentum* nobile, ab animali acceptum, quod Chioccus *in Muſeo Calceolarii*, *ſect.* 6 *f.* 666. pingit, quod licet *Caprea* ſit, primo tamen aſpectu *vitulum* potius refert. Unde veni in has cogitationes, è ſecunda ſignificatione manaſſe hanc tertiam.

CXI. Quidquid ſit, ſimilitudinem odoris quia aliquam habet nux propoſita, dicta fuit *Moſchata*, & corruptè *Muſcata.* Græci etiam peculiare nomen finxerunt, μοσχοκάρυον vocantes. Alii κάρυον μυρεψικὸν, μυριστικὸν, ἀρωματικὸν, poſterius hoc quidem rectè, illa verò minus. Habuerunt etiam hanc opinionem, eſſe μυροβάλανον, aut etiam βάλανον, pro qua jam ſupra *Ben Arabum* acceptatum fuit, & oſtenſum in horto Farneſiano Romæ.

CXII.

CXII. In ſimili errore verſantur, quamvis planta exhiberi non poſſit, qui Cryſobalanum Galeni 8. κ. τόπ. 3. in alt. Aſclep. phar. & iterum 9. κ. τόπ. 4. in ejuſdem Aſclep. Colicis, eſſe cenſent. Imo verò conſenſus eſt eruditorum, ante tempora Aëtii in Europa viſam non fuiſſe nucem, quàm ipſe *lib. ult.* in ſuffumigio Moſch. videtur appellaſſe *Nucem Indicam*. Ipſa arbor ante annum 1600. nemini viſa fuit. Dicto enim Cluſ. 1. *Exot.* 15. & 16. geminos ramulos, maris & feminæ, cum foliis ſuis laurinis, ex Banda Indiæ Orient. inſula, (in qua ſola creſcere dicitur) protulit.

CXIII. Nomen Garzias ex Avicenna dat, *Jauſiband.* i. nux Bandenſis, quem tamen ex codice ſuo Arabico Scaliger redarguit.

CXIV. Partes nucis, non minus quàm juglandis, quatuor ſunt, in quibus laborant noſtri, ut nomina veteri illis concilient. Fruſtra! Qui enim dicunt Arabes laudare Galenum in nuce ipſa, iis oppono Averroëm qui 5. *Coll.* 55. expreſsè habet inter ea, quæ Geleno fuerunt ignota. Si qui alii id dicunt, iis reſpondeo, habere Indos longè alia à noſtris exemplaria, ut Garzias alicubi ſcribit. II. Qui exteriorem corticem, *Culiolæ* juglandis correſpondentem *Narcaphtum* ſeu *Naſcaphtum* Dioſcoridis eſſe contendunt, multis convinci poſſunt. Mihi hactenus perſuaſit Matthiolus *in Dioſcoridem*, *lib.* 1. *cap.* 22. eam *Tigname Officinarum* quarundam eſſe. III. Inter eos, qui *Macin* noſtram volunt eſſe *Macerem* Dioſcoridis *lib.* 1. *cap.* 94. Jul. Alexandr. eſt, qui profectò nimis operosè nihil agit. Mihi ſufficiat indicaſſe loca, quibus urget hoc ſaxum, *Not. in Gal.* 7. *Simpl.* 18. *Salubr.* 2 . *in Ep. ſing. inter Matth. lib.* 1. Tantæ molis erat! Huic paria velle facere, eſt bono tempore male abuti, & alios pro fungis habere, quo in numero fuiſſe me olim doleo. IV. Qui tandem corticem intimum, carinato illi & bifido proportionatum in juglandibus, huc trahunt, delirant. Ita enim audebo loqui, ut eò citius me abſolvam, & ad facultates veniam ſeorſim Nucis, ſeorſim Macis.

CXV. De Nuce qui vult agere, ſeponat oportet terriculamenta Bauhini *in Pinace*, ſex ſpecies facientis, & cum ipſo *in Matthiolum* acquieſcere variationibus in fructu oblongo & rotundo, ſeorſim poſita Maci. Hæc enim cum, ipſomet fatente, ſit una ex corticibus nucis, quomodo ſpeciem nucis conſtituit? Nec juvat illum larva Cordi 4. *Hiſt.* 16. & 17. Ipſe enim Bauhinus prodit ſe, cum ætate differre ait, Carioſa magis, oleoſa minus, affectibus ventriculi & capitis commodior. Atqui inquit, hæc ſpeciem faciunt in arte? Faciunt, ſed non propterea naturam mutant.

CXVI. Et hoc eſt, quod Cluſius ait *in Garziam*, in una quam deſcribit & pingit ſpecie, eſſe oblongum quoddam genus, *Mas* vulgo vocatum, mulieribus longè vilius æſtimatum. Hoc enim vult, quod poſt Cordum Sylvius, *Dum ad uſum vocas, accipe integram, non confractam, planam, non rugoſam, quantum fieri poteſt, pinguem & ponderoſam, quæ acupuncta ſtatim oleum fundit, odore & ſapore ſuavi & aromatico.*

CXVII.

CXVII. *Ne putes autem*, addit Sylvius, *ad* 10. *annos efficacem eſſe*: quin (addo ego) ſi in fundo videas incipere cariem, & puncta parcius emittat oleum, jam credas ablatam tibi eſſe maſculam, quamvis oblonga inſtar dactyli, non ſit.

CXVIII. Volumus autem ſæpenumero talem in affectibus, præcipuè uterinis, quam ideo torremus, ut olei pars quantacumque pereat, minusque fumoſa ſit.

CXIX. Addo & hoc, ſubſtantiam interiorem non eſſe ejusdem coloris, ſed albicantem interſtinguere lineas ſpadiceas, vario ductu ſparſas, quas ego ſoleo per jocum vocare *literas Arabicas*. Hæ lineæ, quo latiores ſunt, nigrioresque, eo major copia ſubſtantiæ oleoſæ eſt; contra quo exiliores, & albiores, eo minor.

CXX. Eſt autem in his differentia manifeſta, in ſapore, colore, & odore. Recentium enim ſapor quidem tenuis eſt, ſed odor ſuaviter acris, jucundus, valde aromaticus & adſtringens ut Cordus loquitur: vetuſtarum contra, ſapor tantum adſtringens, ſine ullo odore, cum rubore longè remiſſiore.

CXXI. Ex his intelligitur latitudo temperamenti, non minor quam in ſuperioribus: verumtamen hac differentia: In Moſchatis minuitur color, quia fundamentum habet valde tenue: In juglandibus augetur, quia ſitus eſt in ſubſtantia lenta & viſcida.

CXXII. Ut ad facultates veniam, ex collatione locorum inter ſe hoc capio; Recentes quidem & vegetas calidas & ſiccas eſſe in fine 2. gradus: carioſas autem, cujuscujus figuræ, in fine 1. Et quia partium heterogenearum eſt, Jul. Alex. *loc. cit.* ita raciocinatur. Cum partibus tenuibus ſimul ſe inſinuant craſſæ, & frigidæ & adſtrictoriæ, apparetque effectus adſtringendi longè major, quàm revera eſt: hoc facit, ut dubitem de aſſertione eorum, qui urinam ciere poſſe ajunt: Partium enim tenuitati opponit ſe vis fortior. Hinc Arabes commendant in reddendo viſceribus tono. Hinc mulierculæ tam ſunt amantes nucis hujus, ut non ſit ulla, quæ non habeat in burſa, propter mala imprimis uterina. Et licet errent in loco affecto: tamen ut-plurimum ſuccedit curatio. In alvi fluxibus nihil frequentius nuce hac, qua tamen non rectè adhibita (puta in vacuationibus Criticis) malum fit pejus. In ſingultu compeſcendo mirificè prodeſt. In appetitu promovendo non minus utilis eſt. Hinc pendent affectus capitis & oculorum, per συμπάθειαν. Vide Matthiolum. In catarrhis & inde ortis affectibus frigidis nervorum, palmaria eſt. Non tantum enim vias occludit, ſed & nervos ſiccat. Eam in rem, de Rondeletii conſilio, apud Lobel. præſtant vetuſtiores, quia minus caput petunt. Huc facit hiſtoria nobilis feminæ apud dictum Lobelium. Hæc cum ob picam, puto, 10 aut 12. nuces comediſſet, ebria facta deliravit.

CXXIII. Sed qua facultate pulmonem lædit, quod Sethi ait? Non video in propinquo aliud quid, quam κεγχνῶδες illud, de quo dixi. Hoc imprimis verum eſt de calidioribus & ſiccis, qui ob id, in metu phthoës ſunt.

CXXIV. Epidorpidis loco ex Camerarii Matthiolo German. hoc addo, vinum in minoribus doliis melius ſervari una aut altera nuce moſchata indita, quàm ſulfure.

CXXV. Sed quid ſubſtituendum, ſi non adſit? *Par pondus Caryophyllorum* ex Meſue. Poteſtne etiam *ol. Caryoph. oleo nucis moſchatæ*? Non utar κρησφυγέτῳ quorundam. Opus eſt diſtinctione. Simplex per expreſſionem non poteſt. Caryophylli enim longè calidiores ſunt. Simplex per deſtillationem pariter non poteſt, ob cauſam eandem. Sed compoſitum, quod ad Helidæum refertur, poteſt. Dico διαῤῥήδην, oleum caryophyllorum in tenui illa ſubſtantia eſt cauſticum. Ut enim lactuca eſt edulis, ſuccus eſt lethalis: ita uſus eſt omnium horum ad corroborandum ventriculum, exterius ad ſomnum, temporibus & pulſibus illitum. Aliud eſt *Moſchelinum* ſeu *Moſchatum Nicolai*, quod & Moſchum habet & nucem Moſchatam, & variat compoſitio mirificè, ut conſilio ſit opus.

CXXVI. Habemus & *nucem conditam*, modò integram & immaturam ex India allatam, modò ſolam nucem ſic dictam, apud nos. Uſus ut Indicæ, in reſumptivis. Sed perfecto opus eſt circumſpecto, vel propter hiſtoriam modo tactam.

CXXVII. Supereſt mihi

MACIS.

NON *Macer*, ut quidam confusè & ſcribunt & loquuntur; quod perſuadeant ſibi, non ſolum idem eſſe medicamentum, ſed & nomina ejusdem originis eſſe.

CXXVIII. Hæc debet integra eſſe, non confracta, minimè flava ſeu rubra, non nigra, quæ compuncta etiam oleum remittit, & ſapore & odore commendabili, non alieno à ſua nuce. Tu nota τὸ *Nigra*, ex Sylvio eſſe, qui ait, *Aliquando nigricat.* Quando vero? An cum oleo copioſo turget? Hoc enim ſpadiceum colorem in ipſa nuce procreat.

CXXIX. In facultatibus conſilio opus eſt, ne facilè nos dedamus illis, qui dicunt, *Habere omnes facultates quas nux habet, niſi quod tenuioris eſt ſubſtantiæ, & nuce efficacior.* Hæc ipſa enim προσθήκη ſubvertit rem. Multò minus dedemus nos illis, qui cum Caryophyllis componunt. Ut enim hoc tantum dicam, Nux ſatis validè adſtringit: Caryophylli debiliter. Sed & modus ſubſtantiæ facit differentiam. Nucis tenuitas facilè perit in lingua: craſſities Caryophyllorum diu pungit.

CXXX. Jam, *Macis* adſtringit quidem & ipſa, ſed longè infra nucem. Ita calefacit & ſiccat tam nux quàm macis, & pene eodem gradu: ſed macis eſt longè fugacior. Macis uſus eſt apud nos frequentiſſimus in condiendis cibis iis, quos in ventriculo bene confectos volumus. Non minor ipſius laus eſt in frigi-

ditate reliquorum viſcerum, in quibus cum ipſa nuce contendit. Solenne eſt nuribus noſtris vino imponere, quod bibant, quibus præſervationis gratia vena ſecta eſt. Dicunt enim roborare *Cor*, intelligentes hac voce *os ventriculi*. Imponunt autem & rectè, integros cortices, cum pulvis nimis petat caput. Re enim vera non minus periculi eſt in maci quam in nuce, ſi copia peccetur. Novi matrem, quæ cum filiæ pluſculum dediſſet ad movendos menſes, animadvertit in illa delirium aliquot horarum. Ideo caput purgare ſcribit Avicenna, ſed cum oleo violato.

CXXXI. *Oleum macis*, ut & nucis ipſius fit dupliciter, per expreſſionem & deſtillationem, qui modus poſterior & frequentior eſt, & melior. Uſus eſt, ut inquit Euonymus. in Colica frigida, in catarrhis ad viſcera, in obſtructionibus viarum urinariarum, &c. Tres aut 4. ejus guttæ ſumuntur in primo vini hauſtu. De illo, quod ex Indiis affertur, ſaponis Gallici in modum tabulatum, videatur Acoſta, *Simpl. cap.* 11. & Cluſius, *ibid.* Cronenburgius *in Arom. roſ.* valde commendat in podagra, pedibus oblitum.

VIII. *DE PISTACIIS.*

CXXXII. Hæc quoque *Nux*, quia triplici cortice tegitur, jure habet hunc locum, licet Bauhinus videatur declinare velle, cum ne meminit quidem corticum, fortaſſis, quia non videbat, quomodo ὅμοια τοῖς στροβίλοις ſint. Profecto, ut ſtrobilus nuſpiam ſignificat *nucleum pini* veſcum: ita piſtacia, neque odorem, neque colorem pineolarum habent. Sed diſſimulemus, ut multa alia. Scriptura hæc per π. Syra eſt, ut conſtat ex Athenæo *lib.* 14. Alii enim per β. βιστάκια, pronunciabant. Alii (fortaſſis ſibilatores Attici) per φ. φιστάκια dicebant. Quos imitatus Nicander, ſi in Theriac. δασέως ſcripſit, utique pro ψιττάκια, legendum fuerit φιστάκια, ut innui *in Variis*.

CXXXIII. Plerique volunt, *Piſtacia* Dioſcorides eſſe *Terebinthum Indicam* Theophraſti 4. *Hiſt.* 5. Quo ex loco quid ſi legamus apud Dioſcoridem, ὅμοια τοῖς ἀμυγδάλοις? Hæc eadem eſt *Tereb. Syriaca* Quintiliorum fratrum apud dictum Athenæum.

CXXXIV. Cæterum differt ab Amygdalis in duobus. 1. Tunica interior non eſt flava, ſed rubra, cum exterior cortex ſeu oſſeus, ſit albus, perinde ut in amygdalis, proinde λευκόφλοιος dicitur à Poſidonio. 2. Nucleus ipſe non eſt albus ſed ὕπχλωρος, *hoc eſt viridi pallidus*, ut iterum Poſidonius.

CXXXV. Cæteroquin fructus hic eſt ſapore dulcamaro, odore ſuavi, ſed tenui, quo oris halitum commendat. Hic durat aliquandiu, ſed cum veteraſcit fit rancidus & ſitum olet. In Europa quidem arbor ſata creſcit, ſed fructus ad maturitatem non producit. Affertur ex Syria.

CXXXVI. Qui facultates exponere vult, oportet (ut & in ſuperioribus)

 diſtin-

diſtinctiones quasdam admittat. 1. Loqui ſe de nucleo, qui triplici ſuo integumento ſit orbatus. 2. De recenti ſeu ſapido, non autem de rancido, aut alioquin evanido.

CXXXVII. Tum vero ſtatim pugna exſiſtit de primis qualitatibus. Serapio, auctoritate Archigenis, Avicennæ & Rhaſis, piſtacia calidiora eſſe dicunt, & avellanis & Amygdalis. Sethi expreſſe calida & ſicca in 2. expreſſius Iſaac in medio ſecundi, in fine ejusdem alii. At vero Averroës 5. *Coll.* 40. quem ſequitur Dodonæus & recentiores plerique, temperatè calida & humida eſſe ajunt, forte in 1. gradu.

CXXXVIII. Mihi conciliatio commodior non ſubvenit quàm quæ ab ætate hactenus poſita fuit. Recentiſſima, & qualitate dicta prædita, non ſunt ultra temperiem, in qua homo eſt naturaliter conſtitutus. Quæ vero jam rancida ſunt, omnino pervenerunt ad 2. gradum caliditatis forte etiam ſiccitatis.

CXXXIX. Ubi jubeo cautos eſſe cautores, ne oblivifcantur amaroris. Fortaſſis enim eò usque aſcendit, quo in ipſis dulcibus. Et quia id fit naturali lapſu, oportet conſulere juſtum, ubi conſtiterint. De hoc imprimis certum eſſe oportet Paulum, qui *lib.* 1. *cap.* 81. in obſtruendo hepate amygdalis præfert. Tu vero intellige obſtructionem, ut Galenus explicat *in de Alim.* quæ fit κατὰ τὰς διεξόδοις ἀυτȣ, *in ſuperficie*, non autem ſimpliciter *in viis*, ut Int. Huc me ducit facultas ipſorum ὑποςύφουσα, cujus Galenus meminit. Obtundit enim τὴν ὑπόπικρον καὶ ἀρωματίζȣσαν, ut idem loquitur. In hac aromaticitate ni fallor, conſiſtit ἡ ȣσία λεπτομερεςέρα, ut idem appellat *in de Simpl.* An quia locutio eſt comparata, ſubintelligit τῶν ἀμυγδάλων? Conjungit enim lubenter, ut eſt, non ſolum *in de Alim.* ſed & *de Vict. atten*, 10. 3. κ. γὲν. 3. in medicamentis ad nervos vulneratos.

CXL. Ex quibus locis etiam id eruitur, quid poſſint in uſu alimentario? Hepar enim quoquomodo poſſunt de obſtruere, ſubſtantiæ quidem tenuitate penetrantes, amarore autem abſtergentes. Et hoc quidem in pituita potius quam in bile, quam non raro efferatiorem faciunt, quatenus bileſcunt. Et hinc (propter pituitam) in victu attenuante non improbat. Ita loquor, non enim manifeſtè laudat. Tenuibus enim inquit, *in de* κ. γέν. multum cedunt: nihil tamen craſſi habent. Ubi τὸ ȣδὲν intelligendum eſt cum grano ſalis ἀξιόλογον, *effatu dignum.* Revera enim aliquid habent, ceu patet ex hiſtoria amygdalarum. Ubi hoc addo, veriſimiliter piſtacia præſtant, quia evidentiorem habent adſtrictionem amygdalis.

CXLI. Ex quo ipſo fit manifeſtum, quod Galeno obſcurum fuit, an ſint ἐυςόμαχα? Imo ego dico, inquit Avicenna quia *Nauſeam* prohibent, & ſubverſionem ſtomachi, & confortant os ejus. Manifeſtum & hoc fit, ſiſtantne alvum? Siſtunt, partim ob adſtrictionem evidentem, partim propter aliquam ſubſtantiæ craſſitiem. Ea in re tamen prorſus opus eſt cautela illa, de qua ex Tralia-

liano dixi, Galeno, aliis, de affinitate amygdalarum & piſtaciorum inter ſe.

CXLII. Quamobrem quæ de viribus piſtaciorum dicuntur in expurgando thorace à craſſis humoribus, in leniendis doloribus nephriticis, in promovenda urina & menſibus, in augendo ſemine, omnia referri debent ad ea, quæ de amygdalis dicta ſunt. Eadem eſt ratio impinguationis. Tantum enim illis tribuitur, ut non ſit ullum analepticum ſine piſtacio. At vero falſa eſt hypotheſis, de πολυτροφίᾳ: quin imo æſtuoſa ſunt in calidioribus, non minus quam Amygdalæ, de quibus id Hippocratem dixiſſe jam conſtat. Heic, ſi quis ingerere ſe volet, & jactare proprietatem cum hepate, cui tota ſubſtantia proſint: illum ego, ſublato cum riſu digito, deleram, cum verbo *Proba*. Ex περιουσίας autem ſi tacere nolit, obturabo illi os auctoritate Galeni, qui ait: ὀλίγην ἔχειν τροφήν. Si ſatis non eſt, & Sethi, qui ὀλιγότροφα vocat. At Venerem augent, & maximus earum uſus eſt in Italia, teſte Braſſavolo. Μὴ παρὰ τοῦτο. Quicquid faciunt, flatuando faciunt, ob excrementitiam humiditatem, de qua Avicenna.

CXLIV. Ex his, ô bone, judicabis laudes Piſtaciorum, quas Averroës pleno ore decantat. Quas etiam Avicenna *lib. de Vir. Cordis.*

CXLV. Sed cur taces vim alexipharmacam? Tam eſt dubia, ut ipſi prædicatores neſciant, in nucleo ne ſit, an in membrana obtegente? Eſt ibi, ubi in juglandibus eſt. At Paulus & Nicander ſuntne vani? Paulus eſt mendoſus, quod oſtendunt margines in Exemplaribus quibuſdam. Nicander non poteſt huc trahi, quod oſtendo *in Variis.*

CXLVI. Oleum piſtaciorum commendant in obſtructionibus & doloribus flatuoſis hepatis. Sethi in pectore, renibus & pulmonibus, puto, ubi opus eſt lenitione aſperitatum. Nam neque heic quicquam peculiare habet ab amygdalino.

IX. DE NUCIBUS VOMICIS ET Metel, ſeu Mecha.

CXLVII. NUcibus in Officinis accenſentur duo corpora ſolida, quæ nihil minus quam nuces ſunt. Sed neque *Caſtaneæ* ſunt, ut quidam rentur. Multominus *fungi*. Omnino ſunt fructus arborei. 1. Quia dividi poſſunt in duas valvas. 2. Quia continent in ſe ſemina quædam. Conjunguntur, quia modo *Vomica* eſt *Metel*: modo *Metel* eſt *Vomica*. Differunt, quod utrumque quidem rotundum, ſed alterum planum, alterum tuberculis obſitum, ut Matthiolus pingit *in Dioſcoridem*, *lib.* 1. *cap.* 141. Quo loco notandum, varios eſſe Materialiſtas, & afferre modo cum ſeminibus, modo ſine his. Unde etiam ortum habet varietas ſententiarum. Anguill. 13. *Sent.* 37. conjectat, *Metel* Arabum eſſe *Stramonium* Fuchſii, quod eſt *Solanum alterum*, ſeu *manicum Dioſcoridis*. Cæſalpinus 5. *Hiſt.* 17. conſentit. Videtur & Columna aſſenſum præbere, *Phytob. f.* 46. Quod ſi *Tatula Turcarum* eſt eadem, accedit etiam Bello-

nius 3. *Obſ.* 50. ſi *Datura* Acoſtæ, & Garziæ huc facit, etiam hi duo pedibus eunt in ſententiam. Quin Matthiolus quoque in poſt. edit. non in prima. Et ante hos omnes Bellun in Indice vocab. Arab. apud Avic. qui in conſenſum vocat omnes phyſicos Syrios & Ægyptios.

CXLVIII. Sed parum hoc eſt: Eſtne *Vomica Officinarum*, Metel Arabum? Non eſt: Argumenta ſunt apud Anguillaram, ubi vide ſis. Sed quid eſt? Credo Cæſalpino 2. *Plant.* 50. eſſe *Cocculas de levante* dictas, quæ ſunt, mea opinione, capita Tithymali cujusdam.

CXLIX. Rurſus *Nux Metel* Officinarum quid eſt? Anguillara *loc. cit.* vult eſſe Methel Arabum. Quid igitur apud Græcos ſunt? *Vomica* quidem Officinarum. Pandectæ, Braſſavolus & Cornarius volunt eſſe *Tithymalum Myrſiniten* Dioſcoridis cujus fructus a Dioſcoride & Plinio *Nux* vocatur: *Metel* autem Bell. *loc. cit. Solanum ſomnificum* Dioſc. Cum hoc Donon. & Geſner *in hortis.* Is ait Græcis hodiernis dici παρακόκκαλον aut potius βαρυκόκκαλον.

CL. In hac omnium rerum incertitudine, cum certo utentis periculo, quid faciendum eſt ei, qui facultates rimatur? Quam incerta ſunt iſta, tam certum eſt, quod jam dicam: *Utrumque eſt venenum.* Nec tantillum tribui iis, qui ſubſiliunt, *Canibus, felibus, lupis, vulpibus poteſt eſſe venenum, homini non eſt.* Ego nolim tam temerarium eſſe quenquam, ut ſubito fidem det talibus experimentatoribus. Si enim ſemel bene ceſſit, non ob id tutum eſt experimentum. Neque deſunt contrarii. Quæ cauſa mihi fuit hactenus, cur *Electuario de Ovo*, Maximiliani I. Imper. obtruſo ab impudenti quodam Empirico, nunquam uti voluerim. Idem dico de *Antidoto Saxonica*, quæ habet herbam paris. Ut in Politicis, qui ſemel malus, ſemper præſumitur talis: ita in Medicina non utar incertis, cum certa præ manu habeo.

CAPUT CLXIII.

DE NYMPHÆA, SEU NENUPHAR.

I. Nymphææ originem Plinius *lib.* 25. *cap.* 7. ad fabulam refert: ſed planius Dioſcorides *lib.* 3. *cap.* 131. dictam videri, quaſi aquoſa amet loca. Quæ enim cognatio ſit inter Lympha & Nympha, notum eſt. Plerisque noſtrorum *Seeblumen* vocatur, aliis aliter. In Officinis Arabico nomine *Nenuphar.* Genera duo, inquit Dioſcorides, *Alba & Lutea.* Neque enim in ſolo floris colore differentia eſt: ſed in toto plantæ habitu.

II. Pax cæteroquin cum ſit inter veteres Botanicos, lis manet hæc, an ſit Theophraſti 4. *Hiſt.* 9. *Lilium ſylveſtre*? Certè Cæſalpinus 10. *Hiſt.* 33. contendit. Incertum etiam eſt, An non ſit ejusdem *cap. ſeq.* ut & Plinii *lib.* 13. *cap.* 18. *Lotus Ægyptia* vel *us*? Utrumque enim inveneris. Certè Alpinus *lib. de plant. Ægypt.*

Ægypt. cap. 34. id vult. Idemmet tamen 2. *Exot.* 16. retractat totum negotium, &, authoritate Matthæi Carboni, ſucceſſoris ſui in functione Ægypt pingit per partes, & deſcribit veram *Lotum Ægyptiam.* Cluſius 4 *Rar.* 50. Radicem negat reſpondere, quod verum eſt Ego etiam florem, qui apud Athenæum *lib.* 15. Cæruleus eſt.

III. Sed eſt ita. Theophraſtus deſcribit albam tantum. De mutatione coloris vide apud eundem Athenæum pulcherrimum figmentum poëtæ cujusdam in laudem Trajani Imp. ob quod meruit ille beneficium Muſci Alexandrini.

IV. In Officinis utimur, non floribus tantum utriusque, ſed & foliis & radicibus, fortaſſis etiam ſemine uti debebamus. Ferrerius *in Caſtig.* Quarum partium facultates in dagaturus, ſeponat imaginationem Fuchſii, alias Nymphæas Græcorum eſſe, alias Arabum. Cauſam erroris Fuchſii tollt è medio Matthiolus *in Dioſcoridem loc. cit.*

V. Ab Arabibus ut ordiar, ſcribit Avicenna florem eſſe frigidum & humidum in 2. Albaſari apud Seeapionem aſcendit ad 3. cui deferendum eſſe cenſet Braſſavolus, *Exam. Simpl* & addit, folia in utraque qualitate vincere flores. Meſue apud eundem Serapionem flores cum violis comparat, quas tamen ſuperari à Nymphæa ait. Et eſt ita, ſi ejusdem Nymphææ flos cum Mandragora conferri poteſt, quod Aleanzi iterum apud Serapionem & Avicennam de Mandragora Indica aſſerunt.

VI. Dicis, *quia flos* (verba ſunt Cordi de lutea *jucunda cum gravitate aliqua olet, & guſtatus halitum oris ſuavem reddit*; *quia alba graviter etiam olet, & in aqueam quandam dulcedinem præ ſe fert*: quei poteſt frigida eſſe tam intenſe? An dici poteſt, tantillum calidi præbere frigido vehiculum, ut eo magis penetret? Absque enim hoc ſi eſſet, frigus nimis pigrum eſſet. Hoc etiam in Mandragora eſſe audivimus ſupra, & inſigniter in Opio, audiemus non ita multo poſt. In hoc (quantumcumque eſt) calido conſiſtit proprietas aromaticitatis ſuæ, ut Avicenna loquitur, *lib. de Corde*, qua confortat Nymphæa ſpiritum, qui in Corde eſt.

VII. Ego perſuaſus ſum certo, eatenus eſſe cordiale medicamentum, quatenus refrigerando & humectando fervorem cordis, & reliquorum viſcerum contemperat. In hoc ipſo calido conſiſtit, Pena judice, acuitas, & caliditas & ſubtilitas illa, quam Serapio tribuit ſpeciei cuidam, ob quam leviter digerit. Ut forte neceſſe non habeat Matthiolus quærere Nymphæam quandam, Sedi minoris inſtar calidam. Qua tamen in re ἐπέχω. Nemo enim noſtrûm adhibuerit in ægritudinibus frigidis, in quibus Serapio ait adminiſtrari. Prætereа expreſsè contra diſtinguit idem calidam illam Nymphæam à frigida. Ut jam omnino neceſſe ſit inquirere in aliam, quæ huic hiſtoriæ ſatis ſit.

VIII. An ſufficit Caltha noſtra pallida, quam quidam Nymphæis accenſent?

Li.

Licet enim facultates ipſius non ſint plenè cognitæ: acrimonia tamen, quam in lingua exhibet, arguit, non ſegniter calefacere, ut pleræque aquaticæ plantæ. Hinc adeo agnoſcere debent errorem ſuum Officinæ illæ, quæ *Caltham* pro *Nymphæa vulgari* uſurpant.

IX. Intelligit hinc Fuchſius, Nymphæas Græcas prorſus poſſe id, ad quod Arabes commendant, & nos libenter, & cum fructu utimur. Quæ ipſæ ſi faciunt, quod à Græcis habemus, non habebit amplius cauſas ambigendi.

X. Ut incipiam à radice, quo de illa ſunt notabilia. *Alterum*, quæ fert florem album, radicem habet nigram: quæ luteum, album. Nobis igitur differentia ſumitur à floribus *Alterum*, cum utraque ſiccet, adſtringat & abſtergat, in ſiccando potentior eſt alba, illius, inquam, quæ florem fert luteum: in abſtergendo nigra, illius, quæ album, ut ex Galeno 8. *Simpl.* diſcimus. Siccat autem, ut idem ait, ſine morſu, quæ laus eſt inſignis. Ideo uſus ipſius antiquiſſimus apud Theophraſtum in dyſenteriis, à quibus tranſit Dioſcorides & Galenus non ad lienterias tantum, & diarrhœas, ſed & alba feminarum profluvia.

XI. Verum cum ſimul ſiccet ſemen genitale, adimatque vim gignendi, cauto opus habet. Quamobrem Alpinus ſcribit, cum ad prædicta ſecreti loca ſit radix noſtra, ſemenque apud Ægyptios: multos tamen ab ejus uſu abhorrere. Creditur id facere, non tam manifeſta qualitate, quam occulta. Galenus enim 14. *Meth.* 7. in Priapiſmo ait. ſe addere aliquid Nymphææ. Hoc cur faciat, explicat 9. *κ. τόπ.* 9. Nymphæam, per experientiam inventam naturali efficacia id facere. Hinc Avicenna exclamat, *Minuit pollutionem & frangit deſiderium coitus cum de ea bibitur* ʒ j. *cum ſyr. de papavere, & congelat ſperma cum proprietate, quæ eſt in ipſa.*

XII. Propterea Alpinus ait, *Eremitas, aliosque, qui cælibem vitam agere volunt, ſequi hunc uſum.* Hoc cum docuiſſet Dioſcorides fieri, ſi per continuos aliquot dies bibantur: Plinius. *lib.* 25. *cap.* 7. definit numero duodenario. Ita enim diſtinguere oportet, ut ſit ſenſus, *Coitu, genituraque privari, qui biberint eam* 12. *diebus:* non autem 12. *diebus coitu, &c. qui biberint eam.* Huic diſtinctioni adſtipulatur, quod *lib.* 26. *cap.* 10. ait, ad hunc locum ſe referens, *Venerem in totum adimit.* Qui locus cum proculdubio ſit vitioſus, ita ordino, ut cum priori conjunctus, fiat, *Nymphæa in totum adimit Venerem, ſi quis* 12. *dies continuos bibat: in* 40. *autem dies facit aliquem immunem à pollutionibus nocturnis, ſi quis ſemel tantum in tot diebus ſumat jejuno ventriculo.* Opitulatur autem in hoc malo, non tantum intus accepta, ſed & foris impoſita, linimenti aut emplaſtri modo.

XIII. Et hoc eſt, quod idem Plinius ait, *Illitam tantum genitalibus edere effectum hunc.* Quin ſtomacho, renibus, veſicæ litum hunc adhibitum Dioſcorides ſcribit, præſtare eundem, manifeſto argumento, ab occulta proprietate ſeu tota ſubſtantia eſſe. Et hoc de radicibus.

XIV. Folia recentia in æſtuantibus renibus uſurpantur, ut Braſſavolus ſcribit.

Vul-

Vulneribus impoſita ſanguinem ſiſtere Theophraſtus eſt author. *In Ægypto*, inquit Alpinus, *utuntur floribus & foliis tuſis ad omnes calidas diſpoſitiones, atque etiam ſucco, præſertim ad demulcendos dolores, lacte atque oleo roſ. miſto*, &c. *Capiti in febribus, in vigiliis cum folia contuſa adhibent, tum ſucco ejus cum ol. & aceto frontem & tempora contingunt.* Hæc ille. In Germania, ut ferè in aliis quoque locis, aquæ deſtillatæ hæc omnia tribuuntur. At ſemini (ut de illo quoque aliquid dicam) potius debebantur, cum Avicenna ſcribat, eſſe fortius in omni re.

XV. Reſtat, ut dicam de *Syrupo nenupharino*, tam ſimplici quam compoſito. *Simplex* à plerisque refertur ad Nicolaum Præpoſitum, ab aliis ad Wilhelm. Placotomum. In hoc aliquot obſervanda. 1. Ut conſtet, ex albone, an ex luteo flore ſit? Ab aliis enim hic præfertur, ab aliis ille. 2. Ex quocunque ſit, ut auferantur folia extima viridantia, nec non ſtamina interiora lutea. 3. Ut certum ſit, utro modo fiat, ex decoctione, an ex infuſione? An utroque? 4. Rurſus, ſi ex infuſione, ſimplici an triplici? 5. Ut non negligatur proportio inter aquam & flores? 6. Ut obſervetur proportio ſacchari ad liquorem. Sex hæc ubi definita fuerint, rectè ſciri poteſt, quantum illi tribuendum ſit in exſtinguendis caloribus febrilibus, in conciliando ſomno, in levando dolore capitis, in cohibendis imaginationibus Veneriis, in corroborando corde, breviter in omnibus caloribus.

XVI. In *compoſito* præcipuè conſiderandum eſt, quæ ſit proportio ingredientium inter ſe. Mirificè enim hæc variant. Deinde quærendum, quid acceperit miniſter loco *Ungulæ cal. aq.* Quibus determinatis, Medicus iterum ſolidior erit in ſpe ſua. Creditur potentior eſſe ſimplici,

XVII. Sed utri vicinior eſt *Confectio flor. Nymphææ?* Simplici, ſed obſervatis iterum obſervandis. Alioſum ſpectant radices conditæ ad fluxus videlicet alvinos, calidos.

XVIII. Tandem de *Oleo nenuph.* tam quod ex albo ſit flore, quam quod ex luteo, tria moneo. 1. Ut heic quoque diſtinguantur flores. 2. Ut inſpiciatur modus parandi. Variat enim. 3. Non temerè credendum eſſe illis, qui cum violato idem poſſe affirmant. Revera eſt longe validius.

CAPUT CLXIV.

DE OLEA ET OLEA.

I. ΕΛΑΙΑ, ἐλαῖα, ἐλάα, Atticè, vel pro fructu ſolo, vel pro arbore tota Græcis ſumitur. Latinis dupliciter *Olea* vel *Oliva*. Ita *Oleum* vel *Olivum*. Sum ejus ſententiæ, quamvis nemo ante me ſcripſerit, utrumque Latinum eſſe à Græco. Hac in re conſentiet mihi, qui cumulare voluerit varietatem vocum, quæ ex lingua in linguam translatæ ſunt.

II. Duo ſumma ſunt genera ἐλαία καὶ ἀγριέλαια, quarum hæc ἐλαία αἰθιοπικὴ

vocatur, & proprio nomine κότινος, apud Dioſcoridem & Plinium, *Oleaſter* & *Oleaſtrum* apud Latinos. Noſter, II in ordine apud Bauhinum controverſus eſt, quod alii ſpinoſum dicant eſſe, alii negent, alii utrumque affirment. Rurſus alii baccam illi tribuant rotundam, inſtar ſativæ: alii incurvam extremo. Ego amplifico, & dico ex Ariſt. 3. *Generat.* 5. *Cotinum* fructu carere. Hoc Matthiolus tam negabit, ut affirmet, baccas ejus ſapidiores eſſe ſativæ, ſed negligi, quod ſativarum abundè ſit. Hac de re quicquid fuerit, priſca frugalitas ſativarum illas, quæ minimum olei darent, eſcæ proprias dicebat, quo plus olei haberet.

III. Res autem ſita erat, ut & nunc, Cluſio docente, 1. *Rar.* 17. non in magnitudine baccæ, ſed in bonitate naturæ, quæ facit, ut quædam ferte tota liqueſcat in oleum, alia contra minimiſſ. det. Sed & illas pro familia condiebant, quæ præ maturitate cadebant, & ex ſuccæ jam ſpem boni olei adimebant illis. An hæc ſunt πιτυρίδες Philemonis apud Athenæum, quas φαυλὰς, *putridas* vocat? Harum conſervatio erat varia, de qua non dico, quia deſiit. Hoc propter mei genii homines tantum dicam, quæ integræ condiebantur κολυμβάδες, ἀπὸ τοῦ κολυμβᾷν, & eodem ſenſu, νηκτρίδες (non νυκτρίδες aut νητρίδες) ἀπὸ τοῦ νήχεσθαι, quemadmodum & νεύσαι ἀπὸ τοῦ νεύειν dicebantur. Quæ vero eliſis tantum torculari oſſibus, θλασταὶ, ἢ τεθλασμέναι, ἢ τετριμμέναι. Apud Athenæum reperio, στέμφυλα uno verbo vocatas fuiſſe tales, quamvis Philemon ibi dicat, στεμφυλίδας nominatas fuiſſe tantum nigras. Hac de re qui cognoſſe volet vetera artificia, adeat Catonem, Columellam, Varronem, Palladium, Conſtantinum in Geopon. Ruellium, alios.

IV. Mihi neceſſitas incumbit dicendi quædam de noſtris moribus, quantum Medici intereſt. In his præcipuè hoc deſidero, quod non, ut veteres olim, diſtinguant in *albas* ſeu immaturas; & *nigras* ſeu maturas. Plurimum enim intereſt. Intereſt etiam, quomodo fiat conditura. Ego, ne te diutius detineam, ablego te ad hanc trigam, Matthiolum, Melichium, Caleſtanum. Unde vero varient ſingulæ, & quales ſint, hoc ſcies à Materialiſtis. At vero cum ea ſola non faciant te perfectum; conſiſtat autem perfectio in diſtincta facultatum cognitione, quam ſolus præſtitit Iſaac, 2. *Diæt. part.* 41. hem tibi illam breviter!

V. Olivarum aliæ ſunt ſylveſtres, aliæ domeſticæ, ſeu ſativæ. Et quia ſylveſtres, præterquam quod rarò aut nunquam condiuntur, facile eſt diſcernere acumine ſuo, propter ſativas, 1. Diſcrimina in *Immaturas* ſeu virides: & *Maturas* ſeu nigras, & quæ inter has mediæ, Hyacinthinas Dioſcoridi dictas, ait Iſaac. Videtur autem intelligere ὑποκίῤῥας, *ſubflavas*. Niſi fallor, eſt *Drupa*, vel *Druppa* Latinis, δρυπετὴς Græcis, ut *in Var.* docui, illa quæ optimam habet ad decerpendum ætatem, inter copiam bonitatemque, incipiente bacca nigreſcere, ut Plinius loquitur *lib.* 15. *cap.* 1. 2. Oportet ſubdiſtinguere has in eas, quæ prope maturitatem ſunt, & poſſunt jam oleum reddere, quale *Omphacinum* dicetur: & eas, quæ prorſus crudæ ſunt, nec quidquam olei reddunt, quas proprie *aquaticas* dici, refert Iſaac. Poſtquam id factum eſt, oportet intueri rationem conditura. Aliud enim faciunt

Co-

Colymbades, in ſolo oleo cuſtoditæ: Aliud, quibus fœniculum adjectum: aliud *Halmades*, quæ in ſale, muriave habitæ ſunt.

VI. Atque heic oportet interfari. Quoniam Iſaac meminit præviæ macerationis, quæ Græcis & Latinis conſueta erat, fas eſſe, ut illa quoque in conſiderationem vocetur, ſiquidem adhibita ſit, quantum illa detrahere poſſit. *Aquaticæ* igitur ab Iſaac dictæ, & maximè præmaceratæ, proculdubio ſunt frigidæ & ſiccæ, ob ſubſtantiam terreſtrem, quæ dominatur. Quare etiam facient, quæ ſcribit, confortabunt ſtomachum præ omnibus etiam aliis minus alent, & difficillimé coquentur, propter duritiem, & unctuoſitatis defectum. Eædem tamen, prout vel cum ſale, vel aceto conditæ ſunt, ſiquidem concoquantur, alicubi habent laudem ſuam. Quæ enim cum ſale, ventri dant irritamentum: quæ cum aceto, contemperationem flavæ bilis non parum conferunt.

VII. *Aquaticis* quæ *vicinæ* ſunt, & ex quibus fit oleum omphacinum, quæ, ut puto, ὀμφακίζουσαι dictæ ſunt, Gal. 6. κ. τόπ. 1. illic. ſtom. Aſclep. ſunt illæ, quas vocabant olim *albas*, & opponebant nigris, ſeu *Maturis*. Hæ, ut idem docet Iſaac. minus confortant ſtomachum, faciliusque deſcendunt: ſed & magis nutriunt, ob aliqualem pinguedinem. Harum ſucco ad mobiles dentes utitur Archigenes . κ. τόπ. 9. Intelligo enim heic χυλὸν, *Muriam*, in qua ſervantur. Hanc ſcil. in eodem malo laudat Dioſcorides. De iisdem intelligo Apollonium 6. κ. τόπ. 8. cum in aphthis commendat muriâ condîtas. Cum enim Galenus ibi dicat, habere in ſe plurimam adſtrictionem, non poteſt aliter quam de albis accipi. De iisdem accipiendum cenſuerim, quod Dioſcorides ſcribit, contuſas ambuſtis impoſitas, non prohibere tantum veſicas, ſed & dolorem ſedare, ut Melichius explicat, qui ejus rei experimentum fecit in coquo tyronis ſui. Easdem ab eodem Dioſcoride laudari in ulceribus de paſcentibus crediderim, niſi de crudis & non conditis ſermo illi eſt.

IX. Sed ut ad uſum alimentarium redeam. Hæ ipſæ, quia jam aliquid pinguedinis habent, & κεφαλαλγεῖ. ſunt & κακοςόμαχοι, ut Diphilus apud Athenæum monet. Utrumque tanto magis maturæ (tandem enim ad has me converto) quo pinguiores ſunt, ideoque calidæ & humidæ ſunt. Eædem ſunt ὀλιγότροφοι, reſpectu ſcil. aquaticarum. Sed & hoc ipſum ὀλίγον, bilioſum magis quàm laudabile eſt. Quamobrem εὐδιαφθόροις καὶ κακοςομάχοις Dioſcorides vocat, & Sethi εὐφθάρτοις, καὶ γαςρὸς λυμαντικάς. Quod enim de nucibus dictum eſt, pinguia talia corrupta faceſſunt in bilem porraceam, quæ os ventriculi maligne lancinat. Ubi concocta ſunt, ſuccum præbent medicamentoſum, hoc eſt bilioſum, & κοιλίας ςατικὸν, non ςαλτικὸν, ut imperiti laſciviunt apud Athenæum. Sed enim ubi copia pituitæ eſt, ſua acredine promovent illam. Qua de cauſa Gal. 2. *Alim.* 11. olivas in cenſu habet eorum ciborum, qui celeriter pervadunt quidem; corrumpuntur tamen. Et *in Conſil. pro puero Epileptico*, jubet olivas ſumere, antequam ad prandium eatur, ventris molliendi gratia nimirum. Hoc an poſſint, dubito. Licèt enim, quod Sethi diſputat ex ipſomet Galeno, non negem habere humiditatem quandam, uno verbo, non eſt humiditas aquea, ſed aërea. Quæ cum ſit immerſa

ſubſtantiæ craſſæ & frigidæ, ut ex Paulo monſtrari poteſt: quei poteſt huc devenire?

X. Quod dico de ſubſtantia aërea probo *ex 6. Simpl.* ubi ait fructum exactè maturum eſſe moderatè calidum. Hoc calidum è diametro oppoſitum eſt aqueo frigido, quod in immaturis eſt.

XI. Rectè igitur idem Galenus *de Vict. atten.* 10. olivam in hoc genere ait medium quid obtinere, hoc eſt, cum habeat attenuatorium quid, habere tamen plus craſſitiei, qua obturat potius quam aperit. An beneficium alvi præſtent potius *Colymbades* Plinii? Galenus enim 2. *Alim.* 27. eas id poſſe ait, propter oleum, in quo natant. Addo ego, ſi cum garo edantur. Huic cum paria faciat acetum & oxymel, Paulus cum his dat. Duæ enim cauſæ conjunctæ plus efficiunt una ſola.

XII. Hactenus de maturis quoque: quæ in medio ſunt, *Hyacinthinæ* Iſaac, ſunt quoque in facultatibus mediæ. Quatenus enim adſtringunt, faciunt, quod immaturæ: quatenus pingues ſunt, eodem modo. Tamen potior eſt vis adſtrictoria, ſi Setho fides. Hanc reſtrictionem addo, quia Galenum laudat is, in quo nondum inveni. Quin addo, Dioſcoridem & Paulum tacitè ſe huic opponere, cum maturis ſimiles faciunt in affectibus capitis & ventriculi.

XIII. Et hæc quidem ego congerere volui de latitudine temperamenti olivarum, ratione ætatis & conditaræ: his addere oportet tria verba de oſſe, quod πυρὴν ἢ πυρὶν eſt Græcis. Scribit Dioſcorides, & experientia ſtabilivit Cornarius, ſcabris unguibus mederi cum adipe & ſarina.

XIV. Jam deſcendo ad expreſſum inde *Oleum.* De hoc ab initio hoc noto *ex* 2. *Simpl.* 7. & 8. Item 6. *Simpl. cap proprio*, ἁπλῶς, καὶ κυρίως, καὶ πρώτως, καὶ μάλιςα ὑπὸ πάντων ἀνθώπων ὀνομάζεσθαι ἔλαιον, quoniam vetuſtis temporibus ſolum erat in uſu, 7. κ. γέν. 11. Nempe poſtea ex aliis quoque fructibus cœpit exprimi. Deinde illud, quod paſſim ab authoribus jactatur, eſſe hoc, duplex aliud ex *Sativis*, aliud ex *Sylveſtribus.* Tertio quod de ſativis ſolis dicendum eſt, apud Columellam 12. *Rei Ruſt. c.* 50. & alios, tria eſſe tempora faciendi olei, quæ illi *Olivitates* ſeu *Oleoſitates* vocabant.

XV. *Prima* erat per æſtatem, quovis tempore, cum collecta eſſet caducarum & immaturarum tanta copia, quanta ſatis eſſet torculari. Ideo vocabatur *æſtivum*, à tempore ſcil. quo fiebat. Vocabatur & album, quod fieret ex albis & immaturis, de quo olim ego *in Variis.*

XVI. Erat vero idipſum non unius modi. Quod enim tale, quale torcular dat, dicebantur ita: quod lotionem expertum erat, *Lotum. Lotum* iterum aut *ſimplex*, 2. *Simpl.* 10. aut *compoſitum*, de quo infra. Dixi, factum fuiſſe hoc album oleum, non niſi ex caducis. Facere enim de induſtria collectis ex arbore baccis, patris familias rebus non conducit, ut Columella loquitur. Exiguum enim

enim fluit. *Secunda* ſub initium Decembris (quam *mediam* appellat idem Columella, fiebat, & *viride* appellabatur à colore, vel ſuo, vel baccæ. Et fiebat ex Oliva, vocata *Druppa*, quam nuper deſcripſi ex Plinio, ubi vide plura. Nimirum, cum damno ſuo experti fuerant agricolatores, oleas & maturrimas & nigerrimas oleum & paucum & ingratum dare, nimiopere à Sole incraſſato humore olivari, & vix apto uſibus quotidianis. *Tertia*, deinde poſtea, inquit Columella, circa Calend. Januar. Quod tu intelligas, non de ipſo Januario, ſed de illis Decembris diebus, qui retrogrado ordine, more Romanis uſitato, numerantur usque ad ipſas Calendas. Hæc tertia, quia vitioſum præbebat oleum, in totum poſtea fuit omiſſa, ut ex Dioſcoride, Galeno, Plinio, aliis monſtrari poterat.

XVII. Hæ *tres Olivitates* nondum ſufficiunt dignoſcendo olei temperamento: ſed oportet IV. loco videre cum Galeno 2. *Simpl.* 6. *&* 8. duo alia. *Primum* ætatem olei ipſius, recenſne ſit, & veluti muſtum, an vetus? an potius ſit in vigore? Poſtea naturalene ſit, an artificium aliquod acceſſerit, v. g. lotio, de qua ſupra; refrigeratio, de qua *eodem* 2. *Simpl.* ſalitura, *ibid. cap.* 10.

XVIII. *Oleum recens* longiſſimè abeſt à facultate vetuſti, &c. V. Diſtinguere etiam oportet locum natalem, alibi adſtringentior ſit bacca & frigidior, alibi tenuior & calidior. Galeni ſeculo Sabinum & Hiſpanum duo conſtituebant extrema, quorum illud valide digerebat, & relaxabat, dulciſſimumque erat, ob multam partium tenuitatem: hoc contrà valde adſtringebat, & aſperitatem quandam præ ſe ferebat, 6. *Meth.* 2. 8. *Meth.* 2. 11. *Meth.* 16. 3. *San. tuen.* *&* 10.4. *San. tuen.* 8. 6. *Simpl.* περὶ ἐλαίω. 3. κ. γέν. 2. & alibi forte.

XIX. In horum medio erant omnia alia, quædam huc, quædam illuc appellentia. Præſtat autem quod ipſe jubet 6. *Simpl.* ſubito explorare guſtu, quale ſit unumquodque, potius quàm de loco ſolicitum eſſe.

XX. Ultra tamen guſtum ſunt alia quædam indicia, quæ produnt oblatum oleum, uti extremo ſit vicinius. Tenuitas etiam ſubſtantiæ, & contrà craſſities, calorem frigusve denunciat. Tenuitatem duo ſignificant. 1. ſi clarum ſit, & pellucidum. 2. Si manum illitum ſubito ſe diffundat. Tale quod eſt, neque ex ſylveſtri olea eſt, neque ex ſativis vel maturis, vel præmaturis; neque novum nimium, neque vetus nimium: neque e fundo vaſis, ſed vel è ſummo, vel certè ultra medium depleto: neque ullo modo mangoniſatum, ut ita loquar. Vide Macrobium 7. *Saturn.* 12. Ruell. *lib.* 1. *cap.* 104. Cælium Rhodig. *lib.* 21. *cap.* 25.

XX. Hæc cum ita ſe habeant, unusquisque intelligit, verum eſſe quod Galen. ait 2. κ. γέν. 2. *Olei nomen eſt unum: qualitas & facultas diverſa.*

XXII. Quod enim ad temperamentum, imprimis *Oleum*, quod ſit ex baccis immaturis, & multo magis, quod ex ſylveſtribus, etiam ſi concocti ſint ſurculi

olivæ, qua de re infra: quantum in ſe habet adſtrictionis, tantum etiam frigiditatis, ut rectè Galenus determinat, 7. *Simpl.* Vis diſtinctius quid? Dabit tibi Avicenna. Eſt frigidum & ſiccum in 1. Sed hoc accipere oportet de recenti: vetuſtate enim calidum & ipſum evadit, ceu docet idem *loc. cit.* addendo, quod mediæ eſt ætatis, miſtam habere facultatem.

XXIII. Contrà, quod ex maturis, tamen non maturrimis fit, poſtquam tenue quidem excrementum exſpiravit, craſſum autem ſubſidit, antequam (inquam) ad bimatum trimatumve pervenit: tantum habet caliditatis, quantum dulcedinis & tenuitatis. Hac de re legere fas eſt, quæ Galenus contra veteres diſputat *toto lib.* 2. *Simpl.* præcipuè *à cap.* 21. *usque ad finem.*

XXIV. Præcipuum eſt, quod ait, adhibitis omnibus, quæ in diſtincta medicamentorum notitia adhiberi debent, *Oleum*, quod ex maturis fit, calefacere nos tripliciter, ut *medicamentum*, ut *veſtimentum*, ut *alimentum.*

XXV. I. Ut *medicamentum*, cum foris uſurpatur ad digerendum, v. g. in laſſitudinibus, quarum nativum remedium eſt, 7. κ. γέν. 11. Facit id autem, quod dulciſſimum eſt, 3. *Sanit. tuen.* 6. ideo videl. quod digerit tantum, non etiam adſtringit, *ibid. cap.* 8. Uſurpatur etiam in Ephemeris iis, quæ à ϛεγνώσει ſunt, quarum curatio expeditiſſima eſt, ducere in balneum aquæ dulcis, & largiſſimo oleo perfundere, 8. *Meth.* 2. Ei rei aptiſſimum eſt, quod ex maturis quidem, ſed quod ſimul vetuſtiſſimum. Tale enim ob partium tenuitatem plurimum digerit, 1. κ. γέν. 4. & 5. Non perinde aptum eſt tale in leniendis doloribus 6. *Meth.* 2. Cauſam do *ex* 2. *Temperam. ult.* Calida & humida ſedare dolores, partim, quia evocant humorem, inania ſpatia muſculorum occupantem, partim, quia partes ipſas humectant. Oleum igitur vetuſtum, quia jam acre eſt, & non perinde humectat, non perinde etiam dolores lenit.

XXVI. Hinc tollitur ambiguitas, quæ oritur ex indiſtincta locutione, 6. *in* 6. *Epid.* 5. *Oleum in leniendis doloribus calidè adhibitum multam afferre nobis utilitatem.* Intelligendum enim eſt de prima olei ætate. Ita, quod dicitur. 2. *Simpl.* 5. *Oleum & laſſitudines factas tollere & futuras mitigare.* Niſi enim tale ſit, non humectabit ſatis, licet digerat ſatis. Hoc eodem oleo utebantur in gymnaſiis & balneis veteres, quæ quia non amplius frequentantur, ſufficit digitum intendiſſe tantum. Qui plus vult, videat 2. *Simpl.* 14. 3. *Acut.* 52. Ad Mercurialis opus immortale de Gymnaſtica, fruſtra iveris.

XXVII. II. Ut *veſtimentum* calefacit dupliciter. 1. Quatenus frigus arcet tenacitate ſua. 2. Quatenus eadem prohibet effluvium caloris. Hoc eſt, quod Dioſcorides ait, δυσπερίψυκτον φυλάσσει τὸ σῶμα, *tuetur corpus à frigore.* Hoc eſt, quod Hannibal feciſſe ſcribitur, Alpes cum exercitu tranſiturus. Cum enim timeret militum ſuorum corporibus, oleo juſſit inungere adverſus nivales injurias, ut ex Romanorum Hiſtoria refert Mizaldus 1. *Hort.* 17. Simile quid Xenophon ſcribit *lib.* 4. ἀναβ.

XXVIII.

XXVIII. Heic ſcire oportet, Cùm præſervationis loco uſurpatur, ſubitò agere: in iis, qui jam perfrigerati ſunt, non ſubitò, 1. *Simpl.* 13. Mora enim opus eſt ad pororum cutis oblitionem, qua denique calorem inhibet, ſuaque craſſitie detinet, ob quam diu etiam adhæret, nec facile in halitum abit, ut aqua. Huic cognatum eſt, quod idem ait Dioſcorides, ἑτοιμότερον πρὸς τὰς ἐνεργείας τὸ σῶμα ποιεῖ. Nimirum, retento calore, naturali, partes omnes fiunt vegetiores: quin humectatæ fiunt agiliores.

XXIX. III. Ut *alimentum* calefacit, quatenus auget ſubſtantiam calidam ſanguinis. Ita enim viſum fuiſſe, tam Medicis, quam Philoſophis celebrioribus, ait Galenus 2. *Simpl.* 24. Quaſi diceret. *Ego verò non credo, aut certè dubito.* Ut enim nulla pinguedo nutrit, hoc eſt in ſanguinem vertitur, ſed in bilem: ita oleum.

XXX. Hoc tanto diligentius animadvertendum eſt, quo major eſt uſus olei intrinſecus apud Italos, & alios, quibus ob regionis caliditatem nativum eſt, & à quibus accipimus nos Septentrionales. Ita enim mihi perſuadeo, nihil ſubſtantiale conferre ad alimentum: ſed adjuvare tantum concoctionem frigidorum ciborum, quibus frequenter additur. Hac in re ſuccenturiatos mihi accerſo duos Arabas, hactenus ſæpè laudatos, Sethi & Iſaac: quorum ille duobus tantum verbis ſignificat rem, cum frigidum & acerbum oleum ſtomacho amicum eſſe ait: hic clarè docet, oleum ablata omni ponticitate, penitus fieri noxium, cito in malos humores converti, & ſtomachum mollificare. Tale eſt, non tantum, quod ex maturrimis olivis fit: ſed &, quod ex immaturis, ubi ætate depoſuit adſtrictionem. Quare Iſaac ad ſuum uſum (alimentarium) deligit oleum, quod in lingua quidem aliquid ponticitatis præ ſe fert, ſed acumine caret. Tale eſt, eodem doctore, quod ex oleis fit immaturis, ſed per reſidentiam depuratur. Hæ ſunt, quæ incipiunt nigreſcere, ut ſupra locutus ſum, & dant oleum *viride* dictum. De hoc Columella *lib.* 12. *cap.* 50. tum premi, cum baccæ variare cœperint, hoc eſt, jam quædam nigræ fuerint, plures tamen albæ, quod περκάζειν eſt apud Theophraſtum. Hanc ob cauſam Cato, agens de factura olei viridis, ex acerbiſſima bacca, eademque nigra parat, & fore optimum promittit. Notat autem ille acerbum diſtinguere à viridi, certus, acerbum ex alba fieri, ut conſtat etiam ex Columella *lib.* 11. *cap.* 2. De tali oleo, facto (inquam) ex majori parte immaturarum, loqui Sethi, ſit argumento, quod ait, Oleum, quod recens, eſt, & noviter manavit, id eſt, nondum deſedit, ſtomachum mollificat, & citò degenerat in choleram rubeam, &c. Nimirum hi ſunt mali illi humores, de quibus poſtea agit.

XXXI. Hoc tanto ſolicitius accurandum nobis eſt, quo frequentius apud nos oleum rancidum eſt, quod ab uſu alimentario prorſus abdicat idem Iſaac, quod ſaporis ſit aſperioris & horribilioris, ut loquitur, adde vero, & odoris abominabilis. Plurimum autem ætatis annuæ eſt, ut cum Plinio loquar. Poſt id tempus vetuſtas tædium illi affert. Et affert eo citius, quo negligentius habetur.

XXXII.

XXXII. Negligentia conſiſtit in eo, ſi ſinatur in ambiente calido. Commodiſſimè ſervari ajunt, vel in vitro, locis ſubterraneis, vel in fictilibus vitratis; loco perflatili, ſed ad Septentrionales converſo, ut Conſtant. in Geopon. habet *lib.* 9. *cap.* 19.

XXXIII. Et hæc quidem ego fuſius, ut ſtabiliam opinionem meam, Oleum nullatenus eſſe alimentum proprie dictum: ſed condimentum, & quidem tale, quali Germani carere poſſumus, ſi rectè utamur butyro noſtro. Hoc nimirum eſt familiarius carnibus, quibus ferè veſcimur præ Italis olitoriis, quod ſine injuria dictum velim.

XXXIV. Debet autem nobis curæ eſſe butyrum potius noſtrum, quod oleum tam facilè inclinet verſus alterum excremorum, hoc eſt, ut ego intelligo, corrumpatur, tam in calido, quam in frigido ventriculo. Teſtor fidem meam, cum Patavii initio Quadrageſimæ, ediſſem aliquando piſces frigidos, in oleo frixos, ſenſiſſe me per totum decendium ructus nidoroſos. Cauſam dedi, quod ab uſu vini, quod bibimus, inflammatum fuerit oleum, 2 *Temperam.* 4. & 5. In frigidioribus metuitur κρυςάλλωσις, *Coaleſcentia*, de qua Gellius 17. *Noct. Attic.* 8. contra quem diſputat Muretus 13. *Var.* 11. Nec eſt, quod quis dicat *ex* 2. *Simpl.* 5. humiditatem prohibere inflammationem, quod coci carnes aſſandas oleo illinant, ne cruſtæ fiant nimis duræ. Eſt enim tale, quod in corpore vivo non fit. Hoc autem facit in gutture χέρχνον, *tuſſiculam*, non mordicando quidem, ſed ob tenuitatem adhærendo, ut jam alibi dixi.

XXXV. Hoc facit etiam *oleum dulciſſimum*, quod quidem ſimpliciter laudant in cibo. Quibus ego obiter, & aliud agens oppono illa Dioſcoridis *lib.* 1. *cap.* 26. apud Marc. Vergil. τὸ ὠμοτριβὲς ἔλαιον ἐν ὑγιεία χρῆσιν αρίςην ἔχει. Viden' ſodes τὸ ὠμοτριβὲς? Sed cur hoc potius laudatur? διὰ τὸ ςύφειν, propter quod eſt εὐςόμαχεν. Nec Plinius faceſſat tibi negotium, arrige huc aures. Ait ille *lib.* 23. *cap.* 4. *Omne oleum ſtomacho contrarium.* Tu vero ſi totum contextum percurreris, planiſſimè intelliges, ſermonem illi eſſe de *Omphacino*, ſeu albo, ut Dioſcoridi quoque. Si nolis, redi ad *lib.* 15. *cap.* 1. & videbis, *Primum omnium è cruda bacca*, *&c.* & mox, *quanto maturior bacca*, *&c.* Uno verbo, *Totum exſcripſit* Plinius ex Dioſcoride. Ergo hæc corrupta ſunt, quia non in Dioſcoride tantum, ſed in ſe ipſa quoque incurrunt. Accedat Avicenna & Scrapio, ut numero teſtium vincam. Sed & ratione vincam, Oleum dulce laxat ventriculum, tonumque illi adimit: Omphacinum nihil tale habet, ſed præterea eſt εὐκοίλιον καὶ μαλακτικόν. Conjungenda enim ſunt hæc duo verba cum Marc. Vergilio & Cornario, ut ſit ſenſus, *Commodum eſſe alvo, quatenus illam lubricat.*

XXXVI. Habemus in Officinis duplex oleum, *Completum* & *Omphacinum.* At vero, quia, ut Caleſtanus monet, olearii cogi non poſſunt, ut duplex faciunt: quid conſilii? Quidam verbis diſtinguunt, aliud omphacinum eſt propriè dictum, aliud impropriè: verum quid id mutat in re? Conſilium eſt, guſtet pharmacopœus, cum opus eſt *Omphacino*, ſi habet oleum ſuum adſtrictionem, be-

bene eſt; ſin, incoquat modicè (non maximè, ut quidam inconſiderato loquuntur) ramos oleæ contuſos, in duplici vaſe, ut Galenus jubet 7. *Simpl.* κ. γέν. 13. 3. κ. γέν. 2. & 3. 11. *Meth.* 16. Cum opus eſt *completo*, accipiat quàm dulciſſimum ſimul & tenuiſſimum. Si digeſtione opus ſit valida, accipere oportet vetus oleum, hoc eſt, in bimatu & trimatu. In hujus defectu Dioſcorides docet decoquendum eſſe recentius in vaſe duplici ad mellis craſſitudinem, & acquirere efficaciam veteris. Tu vero ſcito, ſi deſideret Medicus omphacinum, non ſubito accipiendum tibi eſſe, quod adſtrictionem habet validiſſimam. Tale enim potuit ex olea ſylveſtri factum eſſe, quod longè potentius eſſe monuit Dioſcorides duobus locis, *lib.* 1. *cap.* 29 & 118.

XXXVII. Hujus ſignum, quod non tantum αὐστηρὸν eſt, ſed & δηκτικόν, *mordens*, ſed ſine omni odore, cum quod ex maturis ſativis, εὐώδες ſit apud Dioſcoridem.

XXXVIII. Hoc ipſum, quod (inquam) adſtringentius æquo eſt, abluere oportet. Ita enim & hoc fit εὐστόμαχον, niſi & ablutio ſit intemperantior, quæ adimat illi omnem adſtrictionem. Tale vero, ſive ob maturitatem, ſive ob ablutionem, locum habet in magnis alvi ſiccitatibus, in colicis ob σκύβαλα, in ſuperpurgationibus in venenis, arſenico, riſagallo &c. Sed tum oportet in magna copia dare, & tepidum, ut vomitum cieat. Cave tibi autem etiam atque etiam, ne des in illa alvi ſiccitate, quæ eſt ob bilem craſſam & multam. Incendium enim parabis intolerabile. Hoc accidiſſe vidi puerperis, quibus ob retenta λόχεια, cum alvi ſtipatione, dabatur oleum amygdalinum dulce.

XXXIX. Deſideras forte gradus qualitatum primarum? Habes implicitè in oleis maturis in immaturis, & olei ipſius ſapore & ætate, ut dici poſſit, quoddam eſſe frigidum & ſiccum, quoddam calidum quidem ſemper, modo autem humidum, modo ſiccum. Dulciſſimum enim eſt calidum & humidum fere ad 2. gradum. Vetuſtiſſimum, uti & amurca, calidum & ſiccum in eodem. 2. *Elæomeli* puto eſſe *Mannam oleæ*, de qua ſupra. *Lycryma oleæ Sylveſtris* ſeu *Æthiopicæ* creditur eſſe *gummi Elemi*. Ψῶρα ἐλαίας apud Foëſium *in Oeconomia*, & Euſtach. *in Erot.*

XL. *Lignum oleæ* putem facere paria cum Aſpalatho. Succi foliorum uſus erat olim multus, & uſurpabatur ad ulcera calida, depaſcentia & dyſepulota. Ad aphthas in ſpecie, Apollon. 6. κ. τόπ. 4. laudat ipſas oleas conditas. Ad putredinem 3. κ. γέν. 10. ſurculi ſupremi germinantis oleæ, in vino decocti, & cum melle aſperſi faciunt.

CAPUT CLXV.

DE OPHIOGLOSSO.

I. PLantula hæc eſt nova & elegans, *Linguam Serpentinam* vocant à ſimilitudine quadam ſpicæ floridæ, quam habet, unde & noſtris *Nater-zunglein.* Geſnerus *in Hort.* ἑνόφυλλον vocavit, quod maneat ſemper unifolium, cum alterum illud μονόφυλλον dicatur, quod cum ſpica alterum acquirit folium, & à nobis in Catalago ad pſeudorchidas refertur. Aliis ad Dracunculos.

II. Alii audaciores ad *linguam* ſeu *Lingualacam* Plinii *lib.* 24. *cap.* 19. *& lib.* 25. *cap.* 11. Ejusdem *Ceraſtam* alii *lib.* 26. *cap.* 8. quibus obſtat, quod radix nodoſa non ſit. Hujus alteram ſpeciem facit Bauhinus *in Matthiolum*, quæ plures habet linguas, quamvis pro abortu agnoſcat ſeu varietate *in Pinace.* Cujus generis illud quoque eſt, quod folio eſt anguloſo, nec non alterum, quod folio eſt ſubrotundo *in Prodromo.*

III. Mihi placet Lobelii *in Obſ.* ſententia varietatem ejusdem eſſe *Lunariam racemoſam*, quamvis folio lacinioſo ſit. Is addit, eſſe earundem virium quidem, ſed noſtram hanc inefficaciorem. Chymiſtæ heic ſe ingerunt, & Lunariis accenſent, Luciolam vocantes, quod noctu luceat: His creduli quidam Chirurgi adſtipulantur, & diſſerunt de facultate vulneraria. Mihi ad nugas occalluêre aures. Vide poſt Geſnerum de Lunaria, Cordum & Dodonæum.

CAPUT CLXVI.

DE ORIGANO.

I. ΑΠΟ τοῦ ἐν τοῖς ὄρεσι γανοῦσθαι, *quod montibus delectetur*, dici conſenſus eſt. Noſtris: *Doſten* & *Wohlgemuth.* Ex ſpeciebus quatuor, ut ego numero, quæ veniunt in Officinis comâ ſuâ. *Alterum* & *vulgare noſtrum*, quod primum eſt apud Bauhinum *in Pinace. Alterum* ſeu *Creticum*, V. apud Bauhinum, Heracleoticum Dioſcoridis, Matthioli, Dodonæi, Lobelii.

II. De utriusque ſede dubitant Monachi *in Tryphera Sarac. Meſ.* quod non, ut Dioſcorides vult, habeat folia hyſſopi: ſed hypotheſis illorum eſt falſa, Hyſſopum noſtrum eſſe Dioſcoridis. Imo vero, ut ſupra definitum eſt, Hyſſopus Arabum: Hyſſopus autem Dioſcoridis & aliorum Græcorum eſt Origani ſpecies, fortaſſis VI. Bauhini, quam *Onite* appellat ille.

III. De facultatibus dicturo incidit illud D. Auguſtini 4. *Civit. Dei.* à Marc. Vergilio. *Com. in Dioſcoridem* relatum, quod de tam multis Ethnicorum diis ſapientiores dicebant, nominibus tantum diſtingui, unam omnium potentiam eſſe: id

id nos etiam dicere poſſe de Origanis tam multis , iisque confuſis. Licet autem ea in re non rejiciam Pauli *lib.* 7. vocem, omnia origani genera habere vires incidendi, extenuandi, ſiccandi, calefaciendi in 3. gradu: non tamen indiſtinctè accipio. Nam & Dioſcorides, & qui eum ſequitur Galenus 8. *Simpl.* 8. diſtinguunt *Onite*, dicentes eſſe debilius *Heracleotico*, utroque autem validius *Sylveſtre*. Licet etiam pro vero habeam Palladii dictum in VIIbrit. 13. Origanum (omne) amare loca aſpera & ſaxoſa: verum tamen & hoc eſt, locum à loco differre.

IV. Paucis, accommodo heic quoque conſilium Galeni de oleo, & provoco ad ſenſum, Is quia convincit, Creticum dictum eſſe guſtu & odore mirè acri & flagranti, ut Cronenburgius loquitur: noſtrum vero in utroque multis paraſangis ab eo abeſſe: quis non videt diſtinctione opus eſſe?

V. Hinc pendet conciliatio diſſentientium in ſpeciem auctorum. Hanc ſi afferre velim, haberem alios pro ſtupidis. Porripio igitur me hinc cum hac voce, Origanum omne eſt tenuium inſigniter partium, ideoque aperit inſigniter: contra non abſtergit, quia non eſt amarum, non magis quàm piper.

VI. Quæris, an purget? Non aliter quàm quæ hactenus dicta ſunt ſolvere alvum, cum ob pituitam immorigera eſt.

CAPUT CLXVII.

DE PÆONIA.

I. PÆON (non Pœon , quamvis & hoc proprium ſit) Medicus fuit inſignis, qui Plutonem ab Hercule vulneratum ſanavit , à quo & tota ars Medica nomen habet, & herba, de qua dicere inſtituimus: quin medicamenta quædam 9. κ. τόπ. 2. Apollinem Pæonium, quem quidam in ſcenam introducunt, nondum ego reperi. Abeſt hinc etiam Pæon, Macedonum Rex, à quo Pæonia ſeu Pannonia dicta fuit Ungaria.

II. Fuit herba etiam γλυκυσίδη dicta, ideo ſubitò conjungit Dioſcorides. Quod verò mireris, Galenus 6. *Simpl.* poſthabito παιονίας nomine, γλυκυσίδην præſcribit. Habet utramque appellationem Theophraſtus etiam 9. *Hiſt.* 9. ubi extremè ineptus eſt Gaza ſua dulciſida. Ineptiores etiam illi, qui ex quadriſyllabo, quod veteres omnes habent, dant nobis γλυκυσὶς, ἴδος. Eſt vox barbara absque dubio, ut etiam aliæ apud Dioſcoridem.

III. Differentiæ ſumuntur à flore, eoque ſimplici, vel pleno, & rurſus à floris colore albo, purpureo, rubro, pomi aurantii, &c. vel à radice. Apud antiquiſſ. in marem & feminam dividitur, & differentia à radice ſumitur. Maris enim radix recta deſcendit, & poſtea ramificatur inæqualiter: Femina ſubito quaſi in digitos quosdam dividitur, unde δάκτυλοι ἰδαῖοι dicuntur. Inter has apud Penam eſt promiſcua quædam , uti vocat , radice quidem mas : foliis autem femina, quæ III. eſt apud Bauhinum.

IV. Ex utraque tria uſurpantur in Officinis, radix, flos & ſemen.

V. Ex Galeno *loc. cit.* cognoſcas, heterogenearum eſſe partium. Cum enim ait radicem habere ἀτρέμα ςύφȣσαν, *modicè adſtringentem*, partes paucas frigidas ſignat: cum ait eſſe μετὰ δριμύτητος ὑποπίκρȣ, duplices partes calidas oſtendit, quæ & acres tenues ſunt, quibus aperit & attenuat: & amaras ſeu craſſas, quibus abſtergit. Ideo menſes ciere ait, hepar deobſtruere, & alia talia, cum hoc beneficio, quod tonum reddat partibus. In activis vult eſſe ȣ̓κ ἐπιφανῶς τερμὴν, *non evidenter calidam*, ſed vel temperatam, vel parum calidam: in paſſivis ἰσχυρῶς ξηραίνειν, *tam potenter ſiccare*, ut non dubitet huic qualitati adſcribere peculiarem in eam rem elegantem hiſtoriam, cujus ſimilem non legeris alibi. Ait, puer quidam Epilepticus, quamdiu radicem collo gerebat, immunis erat à κλόνῳ: cum auferebatur, aderat paroxyſmus: cum reddebatur, deſinebat. Hoc ille quidem refert ad ἀναθυμιάσεις ſiccas præoniæ: at quia noſtra non facit, quid cauſæ dicemus eſſe? Plerique decurrunt ad occultam proprietatem, quæ contingat radici ab effoſſione ſub certo ſiderum poſitu. Fuit in Italia amicus, qui aſſerebat, poſitum illum deſcripſiſſe Carrichterum in opere ſuo plantario. Superioribus annis, cum caput exſererent Roſeæ crucis fratres, venit ad me quidam, qui aſſeveranter diceret, in effoſſione conſiſtere totum negotium: ſed non ego credulus illi. Fuit tale quid apud veteres quoque, ut conſtat ex Theophraſto 9. *Hiſt.* 9. *ext.* de foſſione hellebori nigri, præſente aquila: verum ille ἐπίθετον vocat *commentitiam*, ut Gaza vertit. An radix Galeni non fuit natura ſua talis, ſed quia τετελεσμένη, *adjurata*, ut ſic vertam? Vide poſt-Curas noſtras. Diabolus enim in multis aut juvat naturam, aut impedit.

VI. Habemus in Officinis *Syr. de ſucco florum pæoniæ*, præſertim plenæ contra Epilepſiam. Habemus etiam magnam compoſitionem *Elect. Diapæonias* contra eandem, de qua judicare nolo.

CAPUT CLXVIII.

DE PALMA ET DACTYLIS.

I. TOY *Palmæ* originem nullam agnoſco: agnoſco autem τȣ̃ φοίνικος; quod fructus ſint coloris *phœnicei*, ſeu rubri, qui idem *Spadix* ſeu *Spadiceus* apud Gellium *lib.* 2. *cap.* 26. τȣ̃ σπαθη, de quo dicetur.

II. Eſt quidem diſtinctio ſexûs in multis plantis: ſed in nulla evidentiores effectus ſunt, quam in hac. Qua de re legeris multa apud Guilland. *in Pap. membr.* 7. inter cætera venuſtum epigramma Jou. Pontani de duabus palmis, longe à ſe invicem diſſitis, & tamen in fructificatione mutuas operas navantibus. Adde huic Alpinum, *lib. de Plant. Ægypt.*

III. De partibus plantæ ſcire operæ pretium eſt. 1. Cum in florem erumpere vult, producit thecam quandam oblongam, quæ σπάθη dicitur, quod in illa contineantur primum flores, deinde fructus, quaſi gladius in vagina. Dicitur etiam ἐλάτη, communi cum abiete nomine, ut ſupra dixi. Dicitur etiam generali nomine ἀμφίεσμα καὶ περικάλυμμα. Archig. apud Galenum κ τόπ. σεβένιον vocat, proculdubio ἐπιχωρίως, quemadmodum etiam βοράσσος apud Dioſcoridem.

IV. II. In hac theca, ut dixi continentur fructus, qui *Palmulæ Latinis*, *Græcis* δάκτυλοι dicuntur, *digiti*, vocabulo valde πολυσήμω Propriè dicuntur φοινικοβάλανοι, *glandes palmeæ*. Crediderem, *Chryſobalanum* Galeni nihil aliud eſſe, quam palmulam illam, quæ aurei eſt coloris. Quid enim *Nuci Moſchatæ* cum auro?

V. III. Eſt ἐγκέφαλον, ſive ἐγκάδιον. Ubi certatur, utra appellatio ſit naturæ propior? Rectè dicit Com. *in Theoph.* 2. *Hiſt.* 8. III. Scaliger, ἡ γκέφαλος καὶ καρδία in arbore ſunt idem. Ego paululum mutabo, μυελὸς (eſt autem cerebrum medulla quædam) in arbore eſt analogum cordis. Si inſtes, dicam, τὸ ἐγκάρδιον eſt propius. Eſt enim, mea opinione, βλάστημα τῦ μυελοῦ plantæ, ideo exciſo eo moritur. Ægyptii delirant, cum dicunt, palmam alimentum habere, non ex terra, ſed ex aëre, quæ per cerebrum trahat. Qua occaſione meminero colloquii, olim inter me & literatum quendam habiti. Ambulabamus in horto prædii, cum ille converſus ad me, Dic mihi, inquit, qua parte planta vitam ſuam habet? In medulla inquam. Non, infit ille, ſed in cortice. Præciſo enim illo, ut partes nullibi ſe tangant, emoritur. Facetum argumentum! ſubjeci ego. Tibi ſi detrahatur cutis univerſa, etiam morieris. Cortex eſt cauſa ſine qua non. Ideo medullam meam ita accipies, ut par eſt, ſequitur mors non tantum læſa parte principe, ſed & miniſtris. Cæterum opinionem meam de ortu cerebri palmei Plinius confirmat *lib.* 13. *cap.* 4. *Animam* vocans. Cui opponi poteſt ex Theophr. *loc. cit.* quandam χαμαιρρίφος vivere ſine cerebro Ergone eſt pars accidentalis?

VI. In digerendis ſpeciebus conſentio Bauhino noſtro, præterquam in uno, quod *Draconem Cluſii initio Rar.* excludit janua. Eſt enim palmæ ſpecies, deſcripta à Theophr. 2. *Hiſt.* fructu erui, ut Adnimadv. in eum locum oſtendi.

VII. *Palmam dactyliferam* Romæ vidi, à S. Dominico ſatam, ut ajunt. Primum folium Noribergæ natum, Camerarius pingit *in Horto*. Hunc æmulatus eſt Dodonæus *in Theophr.* 2. *Hiſt.* 8.

VIII. Eodem modo in enumerandis cognominibus dactylorum non ero occupatus, quod nec delectatio heic ulla ſit, nec ullus uſus. Tantundem enim valent priſca illa, quantum hodie Ægyptia, quæ Alpinus numerat *in lib. de Plant. Ægypt. ſuo loco.*

IX. Duo monebo tantum, *Alterum*, dactyl. nomen fuiſſe olim ſpeciale earum palmularum, quæ ſiccæ, & adſtringentes in Ægypto condebantur: hodie omnes ad nos allati ita vocantur. *Alterum*, riſu dignos eſſe, qui *Judaicas inclutas*, ut

Plinius vocat, confundunt cum χυδαίοις. Vox enim Græca eſt, & *Miſcellaneas* ſeu *Viles* ſignificat. Fortaſſis & tertium addere licet. Cum apud authores quosdam βάλανοι, *glandes*, dicerentur, feminæ tantum fructus, ut maris ψῆνες, quod eſt apud Pollucem; feminæ autem colore differunt, ut eſt apud Theophraſtum *loc. cit.* rubentes quidem φοινικοβάλανοι dictæ ſunt, flavi autem χρυσοβάλανοι. Hos Rauwolfius in Arabiæ quodam deſerto vidit, ſed ad nos non feruntur. Ab his differentes ſunt Myrobalani, ſupra in Benedictæ.

X. Sed quid ſunt καρυῶται ἢ καρωτίδες? Omnes quidem hoc nomen merentur, quod κάρα, *caput* petant, & vel inebrient, & vel capitis dolorem faciant: ſed in ſpecie datum fuit olim illis, quæ ſiccis & Ægyptiis ex adverſo opponuntur, ut diſertè Galenus 2. *Alim.* 16. An hæ ſunt ἄδιψαι dictæ?

XI. De facultatibus agens Galenus 8. *Simpl. c.* φοῖνιξ, fusè deducit, omnes plantæ partes adſtringere. De ſucco ramorum ſeu foliorum peculiariter ait, auſterum eſſe, ex aquea ſubſtantia tepida, & terrea frigida. At 2. *Alim.* 16. delucidè explicat, quæ bona, quæ mala habeant fructus in uſu alimentario. Bona equidem video nulla, niſi quod famem, ſitimque ſedent, malorum extrema: mala autem infinita. Nam nec in ventriculo rectè coquuntur, nec in viſceribus ſequentibus quidquam boni gignunt, quin obſtruunt; multo minus in habitu. Dum coquuntur, caput replent, hoc eſt, dolorem inducunt: ſin minus, ebriis ſimiles faciunt. Concoctæ ſuccum craſſum & fungoſum, inſtar caricarum, gignunt. Quod dum detegere vult Plinius *Corpus augere*, fruſtra faceſſit negotium Julio Alexandr. 13. *Sal.* 11. & nobis omnibus. Uno verbo, *longiore uſu faciunt cachexiam melancholicam.*

XII. Quos hodie in Ægypto uſus præſtet tota planta videre eſt apud Alpinum; quo loco dixi.

XIII. *Oſſa dactylorum uſta* præſcribit Archigenes apud Gal. 1. κ. τόπ. 3. ad denigrandos capillos. Habemus in Officinis magnam compoſitionem *Diathamaron* Nicolai (*Thamar* ſunt dactyli) cujus rarus eſt uſus, propter ponderum incertam varietatem. Prædicatur in affectibus ſuſpirioſis, hydropicis, nephriticis, &c. Habemus etiam *Elect.* διὰ φοινίκων *duplex*, *Meſue* utrumque, ut puto, alterum molle, alterum ſolidum, celebratius in rei varietate, quam tutius in febribus diuturnis & compoſitis, in quibus, ſolenniter prædicatur. Ut enim de ponderum varietate non dicam, neque turbith, neque diagridium rectè correcta ſunt, propterea non ſine violentia purgant, & ablego ego ad clyſteres, ut Confect. Hamech, Diacolocynth. & hujuſmodi alia, *Empl.* διὰ. φοινίκων duplex, calidum & frigidum extrinſecus habet ſuas laudes, in abdominis malis.

Caput CLXIX.

DE PAPAVERE ET OPIO.

I. NUllam originationem agnoſco vel τȣ μήκων, vel τȣ *papaver*, quamvis quod ſciam, de Latino nondum viderim, qui auſus ſit. Vetuſtiſſimis temporibus *Papaver* etiam maſculinum erat: ut ἡ μήκων manſit, manetque. Præter diſtinctionem pragmaticam in *Album* & *Nigrum*, ratione ſeminis, in Officinis uſitatam, eſt μήκων ἥμερος καὶ ἀγρία, quarum illa hortenſis, & ſpecies illa varietate florum & colorum mirificè exſultans: hæc eſt eadem cum vulgato in ſegetibus, quod ῥοιάδα vocant omnes, *Klapper: oder Slitſch-Roſen.* Quo modo cum vulgo dictum *papaver ſpumeum* manifeſtè ejiciatur his finibus, & ad *Lychnidas* relegetur: ratum etiam habeo Bauhini factum.

II. Reſtat ἡ κερατῖτις μήκων & recenter inventa, ἡ ἀκανθώδης dicta, *Figo del inferno* Italis, XVII. apud Bauhinum *in Pinace*: de quibus per otium cogitare poſſunt, quò referre velint Botanici. Spinoſi quidem, quia paput illud longe abit à papavere: Cornuti autem, tum propter hoc ipſum tum quia ἐπιςροφὴ illa non eſt in vaſe cornuto, ſed in ipſo ſemine. Ego enim intercedo pro honeſta utriusque ex papaverum contubernio dimiſſione,

III. Quo minus idem cogitem de *Rhæade* quam *Anemonis* accenſitam velit Marc. Vergilius *in Dioſcoridem* & Pena: odor facit, & effectus planè papaveraceus, ut dicam. De ſemine Papaveris uſuali, albo & nigro, hanc obſervationem condo, juſſus à Lobelio *Obſ. f.* 142. *Animadverſum eſt*, inquit ille, *naturam quandoque ludere, & ſemen album ſatum vertere in nigrum.* Huic ſuccinit comes & ſocius indiviſus, Pena, *Adv. f.* 111. dum ſemen agnoſcit, interdum nigrum, aliàs album, ut loquitur. Verum, ille diverticulum ſibi parat, fieri ajens, cum ex ſpontaneo ſive ſativo fit ſylveſtre, hoc eſt, cum ſativi ſemen, & ſine voluntate hortulani germinat, adeoque non veretur appellare *Hortenſe ſylveſtre.*

IV. Ego vero hoc dogma inde ſtruo, ſi tam ſibi ſunt vicina temperamenta horum ſeminum, ut alterum alterius colorem induat: proculdubio facultates etiam vicinæ erunt, & quidem nocivæ potiùs, quàm ſalutares. Quo minus excuſationis habebunt nutrices noſtræ, cum infantibus ſuis in pulte dant hæc ſemina, ſi ſequius quid accidat. Et jam incidit mihi. qua ſeveritate alumnus meus, avus maternus, Hansius Leufer, arguerit me ab eſu plantarum ruſticanarum, quas illi in encæniis ſuis copioſo hoc ſemine ſparſas, diſtribuunt cognatis. Niſi enim quid ſiniſtri in memoria illi fuiſſet, non feciſſet. Simili auſteritate utebatur in ſem. hyoſcyami, quod in marginibus portæ Siebanæ frequens, & licentioſe vorari norat à gregalibus meis.

V. Sed hæc jam ad facultates pertinent: de quibus generale Galeni effatum eſt, 7. *Simpl.* ex Dioſcoride. ἁπασῶν μηκώων ἡ δύναμις ψυκτική. Deſcendens deinde

de ad ſpecies, & ſpecierum partes, docet, adeo intendi in quibusdam frigiditatem, ut ad 4. & ultra perveniat. Qua in re cautione opus eſt. Licet enim ſylveſtre genus ab hortenſi latè differat; quamvis aliud ſit ſubſtantiam ſumere, aliud ſuccum, 3. *Temp.* 3. non poteſt tamen de lacte v. g. ſem. papaveris dici, quod frigidum ſit in 4. cum de Opio & Meconio id poſſit.

VI. Nimirum erant olim, & ſunt hodieque hæc duo medicamenta in maximo uſu, & ut rectè diſcernantur, operæ pretium fuerit ab ipſis nominibus ordiri. Ὀπὸς (ita χυλὸς ἢ χυμὸς) & ὄπιον (exempla ſunt Notis in Galenum plura) apud Grammaticos ſunt idem: apud Medicos non ſemper. Quando cum vulgo loquuntur, idem eſt ὀπὸς, χυλὸς, ὄπιον: quando inter ſe, aliud eſt ὀπὸς, aliud ὄπιον, & quod ad rem noſtram, aliud eſt ὄπιον, aliud μηκώνιον, quamvis in vulgari loquendi more nihil interſit.

VII. Quid igitur peculiare habent Medici? Ὀπὸς quidem ſolius *Laſeris* ſeu *Silphii* eſt, adeo, ut Galenus 8. *Simpl.* & alibi de illo agens, ne nominet quidem plantam, tanquam publicatam jam, & (ut ſic dicam) privilegio munitam, ne aliorſum trahatur. Ideo nudè ait, ὀπὸς eſt vel κυρηναῖος, vel μηδικὸς, (alibi παρθικὸς) vel συριακὸς. An defectu laborant Codices omnes? vel ideo quia non diſtinguit ab Opio. Vide Indicem in Galenum noſtrum, & Foeſ. Ὄπιον autem, forma diminutiva, & ut μηκώνιον, ſolius pariter eſt papaveris, 1. *Antid.* 15. cujus tamen rei 7. *illo Simpl.* περὶ μήκωνος ut *& ſeq.* 8. poſt ὀπὸς, nulla item mentio. Et ſilet Foëſius quoque.

VIII. Quo magis loquendum mihi eſt, & clarigandum Corœbis quibusdam, qui toties apud Plinium ſcriptum non repererunt, veniant mecum ad Galenum, & unico tantum inſpecto loco, diſcedant iterum, ſi ita velint. Is erit 9. κ. τόπ. 4. in Philonio Tarſenſi, ubi Oedipus ſcribit,

πῖον δὲ γράψας ἄρθρον βάλε πρῶτον ἐπ' αὐτὸ
—— ἄῤῥεν.

Cum vero ſcripſeris πῖον, *articulum primum ſuperinjice ipſi Maſculinum.* Hoc teſtimonio qui non convincetur, veterem eſſe nomenclationem, ne à 10. quidem aliis vincetur. Interim in plurimis compoſitionibus, ipſa etiam Andromachi Theriaca, invenies ὀπὸν μήκωνος. Manſit apud Turcas, Indosque in Aſia vocabulum, ſed corruptum in *Oſium*, ſeu *Omſium*, ſeu *Affion*, ſeu *Amſian*, ut eſt apud Garziam, Rauwolfium, Alpinum & Bellonium.

IX. *Opii* & *Meconii* differentiam inveniet, qui volet, apud Dioſcoridem *lib.* 4. *cap.* 65. & Plinium *lib.* 20. *cap.* 18. illud quidem fieri capitibus papaveris inciſis, & ſucco indè ſtillante excepto: hoc autem tota planta contuſa & expreſſa: propterea Meconium longe ignavius eſſe Opio.

X. Heic quæſtio eſt, ex quo papavere fiat *Opium*? Multi multum referre putant,

tant, ex albo ne an ex nigro fiat? Ex albo fieri tam in Aſia, quàm in India, ex Bellonio & Garzia conſtat. Atqui apud Dioſcoridem etiam fit ex nigro & ſylveſtri. Et author eſt Pena *Adv. f.* 111. in Aſia hodieque ex utroque fieri: imo ex corniculato quoque factum fuiſſe olim, ex 6. Dioſcoridis deducit idem.

XI. II. Eſt de modo collectionis. Eum deſcribit Dioſcorides ſatis accuratè. Idem facit Bellonius 13. *Obſ.* 15. de Cilicibus & Paphlagonibus locutus, à quibus porro diſtrahatur. Alpinus 4. *Meth. Ægypt.* 2. *Sajeth*, locum in Ægypto vocat, ubi olim *Thebæ hecatompylæ* ſteterint, unde afferatur Cayrum, quod ille pro *vero Thebaico* habet.

XII. III. Eſt de notis Opii, quas & Dioſcorides *lib.* 4. *cap.* 65. habet, & Plinius *lib.* 20. *cap.* 18. Mihi lubet afferre, quæ Bellonius habet *loc. cit. Optimum eſt amarum*, inquit, *guſtu calido & acri, ut fauces incendat, flavum leoninæ pellis inſtar, odore gravi, & viroſo, in maſſam veluti ex granis diverſorum colorum, coactum.* Has notas authoritate Paludani firmat Bauhinus *in pinace f.* 495. His ego perſuaſus, Penæ potius, *Adv. loc. cit.* credo, quam Matthiolo, habere nos *verum, & non adulteratum vel Thymelææ vel Glaucii ſucco.* Tu vide quid opponat Bauhinus *loc. cit.*

XIII. IV. De facultatibus ſit, de quibus ita ſentio. Eſt heterogenearum partium, adeo, ut calidum quidem dici poſſit in 3. frigidum autem in 4. quia tandem refrigerando & obſtupefaciendo interficit. Id ipſum eſt in modo ſubſtantiæ, tam mirabili, ut nec craſſum dicere poſſis, nec tenuem: quin ἄῤῥητον vocabat Scherbius, nec repugnabat iis, qui agere dicunt tota ſubſtantia.

XIV. Hanc præfero, propter familiarem, quem apud Turcas habet uſum, qui præſtare illis creditur de die agilitatem quandam corporis & animi: de nocte, grata inſomnia. Unde utuntur, tam in pace, quàm in bello, ut ſi carere illo cogantur, de morte cogitent. *Miſerrimus quisque*, inquit Bellonius, *qui aſprum unum tantum habet, pro dimidia parte emit opium. Cum delectum militum habet Imp. Turcicus, tota provincia orbatur opio.* Summa, talis eſt inſania, qualis hodie inſanitur Tabaco.

XV. Inter noſtros homines plurimis in ore natat *Laudanum Opiatum Paracelſi*, cujus veram deſcriptionem nemo non arrogat ſibi, cum fortaſſis ſit inter non entia. Noſtrum *Extr. Opiatum*, quo minus eſſe credam, unicum facit experimentum, quod cepi. Adactus clamoribus colici cujusdam, dedi gr. ij. in Syr. de Chamæmelo, unde nihil lucri mihi præter mictionem cruentam.

XVI. Quo caſu viſo, cum in memoriam revocaſſem mihi admonitionem virorum eximii, D. Jac. Zwingeri, quam pro familiaritate noſtra dabat mihi tam muſteo doctori, *Cave canem:* abſtinui in poſterum. Non poſſum autem diſſimulare, quid mihi eo ipſo tempore ſecreti (ſic appellem) dederit, cum cogerem illum aperire mihi ſenſa animi ſui. Mi Hofmanne, credas mihi, inquit, cum ingenti ſuſpirio, Opium non minus formidabile eſt, quàm Mercurius fugiti-

gitivus Chymiſtarum. Quid ita vero, inquam, mi ſuaviſſime? Habeo tot correctiones Opii, quot dicere non poſſum, infideles omnes præter unam, cui nunc demum incipio aliquantulum fidere. Accipio Opii & ſpecier. Diambræ ana partes æquales. Affundo ſpir. vini toties, quoties ille tingit. Hoc craſſamentum, abſtracto iterum vino, eſt *Laudanum meum.* Hoc cum communicaſſem cum D. Friderico Pierio, qui fornaculam & alia inſtrumenta utenſilia habebat, viſum fuit è re utriusque facere periculum. Fecimus. Anni ſunt ipſi 37. è quo tempore opium meum eſt opium & odore, & fermentatione. Quamobrem non utor etiam.

XVII. Utor autem, ſi res poſtulet, *Syr. fl. papaveris rhœadis*, imitatione D. Georgii Palm, olim in Rep. noſtra celeberrimi, quem dixiſſe ferunt, ſe hanc gratiam ambire apud ægros ſuos, uti noctem illam, quæ acciperet vocationem ſuam, habeant quàm quietiſſimam, idque beneficio dicti ſyrupi.

XVIII. Super hoc ſunt alii duo *Syr. de capitibus papaver.* ſemine prægnantibus, in Officinis noſtris, deſcriptione Meſue, cujus utriusque uſus in catarrhis calidis tenuibus, ſimplicis quidem ferè cum vigiliis: compoſiti autem in metu phthiſeos, nec non in diarrhœis & dyſenteriis ab ejusdem generis humoribus.

XIX. Ex iisdem capitibus eodem ſcopo fit in Officinis *Loch. de papav.* Meſue. Fit etiam apud Galenum 7. κ. τόπ. 2. *Diacodion* dictum, in magna varietate componentium, quam vide apud ipſum. Rationem nominis ſi quis reddi ſibi velit, dicetur, κώδη, ἡ, & κώδιον τὸ, eſt *caput papaveris.* Hoc poſterius transformant imperiti in κωδία vel κώδεια: ſed legitimum eſt ſolum illud, ideo inſcriptio medicamenti eſt διὰ κωδίων, à neutro ſcil. Si enim à feminino eſſet, διὰ κωδίων, ἢ κωδείων fieret.

XX. Apud Galenum eſt Andromachi. & Critonis, & Heræ & Damocratis, carmine, & Galeni ipſius, quæ ſimplex eſt, ut & Meſue: at compoſita eſt tam altera Meſue & Actuarii, quàm Joan. Baptiſtæ Montani. De qua ſciendum eſt, præter capita papaveris habere etiam *ſiliquas dulces* dictas, *Carub. Ægypt.* Alp. *unſer Johanns-Brot.* Hanc æmulatus eſt feliciſſimè nunc Platerus, Doctor olim meus, qua utor, præ Montani illa cum ſucceſſu. Præterquam enim quod acres & calidos humores denſando ſiſtit, ἀνώδυνον eſt egregium.

XXI. Mihi hoc libet addere, ſi qui è noſtris velint ſe liberare *ſervitio Tabaci barbaro*, eos voti compotes fore intra menſem, ſi ea hora, qua ſumere ſolebant, accipiant hauſtum vini Malvatici vel Hiſpanici. *Ol. pap.* tam albi quàm nigri impinguat, inquit Diſpenſator noſter. Quomodo? Habet vires Ol. de hyoſcyamo.

APPENDICULA.

XXII. His concinnatis, vidi Bauhinum *in Pinace* obſervare, *Maslach* Turcarum eſſe idem cum Opio. Obſtupui rei novitate vel ideo, quia præ-

præconceptam habebam opionem. *Maslach* eſſe ſemen. Erat vero illa fundata ſuper relatione D. Joh. Rantzenbachii, qui Patavii referebat nobis, vidiſſe ſe ejus magnam copiam in arce Strigonienſi capta à Chriſtianis anno 1595. Quod cum confirmatum vellem authoritate præcipni alicujus ſcriptoris, inveni apud Cluſium *Not. in Garz.* 2. *Arom.* 25. eos qui ex Oriente ad ſe redierint, compoſitum quoddam eſſe affirmaſſe. Idem *in Acoſtam cap.* 24. inclinat in *Bangue Indorum.* Vide Nomiſ. Lukii noſtri, *f.* 354. Ego vero meditatus illa, quæ Alpinus ſcribit de cauſa, cur Turcæ tantopere ſectentur Opium, ut habeant ſcil. de nocte ſuavia inſomnia, puto, Venerea; & vero eadem illis præſtat ſemen *Stramoniæ vulgaris* quæ eſt *Tatula* vel *Datura* Turcarum, *Solanum Manicum* Dioſcor. *Nux Methel* ſupra, cujus folia tactu ſolo olent piſa ambuſta, incidi in eas cogitationes, ſemina à Rantzenbachio viſa, fuiſſe hæc. Auxit ſuſpicionem, cum ab eodem Bauhino acciperem *Burlatoriam* Hiſpanis dici, fortaſſis propter ea, quæ Garzias ſcribit de furibus.

XXIII. An fuit hoc *Nepenthes*, quod Jovius ſcribit Selimum Imper. comediſſe, ut animo voluptatem afferret, & memoriam tolleret rerum moleſtarum? Credo. Bellonius tamen 2. *Obſ.* 50. inclinat in *Rutam Sylv.* ſeu *Harmalam* dictam, cujus ſemine palam veſci Turcas ait. Sed cur? Non dubitem fieri, non ob aliam cauſam, quàm eam, quam ex Alpino dixi. Unde veriſimiliter conjectabo, ſemen hoc, cum calidum, ſive in 3. ut eſt apud Galenum 7. *Simpl. cap. de Moly*; ſive in 4. ut eſt *ſeq.* 8. *cap. de Ruta*, plurimum excrementitii humidi habere, quo, non minus quàm Opium, mentem loco moveat, mirabilibus illatis phantaſmatis, Qua ratione, cum ad *Moly Homericum* devoluti ſimus, ne porro erretur, commodùm heic ſiſtatur fabula.

CAPUT CLXX.

DE PARIETARIA.

I. QUOD parietibus & muris inhæreſcat, *Parietaria* & *herba muralis* dicta eſt noſtris. Ita quod vitris, ſeu urceis vitreis mundandis ſerviat, *Vitrieolaria* ſeu *Urceolaris* iiſdem vocata fuit.

II. Sed quid apud veteres fuit? Conſenſus ferè eſt, *Helxinen* Dioſcoridis, Plinii, Galeni, Pauli, aliorum eſſe. Tu vero accipe poſteriorem Dioſcoridis quam & περδίκιον vocat, & folia Mercurialis habet: prior enim, *Ciſſampoles* cognominata, hederæ folia habet, & eſt *Convolvulus arvenſis minor* noſter.

III. Galenus 6. *Simpl.* conjungit; ſed de poſteriori tam parcus eſt, ut putem adjectitia eſſe. Idem de noſtra aſſerit, & ῥυπτικὴν & ϛυπτικὴν eſſe. Quibus acquieſco, quia alium uſum apud nos non habet, quàm in clyſteribus mundificativis, ut loquuntur. *Syr. ex ſucco*, an purget, neſcio.

DE PASTINACA, *vide* *DAUCUM.*

CAPUT CLXXI.

DE PENTAPHYLLO, ET HEPTAPHYLLO, *ſeu Tormentilla.*

I. CONIUNGO, quia congeneres eſſe puto. Atque ut πεντάφυλλον (aliis πεντα-πέτηλον Dioſcoridis & Galeni ſatis notum eſt: ita *Tormentilla* minimè à *Tormentis* dentium ita dicta quibusdam, à torminibus ſeu dyſenteria, aliis propter radicis rubedinem. Qui *Chryſogonum* Dioſcoridis augurantur, folia querna non æſtimant. Deſunt & alia, de quibus Dodonæus.

II. Idem eſt author, poſſe radicem eadem, imò efficacius, quæ *Pentaphylonis*, ut barbarè loquuntur Practici Itali. Commendat idemmet in febribus putridis. Hoc pendet à Galeni aſſertione, qui Pentaphylli radicem potenter ſiccare ait, ſed ſine acredine & morſu. Hoc melius fecerit, quæ odoratior, qualis eſt illa, quæ in montibus eruitur. Noſtra, quia in ſylvis umbroſis & udis creſcit, ignavior eſt. Credo tamen in menſibus ſiſtendis ſatis validam eſſe. Eodem modo in ventriculo roborando, cum acoro condiri rectè poſſe. Ita in ruptis, ex alto delapſis, &c. Vide Lobelium *Obſ. f.* 395.

CAPUT CLXXII.

DE PERFOLIATA.

I. RATIO nominis ducit nos rectà ad uſum Chirurgicum, qui eſt in hernioſis quibusdam. Sitne, vel *Cotyledon* Dioſcoridis vel *Calcalia*, vel *Seſeli Æthiop.* non poſſum dicere. Quo minus certi quid de facultatibus narrare poſſum. Quæ enim à ſignatura petuntur, multis modis inepta ſunt.

CAPUT CLXXIII.

DE PEUCEDANO.

I. ΠΕΥΚΗ *pinus* eſt, cui adjecta *vox*, δανόν, *extenuatoria*, facit *Pinum humilem*; ſeu *Pinaſtellum*: quia folia ſunt pini. Radix in ſuperficie comoſa eſt, hoc eſt, ſuperſunt ex defluentibus per hyemem foliis filamenta quædam, unde *Haarſtrang* noſtris dicitur. Ipſa ad duos quandoque cubitos in terram deſcendit, ſucco plena flaveſcente, ſulfur etiam odore prodit manifeſto. Hinc *Schwebelwurk*, quibusdam Offic. *Fœniculum* porcinum dicitur.

II. Ex his ſignis cognita planta omnibus Botanicis pingitur & deſcribitur. Mi-

Mihi non ſatis liquet, an propter tantillam in foliis differentiam, conſtituendæ ſint diſtinctæ ſpecies Germanici & Italici. Satis enim erat monuiſſe. Matthiolus, propoſita vera planta, dubitat, an legitima ſit illa, quam Officinæ oſtendant? Mihi vel propterea acceptabilis eſt, quia exprimit κομὴν illam Dioſcoridis περὶ τὴν ῥίζαν ἱκανὴν καὶ πολλὴν, quam nec Dodonæus, nec Cluſius habet. Olim potuit dubitari: nunc, ut dixi, cognitionis eſt. Nec obſtat, ſi odor & ſapor alicubi ignavus eſt: ego tam vegetam habui in manibus, quam ullum eſſe poteſt ſulphur.

III. Nec dubito facultates à Galeno traditas (de Dioſcoride non dicam) ad amuſſim convenire. Ex hoc igitur potius fonte petas, quam ex Dodonæo.

Caput CLXXIV.

DE PIMPINELLA UTRAQUE *Saxifraga, & Sorbaſtrella.*

I. Novitiam eſſe vocem, videt unusquisque, & cujus ſcripturæ multæ varietates, quas non affero. Quatuor mihi ſunt plantæ *Saxifraga* major & minor: *Sorbaſtrella*, (quæ & *Sanguiſorba*) major & minor.

II. Illarum utraque calida & ſicca eſt in 3. gr. cum inſigni partium tenuitate, qua linguam evidenter ferit, radix præcipuè. In calculis comminuendis tam præfertur aliis remediis, ut nomen inde acceperit. In menſibus & lochiis movendis nihil præſtantius Noribergæ, *uberzogene Pinellen.* Contra ictum canis rabidi, imo & ſerpentum, mirificè laudatur. Vide Dodonæum.

III. Harum utraque contrariæ facultatis eſt, frigidæ, ſiccæ, adſtringentis, ab effectu in ſanguine ſiſtendo, *Blutwurk* dicta. Ideo Chirurgi in ſiſtendis vulnerum hæmorrhagiis valdè amant. In mictu ſanguinis laudat Conſervam, ſuperbibita aqua, Solenander 3. *Conſil.* 27. Idem non repudiarit radicem condîtam, ſaccharove obductam.

Caput CLXXV.

DE PIPERIS TRIBUS *generibus.*

I. To πέπερι, (ut neque alia hujus terminationis) Græcum eſſe diſertè negat Athenæus *lib.* 2.

II. De tribus ejus ſpeciebus ita ſe habet res, ut ſcripſi *Animadv. in Theophr.* 9. *Hiſt. ult.* Piper longum non eſt Æthiopicum Matthioli, ſed Cordi, quod duobus locis repræſentat nobis Cluſius, *in Garz.* 1. *Arom.* 22. 1. *Exot. ult.* Piper ro-

rotundum idem iisdem locis deſcribit, & pingit. De hoc obſervandum, veteres, præter Theophraſtum, diſtinxiſſe in *Album*, & *non rugoſum* & *Nigrum*, *rugoſumque*. Differebant hæc inter ſe maturitatè. Quod maturum, protinus erat *Album* & æquale, quale idem Cluſius pingit *in Garz.* Quod immaturum *Nigrum*, rugoſum, quale eſt omne noſtrum. Quod igitur eſt, quod nos dicimus *album?* Id immaturum, cujus cortex decidit. Sed cur maturum quidem ad nos venit, immaturum venit? Crediderunt nonnulli, immaturum eſſe acrius. Hi pro ſe habent Galenum, qui 7. *Simpl.* ait, τό λευκὸν δριμύτερον τοῦ μέλανος. Cur? quia eſt οἷον ὄμφαξ καρπὸς. Quibus ego, hypotheſis eſt falſa. Conſtat enim experientia noſtrorum nautarum, quo maturius piper eſt, èo albius. Succinit his Cluſius, cum ait *in Garz. Piper album & non rugoſum*, quod pingit, *Acrius & Odoratius fuiſſe.* Nimirum in univerſum ita eſt, Natura coquendo ad candorem accedit, quo tempore niſi decerpatur piper, tum vero ὑπερωπτημένον καὶ ὑπερεξηραμένον ſit, *es verdort*, *und verhukelt am Stamm.* Hoc vero non accidit ὄμφακι (quia Natura non facit ſaltum) ſed poſtquam planè maturuit. Et hæc eſt explicatio hujus loci Phyſica, in qua acquieſco. Ex hac intelligitur, quatenus in pipere noſtro locum habeat electio, ut ſit *Candidum non rugoſum*, &c. Illi non ſinunt candeſieri, & matureſcendo ſoliditatem acquirere: quin ſubito ac baccæ ſunt, deripiunt. Hinc immaturarum, quæque vix defloruerunt, haccarum tanta copia, ut picturæ etiam oſtendunt.

III. Quamobrem nihil jam reſtat, quam ut facultates exponamus, duplicis (ita loquor) piperis, initio facto à rotundo. In his cauto opus eſt, ne ſimpliciter acceptemus τὸ ὄμφαξ Galeni. Si enim tale eſt, quomodo ἰσχυρῶς θερμαίνει καὶ ξηραίνει? Sive de 3. ſive 4. gradu intelligas? *Calidum* eſſe piper fateri, parum eſt, 1. *Simpl.* 2. & 12. *alibi*, & tale, quod expediat nos à vanitatibus Indorum, quæ Noribergam usque penetrarunt, piper refrigerare: at vero ad 4. gradum aſcendere quis credat? Nec ſatis quadrat ad τὸ βαρύσταθμον, 1. *Antid.* 14. 4. *San. tu.* 5. Sed abeat.

IV. *Piper noſtrum rotundum* omne eſt immaturum, nec tamen adſtringit: ſed valide diſcutit, 6. κ. τόπ.. 1. in ſtom. Critonis: Ejus rei cauſa conſiſtit potiſſimum in acredine, qua ſingultum etiam in ventriculo facit, 3. *Cauſ. ſympt.* 2. 3. *Loc. aff.* 7. 6. *Aph.* 39. Magna differentia in eo eſt, ſi vel integrum ſumatur, vel in pulvere. Pulvis in ventriculo quidem facit id, quod dixi: hepar autem & reliqua viſcera valdè inflammat. Qui ergo ventriculo conſulere volunt, deglutiunt integra grana. Hac in re oppoſuit ſe mihi magnus ſocius, inanem ſpem eſſe dicens. Ego vero regeſſi illi primum hoc φαινόμενον. Impone piper aquæ, vel ſimplici vel roſaceæ, invenies poſt biduum, aut triduum aquam quidem nigram, & impigrè piperatam: piper autem inſipidum. Deinde ſubjeci, Noſtinc juvenem olim egregium, D. Thomam Segetthum, Scotum genere? Is mihi retulit, Ampl. D. G. Michaelem Lingelshemium, &c. cum haberet tales obſtrigilatores, qualis tu mihi nunc es, mandaſſe uni ex famulis, inquireret in excrementis ſuis in grana iſta, diligenter elueret aceto, ſiccaret, frangeret dentibus

bus, ore volutaret. Factum eſt, invenit prorſus ἄποια. Quid ille? Tacuit. An tale quid fit in *Pipere condito in racemis*, quod Cluſius pingit *in Garziam*? Et hæc de rotundo pipere.

V. In longo oportet primum diſtinguere, unde ſit? Aliud enim ex India Orientali eſt, quale noſtrum: aliud ex Occidentali, de quo pauca Monardis, *Simpl. cap.* 54. Galenus aliquot locis conqueritur, piper longum ſuo tempore adulteratum fuiſſe certa quadam herba. Alioquin 4. *San. tu.* 5 & 6. probat, quod piperis qualitates exhibet, integrum, non foraminulentum, Barbaria advectum &c. 8. *Simpl.* nihil aliud habet, quam quod ex falſa hypotheſi deducit, eſſe illum, qualis in Corylo, humidiorem reliquis ſpeciebus, quem 4. illo *de San. tu.* ſubſtituit albo & nigro, quod ne amplius fiat, deprecatur Garzias. Rationem petieris ex Lobelio, qui *Obſ. f.* 617. ultra 2. caliditatis & ſiccitatis gr. non eſſe contendit, licet Monardis Occidentale ſuum etiam ad 3. pertrahat.

VI. In eodem *de San. tu.* commendat Galenus ad flatus. Ib. eſt duplex *Diatrionpepereon*, quorum alterum & compoſitum plerique Medicorum noſtratium præferunt magnæ compoſitioni Meſue in ventriculo, puta refrigerato. Ego certe præfero *Elect. Ducis Nicol.* quod eadem facit cum ingenti illo ſimplicium apparatu. In ventriculo dicto utuntur quidam *ol. de piperibus* eo modo, quo *Ol. vitrioli*: ſed opus eſt cautione. Alioqui in paralyſi extrinſecùs egregium eſt medicamen.

VII. De *Capſico*, quod Piper Americanum ſeu Braſilianum vocant. videris Cluſium *in Monardin*, *loc. cit.* Integrum verò tract. *in Curis poſt. fol.* 95. Gregorii de Rhegio, Capuccini.

Caput CLXXVI.

DE PLANTAGINE UTRAQUE.

I. Herba nota eſt, dicta ita à latitudine foliorum, plantam pedis æmulantium. Eadem de cauſa Græcis eſt ἀρνόγλωσσον. Duplex eſt, Major, quæ & ἑπτάνευρος, quod corruptum eſt in ἑπτάπλευρον; *Breiter Wegerich*; Minor πεντάνευρον, ἢ τεϱάνευρον. *Spikiger Wegerich.* De reliquis vide Bauhinum.

II. Facultates Plantaginis facit nobis obſcuras locus Galeni obſcurus 6. *Simpl.* Cum enim dixiſſet, μικτῆς ἔιναι κϱάσεως, ſubito explicat de terra & aqua, quomodo & Serapio & Avicenna Sed enim 7. κ. τόπ. 2. de Parot agens, contrariæ facultatis eſſe ait, quod ipſum infert τὸ μικτὴ. Atqui terra & aqua quomodo contraria, cum utrumque ſit frigidum?

III. Interim conſentire video Simpliciſtas in duo dicta elementa, & ſtatuere cum Galeno frigidam & ſiccam in 2. gr. Hoc ipſum intelligitur *in de* κ. τόπ. ubi ſuc-

ſuccus eſt refrigeratorius. Hoc ipſum in Aphoriſm. cum idem ſuccus in profluvio uterino ſummè efficax dicitur, propter adſtrictionem, puta ob quam etiam Chirurgi valdè frequentant. Vide Notas noſtras in Gal. *Aqua deſtillata* in caloribus internis in magno uſu eſt. Dodonæus commendat, ob ſiccitatem quidem morſûs expertem: frigiditatem autem non narcoticam. Idem dici poteſt de *Syrupo ex ſucco.*

CAPUT CLXXVII.

DE POLIO.

I. ΠΟΛΙΟΣ, ἡ, ὀν, eſt *Canus, a, um*: at πόλι☉, ἡ πόλιον, retracto accentu herba quædam incana, alexipharmacis jam olim dicata.

II. Volunt autem Officinæ non quodvis, ſed montanum I. Dioſcoridis, cujus apud Bauhinum quatuor varietates, earundem, ut puto, virium.

III. Apud Galenum 8. *Simpl.* eſt majus & minus, quorum illud eſt infra hoc. Utrumque eſt amarum & acre, calidum in 2. completo, ſiccum in 3. Quæ quid poſſint in viſcerum obſtructionibus, quia toties eſt dictum, non hîc opus aliis.

CAPUT CLXXVIII.

DE POLYGALA.

I. VULGARIS herbula eſt, credita Lac gignere. Ideo calidam & humidam Galenus facit. Quidam *Corrigiolam* vocant, ſed falluntur. Eſt enim Polygonon, quod ſequitur. Bauhinus Onobrychin Dioſcoridis eſſe putat. Non eſt in omnibus Officinis.

CAPUT CLXXIX.

DE POLYGONO ET *Herniaria.*

I. REVERA ejusdem generis & ſignificationis ſunt πολύγονον, & πολυγόνατον: tamen duæ diſtinctæ plantæ ſunt apud Botanicos, & in Officinis. Quod nobis proponimus, duo alia (præter *Corrigiolæ*) nomina habet, *Centinodiæ* & *Sanguinariæ*, *Wegdritt* & *Weggraſs*. Hujus ſpecies eſt *Herniaria* apud Bauhinum, ab

ab effectu ita dicta, *Holleriana* à celebratore; *Millegrana* à ſeminis copia, *Herba Turca*, neſcio unde.

II. Utraque frigida & ſicca eſt, fortaſſis in 2 gradu.

Caput CLXXX.

DE POLYGONATO.

I. QUot annos habet hæc planta, tot genicula habet radix, quorum ſingulis eſt impreſſa nota dilapſæ plantæ. Hinc *ſigillum Salomonis. Weiſswurk* vocant feminæ, quæ utuntur eo modo, quo amygdalis, ad abſterſionem faciei. Diſcutit etiam ſugillata, cum pugnos ſenſerunt virorum.

Caput CLXXXI.

DE POMIS ET PYRIS.

I. POmum eſt fructus, *Pomus* eſt arbor. Ita *Pyrum* & *Pyrus*. Pomum accipio non latiſſimè, ut Bauhinus, multò minus ut Poëta, *Nucem* complectendo. *Pomum* voco omnem fructum arboreum rotundum: Pyrum, pyramidalem. *Pomum* vel circinatæ rotunditatis, quomodo omnia *Hortenſia* vocabo: vel angulofum, quomodo in ſpecie *Cydonium*. Rotundum tegitur, vel membrana ſimplici, levi, tenuique, ut Hortenſia jam dicta: vel ligno ſimplici, duroque; ut Granata: vel cortice ſimplici, aſpero, lanuginoſoque, ut *Perſica* & *Armeniaca*: vel denique duplici, eoque carneo, quorum exterior aromaticus, interior inſipidus, ut *Citria*, *Aurantia*, *Limones*. Ita Pomi nomen vel habebunt, vel ſubintelligentur habere omnes fructus, qui huc pertinent, & alioqui proprium nomen non habent. Quæ habent, loco proprio requirentur.

I. *POMUM.*

II. GRæcis μῆλον eſt, unde Latinum *Malum*, prima longa; Neſcio, cur idem vocabulum ad *Oves* trahatur. Arbor Græcis μηλέα eſt, ὲ μηλῆ, *Malus* item femininum, priore pariter longa. Sylveſtre genus ἀγελόμηλον eſt.

III. *Pomorum* varia genera ſunt apud Plinium *lib.* 15. *cap.* 14. quæ Joan. Bauhinus *lib. de baln. Boll.* ad numerum 60. amplificavit.

IV. In Officinis expetuntur, modo *Appia*, ſeu *Appiola*, Italorum, fragrantiſſima inter omnia & dulcia: modo acido-dulcia, quæ *Weinling* vocantur à noſtris, neſcio an eadem cum *Grunicher*, ſeu *gruniger* ſeu Porſtorfianis.

V. Verba Galeni ſunt *de Cibis* 8. cedro digna, *Poma & Pyra medicamentum potius ſunt quam alimentum.* Quo diligentiores eſſe nos fas eſt ediſcendis differentiis, quæ præponit Galenus tam 2. *Alim.* 21. quam 7. *Simpl.* περὶ μηλέας, ut in uſu alimentario ſciamus, quid à quibus boni malive accidere poſſit.

VI. Hoc imprimis notatu dignum eſt, quod ſucci pravitatem ex eo arguat, quod expreſſus ſuccus facile aceſcat, præterquam Cydoniorum. Hoc etiam non negligendum, quod allata hiſtoria Protæ Rhethoris, *in de Alim.* fusè memorat, quod & adſtringentia poma, poſt alios cibos ſumpta, alvum cieant. Neque hoc, quod eſt *de Vict. atten.* 2. *Cocta minus nocere*; crudorum malitiam oſtendere hoc etiam exemplo. Laborabat Scipio Gentilis, IC. olim noſter, vertigine, quam duo maximi in Rep. noſtra viri fruſtra tractabant. Relata re ad Matthæum partem, qui tum in Anglia vivebat, reſponſum venit, *Tu nimis caperis crudis poſt prandium & cœnam, quæ indicibiliter corrumpuntur. Abdica, & viceris!* Factum eſt.

VII. Succi hujus pravitatem oſtendero etiam ex 4. *Simpl.* 11. ubi Galenus docet, *Ebullire ſtatim ut muſtum.* Atqui ut muſtum nemo ſanæ mentis bibit: ita nec ſuccum hunc facile admiſerit. Conſiſtit autem malitia hujus ſucci ferè in tenuitate, ut in ſucco lactucæ, qui, mediantibus arteriis, facile in habitum rapitur, qua de re alibi.

VIII. Ut non ſemel miratus ſim, quei *Syr. de pomis ſimplex Meſue*, cor imbecillum roborare, ſyncopi & palpitationi cordis conferre, ac in ſumma morbis Melancholiæ tantopore utilis eſſe poſſit! Humectare non nego: ſed quod par ſit iſtis laudibus, etiam in frequenti uſu, vix credo. Auget quidem humiditatem in *compoſitio Regis Medorum*, *Saporis*, ab eodem Meſue nobis datus, bugloſſi utriusque ſuccus: nondum tamen ſatis eſt. Interim crocus multum poteſt. Vide tertiam compoſitionem apud Melichium *fol.* 194. *edit. Francofurt.* & Mercur. 3. *Comp.* 8. Adde Saluſt. Salvian. 2. *de Re Med. fol.* 125.

II. *P Y R U M.*

IX. Ἀπὸ τοῦ πῦρ eſſe, credunt etiam illi, qui *Pirum* ſcribunt. Græcis eſt ἄπιον, τὸ, quemadmodum ἄπιος, ὁ, *pyrus.* Qui deducunt ἀπὸ τῆς ἀπίη, quomodo *Peloponeſus* olim vocitabatur, ἀρχαιολογοῦσι. Qui ἀπὸ τοῦ α & πῖος, ineptiunt. Eſt vox primitiva, quæ cum Latino *Apium* nihil habet commune. Sylveſtre genus apud Græcos duas habet voces, ἀχρὰς, & ὄχνη, de quibus conſulatur Bauhinus noſter. Multa plura ejus genera quàm pomorum ſunt, ſi eidem credimus.

X. De uſu alimentario jam dixi ſententiam Galeni, adeoque expoſco heic quoque providentiam Medici. Quo ipſo aurem vello iis, qui *Muſcatellinis conditis* nimis licentet utuntur. Idem dico de *Syr. illorum.*

III. *POMUM CYDONIUM.*

XI. CYdon Urbs Cretæ eſt, etiamnum habitata. Hinc allatum hoc pomum *Cotoneum* appellavit Cato à Cotone ſeu lanugine, qua obſitum eſt. Græcis alioquin μῆλον dicitur per excellentiam. Hinc *oleum melinum* Officinale eſt Oleum hujus pomi. Sunt qui χρυσόμηλον dicunt ab aureo colore.

XII. Apud Galenum 2. *Alim.* 23. duplex eſt, κυδώνιον in ſpecie dictum, quod minus, ſtruthion, ἢ στρουθιόμηλον, quod majus. Quæritur, an diverſæ ſint ſpecies? Non ſunt in Natura, ſunt in arte. Hoc Dioſcorides docet. Contrarium ex Theophraſto 2. *Hiſt.* 3. docueris his verbis, *Eligere oportet vera & germana, qualia parva & rotunda & odorata*: quæ verò ſtruthia & magna ſunt, ἧττόν ἐστιν εὔχρηστα. Eſt autem χρῆσις ipſius potiſſima in adſtrictione, qua ventriculum potiſſimùm reſpicit. Eſt autem quo lapidioſius, eo adſtringentius.

XIII. Dubito, an auſcultare debeam Dodonæo, qui frigidum eſſe vult, per inde ac alia poma. Retinet enim me odor penetrantiſſimus, quo unum atque alterum replet totum vaporarium. Sed revera faciunt hoc reliqua quoque poma. Et eſt odor ille in partibus tam tenuibus & fugacibus, ut in ſucco expreſſo non ſit evidens.

XIV. Ego ita puto Cydonia eſſe longè temperatiora omnibus aliis pomis.

XV. Habemus *Diacydonii* in Officinis quinque compoſitiones, quas diſtinguere oportet dupliciter. 1. Quatenus vel ſimplicia ſunt, vel compoſita. 2. Quatenus vel carnem totam recipiunt, vel ſuccum expreſſum tantum. Serviunt uni affectui, ventriculo, vel cum vomitu, vel citra illum, præterquam ſi Nicolai illi pro ſingulis libris addantur ſingulæ ℥ß. ſcammonii. Tum dicitur *Diacydonium lucidum. Cydonia condita* pariter ventriculo ſerviunt. Pariter *Miva cydoneorum* duplex, *Simplex* Meſue, & *Aromatica* Nicolai. *Oleum* etiam, quod *Melinum*, ut dixi, vocatur, inunctione externa. Debiles etiam artus fovet. *Diacydon. Genuenſium* neſcio.

IV. *POMUM PERSICUM.*

XVI. HEic ante omnia diſtinguere oportet homonymiam. Ex Perſia venit & hoc quod propono, & *Citrium Aurantiumque*: verum illi tantum hæſit appellatio à patria. Puto autem arborem utriusque fuiſſe dictam *Perſéam*, *perſium*, *perſéum*, forte aliter, nec quærenda cum Cluſio & Bauhino alia.

XVII. Fructus proculdubio frigidus & humidus eſt, & ante alios cibos comeſtus poteſt lubricare alvum, 2. *Alim.* 19.

XVIII. *Nucleus* ea poteſt, quæ amygdalæ amaræ. De *Conſerva* florum *purgatrice*, vide Melichium.

V. *POMUM ARMENIACUM.*

IX. EXpreſſè Galenus ait 2. *Alim.* 20. ex genere *Perſicorum* eſſe, ex vicina quippe Perſiæ Armenia. Expreſſè etiam Dioſcorides, nec abludit Galenus 7. *Simpl.* Romanis πρεκόκια, *præcocia* dici. Idem Galenus præſtantiora ait eſſe *Perſicis*. Ita enim legendum eſſe ſequela orationis vult. *Marillen* vocamus nos. *Nucleus* pari paſſu cum *Perſicis* ambulat.

XX. De utriusque *conditis* moneo Practicos juvenes, ſint parciores Ἐυςόμαχα enim ſunt.

VI. *POMUM PUNICUM.*

XXI. QUod apud Carthaginienſes frequens eſſet arbor, dicta fuit abs regione illorum. Eadem *Granatum* à granis, quibus tam farcitur fructus, ut rumpat corticem, quantumvis durum & ligneum: non autem à regione, & urbe *Granatenſe*, ubi non minus copiosè creſcit. Subſtantiva vox eſt ῥοία Ionicè, ἡ ῥόα Atticè 2. *Alim.* 24. non autem ῥοὴ ἡ ῥοιὰ ἀπὸ τοῦ ῥέω. Ejus generis σίδα ἡ σίδη, ab urbe cognomine Bœotiæ, prope quam multa quoque. Apud Hippocratem eſt in plurali σίδαι. Ita dicitur modo fructus totus, modo cortex ipſius, ſed frequentius in forma diminutiva, σίδιον. Hinc σιδιοειδὴς χροιὰ, *color quaſi niger*, *qualis inſidio ſeu malicorio*, uno verbo, *Lienaris*, quo de Galenus 5. *Loc. aff.* 7. ubi ait, certum ſignum viſcerum obſtructorum eſſe hunc colorem, quamvis vocabulum ipſum non habeat. Vide Foëſium.

XXII. Arbor vel *ſativa* eſt, vel *ſylveſtris*. *Illa* florem habet, quæ κύτινος dicitur, forma calicis, è quo pomum illud fit: *hæc* itidem habet, ſed longe diverſiſſimum, eumque aſpectu pulcherrimum, præſertim is, qui plenus eſt, βαλαύστιον dictum, qui decidit ſine fructu ſubſequente.

XXXIII. Officinæ ex hoc balauſtio ſuccum parant adſtringentem, perinde ac ex Hypociſtide.

XXIV. *Fructus* ipſe *triplex* eſt ratione ſaporis, vel dulcis, vel acidi, vel vinoſi, quem *Muzum* vocant Arabes. Videtur variare Galenus 6. κ. τόπ. 1. in Syr. διὰ τελῶν ῥοιῶν, quod non magni momenti eſt, Hoc vero palmarium eſt, quod contra illum diſputant periti Practici, videri ſeorſim parandos iſtos *Syrupos*, pro diverſitate ſaporum. Ideo apud nos duplex eſt, dulcium, & acidorum. Et profectò non eſt idem effectus.

XXVI. Ego in febribus bilioſis, præſertim, ubi humor occupat os ventriculi, ex acidis egregium emolumentum ſenſi, quod ex dulcibus ſperare non poteram. Vide Galenum 2. *in* 2. *Epid.* 1. quem locum Galenus etiam laudat, *Alim. loc. cit.*

XXVII.

XXVII. Ibidem reſpondet interroganti, *An alimentum præbeant corpori?* Reſpondet minimum. Ego nullum, non magis quàm *Citria* & *Aurantia.* *Flores* aſſervantur vel ſicci, vel conditi, ad decocta & pulveres adſtringentes.

VII. POMUM CITRIUM.

XXVIII. ITa præſcribo cum Bauhino, ut abſolvam me à dica Galeni, quam duobus locis 2. *Alim.* 37. *&* 7. *Simpl.* ſcribit Botanicis iis, qui *Mala Medica* & *Perſica*. *Non vult is intelligi*, dicit. Atqui Theophraſtus etiam hoc duplici nomine, 4. *Hiſt.* 4. utitur. *Nondum erat nomen Citri*: at poſtquam cognitum eſt, vult dicere Galenus, hoc debes uti, non illo.

XXIX. Hæc affinitas & ſcripturæ & pronunciationis cum *Cedro* facit, ut plerique authorum veterum confunderent. Hinc in poſt-Curis natum mihi eſt hoc axioma: *Ubicunque apud veteres legitur*, *pretioſa utenſilia*, *ut lectos*, *tabulata*, *arcas*, *alia*, *facta eſſe ex Citro*, *ibi mendum eſſe*, *&* *legendum eſſe Cedro.* Hinc etiam factum, ut Calepinus & Lexicon Græcum collatitium Baſil. pro una arbore declarent *Citrum* & *Cedrum.* Quin nec Henricus Stephanus *Theſ. tom.* 2. *f.* 1632. planè ſe expedit, niſi quatenus Plinio ſe jungit, qui diſtinguit *l.* 13. *c.* 16. In eadem dubitationis alea fuiſſe patrem Robertum conſtat, cum *tom.* 1. *Theſ. Lat. f.* 494. ex Calep. & *Citrum Atlanticam* ſubmurmurat, & *Citreas* menſas De *Cedro* enim utrumque eſt capiendum. Dioſcoridem huc trahunt, qui pro κεδρόμηλα legunt κιτρόμηλα.

XXX. Sed ſatis de hoc errore. *Citri* fructus tres partes facit Galenus utroque *lib. dicto.* 1. *Succum intrinſecum* frigidum & ſiccum facit in 3. 2. Carnem ipſius albam, quam φλεγματικὴν καὶ ψυχρὸν vocat. 3. Corticem exteriorem flavum, quem calidum & ſiccum in 2. Ego conſiderandum propono, an non commodius id ſit quod dixi, ſtatuamus duplicem corticem, & tertio loco collocemus τὸν πυρῆνα, ut ipſe vocat, qui natat in ſucco acido.

XXXI. Has tres partes ſeorſim collocant Officinæ, ex ſucco quidem parantes *Syr. de acetoſitate Citri*, magni uſus in febribus malignis præcipue bilioſis, prohibendo putredinem: ex cortice autem flavo (nam interius album, quia inſipidum abjicitur) *Syr. de cort. Citri* duplex, *ſimplex* & *compoſitus*, uterque pro inſigni reſumptivo, ideo *Moſchus* additur, præterquam in affectibus mulierum: idem cortex, ſed conditus, ingreditur *Elect. purgans de Citro*, cujus doſis ſumma ℥. ß. Denique *Oleum Chymicè deſtillatum* ex ſeminibus, cujus ferè uſus in correctionibus pilularum. Ex *floribus* deſtillatur *Aqua Nanfæ*, ſeu ut alii *Lanfæ*, odoratiſſima.

VIII. LIMONES.

XXXII. COnſentio iis, qui ſpeciem Citriorum faciunt. Moneo autem, Genuenſes ferè obtrudere *Citrios caducos & immaturos*, qui aſſaturis additi, aut etiam paſticiis conciſi, difficillimè coquuntur.

XXXIII. Habemus etiam *Syrupum ex acetoſitate limonum*, qui pro renum attemperatione, quin etiam febrium omnium reſtinguendo calore præfertur à quibusdam *acetoſitati Citri*. *Limones conditi* venduntur pro Chebulis.

IX. POMUM AURANTIUM.

XXXIV. ITa heic quoque præſcribo, ſecus quam Bauhinus, qui *Arantium*. Derivo enim ab *Aureo*, & *aurea mala decem* Virgilii, explico, non de his, ſed de *Cydoniis*; quæ χρυσόμηλα ſunt Græcorum. Quod apud Nicandri Interpretem eſt *Narantza* vel *Nerantza*, habeo pro ἐθνικῷ introducto ab ima plebe. Inde eſt *Anaranzia* Dodonæi. Ipſa poma ſunt *Citria*, excepto colore extimi corticis. Ex hujus ſucco, tam acido, quàm dulci fit etiam *Syrupus ſuperioribus affinis*.

X. POMUM ADAMI.

XXXV. ESt *Aurantium majus*, ſed ſucci ſterile. Nec ſcio unde ſit appellatio: apud Lobelium & Dodonæum *Aſſyria*.

CAPUT CLXXXII.

DE POPULO.

I. POpulus *in ſylvis gratiſſima*, Marco canit *in Eclog.* Hujus hiſtoria valde intricata eſt. Græcorum duo ſunt vocabula λεύκη ϰ̀ αἴγειρ☉. Has jungit Theophraſtus 3. *Hiſt.* 14. μονοειδεῖς vocando, quibus τὴν κερκίδα ſuperaddit. Iungit & Plinius *lib.* 16. *cap.* 23. *Lybicam* copulans.

II. Dioſcorides *lib.* 1. *cap.* 109. & 113. interponit tria capita Galenus. 6. & 7. *Simpl. toto libro* ſejungit. Quomodo? ſi ſunt? μονοειδεῖς? imo ſi ἡ λεύκη ἐξαιγειροῦται, ut Theophraſtus loquitur 2. *Cauſ.* 21. Sed ſint hæc, quo volent eſſe, loco.

III. In Officinis expetitur tantum *populus nigra*, & quidem *oculis*, ut vocantur, ſeu *floribus*, ut Galenus appellat.

IV. Eſt autem flos καχρυώδης, qualis in quercu, abiete, picea, aliis apud Theophraſtum 13. *Hiſt.* 7. de quo Galenus dicit 6. *Simpl.* calidum & ſiccum in 1. eſſe. Ita enim accipio. Unde ſi inferre voles. Ergo *unguentum populeum* eſt calidum & ſiccum, agnoſces, errorem tuum ex tot ingredientibus frigidis.

V. Utuntur liberaliſſimè Chirurgi in venæ ſectione, cum ſanguinem volunt fluxilem facere, qua re inſigniter ſtulteſcunt. Uſus verus eſt inflammationibus & febribus pro ſitu temporum & pulſuum. Tu vide ne adeps jam ràncuerit. Fortaſſis enim tum vere calidum eſt medicamentum.

VI.

VI. *Oleum populeum* eſt duplex, ſimplex & compoſitum Nicolai Alexandrini. Utrumque eſt anodynum.

Caput CLXXXIII.

DE PORTULACA.

I. Heic opus eſt oculis & auribus apertis. Apud Dioſcoridem & Galenum una eſt planta, ἀνδράχνη, & quidem annua, inter acetaria à veteribus habita: apud Theophraſtum variat ſcriptura, modo ἀνδράχνη, modo ἀδράχνη, quodque rei caput eſt, modo planta annua eſt, modo arbor.

II. Conſenſêre fere Botànici, ἀνδράχνην Dioſcoridis & Theophraſti eſſe herbam illam acetariam, de qua dicendum nobis eſt: ἀνδράχνην Theophraſti eſſe, non quidem κόμαρον, *arbutum ipſam Dioſcoridis*, ſed ſpeciem, quæ differat foliorum inciſura. Ideo Bauhinus (vide apud hunc loca) Arbutum quidem folio ſerrato deſcribit: Andrachnen autem folio non ſerrato, ut exprimit Cluſius 1. *Rar.* 31. *ex Hon. Belli Epiſt.* Nobis indicaſſe hoc ſufficiat, ut & hoc, 3. Gazam, herbam quidem uſitato nomine *Portulacam* vocare: arborem autem velle dictam *Pótulacam.* Quod an concedendum illi ſit, nondum decretum exſtat ex Parnaſſo.

III. Interea *Portulacam* in Officinis recipimus, & ſemine quod frigidum ſiccumque eſt, & ſucco indeque facto *Syr.* qui frigidus, eſt & humidus. Eſt & *Loch de Portulaca*, ad incraſſationem tenuium humorum. Eodem pertinet Loch *ad catarrhum ſalſum* dictum. De uſu alimentario vide Galenum ipſum, 2. *Alim.* 46. De Portulaca ſylveſtri infra in Sempervivo.

Caput CLXXXIV.

DE POTENTILLA.

I. Neſcio ſanè, quæ ſit *Omnipotentia* illa, à qua nomen accepit. Dicitur & *Argentina*, quod folia adverſa parte albicent: & *Anſerina*, quod iis locis creſcat, quibus non facile aliæ, ſed exurens anſerum ſtercus.

II. *Planta* eſt frigida in 2. & ſicca in 3. cum valida adſtrictione. Ideoque ſanguinem undequaque fluentem ſiſtit, fluxus alvinos cohibet.

CAPUT CLXXXV.

DE PRIMULA-VERBIS.

I. HAbet hoc nomen & *Bellis* quædam, ſed Officinam non ingreditur. Pro certo habeo, hanc eſſe φλομίδα ἢ θρυαλλίδα quandam, idque prævio Ill. Bauhino, qui *verbaſculi* ſpeciem conſtituit.

II. Atque ut in facultates *Verbaſci* non inquiro: ita accipio vim ſiccatoriam in *floribus*, è quibus parata *conſerva*, non minus efficax ſit in paralyſi, quàm *Lilii convallium*. Requiritur autem heic præcipuè diligentia pharmacopœi, ut quam odoratiſſimos flores habeat Tanta enim illorum latitudo, ut quidam ſint prorſus inodori. Illorum *aqua ſtillatitia* epilepſiæ etiam commoda eſt.

CAPUT CLXXXVI.

DE PULEGIO ET SERPYLLO.

I. COniungo, quia Officinis prius quidem *Pulegium Regium* dicitur: Poſterius autem *Pulegium montanum*. Si βλήχων *balatu ovium* eſt, ut videtur, γλήχων, eſt in vitio, niſi quis ſartaginem ruſticanam malit. *Pulegium* ſi eſt à *Pulicibus fugandis*, conveniet appellatio etiam *Serpyllo*, ob ſimilem acrimoniam. Eſt autem hoc proculdubio, quod ἀπὸ τῶ ἕρπειν rectè deducitur.

II. *Pulegii* calorem & acrimoniam colligit Galenus rectè ex φαινομένοις. Cuti enim applicitum, non rubrificat tantum, ſed & ulcerat. Ob acrimoniam è pectore eliminat craſſos & viſcidos humores, menſesque ducit. Obſtructionis viſcerum eadem eſt ratio, ut patet ex ſuperioribus. Huic ſubſtitui poſſe *tenuifolium* ſeu *cervinum* dictum, credam Penæ, *Adv. f.* 214. & Monſpelienſibus, ſi (in interioribus præſertim) fœtorem axungiæ porcinæ removerint mihi. An non eſt omninibus locis? Alii enim non meminêre.

III. *Serpyllum* non minus calidum & acre eſſe, perſuadet mihi & ſapor & odor. Vellem autem illo uti, quod *Citrum* olet. Hoc à Cluſio oſtenſum, in ſylvis noſtris denſè fruticat.

CAPUT CLXXXVII.

DE PULMONARIA.

I. IN poſſeſſionem hujus nominis venit etiam *Muſcus pulmonarius* ſupra dictus, ſed injuria. Hæc planta à Dodonæo & Bauhino refertur ad *Symphytum*, cum cogno-

cognomine *maculoſi*: à Pena ad *Intubacea*: è Cæſalpino ad *borragines ſeu bugloſſas*. Additur ferè *Gallorum*. Putarunt illi, propter ſignaturam, eſſe appropriatam pulmonibus. Quod quia incertum eſt, ut & facultas, relinquo totum.

CAPUT CLXXXVIII.

DE PYRETHRO.

I. ΑΠΟ τῦ πῦρ eſſe omnes concedunt, & eſt apud Galenum *Cauſticum*, cujus radicis uſus in apophlegmatiſmis & errhinis. Pluribus non eſt opus.

CAPUT CLXXXIX.

DE PYROLA.

I. A Foliis *pyri* dictam eſſe, nemo dubitat. Hanc *limonium Dioſcoridis* eſſe Fuchſius voluit. Ideo in quibus Officinis eſt *Limonium*, eſt hæc *Pyrola*. Utramque qui ſcribunt, ſunt ex numero ignorantum.

II. Herba eſt frigida in 2. & ſicca in 3. ut Lobelius definit: quam potionibus ſuis vulnerariis Chirurgi admiſcent. Vide Matthiolum, Dodonæum & Cluſium.

CAPUT CXC.

DE QUERCU, GALLA ET CHERMES.

I. HΔρῦς *latiſſimè* accipitur pro *omni arbore frugifera*, inde ſunt τὰ ἀκρόδρυα, *fructus arborei. Latè* pro *arbore glandifera*, in qua ſignificatione Latinis eſt *Robur*, quod probare me poſſe confido. *Preſsé* pro *illa glandifera*, quæ *Quercus* nobis dicitur,

II. Hujus ſpecies apud Theophraſtum 3. *Hiſt.* 9. quinque, ἡ μερὶς, αἰγίλωψ, πλατόφυλλος, φηγὸς, ἁλίφλοιος. Confer cum Plinio *lib.* 16. *cap.* 5. & 6.

III. *Galla* igitur huc pertinet, non quatenus provenit in *Robore*, quæ ſit ſpecies quercus, preſſè & propriè dictæ: ſed quatenus illa eſt πλειστοφόρος, ut Theophraſtus loquitur, hoc eſt, præter glandem fert excrementa varia præternaturalia, de quibus in ſpecie agendum non fuit, quia monſtroſa ſunt, & ſub ſcientiæ leges non veniunt, ut alibi demonſtravi.

IV. Nec eſt, quod quis ſibi perſuadere patiatur, *gallas* in noſtris quercubus non eſſe. Legi enim ego ſæpiſſimè, ſed hoc non faciunt, quod *Orientales*. Excrementa eſſe argumento ſit, quod non ubique locorum ſunt orbiculatæ, ſed modo oblongæ, modo anguloſæ, modo galericulatæ, modo alîus figuræ.

V. *Ilex*, πρῖνος, quæ *Chermes* Officinarum fert, huc facit, quatenus δρῦς in ſecunda ſignificatione huc ſe extendit.

I. QUERCUS.

VI. QUercus omnis, inquit Dioſcorides, vim adſtrictoriam habet. Hunc ſecutus Galenus 6. *Simpl.* ait *Omnes quercus partes adſtringunt*. Hoc dictum eſſe de omni glandifera, perſuadet mihi ſignum univerſale. Addit Galenus, in activis eſſe tepidæ caliditatis, in paſſivis ſiccare.

VII. Ex *glandibus*, præterquam *Caſtaneis*, omne alimentum eſt malum, *de Cibis* 8. Imo ilignæ hominibus debent eſſe intactæ, *ibid. cap.* 4. Priſcis Arcadibus familiaris cibus erat. Hinc βαλανηφάγοι ἄνδρες dicebantur. Suum potius alimentum, unde carnem habent ſolidam & minimè excrementitiam. Hoc accipe de iis, quæ in ſylvis aluntur, & motum habent. Nec obſtat, quod tu mihi contemnas carnem ſuillam in uſibus humanis. Si enim concoquatur, inſigniter auget vires. Hoc doceri poteſt exemplo athletarum, qui in ἀναγκαιοφαγίᾳ illa carnibus his farciebantur, & concoquebant propter valida exercitia. Et de his, de ruſticis, de fabris lignariis, ferrariis, &c. accipe effatum illud: non autem de mollicellis nobis, & vaporariis, qui vix priſciculos minutos conficimus.

II. GALLA.

VIII. GRæcis eſt κηκὶς, & hinc factum ὀνοκηκὶς nihil aliud eſt, quàm *Galla major*. Falſa autem eſt ſcriptura, οἰνοκηκὶς, & quicquid de vino ſuperſtruitur. Hæc flava eſt, cùm minor (ὀμφακῖτις dicta) ſubviridis ſit.

IX. Heic latet inſigne Naturæ miraculum, à plerisque ſicco pede tranſitum. In omnibus naſcitur primo vermiculus, qui mox in maturis mutatur in muſcam, quæ eroſo mox pomo evolat. Hinc maturæ omnes ſunt perforatæ, immaturarum nulla. Cur hoc molitur Natura? vide Matthiolum.

X. ὀμφακῖτις, authore Galeno 7. *Simpl.* eſt frigida in 2. ſicca in 3. ratione ſubſtantiæ terreæ, frigidæ & acerbæ, ob quam vehementer adſtringit: altera flava & magna, tanto magis ab illa diſcedit, quo minus acerba eſt. Quidam diſtinguunt, & κηκίδα vocant, quæ ramis inſidet: σφαιρίον τῆς δρυὸς, quod in foliis. Fuſtra.

XI. Addam tria verba de una quercina, quam *in Matthiol.* pingit Bauhinus, & commendat in dyſentericis deſperatis,

III.

III. CHERMES.

XII. Vox eſt proculdubio Arabica, ex qua, Latina terminatione, fit *Chermeſinum*, Dioſcorides κόκκον βαφικὴν appellat, *granum tinctorium*, quod in *Ilicis* aliquot ſpeciebus apud Bauhinum reperitur, qui putat apud Theophraſtum eſſe *ſmilaca Arcadum.*

XIII. Ex hac habemus *Confectionem Alchermes* Meſue, cujus deſcriptionem, una cum altera, à Doctoribus Monſpelienſibus correctam pro Rege, præfert Diſpenſarium noſtrum. Scripſit de illa peculiariter Laurentius Catelanus, pharmacopœus Monſpelienſis, & poſt eum Joannes Stephanus Strobelberger, Medicus thermarum Corolinarum in vicina Bohemia.

XIV. Sub primum meum in Italiam adventum, audivi magni nominis Medicum, totam compoſitionem improbantem propter lapidem *Lazuli.* Quod ad me attinet, ſi laus ejus conſiſtit in præſervatione ab Apoplexia, perpetuo perierit. Falſiſſima enim eſt hypotheſis, eſſe illam à frigidis & melancholicis humoribus quin eſt à ſanguine laudabili, copia obſtruente *torcular cerebri*, una cum adjacentibus ſinibus & ductibus dictis. Hoc cum ante biennium accideret genero meo, D. Andreæ Lauxio, & juberetur Medicus adhibitus oſtendere melancholiæ ſignum, obmutuit.

Caput CXCI.

DE RADICE RHODIA.

I. Ita ſcribo, perſuaſus à *Rhodo* inſula potius dici, quàm à *Roſa*, cujus odorem ſpirat, ἀπὸ τȣ̃ ῥόδον enim fit ῥοδινὸς, non autem ῥοδιὸς ἢ ῥόδεος, quamvis videam etiam magnis viris id placuiſſe.

II. Cæterùm Galenus cum 8. *Simpl.* calidam eſſe ait in ſecundo usque ad initium tertii, videtur aliquibus humani quid paſſus eſſe, quemadmodum in Onoſmate quoque, utrobique ſecutus fidem Dioſcoridis, ut Pena judicat. Dodonæus expreſſè ſe illi opponit, frigidam eſſe cenſens inſtar roſæ. Ille vero ſi ſciret, quatenus ſit frigida, timidius fortaſſis loqueretur. Revera radix habet vim quamdam digerentem, qua capitis doloribus frigidis ſuccurrit.

Caput CXCII.

DE RANUNCULIS.

I. Nunquam exputare potui, qua ratione ducti veteres cum βατραχίοις, *ranis*, herbas has cauſticas compararint. Nam quæ Pena & alii dicunt, irrationabilia ſunt. Sunt autem non in omnibus Officinis, & in quibus ſunt, ſub falſo quidem nomine *Coronopi* ſunt. Uſum autem habent externum in phœnigmis & dropacismis, etiam rumpendis abſceſſibus peſtilentibus. Mendici etiam exulcerant *bulboſo* dicto cutem, ut miſerabiles videantur.

Caput CXCIII.

DE RAPHANO.

I. Sic enim ſcribere debebamus, ſiquidem Græcum morem exprimere volebamus. Cæterùm ſubito reſumendum eſt id, quod ſupra in Braſſica, veteres, & inter hos Theophraſtum 7. *Hiſt.* 4. *Rhaphanon* quidem appellaſſe, quæ poſtea vocata fuit κράμβη: ῥαφανίδα autem, quam heic proponimus. Theophraſtum ſequitur Plin. 19. *cap.* 15. & cogitur audire à Galeno 2. *Alim.* 44. ſecutum illum eſſe ἐπὶ τρίπλον ψευδοπαιδείαν, *deteſtabilem falſitatem*, loquentem cum iis Athenienſibus, qui ante 600. annos vixerunt. Vocabatur autem *Rhaphanus* etiam ῥίζα ἢ ῥίζιον, ob inſignem amplitudinem, quamvis id ipſum tribuatur à Plinio. *Struthio*, quod eſt *Pſeudoſtruthium* Matthioli, Cæſalpini 8. *Hiſt.* 55.

II. Summa diviſio eſt in *Sativum* & *Sylveſtrem*, quò refero *Aquaticum*. *Sativus* aut eſt rotundus aut longus, uterque aut major, aut minor. Hæc fundata eſſe in *Pinace* Bauhini, videbis, ſi conferre voles.

III. *Rhaphanus omnis* eſt calidus in 3. ſiccus in 2. Agreſtis in utraque qualitate efficacior eſt ipſa planta, ut ſemen, ut Galenus docet 8. *Simpl.*

IV. Tantum abeſt ut juvet coctionem, ut variis modis lædat. Hoc imprimis de radice verum eſt, 2. *Alim.* 65. & 70. Addo ego, præcipuè *Ruſticanus*, qui eſt V. apud Bauhinum *Meerrettich:* valde parum nutrit, 1. *Facult. nat.* 10.

V. Semen digerit, 8. *Simpl.* Cum oxymelite ejicit pituitam in ventriculo contentam, 5. *Uſus part.* 4.

VI. *Oleum* eſt ſimile oleo vetuſto, ſed calidius, 6. *Simpl. cap. de Oleo.*

VII. *Syr. de Raphano* Fernelii, eſt farrago inutilis, & ambitioſa.

CA-

Caput CXCIV.

DE RAPO ET NAPO.

I. *RAPUM.*

I. ΓΟΓΓΥΛΙΣ, quaſi ϛρογγύλις, dialecto ruſticana apud Athenæum eſt ῥάπυς, & Atticè ῥάφις, unde veriſimilitèr eſt *Rapum*, in neutro genere: at Rapa, æ, apud me eſt σολοικισμός.

II. Diſtinguitur, perinde ut Rhaphanus, in *ſativum & ſylveſtre.* Sum cum illis, qui pro ſylveſtri habent *Rapiſtrum arvorum*, flore albo & luteo. Sativum ſubdividunt in marem & feminam, ſtudio inutili. Nihil enim variant facultates.

III. Laudem raporum in victu ſi quæras, 2. *Alim.* 62. vituperia invenies, hoc imprimis, quod ne eſculenta quidem ſint: ſi tamen fiant, nullam plantarum congenerum minus nutrire. Addere oportet ex ſeq. quod flatulenta ſint, nihil quam *ſuccus crudus dictus* inde fiat. Quare *lib. de Victu. atten.* 9. rectè ab illo repellitur. Unde παραμυθίαν quærere oportet eorum, quæ *cap.* 8. *præced.* leguntur, eſſe in confinio bonorum & malorum ciborum. Imo mala ſunt propter cauſas dictas.

IV. Semen & flatuoſum eſt, & venerem ciet. Facit & radix tale quid in calidioribus, 6. *Simpl. cap. proprio.*

II. *NAPUS.*

V. VAlde ſtrigoſa quæſtio eſt, ſitne idem cum *Bunio* aut *Buniade?* Longè abeſt Dioſcorides, qui Napi quidem non meminit, niſi ſit *Bunias* ſequens, à quo differt *Bunium*, & *pſeudo-Bunium* longè poſt. Quam proximus eſt Galenus, qui 2. *Alim.* 62. aſſociat τῇ γογγυλίδι. Interim ſi conferas facultates 6. *Simpl.* videbitur aliò ire. Hoc faciunt illi quoque, qui *Bunium* quidem *Bulbocaſtanum* eſſe volunt noſtrum: *pſeudo-Bunium* autem ſpeciem ejus alteram & minorem. Non puto quenquam eſſe, qui *Rapum ſylveſtre Dioſcoridis* eſſe putet: & ego jam me abſolvi paucis.

VI. Utut napus multa habet communia cum Rapis: eſt tamen peculiaris planta, quæ rectè dividitur in Sativam (dulcem vocat Andromachus, *in Ther.*) & Sylveſtrem. Habeo autem pro Napo ſativo *unſere Bayriſche Rublein*, quæ calidiores quidem ſunt rapis, ſed tamen flatulentæ & Veneriæ. Vide Sylvat. *in Ther. lib.* 1. *fol.* 107. Pro Theriaca quomodo ſit tundendum ſemen, vide 1. *Antid.* 15.

RICINUS, Vide CHERUA.

CAPUT CXCV.

DE RORE-MARINO.

I. APpellatio eſt vetus, neſcio qua occaſione nata: res ipſa non minus. Conſenſus enim pene omnium eſt Botanicorum, eſſe Libanotida III. Dioſcoridis, quam ille στεφανωματικὴν vocat. Galenus 7. *Simpl.* expreſsè ait, Romanos ῥωσμαρῖνον vocaſſe.

II. Ex quo ego impugno vulgarem morem declinandi, ut Reſp. & alia talia. Si enim, ut Ill. Scaliger me docuit, τὸ *Rus* non eſt Græcum, ſed Syriacum, & ſignificat idem, quod ἐρυθρός, ut mox dicetur; nec declinationem Græcam admittit: multo minus Latinam admittet. Sed ita eſt: in horto Medico inter Botanicos licent talia.

III. Planta ipſa eſt vulgaris notitiæ: hoc vulgare non eſt, quod Officinæ ſibi ſumunt juris, vocandi florem ipſius ἄνθος, & Anthos, & locandi inter φάρμακα κεφαλικά.

IV. De facultatibus parcus eſt Galenus: difficile tamen non eſt judicare, quid in primis facultatibus poſſit, ex eo, quod inquit, *Ictericos juvare.* Omnes enim norunt in hoc affectu locum non habere frigidum & ignavum aliquod medicamentum: quin ipſe ſe explicat cum ait, ῥυπτικῆς καὶ τμητικῆς eſſe δυνάμεως. Utrumque hoc eſt à calore ad 3. uſque gradum, & utroque opus habet hic morbus. Hoc ex generali ſermone melius intelligitur, quem inſpiciat, cui opus eſt.

V. De *Conſerva anthos* jam dixi implicitè, quod debui. De *Confect. dianthus* dicendum eſt, capitalem quidem eſſe, in melancholicis præcipuè, ſed & ventriculum egregiè roborare.

CAPUT CXCVI.

DE RUBIA TINCTORUM.

I. ΕΡΥΘΡΟΣ *Ruber* eſt, ἔρευθος, *Rubedo:* hinc addito δάνον, de quo ſûpra, fit duplex appellatio herbæ unius ἐρυθρόδανον, καὶ ἐρευθόδανον, quam Paulus Romanis dici ait, ἔρβαν ῥούσιαν, nobis *Röte*, *oder Ferberöte.* De facultatibus unguis eſt oculo Dodonæi. Cum enim Galenus docuiſſet 6. *Simpl.* στρυφνὴν καὶ πικρὰν, *hoc eſt heterogenearum partium*, *calidarum & frigidarum*, & poſſe quæcunque talia, quæ dicta ſunt, hepar & lienem expurgare, menſes & urinas tam potenter movere, ut ſanguis aliquando ſequatur: inſúrgit ille, producto uno, alterove teſte, verè adſtringere, ſed cum frigiditate & ſiccitate, ideo fluxus potius cohibere, quàm facere.

II.

II. Mihi verò infallibile argumentum eſt id, quod omnes videmus quotidie, tingit pannos florido colore rubeo, eoque conſtanti: quod fieri non poſſet, niſi tenues & calidas haberet partes, quibus in ima penetrat, quas ſubſecutæ frigidæ firmant. Hinc adeo Practici Norimbergenſes (ne alios producam) etiamnum Galenum & Dioſcoridem ſequuntur, neglecto Dodonæo.

CAPUT CXCVII.

DE RUS, SEU SUMACH.

ITA ſcribo propter cauſam jam dictam. Eſt originis Syriacæ, & deducitur inde τὸ *Ruſſus* vel *Ruſſeus*, quo Romanos eſſe uſos, ſi non aliunde conſtaret, certè ex factionibus aurigantium, *Veneti* & *Ruſſes* coloris, de quibus Galenus 7. *Meth.* 6. manifeſtum fieret. Tamen, ſi quis Græco more, cum Galeno aliisque declinare velit, ῥȣ̃ς, ῥοὸς, cum eo ego non pugnabo.

II. Eſt autem *Rus*, ut dixi, idem quod ἐρυθρὸς. Antiqua eſt controverſia, cum Dioſcorides & Galenus diſtinguant in βυρσοδεψικὴν, καὶ ὀψοποιητικὴν, *Coriariam & Culinariam*, quæritur an ſint diverſæ plantæ? Interroganti olim reſpondit Bauhinus, *Non.* Atqui Galenus diſtinguit 6. κ. τόπ. 1.? *Non refert*, inquit.

III. De facultatibus idem Galenus, 8. *Simpl.* ſiccum eſſe in 3. frigidum in 2. & huic rei atteſtari peculiaria opera, quin ſenſum ipſum. In fructus enim expreſſo ſucco multum eſt auſteræ qualitatis.

CAPUT CXCVIII.

DE RUSCO.

I. PUERIS etiam nota planta, *Horridior ruſco.* Apud Græcos eſt ſpecies *Myrti Sylveſtris*, ubi n. memini, ὀξυμυρσίνη. Hujus Galenus non facit mentionem inter medicamenta ſimplicia: facit autem inter alimenta, *lib.* 2. *cap.* 59. de aſparago ejus locutus, ſub triplici nomine, ὀξυμυρσίνης, χαμαιδάφνης, καὶ ὀξυακάνθης, ubi tamen Cæſalp. μυακάνθης legit, & rectè. Quidam pertendunt, καρπήσιον Galeni eſſe, & *Cubebas*, *Arabum.* Inſulſè.

II. In Officinis radices ſunt in numero quatuor communium aperitivarum. Unde apparet, πρόληψιν anteceſſorum noſtrorum dudum fuiſſe, calidas eſſe cum partium tenuitate. Hoc ſatis eſto iis, qui poſſunt ἕπεσθαι τῷ λόγῳ, ut Galenus ſolet loqui. Hoc addo ex Commentario putatitio Galeni in Hippocratem *de Alim.* 4. *t.* 18. *Folia alvum ſolvere.*

CA-

CAPUT CXCIX.

DE RUTA.

I. PAuci ſciunt Græcæ eſſe originis: ῥύτη enim apud Athenæum eſt. Vulgatum alioqui Græcis eſt τὸ πήγανον τὸ πηγάνιον, & ita quidem appellatur hortenſis, quæ duplex, latifolia, & tenuifolia, quæ nobilior putatur, *Wein-rauten*. At ſylveſtris triplex apud Bauhinum, vocabulis Syriacis, *Harmala* ſeu *Beſaſa* dicitur.

II. Illa calida & ſicca eſt in 3. gradu hæc in 4. Utraque guſtu eſt acri & amaro cum partium tenuitate. Ideo digerunt & incidunt craſſos & viſcidos humores, flatus diſcutiunt, ſomnia venerea arcent, menſes & urinam movent. Hortenſis alterat totum corpus, 1. *Sem.* 16. Calidior & ſiccior eſt Vitice, 6. *Simpl. cap. de Vitice*, ubi comparantur.

III. Viridis à ſicca multum differt, κ. τόπ. 1. Illa eſt excrementitia, & flatus diſcutere non poteſt, 4. *Sanit. tuendæ*, 5. Hinc augurari licet, quale ſit *ol.rutæ ſimplex*. Hoc enim tantum habemus, & ex viridi. Rutæ ſemen validè attenuat, *Vict. atten.* 5. Sylveſtris eſt medicamentum vehementiſſimum & calidiſſimum 10. κ. τόπ. 2. Vide quid ſuprà, *App. de Opio*, auguratus ſum.

CAPUT CC.

DE RIBES.

I. HAbemus ſub hoc nomine Arabico plantam, quam ſub nomine *Groſſulariæ* porrigit nobis Bauhinus *in Pinace*, ſub *Uvæ criſpæ* alii, cujus vel baccis conditis, vel ſucco expreſſo, & denſato utimur in ſiti exſtinguenda, licet nolint quidam, & *Berberim* ſubſtituant ob adſtrictionem, qua tamen nec Berberis caret, ut dixi ſupra.

II. Eſt hic ſuccus frigidus & ſiccus in 2. gradu intenſo, cum ſumma partium tenuitate, quæ præ cæteris incidit & attenuat. Quo fine *Rob. duplex* habemus. Et hæc ſufficere poterant:

III. Ego vero οὐδὲ πάρεργον facio, & quæro. An ſit οἶσος ἢ ἶσος? Eodem modo pronunciabantur, ut λοιμὸς καὶ λιμὸς. Qua occaſione cum minus attento ſcribæ excidiſſet τὸ ἶσος, natum eſt Gazæ monſtroſum illud *Æquum*, quod multis offendiculo eſt. Vide Animadv. noſtras in Theophraſtum.

IV. Et hoc, Dodonæum audacter pugnare pro planta hac, ut faciat *Ribes Serapionis*. At ubi ſunt folia magna? Profecto, dant illa mihi momentum ad

ad *Ribes Rauwolfii*, qui *Itin. ſui lib.* 4. pingit, & auguratur tale quid Cluſius 4. *Exot.* 21.

Caput CCI.

DE SABINA.

I. Malim Savina, quia & Itali & Galli ita ſcribunt. βράθυς, eſt arbor baccifera, quam diſtinguere à Cupreſſo, antequam baccæ ſe oſtendunt, præſertim illam, quæ foliis eſt cupreſſi, operæ eſt. Vide autem Bauhinum.

II. Galenus 6. *Simpl.* de facultatibus ſcribit, acriorem eſſe, & magis aromaticam, in adſtrictione infirmiorem, calidam & ſiccam in 3. gr. cum inſigni partium tenuitate. Ideo urinas & menſes potentiſſimè movet. Hæc ille: è quibus pene infamis facta eſt apud nos, quod nobile ἀτίκιον ſit apud vulgus.

Caput CCII.

DE SALVIA.

I. Ut Salvia honoris nomen eſt: ita σφακὸς, ἢ σφάκελος, ἢ ἐλελίσφακος probrosum... pudii. Eſt enim aſpectu retorrida & ſenilis.

II. Duplex eſt in Officinis, noſtras & Cretica, quamvis in facultatibus nulla ſit differentia. In noſtrate quæritur, cum diſtinguitur in majorem & minorem, qua in re ſit diverſitas? Minor *nobilis* dicitur, & differt ab illa, quod folia utplurimum ſint pinnata ſeu aurita. In quibusdam etiam eſt ſalvia ſylveſtris ſeu agreſtis, quæ vel *Nepetæ*, vel *Scordii* ſpecies eſt.

III. In facultatibus præparcus eſt Galenus 6. *Simpl:* Evidenter calefacere, & leviter adſtringere. Verùm expediet nos ſenſus. Cum enim amara & acris ſit, non longè aberit à 3. gradu caliditatis & ſiccitatis. Quamobrem in decocto quidem menſes movebit, & conceptui oberit: at ſi unum, alterumve folium maſticetur, ſiccando fluidùm ſanguinem corriget, adſtringendo vaſa roborabit, ut ne ſanguis eat. Vide Dodonæum.

IV. *Conſerva* capitalis eſt. *Aqua Salviæ compoſita* eſt ſudorificum, & firmat podagricorum artus inuncta.

SAMPSUCHUM. Vide MAJORANA.

Caput CCIII.

DE SANICULA, ALCHIMILLA, *& Sanicula Alpina.*

I. SANICULA à Sanando, in Officinis eſt duplex, Minor, quæ & *Diapenſia*: Major, quæ peculiariter *Alchymilla*, à Chymiſtis tracta voce, neſcio quo ſenſu.

II. Utraque eſt novitia, & veteribus ignota, conjuncta ante etiam à Bauhino *in Pinace*, à Lobelio & Dodonæo.

III. Præter has ſunt aliæ etiam *Saniculæ*, recentioribus nominatæ, in quas non inquiro, præterquam in unam in Officinas etiam tractam à Chirurgis, propter facultatum (de quibus dicam) paritatem, *Alpinam* ipſis vocatam; & eſt *Auricula urſi*, à Bauhino poſt verbaſcula collocatam, ſub nomine *Auriculæ Alpinæ luteæ.*

IV. Omnes tres ſunt frigidæ & ſiccæ, à Chirurgis expetitæ ad potiones vulnerarias. Vide de ſingulis Dodonæum.

Caput CCIV.

DE SATUREJA, TYMBRA *& Thymo.*

I. ITA diſpono, imitatione Bauhini forte, quia facultates ſunt ſibi ſimiles invicem, & alioquin etiam facie non ſunt valde diſſimiles, vix quippe diſcernendæ, niſi juxta ſe poſitæ: quin apud Bauhinum *Thymbra montana* eſt *Satureia.* Vide etiam Penam, *Adv.ſ.* 181. De Thymo I. Bauhini tu hæc dici intellige. Nam III. ſeu Dioſcoridis, capitibus ſuis diſtinguitur.

II. Omnes tres ſunt calidæ & ſiccæ ad 3. usque gradum, & in victu attenuante, condimenti loco, primas tenent. *Conſerva* etiam eò facit.

Caput CCV.

DE SATYRIO.

I. A *Satyris libidinoſis* dictam eſſe herbam, in propatulo eſt. Non credo fuiſſe homines, ſed dæmones ſylveſtres, qui in illa idolomania publicè ſe oſtentabant turpiſſimis libidinibus, ut hodie in America.

II.

II. Et nomina & genera ſunt plura, ὄρχις, κυνοσόρχις, τραγόρχις, ἀλωπεκόρχις. Sed & cognomina ſunt σ϶ρατιὰς, morio, militaris, ſeu ſtratcumatica, mas, femina, hermaphroditica, delphinium, ζωόφορον, ἀνθρωπόμορφον, μυιῶδες, φυκώδες, &c.

III. Ex his omnibus, (ut & non indicatis) capere licet quamcunque libet pro *Elect. diaſatyro.* Eodem modo de *Orchide palmata* ſe res habet. Ita loquor cum Bauhino, ne fruſtra abutar nomine divino cum omnibus Botanicis. Quo in ordine cum inveniam *Satyrium baſilicatum*, velim ſcire, quæ ſit nominis ratio.

IV. Galenus 8. *Simpl.* duo habet capita, περὶ ὄρχιως κυνὸς, καὶ σεραπιάδος, in quorum priore confirmat fabulam, ut mihi videtur, quod vegetus quidem bulbus ſit ἀφροδισιακὸς: flaccidus autem ἀσύτης. Infirmiorem eſſe credo: contrarium agere non credo. In altero negat Serapiada eſſe æquè potentem ad ἀνοητὰ illa. Paulò poſt tertium eſt, de *Satyrio*, in quo non facta mentione fabulæ, ut dicebam, ſimpliciter pronunciat habere humiditatem excrementitiam, qua παρορμᾷ πρὸς τὰ ἀφροδίσια. De quo effectu in *Diaſatyrio Nicolai*, ut non dubito: ita εὐφημίας gratia præſcribi iſta puto, prodeſſe ad renum & veſicæ imbecillitatem.

V. De compoſitione Meſue idem judico. Habeunt eundem radices *Satyriorum* & *Orchidum* conditæ. Novi nequam Pharmacopœum, qui vendebat pro *Diacoru*, *fur ein Magenlattwerg.*

DE SAXIFRAGA.

I. NOMEN eſſe Latinum quivis videt. Tamen & Græcos uti, teſtatur Galenus 5. *San. tuen.* 5. quem locum ſupra inſpexi, *cap. de Betonica.* Apud noſtros Botanicos plures ſunt hujus nominis plantæ: verum nos quærimus illam, quam *Saxifragam albam* Dodonæus & Lobelius vocant, *Rotundifoliam albam* Bauhinus, propter exiguos bulbulos, radici adnatos, Chelidonii adinſtar, quos *ſemina* appellant.

II. Pena *Adv. f.* 267. ad calculum videtut laudare proprio experimento, Dodonæus alieno. Apud nos eſt vulgo notus hic effectus. Vocatur *weiſſer Steinbrech.*

CAPUT CCVI.

DE SCABIOSA ET SUCCISA.

I. DUÆ aliæ ſunt hæ novitiæ plantæ, quarum utramque ad ſtœben Dioſcoridis refero. Ratio nominis in priori manifeſta eſt, & putat Pena

ψῶρα Aëtii eſſe: poſteriorem comitatur fabula, unde *Morſus diaboli* dicitur.

II. Quæ de ſuccifa dicit Dodonæus, amariuſculam eſſe herbam, calidam & ſiccam in 2. gradu, id dico, ipſo volente, de Scabioſa quoque. Ea porro, quæ de *Scabioſæ* viribus in affectibus pectoris dicuntur, abunde prædico in deobſtruendis quoque viſceribus imi ventris. Quin credo, in febribus peſtilentibus ſuccum in Syr. cum Theriaca eſſe egregium ſudorificum. Bubones etiam peſtilentes, ſi ſtatim initio applicetur, diſcutere, ne ad ſuppurarionem perveniant. Hinc nomen *Apoſtemtraut.*

Caput CCVII.

DE SCOLOPENDRIO SEU LINGUA *cervina.*

I. ITA ſcribo, quia eſt diminutivum σκολοπένδριον, ἀπὸ τῆ σκυλόπενδρα, animali *Millepeda* Latinis, quam Dioſcorides deſcribit, & pingit Matthiolus ex Rondeletio *lib.* 2. *cap.* 14. Nec tamen veto, quo minus *ſcolopendria* vocetur. Omnia enim heic licent.

II. Inde denominatam herbam ἄσπληνον vocat idem Dioſcorides *lib.* 3. *cap.* 134. Ita enim ſcribendum eſſe, non ἀσπλήνιον, ratio docet. Idem ἡμιόνιον ait dici, aut, ut eſt cap. ſeq. ἡμιονῖτιν, ubi iterum eſt corrupta vox, σπλήνιον. Idemmet *ejuſdem lib.* 3. *cap.* 105. φυλλῖτιν deſcribit, quam omnes agnoſcunt pro *Lingua cervina* Officinarum.

III. Galenus in cenſu ſimplicium meminit omnium trium, ſuo cujusque loco, ſed valde ſuccinctè. At 5. *Simpl.* 12. figit nobis inſignitam crucem, affirmando *ſcolopendrium* & *aſplenum* eſſe eandem plantam. Hanc attolentes quidam, & *Hemionitida* & *Phyllitida* jungunt. Ego tentavi locum olim. 3. *Var.* 32. & poſtea *Notis in Gal. loc. cit.* Concluſio fuit, quam etiamnum tueor, *Una eademque planta eſt, ſcolopendrium, aſplenum, hemionitis & phyllitis.* Conſenſum habeo Penæ, *Adv. f.* 360. Bauhinus cur tam longè abeat, equidem ignoro. Interim, ſi juxta ſe ponantur herbæ, fatebitur forte ipſus, eſſe varietates tantum unius plantæ.

IV. De facultatibus quæ circumferuntur fabulæ, quibus indignatur Dodonæus, ut re ipſa fabulæ ſunt: ita inſinuant nobis præſtantiam medicamenti. Re enim vera inter de obſtruentia non hepatis tantum, ſed & lienis familiam ducit. Ideo fuiſſe obtectam, credo, tot nominibus, ne ab omnibus agnoſceretur. Vide Galenus 13. *Meth.* 17. 2. *ad Glauconem* 5.

CA-

Caput CCVIII.

De Scordio.

I. ΣΚΟΡΔΙΟΝ, & poëtice σκόρδειον, mea opinione dicitur quaſi σκοροδιον, ut ſit diminutivum ἀπὸ τοῦ σκόροδος, ut λίβανος λιβάνιον.

II. Conſentio Matthiolo, *Triſſaginem* ſeu *Chamædryn paluſtrem* eſſe Officinarum. Quondam utebantur pro illa, *Alliaria* vulgo dicta. Nos non ſolum *vulgare* & *nativum*, ſed & *Creticum* habemus, ut olim Romæ 1. *Antid.* 12. *&* 18. quod fortaſſis montanum eſt, ut quidam *ex lib. de Ther. ad Piſ. ult.* tradunt. Ego enim non invenio.

III. Galenus 8. *Simpl.* tradit, eſſe heterogenearum partium, non amarum tantum & acre, ſed & acerbum, unde intus quidem viſcera aperit & abſtergit; foris autem ſordida ulcera mundificat, &c. Præcipua ejus virtus eſt putredini reſiſtere, 9. *Simpl. cap. de terra Lemn.* Hinc tantus ejus uſus in decoctis ſudoriferis febr. peſtil. Sed & ſine ſudoribus frequentatur *Syr. è ſucco Scordii*, mane & veſperi, ab ℥. ß. ad j.

IV. *Aqua Scordii compoſita* Salii, *lib. de febre peſtil. cap.* 23. ut & Diaſcordium Fracaſtorii 3. *Morb. contag.* 7. uſurpatur in iis individuis, in quibus Theriaca & alia calida locum non habent. Modum utendi habes etiam in noſtro Diſpenſario.

Caput CCIX.

De Scilla.

I. Notum eſt diſcrimen, Scylla ἀπὸ τοῦ σκύλλειν, eſſe marinum monſtrum: Scillam, plantam, de qua acturi ſumus: verum pharmacopœis præſcripta hæc lex non eſt. Notum etiam eſſe poteſt ex ſuperioribus, Scillæ ſpeciem quandam dici, σχῖνον, quæ à veteribus etiam, Cicerone & Plinio confuſa fuerit cum *Lentiſco*. *Scilla* Officinis ſatis nota eſt ex deſcriptionibus Cluſii, Dodonæi, Lobelii, aliorum.

II. Huic tam vicinum eſt *Pancratium*, quod Galenus 8. *Simpl.* ſubſtituit ſcillæ, ut nomina etiam confundantur.

III. Dubium eſt etiam apud quoſdam, ex *Hiacynthisne* petere debeant, an ex *Narciſſis*? Sed expedivit rem peritiſſimus Cluſius 2. *Rar.* 22. cujus veſtigia adoro libens.

IV. Utrumque eſt in numero illorum, quæ pro diverſitate natalium aut me-

dicamenta ſunt, aut alimenta, quale Arum etiam eſt. Meminere eſculentæ hujus Scillæ Theophraſtus 7. *Hiſt.* 11. & Plinius *lib.* 19. *cap.* 5. & Epimeniam vocant (ita enim corrigendam vocem, doceo ibi) & author eſt Coſtæus *in Meſuem*, naſci in Inſulis Cephaloniæ & Cretæ. Quo minus intelligo, quid ſibi Anguillara, cum 7. *Sent.* 43. pro legitima Scilla agnoſcit eſculentam hanc. Eſt legitima, ſed non habet effectus, quos in arte noſtra quærimus.

V. Ii ſunt apud Galenum 8. *Simpl.* valenter incidere, abſque tamen calore, vix ultra 2. gradum. Addit, hoc facere aſſam vel elixam, retuſa ſcil. vehementia ipſius. Hanc tamen difficulter elui, ſi quis pro cibo uti velit, monet 2. *Alim.* 65.

VI. Maximus ejus uſus pro Trochiſc. Scilliticis, qui Theriacam ingrediuntur, pro qua quando ſit vellenda, vide 1. *Antid.* 18. quomodo ſuccus paretur? *Conſil. pro puero Epilept.* quomodo Trochiſci? *Antid.* 6. *&* 9.

VII. Habemus in Officinis duplex *Oxymel. ſcillit.* ſimplex & compoſitum, utrumque Meſue, ad affectus præcipuè pectoris ex pituita craſſa, &c Habemus & *Loch ejusdem duplex*, ſimplex & compoſitum, utrumque ad craſſos & frigidos in pectore humores.

CAPUT CCX.

DE SISARO ET SECACUL.

I. RECIPIO nunc cum Anguillara & Officinis noſtris *Secacul* Serapionis pro *Siſaro* Dioſcoridis & Plinii, quantumvis Matthiolus, Pena, Dodonæus pro *Crithmo ſpinoſo* pugnent. De *Siſaro* quidem pauca Gal. 8. *Simpl.* εὐϛόμαχον εἶται, οὐρητικὸν μετὰ ϛύψεως βραχείας, θερμὸν κατὰ τὴν δευτέραν τάξιν: ſed latet ſub vi diuretica τὸ ἀφροδίσιον. de quo tecte Dodonæus, ſub nomine Hier. Heroldi. In Suevia, ait, præparant mulieres viris ſuis, atque uſum norunt. Ingreditur utrumque Diaſatyrium, de quo ſupra.

II. Ego inter amicos, Tiberii Imperat. factum laudantes, ex Plinio *lib.* 19. *cap.* 5. ſoleo ridere eos, qui ob id tanti faciunt Siſar, quod ille ſingulis annis, ex Germania petiverit, ex caſtro Gelduba, Rheno impoſito. Quærebat incentivum. Si dubitas forte de libidinibus hujus principis, vide ſaltem initium 6. Annal. Taciti, & ibi Comment. Lipſii.

CA-

Caput CCXI.

DE SCHOENANTHO.

I. EX hac ſcriptura Latina apparet, me agnoſcere Græcam originem ἐκ τοῦ σχοίνου ἄνθος, quod tempore etiam Varronis corruptum erat in *Squinanthum*, & uſurpatur vox etiamnum in Officinis. Hippocrati eſt σχοῖνος εὔοσμος ἢ ἡδύοσμος, Græcis poſterioribus ἀρωματικὸς ἢ μυρεψικός.

II. Eum qui hodie in Officinis eſt, legitimum eſſe, credam Matthiolo tum, cum odorem roſæ mihi exhibuerit, quem Dioſcorides deſiderat. Multò firmius, cum facultates, à Galeno 8. *Simpl.* illi tributas, repræſentarit. Accepto plantam Cluſii *in Garz. lib.* 1. *cap.* 34. licèt imperfectam.

Caput CCXII.

DE SEMPERVIVO TRIPLICI.

I. AEIΞΩΟΝ, ἀειθαλλὲς, αἰώνιον, ἀμβροσία, vocabula Græca, eodem tendunt, ad *perpetuum* ſcil. *virorem*: at Sedum Latinum eſſe dicunt ex Plinio. Ego vero ex Attico *Sedum*, quod apud Feſtum eſt, oſtendo, & illud eſſe Græcum.

II. Heic ſtatim controverſia eſt, duo an tria ſint? Nam Dioſcorides duo tantum videtur agnoviſſe, ut & Galenus At Dioſcoridis libros accuſant, quod quæ heic ſcribuntur de vi cauſtica *Illecebræ*, ſcribantur etiam ſupra, *lib.* 2. *cap.* 150. de *Portulaca ſylveſtri.*

I. *SEMPERVIVUM MAJUS.*

III. COnſentiunt omnes, eſſe illud, quod in verticibus domorum ſerunt ruſtici, perſuaſi à fulgure ob id immunes eſſe, unde vocant *Iovis barbam*, *Donnerbart.* Vocatur etiam *craſſula major.*

IV. Hoc frigidum eſſe conſtat, & quidem in 3. gradu: at in ſiccitate, ut Galenus definit 6. *Simpl.* parum poteſt. Adſtringit etiam parum. Ajunt noſtratium quidam, & *expreſſum ſuccum* in Epilepſiis puerorum potui dant, ut alioqui *aquam Alſines ſquamatæ Matthioli*, &c. Alii cum aceto, epithematis loco, regioni hepatis imponunt. Galenus cum Dioſcoride, etiam eryſipelatis foris, quod hodie nemo auſit. *Man ſolls nicht neken.*

II. *SEM-*

II. *SEMPERVIVUM MINUS.*

V. DIcitur etiam *Craſſula minor*, & conſenſus eſt in *Sedum minus teretifolium luteum & album* Bauhini, quod *Vermicularis & Illecebra major* Dividitur in marem & feminam, quarum illam Cluſius voluit, hanc Matthiolus.

VI. Sed perinde eſt, modo non ſit acris, qualis XIII. apud Cluſium. Hujus rei notas quaſdam tradunt: ego vero hanc tibi do, guſta, Debet enim ex ſententia tam Dioſcoridis, quàm Galeni judicio frigida eſſe, eodem, quo prius, gradu. Et hoc deſideratur in unguento populeone.

III. *ILLECEBRA.*

VII. ROmanum eſſe vocabulum poſt Dioſcoridem Plinius teſtatur *lib.* 2. *cap. ult.*

VIII. At vero ut facultates rectè diſtinguit Dioſcorides à ſuperioribus, non frigidam, ſed cauſticam eſſe: ita Plinius malè confundit, cum vim omnium ait eſſe eandem. Eundem errorem errant, qui *Vermicularem* appellant. Imo vero oportet plane abigere, ne vel ſuſpicio ſit confuſionis.

IX. Quo minus probare poſſum factum Bauhini, qui VIII. loco *Sedi minoris* collocans, *Vermiculatum* etiam allinit. Quanto melius Cordus, qui expreſsè demit illi nomen, propter cauſam credo à me dictam! Dioſcorides non tribuit illi facultates alias, præterquam illitu ſanandi ſtrumas. Dodonæus affirmat, ſuccum cum aceto extractum, vomitu curare quartanas febres, aliasque diuturnas. Commendat etiam in venenis, quatenus ſcil. vomitus locum habet.

CAPUT CCXIII.
DE SERPYLLO.

I. A Græco ἕρπυλλον eſſe divi ſupra. Aliquot ſpecies habet Bauhinus, inter quas uſualis eſt IV. ſupra *Pulegium mont.* dictum. Eſt inter calidas ſiccasque herbas, quæ menſes & urinas movent, non diſſimile Pulegio, Satureiæ, & confinibus.

CAPUT CCXIV.
DE SESAMO.

I. SOLITARIA eſt planta, σήσαμον ἢ σησάμη dicta, quemndmodum etiam σησαμὶς ἢ σησάμιον.

II.

II. De hujus ſeminis facultatibus medicis agens Galenus 8. *Simpl.* habere ait viſcidum quid & pingue, adeoque emplaſticum & emolliens: at de facultatibus alimentariis ſcribens 1. *Alim.* 30. pingue eſſe ait, quo ſtomachum ſubvertat, tardè concoquatur, coctumque præbeat alimentum craſſum. Hinc *lib. de Vict. atten.* 5. ſegregat ab eo victus genere.

III. In Ægypto hodie, ut eſt apud Alpinum *de Plant. Ægypt.* 32. & ſemine & oleo frequenter utûntur mulieres illorum, ad craſſe-faciendum potius, quam pingue-faciendum corpus. Vide apud ipſum plura medicamenta etiam ſecreta.

IV. In noſtris Officinis loco etiam ſeminis eſt ſemen *Chamælini* ſeu *Myagri* Lobelii & Dodonæi, *Leindotter* Thuringis meis, quod vix huc quadrat, ſiquidem *Thlaſpi* eſt, quod negat Bauhinus, cum inter *Lini ſylveſtris* ſpecies habet loco V.

V. *Olei* facultates patent ex Galeno.

CAPUT CCXV.

DE SILERE MONTANO.

I. SUPRÀ, cum agerem de *Leviſtico* ſeu *Libyſtico*, ſeu *Liguſtico*, dubitabam de ſemine ejus: nunc διαῤῥήδην dico. Quod ſemen in Officinis dicitur *ſiler montanum*, incerta origine, eſt ſemen *Leviſtici*. Quod ſi forte non ſit, ſed vel *Archangelicæ*, vel *Imperatoriæ*, vel ſimilis plantæ, quid inde mali? Sunt enim iſtæ omnes plantæ calidæ & ſiccæ in 3.

II. Jamque hoc addo corollarium, *Semen Seſel. Maſſil.* de quo etiam ambigitur, eſſe unius ex his plantis. Quid ſi hoc etiam audeam? Si alicubi in uſu ſit *Semen Siſonis* Dioſcoridis, ut eſt, & quidem pro *Amomo*, ut intelligo, *Germanis*; non peccare illum, qui horum aliquid ſubſtituat. Nam & *Siſon.* habet cauſticum quid.

CAPUT CCXVI.

DE SILIQUIS.

I. Aπο τȣ̃ κέρας fit diminutivum κεράτιον, quod ſignificat *lobum* quemdam, hoc eſt *conceptaculum oblongum*, ſemini continendo factum. Quod quia inſigniter eſt in arbore quadam, dicitur illa apud Theophraſtum, κερώνια, &, ut putant, etiam κερατωνία, quæ lobos illos, ſeu ſiliquas carnoſas, ſeu edules habet, quæ olim viliſſimorum hominum cibus erat, & ſuum, ut patet ex ſimilitudine filii prodigi, *Luc.* 15. Apud Dioſcoridem quidem fructus ipſe ſim-

pliciter κεράτιον, ut & arbor apud Galenum κερατωνία, at apud Plinium & Columellam fructus cum additione *Siliqua Græca* dicitur. Apud Galenum 9. κ. τόπ. 5. *Siliqua magna.*

II. In Officinis etiam ſimpliciter aut *ſiliqua dulcis* dicitur, aut *Carobe*, apud Ægyptios hodie *Carub*, vel *Canub*, ut eſt apud Alpinum *lib. de plantis Ægypt.* Hanc arborem merito jungit cum Caſſia fiſtula, de qua ſupra inter purgantia.

III. Galenus 7. *Simpl.* & arbori & fructui tribuit vim ſiccandi & adſtringendi. Seorſim de fructu ait, Recentem quidem ciere alvum: ſiccam autem ſiſtere.

IV. Ægyptii hodie *mel* faciunt ex ſiliquis, cujus uſus in univerſum quidem varius, ut mellis: in ſpecie autem idem præſtat, quod *caſſia extracta*, tam in purgantibus, quam in affectibus pectoris, præſertim catarrhis tenuibus, pro quibus apud nos eſt *Diacodium Montani*, de quo ſupra.

DE SINAPI. Vide ſuprà poſt ERUCAM.

CAPUT CCXVII.

DE SOLANIS.

I. SOLANUM eſt Græcis ϛρύχνος, licet Galenus in T. habeat, & ſine ſibillo pronunciet. Bauhinus ait ſignificare vel *Vitem*, vel *Acinum*, vel tale quod nuſpiam alibi invenio.

II. Apud Dioſcoridem & Galenum 4. ejus ſpecies ſunt; Hortenſe, halicacabum, ſomniferum, & furioſum. Ex his duo priora in Officinis ſunt, quibus à noſtris additur *herbaparis* dicta, quæ eſt *Solanum quadrif. bacciferum.*

I. *SOLANUM HORTENSE.*

III. HOc I. eſt apud Bauhinum. Erat olim edule. Refrigerat & adſtringit in 2. gradu, 8. *Simpl.* refrigerat cum adſtrictione, 2. κ. τόπ. 1. magis refrigerat qnam ullum olus, 2. *Alim.* 29. Uſus apud Dioſcoridem eſt in Eryſipalatis foris. Hoc Dodonæus vehementer improbat, quod repellat.

II. *HALICACABUM*, *ſeu* *ALKEKENGI.*

IV. HOc II. eſt apud Bauhinum. Habet Galenus quoque 8. *Simpl.* de Solano: at 5. κ. γέν. 11. & 13. longe aliam indicat herbam, *Lotum* forte *arborem.* Vide notas in eum locum.

V. In foliis quidem hortenſi ſimilis eſt, inquit Galenus fructu autem cit urinas. Hoc tam notum eſt ruſticis Palatinis, ut totos manipulos geſtent, &

avi-

avidè devorent. Dodonæus amplificat, & reliquis quoque viſceribus accommodat.

VI. Habent alicubi medicamentum compoſitum, διαφυσαλίδος. Ubi moneo, ſi hoc Solanum rectè Veſicaria vertitur, non ob id etiam primum illud. Habet enim fructum racemoſum nudum. *Trochiſci de Alkek.* uſurpantur in renum exulceratione, &c.

III. *HERBA PARIS.*

VII. HOc X. eſt apud Bauhinum. In hoc, ut ſecurum me non facit Tab. *Aconitum ſalutiferum* vocando: ita nec exterrent Cordus & Fuchſius, qui *Aconitum pardalianches.*

VIII. Provoco ad fidam experientiam. Quæ enim habita eſt in *Antidoto Moibani*, quæ poſtea *Saxonica* fuit dicta, nondum eſt talis. Vide deſcriptionem apud Schenkium *in Obſ.* Alius eſt apud Cordum noſtrum Pulvis Saxon. pariter contra peſtem.

CAPUT CCXVIII.

DE STAPHID-AGRIA.

I. ΣΤΑΦΙΣ ἀγρία eſt *Uva-paſſa Sylv.* quia folliculos habet, in quibus ſemina compreſſa inſtar uvæ paſſæ. Ab uſu *pedicularis* ſeu *peduncularia* dicitur, *Leuſscraut*, *Steffes ager.*

II. Vehementer calidam, acrem & cauſticam obtinet facultatem, inquit Galenus 8. *Simpl.* Hinc pro maſticatorio habetur, & *pituitaria* dicitur Plinio *lib.* 23. *cap.* 1. quamvis quidam libri habeant *Pedicularia.* Apud eundem vitium animadvertit Dalecamp. Cum enim Dioſcorides ſcribat, οὖλα τε ῥευματιζόμενα στέλλει, *Gingivas* mutat in *cicatrices*, οὖλα in οὐλάς.

III. Idem confundit cum *uva Taminia*, quæ *Tamus* eſt, ſeu *Bryonia Sylv.* ſupra.

IV. Purgat etiam, ſed cum metu ſtrangulationis, ideo diſiit uſus ipſius. Dioſcorides in id dat gr. xv. Quidam x. tantum habent, M. Vergil. & Goupylus, Med. Pariſ.

Caput CCXIX.

DE STOECHADE UTRAQUE.

I. STœchades Inſulæ tres ſunt in mari Tyrrheno, è regione maſſyliæ, *inquit* Dioſcorides, cum bidui itinere abſint, Pena *Adv. fol.* 184. ubi creſcit *Stœchas Arabica.* Sed & in Gallia Narbonenſi tam frequens eſt, ut ſerviat fornacibus cum Roſmarino & aliis.

II. Hujus neſcio quæ ſimilitudo cum Helichryſo (an ἐλειοχρυσῷ) & Chryſocome Dioſcoridis, ad quam trahitur illa quoque ab Officinis, & *Stoechas citrina* appellatur, cum illa vel ſimpliciter *ſtœchas*, vel corruptè *ſtichas*, corruptius *ſtichados*, vel *ſtœchas Arabica.*

I. *STOECHAS ARABICA.*

III. GAlenus 1. *Simpl.* heterogenearum partium eſſe ait. Compoſita namque eſt ex terrena eſſentia frigida exigua, unde adſtringit: & attenuata altera terrena copioſiore, à qua amara eſt. Ob conjunctionem utramque ab obſtructionibus liberat, extenuat, exſtergit, roborat, tum viſcera, tum habitum totum.

IV. Meſue pituitam & atram bilem purgare ſcribit, ſed jubet abſtinere ab illa bilioſos, ob quam forte cauſam deſiit in uſu eſſe. Apud nos duplex eſt *Syr. de Stœchade*, quorum alter ſimplex, quamvis compoſitus; alter compoſitior. Uterque pro capitali habetur & uſurpatur in nervoſarum partium frigidis affectibus, felici cum ſucceſſu.

II. *STOECHAS CITRINA.*

V. PRimum omnium ſedanda fuerit controverſia, utra ſcriptura ſit melior? Profecto, τὸ ἐλειόχρυσον abſurdum eſt. Quid enim paludi cum auro? Contra τὸ ἡλιόχρυσον Penæ *fol.* 331. acceptabile & ſtœchadi noſtræ amicum.

VI. Quid ſi dicam, Galenum, vitandæ ambiguitatis gratia, contemſiſſe utramque vocem, & accepiſſe τὸν ἀμάραντον, quem Matthiolus etiam ſubſtituit? Sed quid de planta? Matthiolus diſertè reſpuit. Dodonæus etiam cum voce, *Nihil, aut parum convenit.*

VII. Quibus ego permotus, conſentio eidem Dodonæo, *Chryſocomen* potius eſſe, tribuoque illi facultates, non Dioſcoridis tantum, ſed & Galeni. Illæ vero ſunt, heterogenearum partium eſſe perinde ac prior Stœchas. Dat enim illi δριμεῖαν καὶ στύφουσαν δύναμιν. Præpollere vero illam, indicio eſt, quia ad menſes commendat. Hæc eadem an de millefolio dici poſſint, viderit Pena. Commendat ille

ille ad Podagras & maligna ulcera, reprimendo affluentes humores, derivando ad urinas &c.

Caput CCXX.

DE STYRACE.

I. SIc enim temerat Pharmacopolarum inſcita inſcitia *Styracem* Græcorum. Eſt autem στύραξ ἢ στυράκιον in haſta ὁ σαυρωτὴρ, *imus aculeus*, *qui terræ infigitur*, ut firmior ſit ambulantis greſſus. Qui quomodo translatus ſit ad plantam, equidem neſcio. Quod Pena dicit *Adv. fol.* 429. improbabile mihi eſt. Quod de νάρθηκι καὶ καλάμῳ, ex Theophraſto 9. *Hiſt.* 16. nondum vidi accommodatum.

II. Styracis natura apud Dioſcoridem & Galenum ſimplex eſt: apud Serapionem *Simpl. cap.* 46. *Liquidus & ſiccus* in Officinis pariter, ut habet Bauhinus *in Pinace*, qui tamen *in Matthiolum*, triplicem fecerat, *Calamiten*, *liquidum & rubrum*: explicat ſe, quod ruber ſit cortex quidam. Quæ Hermolaus *in Cor.* habet nomina, nullius ſunt uſus.

III. Dignum conſideratione eſt, ſitne omnis Styrax ex una arbore, an vero ex diverſis? Ubi unum eſt gummi, ut apud Dioſcoridem, res facilis eſt: at in Officinis jure ambigitur. In Italia & alibi frequens eſt arbor ex Syria delata, & pingunt Botanici noſtri: verum nihil ex illa fluit. Ex Syriaca igitur eſſe illum, qui *ſiccus* dicitur, credibile eſt: unde vero, qui liquidus? Alieniſſimus ſum à Matthiolo & Bauhino, qui *Myrrham ſtacten* eſſe volunt. 1. Syriæ propria eſt hæc arbor, adeo ut Perſæ, qui olim in Syriam aromata vehebant, retulerint Styracem, ut eſt apud Plinium *lib.* 12. *cap.* 16. 2. Sed unde Perſæ habebant? Proculdubio ex remotiſſimis Arabiæ deſertis, ad quæ peregrinatorum noſtrorum nemo dum pervenit, authore Garzia, *ſupra in Myrrha*, nedum ſtultiſſimus Thevetus, ut Caſaubonus illum deſcribit *in Epiſt.* 3. *Stacten* deſcribit Cordus 4. *Hiſt.* 83. ſed longe aliis notis, nec ſtyraci ullus ibi locus, licet arborem pingat.

IV. Relicto igitur dubio iſto ſtyrace, affero ex Dioſcoride *lib.* 1. *cap.* 74. notas certi & præſtantiſſimi ſtyracis. Διαφέρει, inquit, ὁ ξανθὸς, καὶ λιπαρὸς ῥητινώδης, θρόμβοις ἔχων ὑπολεύκοις, ἐπιδιαμένος τῇ εὐωδίᾳ ὡς ὅτι πλεῖστον, καὶ ἐν τῷ μαλάσσεσθαι ανεὶς ὑγρασίαν τινὰ μελιτώδη. Hæc Plinius *lib.* 12. *cap.* 25. ita vertit, *Color in quacunque natione* (Piſidia &c.) *præfertur ruffus & pinguiter lentus: deterior furfuroſus & cano ſitu obductus.* His addo Galeni teſtimonium. Styrax debet eſſe *Pallidiſſimus. Nam & ſaporem & odorem habet præſtantiſſimum?* 1. *Antid.* 14.

V. De facultatibus idem. Styracis eſt calefacere, emollire, & concoquere. Utimur in defluxionibus, in menſibus movendis, 8. *Simpl.* Omnis emollit, ſed potentiſſime pallidus. Quo enim nigrior, eo deterior, 7. κ. γέν. 3. Copioſe ſumptus,

tus, ſomnos turbulentos facit, 2. κ. τόπ. 1. quantitate venenum eſt, 5. *Simpl.* 19. Et hoc eſt, quod ſupra in Croco, Myrrha & aliis, ex Cæſalpino dixi, de vi ipſius ſomnifica. Styrax eſt calidus in 3. ſiccus in 1. Avicennæ in principio 3. ſed ſiccitas eſt minor, Serapioni.

SYMPHYTUM, Vide CONSOLIDAS.

CAPUT CCXXI.

DE TACAMAHACA.

I. EX nova Hiſpania, Americæ provincia, affertur gummi hujus nominis, colore galbani, unguibus albis Ammoniaci inſtar, odore gravi, ſapore non valde jucundo, ut Monardis ſcribit, *Simpl. cap.* 2. ubi ait, eſſe qui legitimi Galbani loco habeant.

II. Adeò celebre ibi medicamentum eſt, ut plebs ad qualemcumque dolorem remedium aliud non quærat, præterquam in inflammationibus propriè dictis, in quarum tamen declinatione ſuas partes habet. Calida eſt initio 3. gradus, ſicca in 2. Non tantum diſcutit, ſed & adſtringit. Roborando ventriculo imprimis expetitur, humores undecumque fluentes intercipit, ſiccando abſumit, &c. Nervis amica valde eſt, eorumque vulnera curat ſine metu convulſionis. In podagra, in iſchiade, in deſtillationibus ad quamcumque partem emplaſtri modo impoſita, egregiè facit in affectibus uterinis, præſentaneum auxilium inde petunt Indæ mulieres.

CAPUT CCXXII.

DE TAMARISCO.

I. TAMARIX, videtur Germanicæ originis eſſe, ut *Larix*, Hinc Tamariſcus, Græcis eſt μυρίκη unde Virgilius celebrat *humiles Myricas* Apud Nicandrum corripitur media. Frutex eſt potius quam arbor, tam intra Germaniam ad ripas Rheni, Danubiique, quam extra illam.

II. Facultatem Galenus 7. *Simpl.* diligenter deſcribit, præcipuè autem tribuit illi vim abſtergendi, & incidendi, non ſine adſtrictione. Unde intelligas cur Practici utantur & cortice, & ſcobe ligni; in obſtructione viſcerum, præcipuè lienis. Antiquum eſt ex ligno fieri pocula, è quibus lienoſi bibant. Hic mos etiamnum durat. At cum frutex ſit, ex aſſulis concinnant Rhenenſes noſtri doliola, ſemiſextarii capacia, quæ Francofurti publice veneunt.

III.

III. Hoc peculiare habet, quod gallam fert inſtar quercus, quæ egregiam in adſtringendo laudem habet, etiam apud Galenum. Hanc *Gallam* eſſe, id eſt excrementum potius quam nucem, duo perſuaſerint, 1. quia non unius figuræ. 2. quia nullum ſemen intus. Vide Alpinum *de plant. Ægypt.* 9. ubi refutat fabulam Plinianam, ſues carere liene, ſi ex Tamariſceo vaſe cibum ceperint. Quod ne mireris, ſcito, arborem ibi eſſe vaſtiſſimam, ex qua carbones fiunt. In Hiſpania etiam craſſiſſimas eſſe Cluſius teſtatur 5. *Rar.* 27.

CAPUT CCXXIII.

DE TANACETO.

I. VERISIMILITER Bauhinus deducit à *Tannaco*; quomodo *Parthenium* vocatum fuiſſe olim, tradit Plinius. Hinc alia pendet veriſimilitudo, eſſe παρθένιον σμικρόφυλλον Hippocratis. *Parthenium* immediatè jungit Bauhinus, & ita cognationem oſtendit: at Pena *Adv.* 334. Millefoliis vellet junctum. Prout ſtabilietur hoc illudve: ita ſtatuetur de facultatibus.

II. Quicquid erit, diſtinguendum eſt inter odorum & inodorum, quod Bauhinus diligenter facit. Odorum, quia cum amarore valde ferit nares, calidum & ſiccum proculdubio eſt usque ad 3. gr.

III. Noſtri ſemine utuntur feliciter in excutiendis lumbricis, & ideo *Wurmcraut* vocant. Dodonæus peculiariter commendat prima folia in placenta, ut abſinth. & hederæ terreſtr. &c. ad expurgandum ventriculum. Quid poſſit in viſcerum expeditione, præſertim in urinæ promotione, ex ſuperioribus apertum eſt.

CAPUT CCXXIV.

DE THAPSIA.

I. DICTAM eſſe à *Thapſo* inſula, author eſt Dioſcorides. Sed ubi illa locorum eſt? Pena inter *Sporadas* collocat in mari Carpathio, in quarum catalogo non invenio: invenio autem in Mediterraneo, non procul. Sicilia.

II. Eſt planta ferulacea, quæ apud Bauhinum differentias ſortitur ex foliorum diverſitate, quæ vel Seſeleos ſunt, vel Carottæ, vel Fœniculi. Galenus 6. *Simpl.* pro cauſtico declarat, in phœnigmis uſurpando. Sed duo monet. 1. Tardè agere, ob humiditatem excrementitiam. 2. Recentiſſima eſſe utendum. Ut enim ſe explicat 1. κ. τόπ. 1. non durat ultra annum, imo bimula planè inutilis eſt, 3. κ. γέν. 2.

III.

III. In hunc uſum quomodo præparanda ſit, docet eodem 1. κ. τόπ.

IV. Succedaneum ejus eſt, & quidem eodem pondere ſemen, vel naſturtii, vel erucæ, eidem *in dc* κ. τόπ.

V. Interiori uſu venenum eſt tota ſubſtantia, ſ. *Simpl.* 19. quo magis laudandi ſunt qui Arabas ſequi nolunt, inter purgantia recenſentes. Qua voce damnantur ij. etiam, qui pro *Turbit* vel albo vel nigro utuntur. Multò vero magis, qui pro *Coſto* ex Gargano Apuliæ monte.

CAPUT CCXXV.

DE THLASPI.

I. ESſe ἀπὸ τῦ θλᾶν etiam Galenus indicat 1. *Antid.* 14. Feciſſe Græcos in genitivo, non θλάσπεως, ſed θλασπίδος indicio ſit diminutivum θλασπίδιον, quod idem eſſe cum primitivo ſæpè dixi. θλασπόσιος apud Hippocratem corruptum eſſe credo Foëſio.

II. Ingreditur hoc ſemen Theriacam. Sed quod ſumendum eſt, è tot congeneribus apud Bauhinum? IV. ex arvenſibus, quod eſt *Vaccariæ* folio. De hoc dicit Gal. 6. *Simpl.* adeo acre eſſe, ut menſes moveat. Item vacuare humores per ſuperiora & inferiora.

CAPUT CCXXVI.

DE THURE ET MANNA THURIS.

I. THus ἀπὸ τῦ θύειν dici credo. Alioqui ſubſtantiale nomen eſt λίβανος (quod nihil commune habet cum monte Libano, & corrumpitur vulgò in olibanum) ἢ λιβάνιον & λιβανωτὸς, quamvis interrogatus, quid ſit τῦ λιβανώτυ καρπὸς apud Hippocratem id neſciam, niſi forte tum temporis etiam afferebatur fructus arboris thuriferæ. Ita neſcio, quid ſit *Cortex thuris* in Officinis *Tigname* dictus, aut *Thymiama*, quo Judæi in ſuis ſacrificiis utuntur. Apud Plautum *in Aulular.* eſt diminutivum *Thuſculum*, ut ibi ſcribitur. Quibuſdam eſt *Narcaphtum* ſeu *Naſcaphthum* Dioſcoridis.

II. Verum, ut ad thus redeam, multas ejus differentias commenti ſunt olim mercatores, ut pluris venderent, quod à multis emebatur. Ideo in nominibus barbaris, quorum ſex vel plura ſunt, occupatus non ero: loquor autem de una, quæ & Græca eſt, & uſum habet in Medicina.

III. Thus σαγονίας (non σαγωνίας) dicitur, quod in naturali ſuo ſtatu eſt, hoc

eſt,

eſt, quod in *guttis* ſeu *ſtillis* ſuis rotundis eſt, ut cecidit, ἄτομον, ἢ ἄτμητον, ἄνευ τομῆς ἢ τμήσεως, Ubi ex hiſtoria tenendum eſt, ſolitos fuiſſe majores maſſas ſecare in formas quadrangulares, & in fictilibus tamdiu verſare, & concutere, usque dum fieret rotundum.

IV. Hoc ἄῤῥενα, *maſculum* vocabant, neſcio quam ob cauſam. Nam quæ dicit Plin. *lib.* 12. *cap.* 14. non arrident.

V. Cæterùm, qui ex concuſſu fiebat pulvis, aut alioqui in vectura & agitatione contingebat, illum μάνναν ἢ μάννιον appellabant, quæ voces ſæpè occurrunt in libro Galeni *de Compoſ. med.* Hanc 4. κ. τόπ. 4. vocat ὑπόσεισμα τȣ̃ ὑποτεθριμμένȣ κατὰ μεγάλα φορτία λιβάνȣ. Et 15. *Meth.* 5. ὑπόσεισμα ſolum, ubi Linacer *purgamentum* vertit, haud commodè.

VI. De arbore *Thuris* dicendum mihi eſſe video, quod ſupra de Myrrha, neque veterum quenquam, neque noſtrorum penetraſſe in vaſtas illas ſolitudines Arabicas, quæ *Thus* dant. Hinc Plinius *loc. cit.* alia ex aliis authoribus affert. Quin non magis fidem habeo illis Luſitanis, de quibus Garzias *lib.* 1. *cap.* 6. quam egregio Theueto, qui fingit ſe adſtare arbori.

VII. Suſpectum etiam eſt folium thuris, quod Pena pingit, *Adv. f.* 430. adeo ab omnibus aliis diſcrepat foliis. Accedit, quod Plinius ſcribit, virgam thuream, Romam allatam à legatis Arabicis, folia habuiſſe laurina.

VIII. Porro, Dioſcorides de *Thure maſculo* ſcribit, ἄτομον, eſſe λευκόν τε, καὶ θλασθέντα ἔνδοθεν λιπαρὸν, ἐπιθυμιαθέντα δὲ ταχέως ἐκκαιόμενον, *Integrum eſſe album, confectum autem intus pingue, accenſum ſubito conflagrans.* Addit, tempore fieri ὑπόκιῤῥον, *flaveſcere.*

IX. Quia πολύχρηστον eſt, oportet diſtinctè agere de facultatibus. Calidum eſt in 2. & ſiccum 1. 7. *Simpl.* mediocriter calidum eſt, 4. κ. τόπ. κ. γέν. 2. moderatè calet & ſiccat adeo, ut quædam corpora non ſiccet, 2. *Meth.* 3. eſt Sarcoticum, ſed non in omnibus 4 κ γέν. 5. & 6. 6. κ. γέν. 6. in ſolis temperatis id facit, 5. κ. γέν. 2. ſiccat ſine morſu, 2. *Art.* 52. Id vero facit pinguius: at flavius validè, 13. *Meth.* 5. concoquit & dolorem mitigat & lenit, 5. κ. γέν. 2. 4. κ. τόπ. 4. concoquit & digerit, 6. κ. γέν. 8.

X. Sed adſtringitne? Galenus id ait 1. *Simpl.* ſed addit *paululum & in primis album.* Adſtrictione laudat Dioſcorides. In India Medici, qui ſunt Empirici meri, ad alvi profluvia utuntur; Garzias contrà, nullam adſtringendi vim habet, 13. *Meth.* 5. Diſtingue: Manna magis adſtringit quàm thus, ob admiſtum corticem, 5. *Meth.* 4. & 5. Dico amplius, manna, quæ fit artificio, cum maſculum fit, minus habet adſtrictionis, quæ corticem non habet. Cum aloë mirificè ſanguinem ſiſtit, 5. *Meth.* 4. Habet etiam vim abſterſoriam, ſed exiguam, 4. κ. τόπ. 4. Habet emolliens quid, 7. κ. τόπ. 3 quia habet ſubſtantiam emplaſticam, præcipue id, quod pinguius & reſinoſius, quod ipſum mollius eſt, & albidus, quod

 man-

manſum, ritu aloës, partes ſuas cohærentes defendit 4. *Meth.* 4. Interiori uſu verum eſt, quod 2. κ. τόπ. 1. eſt in capitis affectibus uſurpari non poſſe. De ratione ex Dioſcoride, quia maniam facit: quin, eodem authore, in eadem doſi, cum vino datum interficit.

XI. Avicenna ſcribit, in depravatis ſenſibus, & abolita memoria opem præſtare. Qua in re errorem agnoſcit Matthiolus. Revera totum id, quo officit, conſiſtit in humiditate excrementitia, qua ſoporiferum eſt, de qua jam toties ex Cæſalpino. An coquebant propterea veteres 7. κ. γέν. 3. urebant? 1. κ. τόπ. κ. γέν. 13. An hoc eſt *thus confectum?* 1. κ. τόπ. 1. Non: eſt *nutritum in aceto* acerrimo, ut hodie loquimur. Meminit uſtionis, & toſtionis etiam Dioſcorides.

XII. Monet alicubi Galenus, in compoſitionibus, quæ ad ignem fiunt, addendum eſſe tum denique cum tolluntur. Coqui enim non vult, ut Myrrha & aloë. Habemus in Officinis *Conf.* ſeu *Morſellos de thure*, ad exſiccandos catarrhos manifeſtè utiles. Diaolibanu Nicol. vel Actuarii, ut præſcribit Cordus, experientiam non habeo, ut & *Sief de Thure* Rhaſis.

CAPUT CCXXVII.

DE TILIA.

I. GRæcis eſt φιλύρη, à qua diſtinguenda eſt φιλυρέα, non φιλλυρέα. Duplex eſt, *Mas* & *femina*, quarum illam florere negant: hæc denſis & odoratiſſimis ſtipata floribus eſt, è quibus *aqua* deſtillatur *capitalis*. Capitalis etiam eſt *Conf. florum*.

DE TORMENTILLA, REDI AD Pentaphyllum.

CAPUT CCXXVIII.

DE TRAGACANTHA, EJUSQUE *gummi.*

I. ΤΡΑΓΑΚΑΝΤΑ, *hirci-ſpina*, nota eſt Botanicis herba, ex Gallia Narbonenſi petita. Notius eſt Officinis *gummi* cognomine.

II. De cujus facultatibus Galenus 8. *Simpl.* breviter, *ſimilem habere cum Gummi ſubſtantiam*, *ſcil. emplaſticam*, καὶ δριμύτητος ἀμβλυωτικὸν, *&* *acrimoniæ adverſantem.* Sic enim & legendum & vertendum eſt. Quare uſus ejus in catarrhis acribus, ad pectus præcipuè, & in exulcerationibus locorum urinariorum. His af-

affectibus deſtinatum eſt in Officinis *Diatragacanthum frigidum.* Nicolai, cui addimus *Bolum Armenum*, ſicubi ſiccare magis volumus. In affectibus frigidis proſtat *Diatragacanthum calidum* ejusdem Nicolai prodeſt etiam ventriculo frigido. Servit etiam uniendis ſpeciebus ſublingualium trochiſcorum.

CAPUT CCXXIX.

DE TRIFOLIO, EJUSQUE SPECIEBUS.

I. ΤΡΙΦΥΛΛΟΝ, *trifolium*, quintuplex eſt in Officinis, de quibus ordine, à Bauhino collocatæ ſunt.

I. TRIFOLIUM BITUMINOSUM.

II. NOn poſſum heic occulere cogitationes meas, Dioſcoridem *lib.* 3. *cap.* 16. & corruptum & mutilem eſſe. *Corruptum*: quod ab initio proponat non unius trifolii ſpecies, ſed quatuor. *Mutilum*: quod ultimum ἀσφάλτειον, primo loco explicat, & id quidem ſolum. In eadem culpa videri eſſe Galenum, cum omiſſo Trifolio ſimpliciter dicto, quod eſt *pratenſe* noſtrum, *album* & *rubrum*, ſtatim ponit *bituminoſum*, ne addito quidem cognomine, & verbo tactis tantum reliquis duobus.

II. Cæterum, qui in facultatibus ſolent θαυματουργεῖν, *Tanti eſt*, inquiunt, *hoc Trifolium, ut Theriacæ olim adhiberetur.* Cui? quæro ego. Certe non Andromachi. Hactenus non niſi unum locum inveni, 2. *Antid.* 16. ubi Theriacæ, qua Marcus Imper. utebatur, inditum fuiſſe trifolium ſcribit, quod plurimum bitumen redolet. Heic quid eſt *plurimum*? Falſarium eſt, & ab Interprete intruſum. An voluit exprimere illud, *In recens natu planta* (ἄρτι φυομένων) *eſſe odorem rutæ*: *in adulta demum bituminis*?

III. Ubi obiter hoc noto, *lib. de Præcogn. ad Poſth.* eſſe, Marcum uſum fuiſſe Theriaca Andromachi. *Ergone* hoc quoque argumenti eſt librum *de Antid.* non eſſe Galeni?

IV. His veteratoribus quodammodo ſimiles ſunt illi, *Non creſcit neque in ſuperiori, neque in inferiori Germania.* Ego vero à commilitone Weſtphalo in Italia habeo, ad Lupiæ ripas abundare, adeoque victitare inde Caſtoras ſeu Fibros, ut inde dicatur *Bibercrautt.*

V. Sed veniamus tandem ad facultates, Galenus *loc. cit. Simpl.* ait, calidum & ſiccum eſſe, propter bitumen, cui vicinum ſit odore in 3. utrinque genere, adeoque dolores laterum (intelligo de hepate) juvare, urinas movere & menſes. Vide experimenta Dioſcoridis.

II. *TRIFOLIUM ACETOSUM.*

VI. Οξυτρίφυλλον eſt Dioſcoridi & Galeno, *Oxys* ſimpliciter Plinio. Tu vide, ne confundas cum *Oxalide*, ſupra in lapatis. Barbaris *Alleluja* dicitur. Inde eſt *Luiula* Fracaſtorii. Dicitur etiam *panis cuculi*, quia oſtendit ſe quo tempore ille prodit è latebris hyemalibus.

VII. Vulgare eſt flore albo. Præter id eſt aliud flore luteo, è quo cornicula fiunt, in quibus ſemina. Eſt quidem frigida & ſicca, ſed quomodo acetoſa alia, ipſa etiam Oxalis.

III. *TRIFOLIUM HEPATICUM.*

VIII. Dicitur & *Hepatica* ſimpliciter, & *Hepatica nobilis*, quod hepati excandefacto refrigerando & ſiccando cum aliqua adſtrictione egregiè ſuccurrat. Hinc *aureum* etiam dicitur, non à floris colore, qui hactenus talis viſus non eſt.

IX. Eſt autem flore vel *cæruleo*, vel *rubro*. A quo poſt inductus, jam olim apud veteres μινιανθὲς ſcribo, à *minio*, ut deleatur memoria *Menſifloræ* Gazæ, quæ in rerum natura non eſt. Dicitur & *Herba Trinitatis* & Trias. Creſcit & apud nos in vicino comitatu *Pierbaum*.

IV. *LOTUS SYLVESTRIS.*

X. Diligenti heic opus eſt cura. Apud enim Dioſcoridem *lib*. 1. *cap*. 133. eſt *Lotus arbor*, & rurſus *lib* 4. *cap*. 106. & 7. eſt *Lotus herba*, eaque vel *urbana*, vel *ſylveſtris*. Hanc poſteriorem heic inquirimus. Apud Bauhinum negatur quidem mihi Sylveſtris natura, ſed ſatis eſt mihi in re arbitraria authoritas Matthioli. Eſt apud Bauhinum VI. *Lotus hortenſis odora*, omnino illa, quam noſtri vocant *Siebengezeit*, quod credatur ſepties de die mutare odorem Suſpendunt in Thuringa in domibus, creduntque, & ſe, & ſocia animalia fore ita tuta ab omni maleficio.

XI. Mihi odor penetrantiſſimus, non ſine aromaticitate, perſuadet calidam & ſiccam eſſe hanc lotum in 2. gradu completo, cum magna partium tenuitate, non ſine craſſitie aliqua, unde illi abſterſio valida. Hinc æſtimarit quis, quid poſſit in expeditione viſcerum.

V. MELILOTUS.

XII. IN Officinis quatuor ſunt plantæ, ſed in diverſis locis, quibus hoc nomen tribuitur. Alicubi eſt *Lotus jam dicta*. Alicubi eſt *Melilotus* I. Bauhini, quæ eſt *Lotus urbana* Matthioli, *Melilotus German.* Lobelii & Dodonæi Alicubi eſt *Melilotus* II. Bauhini, *Italica* Lobelii & Dodonæi, cui & *Trifolium* cor-

corniculatum. II. Alicubi tandem *Lotus* I. Bauhini, quam & *Melilotum pentaphyllam* vocat, *Melilotus coronaria* Lobelii.

XIII. Mihi placet ſecundo loco poſita, quæ eſt *Trifolium odoratum* catalogi noſtri, flore albo & luteo. Huic facultates tribuo à Matthiolo ſcriptas *in Dioſcoridem*, quod in primis qualitatibus ſit parum ultrâ temperiem, ideoque non niſi leniter reſolvat, digerat, molliat, dolores ſedet.

XIV. Diſtinctiùs Galenus 7, *Simpl. Miſtæ eſſe facultatis, habere quidem adſtringens, quid, ſed & digerere & concoquere. Copioſior enim*, inquit, *ſubſtantia calida, quàm frigida eſt.*

XV. *Emplaſtrum de Meliloto* Meſue egregium anodynum, diſcutiendo non flatus tantùm, ſed & frigidam, craſſamque materiam in tumoribus externis, nec non hepatis, lienisque. Chirurgi ſeorſim ſervant ſpecies, quas in aceto coctas, cataplaſmatis modo imponunt doloribus à lue venerea, ſcorbuticis, & aliis.

VI. *FOENUGRÆCUM.*

XVI. HOc accenſeo *Trifoliis*, quamvis Bauhinus nolit. Græcis τῆλις & βȣ́κερας ἢ βȣ́κερως, non autem βȣ́κερος, quamvis aliàs omnia heic liceant. Ita αἰγόκερως καὶ αἰγόκερως.

XVII. Planta omnibus nota, etiam Latino nomine.

XVIII. Galenus 8. *Simpl.* Calidum eſſe ait in 2. ſiccum in 1. Hinc fieri ait, cur in magnis inflammationibus exacerbet potiùs malum, quàm juvet. Locus igitur ei in mediocribus tantùm. Hinc 1. κ. τόπ. 8. diſcutit, & calefacit, ſed non vehementer. Decoctum emollit, præſertim cum ſuo ſemine, & in pingui aliquo, 7. κ. γέν. 3. Seminis farina eſt tepidi caloris, 3. *Simpl.* 11. Succus in affectibus oculorum eſt ſimilis albumini ovorum, præterquam quod ſimul diſcutit, & calefacit, 4 κ. τόπ. 1. abſtergit etiam *Ibid.* Herba erat olim edulis, 1. *Alim.* 24. Sed non dat bonum alimentum, *de Cibis* 7. caput tentat, *Vict. atten.* 7.

Caput CCXXX.

DE TRITICO, ALIISQUE *Cerealibus.*

GEnerale vocabulum eſt *Frumentum*, σῖτος, & eſt, ut Varro definit, *quod culmum emittit*, ſive ut Servius, *ariſtam.* Sed definitio eſt anguſtior. Non enim comprehendit Avenam, Milium, Panicum, Sorghi, quæ ſemina gerunt in panniculis, quæ φόβαι ſunt Græcis, & degeneravit vox in *Lobæ*, apud Calepinum: item ἀνθῆλαι, præcipuè in arundinum genere.

II. Heic ego proteſtor, nolle me ingredi diſputationes veterum ſubtiliores, quàm utiliores de frumentorum appellationibus: ſed obiter tantùm attacturum, ſi quæ apud Galenum occurrent, ad meum propoſitum pertinentia. Si quis aliter ſentiat poteſt deſiderium ſuum explerere ex Jul. Alexandrini Salubrium libris ex Dodonæo, Pena, Bauhino, aliis. Ita nihil me facturum de factitiis quibusdam farre, halicâ, trago, &c. quod pertineant ad vetera deperdita Pancirolli.

I. *TRITICUM.*

III. GRæcis πυρὸς, ὁ, *Weiken.* Hoc, ut *medicamentum* conſideratum, calidum eſt in 1. gradu, ſed poteſt refrigare intensè calida. Ideò apud nos in eryſipelatis imponitur *farina triticea.* Ejusdem in cataplaſmatis uſus eſt, cum ſuppurationem molimur inflammationum. Ut *alimentum*, vel in panis formâ, vel in pultis uſurpatur. Quo modo, quia habet lentoris quid, obſtruentisque naturæ, ut Interpres Galeni loquitur, 8. *Simpl.* oportet in pane corrigere, vel ſale, vel fermento, vel utroque.

IV. Ubi ego moneo quosdam parum cautos, quantumvis rectè curetur hoc! ſi etiam coctura habeat benè: tamen non prohiberi, quo minus obſtruat, præſertim in otioſis. Hoc videmus in virgunculis, quibus menſes inſtant, in ſtudioſis, in omnibus, quibus exercitia deſunt.

V. Facit id autem facilius panis puriſſimus. Furfures enim abſtergunt. Hinc maximus Crato, referente Scherbio, qui domeſticus ejus fuerat, cum tota ſeptimana in menſa comederet album panem, die Veneris, cum piſcibus, ſumebat panem domeſticum propter abſterſionem.

VI. Triticum, in aqua coctum, non eſt cibus humanus. Atqui Holſati ita comedunt? Fuit quidam è noſtro ordine, qui impunè id auſus eſt, ob conſuetudinem. Sed ancilla inſueta intra paucos menſes hydropica facta exſpiravit.

II. *ZEA, SIVE SPELTA.*

VII. ZEία aut ζειὰ, *Dinckel*, Romanis olim per excellentiam *Semen*, ut eſt apud Plinium *l.* 18. *c.* 8. Hinc Gaza apud Theophraſtum *Semen* vertit, non ſine obſcuritate.

VIII. Eſt duplex apud Dioſcoridem, ἁπλῆ ἢ μονόκοκκος καὶ δίκοκκος.

IX. Galenus 6. *Simpl.* mediæ naturæ facit inter triticum & hordeum, qua in re deſero illum. Facit enim panem albiſſimum & ſapidiſſimum. Qua de re quicquid ſit, conjecto inde ζειόπυρον idem eſſe cum ſimplici ζεία. Ex hac fit *Amylum* dictum in Officinis, ex quo argumentum capio eſſe longè viſcidius tritico.

III.

III. *HORDEUM.*

X. Κριθὴ aut Poëticè κρῖ *Gerſten*, & duplex, δίςιχον, quod nobis *Sommergerſten*; & πολύςιχον, *Wintergerſten*.

XI. Hoc præſtantius dare alimentum tritico & zea probare volunt ex Plinio *l.* 18. *c.* 7. ſed eſt imperitia antiquitatis. *Hordearii* enim vel *milites* vel *gladiatores* eo ipſo erant infames, quod daretur eis hordeum, ut deduxi in Poſt-Curis.

XII. Galenus 6.*Simpl.hordeum* facit frigidum & ſiccum in 1. gradu. De frigiditate id ipſum dicitur 1. *Acut.* 30.ſ. *in 6. Epid.* 33. 1. *Alim.* 9. 3. κ γέν. 2. Quæ loca oppono uni illi *de Vict. atten. c.* 6. & 7. cum ait: *Solum inter frumentacea locum habere in victu attenuante.* Quo modo, ſi frigidum eſt? Corrigitur elixatione & ſale. Oppono enim experientiam, quæ docet, cùm menſes, vel inſtant, vel jam fluunt, damnoſum eſſe, credo, propter flatuoſum, quod habet etiam cocta ptiſana. Ex eo optima Cerevíſia.

IV. *ORYZA.*

XIII. Ὄρυζα vel ὄρυζον eſt *Rieſs oder Reiſs*, hordeo ſimilis & facultatibus, & forma, niſi quod adſtrictorium quid habet. Quo magis fugiunt illam menſtruatæ. Vide Galenum *in de Alim.*

V. *SECALE, SEU ROGGA.*

XIV. CAlepinus jubet producere mediam, neſcio quàm rectè: *Roggen* eſt Germanis. In Norica vocant *Korn*, & præferunt in panificio, quod firmius det alimentum.

VI. *AVENA.*

XV. VT βρόμος & βρῶμος ſcribitur: ſed vereor ne alterutrum ſit Poëticum.

XVI. Ut *medicamentum* uſurpata hordeo ſimilis eſt, digerit, & ſiccat ſine morſu, nonnihil etiam adſtringit, 6. *Simpl.* Ut *alimentum*, eſt jumentorum potius quam hominum, 1. *Alim.* 14. ubi videris, quale ex illa alimentum. Noſtratium plerique abhorrent *van der Habergriſs*, ne parum benevolos habeant equos. Utuntur in febribus, ad ſomni etiam conciliationem. Valde petit caput.

VII. *FRUMENTUM SARACENICUM.*

VII. ITa appellatur, quod ex Aſia (non Africa) durante Chriſtianorum bello Saracenico, ad nos venerit. Bellonius in Epiro & Cilicia vidit ſatum.

Qui-

Quidam (inter quos Bauhinus) *Eryſimum alt. Theophr.* eſſe volunt: ſed non eſt. Alii *Ocimum Varronis & Plinii* : quos refutat Dodonæus. Ipſe, quia deſperavit de veteri nomenclatura, fingit novum nomen, φηγόπυρον, *triticum faginum*, à ſeminibus triquetris, faginæ glandi ſimilibus formâ, non colore aut magnitudine. De pane ex illo facto, ait, humidum eſſe, & alimentum afferre exiguum quidem, non tamen malum.

VIII. *SORGHI.*

XVIII. **F***Arris* ſpeciem eſſe dixerunt quidam: probabilius Dodonæus, qui *Milij*. Vidi & guſtavi panem ex eo factum, qui & friabilis & retorridus eſt. Ut ſæpè miſertus ſim ruſticorum, qui coguntur edere.

CAPUT CCXXXI.

DE TUSSILAGINE UTRAQUE.

I. **I**Ta loquor. Absque enim tergiverſatione *Tuſſilagini minori*, ſeu *Vingulæ caballina* Officinarum jungo, & pro ſpecie ejus habeo *Petaſiten* Dioſcoridis, propter cauſam manifeſtam. Utraque primum flores emittit ſeorſim, ſeorſim folia, magnitudine tantum diſſidentia.

I. *TUSSILAGO.*

II. **I**N Officinis dicitur ſimpliciter, quæ *minor* debebat. In has penetravit ſe etiam vetus *farfara*, quod tamen varie ſcribitur, ut eſt apud Taubmannum *in Pœnulo, ſcil. Dl. illum*, ubi vide. Vox eſt detorta ad Græcum βήχιον, quod Bechium eſt Latinis Dicitur etiam χαμαιλεύκη, quod folium extrinſecus albeſcat, inſtar populi albæ, de qua nuper.

III. Uſurpabant veteres fumum foliorum ſiccorum ad rupturam abſceſſuum in pectore. Nos habemus *Syrupum* ſimplicem *ex ſucco foliorum viridium*, ad incraſſationem tenuium catarrhorum. Habemus & *Loch. Tuſſilaginis*, eodem ſcopo. Galenus utitur iisdem viridibus foliis, in incipientibus inflammationibus, quas ob aqueam humiditatem refrigerat. Noſtrum vulgus *Eyterzicch* vocat, & imponit ulceribus, quæ περιμαδηρά vocat Hippocrates. His verò ſicca folia non conveniunt, quia acriora *Conſerva* eſt pectoralis.

II. *PETASITES.*

IV. **A** Foliorum amplitudine ita dicitur. Eſt locus non procul opido ex adverſo cœnobii Gnadenkergici, ultra Nigrum fluvium, ubi folia excreſcunt in humanam altitudinem, ut quaſi inter arbores ambules. Dodonæus refutat neſcio quem, qui petaſiten eſſe hanc plantam negarat.

V.

V. Idem Dodonæus radicem ſiccam, actu calidam & ſiccam eſſe dicit in 2. gradu, quod omnino veriſimilius eſt, quam ad 3. aſcendere Eſt enim inſigniter amara. Sed non perinde acris. Poteſt menſes, urinas & ſudores movere. Vulgus proinde noſtrum in febribus peſtil. utitur, & vocat *Peſtilenswurkel.* Galenus folia commendat in malignis & phagedænicis.

CAPUT CCXXXII.

DE VALERIANA.

I. NEſcio ſanè, à quo Valerio ſit dicta: id enim malo, quàm *valorem* ſeu *Valentiam*, Græcis φοῦ eſſe credo, à φῦ abominantis: olet enim radix felinum quid (unde *Rakenwurkel)* non tamen ſine grato odore Nardi.

II. Quæ in Officinis uſurpatur, eſt I. Bauhini *in Pinace*, Hanc aſſerunt Dioſcoridi Dodonæus & Pena, emendatione textus genuina allata, pro μείζω bis legentes ἧσσω, vel ἧττω, ſtabilientes per τὸ τρυφερότερα.

III. Mihi dubium non eſt, heterogenearum eſſe partium, tenuesque oſtendere odorem nardi, craſſas felinum illud. Hoc habito, tu, qui ſuperiora legiſti, non opus habes honoratis illis titulis, quibus Dodonæus illam onerat. Hoc imprimis certum eſt, valde diureticam eſſe. Hinc dicebat Scherbius, pugiles Noriberg. ſuſpendunt in potu, & facilè defunguntur plagis ſuis.

CAPUT CCXXXIII.

DE VERBASCO.

I. TO φλόμος, ut & τὸ φλομὶς eſſe ἀπὸ τῆ φλὸξ (quod folia uſum habeant ellychniorum) non credo, quia authore Galeno, etiam πλόμος καὶ πλομὶς dicitur. In officinis dicitur *Thapſus barbatus*, neſcio cur.

II. Herba eſt nota duum generum, *albi & nigri*, & rurſus illius, *Maris & feminæ.* Genera Bauhino diſtinguere ſupervacuum, cum ſint omnia ejusdem effectus, ait Plinius *lib.* 26. *cap.* 10. Quod ad totum, non ad partes, eſt referendum.

III. Galenus enim *albi & nigri* radices à reliquis ſeparans, acerbam eſſe ait, & fluxibus commodam. Et Dioſcorides in alvi fluore uſurpat cum vino. Folia omnium digerendi vim habere ait idem. Qua facultate licet ſopire poſſit dolores hæmorrhoidum & tineſmi, fotu: puto tamen narcotici quid habere.

CAPUT CCXXXIV.

DE VERBENA.

I. HEic aperiret ſe latus campus diſſerendi de Romanorum quondam ſuper hac herba ſuperſtitione: verum, quia alienum id eſt ab inſtituto; & verò Marcellus Vergilius *in Dioſcoridem lib.* 4. *cap.* 58. exponit, nec non Goropius *lib.* 6. *Originum*: volentes eo remitto.

II. Hoc dico tantum, duplex cum ſit, *recta*, quæ mas, & *Verbena* propriè vocatur, ſola dicebatur ἱερὰ βοτάνη: at *ſupina*, quæ femina, & *Verbenaca*, περιστερεὼν *Columbaria*, De priore heic tantum agitur.

III. Galenus quia agit de poſteriore ſola, 8. *Simpl.* nihil nobis ab illo ſubſidii. Dodonæus utramque jungit, & validè ſiccantem facultatem illis tribuit, cum adſtrictoria, & refrigeratoria.

IV. De uſu ſucci in peſte valde iraſcitur idem illis, qui utuntur, à Diabolo profectum remedium eſſe dictitans Fena *Adv. fol.* 231. poſtquam deteſtatus eſt uſum *Verbenæ* in amatoriis.

V. *Verbenacam* etiam viribus ab illa diſtinguendam eſſe ait: tamen ſicando & adſtringendo prodeſſe vult. Vide autem illum, ex Rondeletii ore docentem. Cæſalpinus inter Cordialia habet *in Arte. In hiſt. plant.* nihil tale eſt.

CAPUT CCXXXV.

DE VERONICA.

I. DIcta à recentioribus quaſi φερονίκη, quod *triumphet* inter plantas noviter repertas. Hinc noſtris *Ehrund Preiſz*, vel brevius *Ehrenpreiſz*, item *Grundtheil*, quod curet tam externa, quam interna vulnera.

II. A quibusdam refertur ad *Alyſſon* Dioſcoridis, ab illis ad *Myoſotida* ejusdem, ab aliis rurſus ad *Betonicam Pauli.*

III. Uſus eſt fere II. apud Bauhinum, quæ eſt *Veronica mas ſupina.* Calida & ſicca eſt, non ultra 2. gradum cum amarore manifeſto. Eſt inter præcipuas vulnerarias Chirurgorum. Feliciter etiam expedit obſtructiones viſcerum quascumque. Appropriata eſt pectori.

IV. *Syrupus* admirabilis eſt in ulceribus pulmonis. Quidam præferunt aquam, bis, terve deſtillatam.

Caput CCXXXVI.

DE VINCA-PERVINCA.

I. VOx hæc Officinarum nota fuit Plinio *lib.* 21. *cap.* 11. & 27. Hanc à *vinciendo* dictam eſſe ut non nego; ita repetitio illa videtur magicum quid eſſe. Utroque loco, *Chamedaphnen* vocat, non ſine ſuſpicione confuſionis. Hanc auget, cum *lib.* 24. *cap.* 15. deſcribit *Clematida Ægyptiam*, quam *Daphnoides* ab aliis vocatam fuiſſe dicit. Hinc ventum eſt in has cogitationes, eſſe *Clematida daphnoiden* Dioſcoridis *lib.* 4. *cap.* 6.

II. Quo loco cum ſit *Clematis altera*, ſine cognomine, planta cauſtica; Galenus vero. 7. *Simpl. in voce* κληματὶς, dudum accuſarit id caput, tanquam alio loco poſitum: quid faciemus? Novi, qui noſtræ plantæ relinquunt τὸ κληματὶς, illam autem vocant κληματῖτιν, quod profecto puerile eſt. κληματὶς enim ἢ κλημάτιον eſt diminutivum ſubſtantivum ἀπὸ τοῦ κλῆμα: κληματῖτις autem eſt adjectivum ab eodem quidem κλῆμα, ſed quod requirit prænomen, ut Ariſtolochia clematitis, *ſarmentitia*, *reptitia*.

III. Relinquamus igitur *Clematida alteram* Dioſcoridis & perſequamur *Daphnoiden*, quæ eſt vulgo dicta *Vinca-pervinca*, unica ſpecie. Nam quod ad Majorem, ut & illam, quæ flore pleno, ſunt varietates tantum. Noſtris dicitur *Wintergrun*, & ab ignaris *Ingrun*.

IV. In facultatibus paulò aliter inſtitutus ſum quàm alii, & dico, eſſe heterogenearum partium. De calidis loquitur Dodonæus, cum calidam eſſe ait infra 2. gradum, ſiccam multo amplius. Et Pena cum affirmat, Nonnihil eſſe calidam guſtum demonſtrare, qui amaram eſſe convincit: Et, calorem ei ineſſe, quo menſes ducit, paucos meminiſſe. Huic facultati ſiccitatem eſſe comitem Paulus docet *lib.* 10. qua pugnat contra alvi profluvia, dyſenterias, dentium dolores, venenatorum morſus. Hanc ait Fuchſius *in Hiſt.* & cum eo Herbar. Lugdun. *lib.* 7. *cap.* 24. citra morſum eſſe. De frigidis partibus Matthiolus, qui tantopere adſtringere ait, ut folia viridia femoribus alligata menſes ſiſtant, conceptum juvent, abortum prohibeant, ſanguinem è naribus manantem ſiſtat corona capiti impoſita, & collo circumdata, nec non folia ore detenta.

V. Et licet Galenus 7. *Simpl.* videatur cum Paulo eſſe, qui ſiccitati hoc adſcribit: non eſt tamen abſurdum unum effectum à duplici cauſa eſſe. Nec eſt quod Matthiolum rideat Pena, *Adv. fol* 282. ſine enim experientia locutum eſſe, veriſimile non eſt. Et conſentit ei Fuchſius *Hiſt. cap.* 134. Utraque hac facultate vulnerariam eſſe credo equidem. In menſibus ſiſtendis hoc boni habet, quod partes genitales ſimul roborat, quod & Rondeletii auctoritate, ſcribunt Pena & Lobelius *Obſ. fol.* 360. Gallos ad ſiſtendos menſes etiam uti, Camerarius *in Horto* ait.

VI. Purgare quod vult *lib.* 21. *cap.* 27. fortaſſis falſum eſt. Rectè enim conjectat Dalecampius, eſſe ex confuſione cum *Chamædaphne* ſeu *Laureolo.*

CAPUT CCXXXVII.

DE VINCETOXICO.

I. A Facultatibus eſſe hoc nomen patet. Græcis dici νικητοξικὸν Marc. Vergilius ait Noſtris *Hirundinaria*, *Schwalbenwurkel*, à plumoſo ſemine ajunt.

II. Et quamvis pene certum ſit *Aſclepiada* Dioſcoridis *lib.* 3. *cap.* 306. & Plin. *lib.* 27. *cap.* 6. tamen reſpondere oportet ad argumenta. Neque radices, neque folia odorata ſunt. Reſp. Præterquam quod ex odore non licet firmum argumentum ducere, quod ob cœli, ſolique varietatem vel adſit, vel non adſit: oportet valde obeſis naribus ſit, qui in radicibus non ſenſerit. De foliis enim nuſpiam id dictum eſt. 2 Flores non redolent virus. Βαρύοσμα dixit Dioſcorides. Eorum vero quæ graviter olent, non ſubito virus eſt comes. 3. Semen non eſt ſecuridacæ. Non eſt opus accurata ſimilitudine. 4. Folia longa eſſe apud Oribaſium non legitur: ut neque alterum, radices eſſe multas. Nihil hæc concludunt. Sum tamen cum Bauhino, qui ad *Apocyna* refert.

III. De facultatibus docet Matthiolus, radices eſſe calidas & ſiccas in 1. gradu. Conſentit Dodonæus, ſed gradum non addit. Amara eſt radix, parum glutinoſa. Folia etiam parum adſtringunt, Herb. Lugdun. *lib.* 10. *cap* 27.

IV. Propter amarorem lumbricos necat radix, & peſti utilis eſt. Eadem, authore Matthiolo, digerit, aperit, & reſolvit. Ideo datur iis, in quibus grumi ſanguinei metuuntur. Datur etiam in menſibus ſtagnantibus. Contra venena magna ei vis à totius ſubſtantiæ ſimilitudine. Demorſis à ſerpente, & cane rabido exhibetur ʒ j ß. ex decocto Cardui bened. ad dies 40 Pro præſervatione à peſte quotidie bibitur, Matthiolo, qui in omnibus Cordis affectibus cum appropriatis laudat.

DE VIRGA AUREA,

Vide Conſolidas.

CA-

Caput CCXXXVIII.

DE VITE VINIFERA, VINO, ACETO, *uvis paſſis, &c.*

I. *VITIS.*

I. SImpliciter dicta eſt illa, quam heic *viniferam* vocamus, ad differentiam multarum apud Botanicos *vitium* albæ, nigræ, ſylveſtris, quæ Bryonia eſt, &c. Hujus ſylveſtre genus, οἰνάνθη, *labruſca* eſt, quamvis ferè ſoli flori vox tribuatur, ut etiam vox Græca præ ſe fert, cùm raro fructum ferat. Vitis ſativæ fructus immaturus ὄμφαξ dicitur, *Agreſta*, ex quo fit *Syr. de agreſta* Meſue, magni alicubi uſus in æſtibus febrilibus, præcipuè cum vel vomitus ſupervenit, vel diarrhœa. Eodem facit *Rob de agreſta.*

II. *VINUM.*

II. DErivo ἀπὸ τῦ οἶνος, ut German. Æſtuant quidam, ut cauſam inveniant, cur tot vinorum genera inveniantur. Inepti ſunt, qui tot ſpecies conſtituunt. Ego alibi latè deduxi, præcipuum deſcrimen eſſe in ſolo & cælo: minus præcipuum in loco, ubi habetur, in vaſis, in transvaſatione, in aliis.

III. Alius æſtus eſt in quæſtione illa, quæ in ſcholis jactatur, *An omne vinum calefacit?* Ego memini Scherbium, τὸν πάνυ, deducere nos ad verba finalia *cap.* 11 *lib. de Cibis*, ubi ait Galenus *Tantum diſtare vina inter ſe, ut quoddam vehementiſſime calefaciat, quoddam ſenſibiliter refrigeret*, hæc verba manifeſtiora ſunt, quam ut Augenis, 2. *Epiſt.* 2. *&* 5. per comparationem accipere poſſit, *Minus calefacere.* Ait enim expreſſe *ſenſibiliter refrigerare.* Ergo ex ſententia Galeni. *Vinum quoddam refrigerat*, *ſeu eſt frigidum.* Hoc quo minus facile contemnas, Baccius faciat, qui in opere de Vinis doctiſſimo utitur hoc loco, pro ſententia definitoria inter Fumanellum & Gajonium, & inter Fracaſtorium & Barredam. Vide Sylvii Lanceani appendicem ad tract. de hydrope, Romæ impreſſum in 8.° 1603.

IV. Ergone febrientibus concedi poteſt aliquod vinum? Galenus expreſſè ait *lib.* 3. *Temp.* 2. *non ſemper calefacit hominem.* Sed ne ſubterfugia quæſiſſe videar, Aquoſum concedit 3. *Acut.* 3. *&* 7. in ephemeris, 8 *Meth.* 3. in ipſo paroxyſmo putridarum, 10. *Meth.* 3. ſed album & tenue, affuſa aqua calida.

V. Sed quale eſt in paſſivis; Qualitative, ut ſic dicam, ſiccat: ſubſtantialiter humectat, quatenus alimentum eſt. Nam hoc quoque alibi confeci, vinum non minus, quam ſolida alimenta, opus habere concoctione 3. *Alim.* 40. 3 *Temp.* 2. *de Cibis* 11. Argumento ſint illi, inter quos ego, quibus vina generoſa, vel aceſcunt in ventriculo, vel cruda iterum abeunt.

III. *SIRÆUM, SAPA SEU DEFRUTUM.*

VI. EST muſtum decoctum, *de Vict. atten.* 12. 7. κ. τόπ. 2. Uſus eſt in temperanda humorum acredine, 6. *in* 6. *Epid.* 5.

IV. *SYR DE VINIS AVIC.*

VII. NOn eſt in uſu apud nos. Valide adſtringit. Vide in Lumin. majore, cujus author Manlius eſt.

V. *MUSTUM.*

VIII. QUæ mala, quæ bona habeat, vide *lib. de Cibis* 11. Calet duplici calore, 4. *Simpl.* 11. nutrit & alvum ſubducit, 2. *Alim.* 9. Ex eo fit medicamentum ſtomaticum, διὰ γλεύκοις dictum, 6. κ. τόπ. 1.

VI. *ACETUM.*

IX. FIt, de Ariſtotelis & Theophraſti ſententia, cum vini caliditas quidem nativa perit: à putredine autem introduciter aliena, 3. *Simpl.* 4. Hoc ut explicet, vide ipſus. Aceti boni conditiones ſcribuntur 1. κ. τόπ. 8. 3. κ. γέν. 3.

X. Conſtat partibus heterogeneis, *Simpl. l. c.* 10. *Meth.* 9. Sed ab utris dicitur? Eſtne calidum vel frigidum, ſed caloris exigui particeps, 3. κ. γέν. 2. 1. κ. τόπ. 8. Summa, dicebat SCHERBIUS, verbum ὑποθερμαίνει, quo Galenus utitur 1. *Simpl.* 24. decidit controverſiam. Vide Indicem noſtrum in Galenum.

VII. *ZIBEBÆ ET UVÆ PASSÆ.*

XI. HOc fortaſſis cupiat quis ſcire, cur minores quibusdam locis vocentur *Corinthiæ*? Quia ex Peloponeſo, hodie Moréa, ubi Corinthus olim fuit, afferuntur. In uſu utrarumque obſervandum, ut cortex unà cum acinis excutiatur.

XII. Habemus in Officinis *Electuarium de paſſulis*, ad poſtratum appetitum, cum vomitu præſertim. Habemus & *paſſulas purgantes*, modò cum Rhabarbaro, modò cum Sena, quarum doſis ex ingredientibus purgantibus captanda. Habemus & *mel paſſulat.* quod ingreditur Loch de pino. Habemus & *Loch de paſſulis*, pro attenuatione craſſorum humorum, pro pueris præcipuè, in quibus epilepſia metuitur. Pertinet huc quoque antiquiſſima compoſitio Ægyptiorum, *Cyphi* dicta, hodie *Trochiſci Cypheos*, quorum baſis *Zibebæ*. Ingrediuntur *Mithridatium*, Seorſim autem uſurpantur in viſcerum exulcerationibus.

VIII.

VIII. *VINACEA.*

XIII. SCripſit de his peculiariter Donatus Ant. ab Alto mari, quem vocare ſoleo Altimarum. Eſt inter opera ipſius, Neapoli in fol. 1573.

IX, *UVÆ CONDITÆ.*

XIV. Pro ſiti, extra febres ferè, condiuntur etiam uvæ.

CAPUT CCXXXIX.

DE ULMO.

I. GRæcis πτελέα, quæ *campeſtris:* at ὀρειπτελέα quæ *montana.* In quibusdam Officinis eſt Cortex ipſius, quem Gal. 8. *Simpl.* ſubamarum & adſtrictorium eſſe. De foliis ait ex proprio experimento, recentia vulnera curare.

CAPUT CCXL.

DE URTICA ET LAMIO.

I. URTICA.

I. UT ab *urendo* Latini dixerunt: ita ἀπὸ τοῦ κνίζειν, Græci κνίδαν, non κνήδαν. Apud Nicandrum ἀκνοσιν vocari contrario ſenſu valde verisimile eſt. Eadem ratione ἀκαλήφη eſt Euſtathio *Iliad.* ſ. *v.* 112. ἀκαλος enim *quietum* ſignificat ajunt.

II. In Officinis duplex eſt vulgaris & Romana, hæc cur ita dicatur Nescio. An Quia Rondeletio & aliis in magna eſt commendatione?

III. Revera ſuccus ille acerrimus, quem ſpinæ vix ſenſibiles emittunt, arguunt magnam partium tenuitatem, qualis fere in veneno Scorpionum, quod in multo oleo fit forinſecùs ſalutare medicamentum. Sed cur tenellæ non urunt? adultæ etiam ſi fortius tangas? In tenellis ſunt teneriores, quàm ut infigi poſſint: in adultis franguntur. Ita enim eſt, neceſſario emittunt ſubſtantiale quid, quod dolorem & tumorem facit. Hoc negat Plinius 21. *c.* 18. quem ſequi velle videtur Pena. An huic tenuitati atteſtatur φαινόμενον, quod eſt *c.* 15. *præced. Carnes teneriores facit?* Atteſtantur omnino, quæ de partium tenuitate habet 6. *Simpl.*

IV. Hoc vero dudum ſuſpectum mihi fuit, quomodo ἄδηκτος ſit in ulceribus

gangrænoſis & cancroſis, & tamen alvum ſubducat μόνω τῷ ῥύπ]ειν, καὶ οἷον γαργαλίζειν. Profectò, neque abſterſio, neque titillatio fit ſine acrimonia.

V. Accedit, quod negat θερμαίνειν σφοδρῶς, cum Avicenna illam ponat calidam in principio 3. ſiccam in 2. Certè majorem calorem poſtulat ἡ διαφόρησις, quam præſtare ait in phymaſin, & parotidibus.

VI. Quicquid ſit, ſemen habet flatuoſum quid, ob quod ἀφροδίσια facit. Hinc ipſa herba à laſcivioribus pro cibo expeti potuit, quod Plinius habet *c. illo* 18. contemni ab elegantibus, de quibus forte Galenus *in de Alim.* Certè vidi à militum uxoribus conquiri diligenter.

II. *LAMIUM.*

VII. MEminero heic tantum ſpeciei illius quam *Miltzatellam* Cordi vocant, & celebrat Solinander *in Conſil.* in obſtructionibus, & ſcirrhis lienis, propter experientiam novam D. Wilhelmi Erneſti Scheffleri, Medici Francofurt. ad Mœnum, amici mei. Is enim in literis ad amicos prædicat mirificè, & vellem ego notius eſſe, quia εὐποριστότατον.

CAPUT ULTIMUM.

DE ZINGIBERE, ZEDOARIA, *& Mechino.*

I. ZIngiberi, γιγγίβερι, ἰγγίβερι proculdubio eſt Barbaricum. Nam Perſæ, hodieque *Gengibil* vocant, non Zengibil, ut corruptè Serapionis libri habent. Apud Plinium *l.* 12. *c* 7. eſt *Zimpiperi* & *Zingiberi*, quæ voces alludunt ad veterem fabulam, Zingiber eſſe radicem piperis, qua de re alibi.

II. Quæ ſit illa *Barbaria* hodie, dixi *Notis in Galenum ſimpl.* 3. Planta hæc antiquis notior fuit viribus, quàm facie, inquit Pena *Adv. f.* 33. Idem *ibid.* ut & *Icon.* pingit plantam. Sed perfectius Lobelius *tract. de Balſamo.* Huic picturæ defert Lud. Rom. 5. *Navig.* 14. & Garzias 1. *Arom.* 41. *Folia*, inquit, *ſimilia ſunt Iridi ſeu Gladiolo, magis tamen nigricantia.* At longiſſimè mentitur Acoſta, *c.* 32. Milio comparans, & lacrymæ Jobi.

IV. De facultatibus primis, Galenus hoc tantùm, vehementer calefacere. De modo ſubſtantiæ vide eundem. Stomacho imprimis utile eſſe, Dioſcorides ait, & confirmat Monardis.

V. Sed quomodo alvum & emollit, & firmat, ut Garzias loquitur? *Mollit humectando*; addit, *firmat*, *coquendo crudos humores, qui diarrhœam faciebant.* Pena ampliùs explicat illud, Recentes tantum radices poſſe, ſiccas ſiccare potius. Hoc re-

refero, non ad humidum ipſius nativum, ſed ad excrementitiam humiditatem ob quam aſſatur à quibusdam, ut Camerarius habet *in Horto.* Hoc maximè neceſſarium fuerit in *Zing. fuſco* dicto, quod ſemper ſuſpectum mihi fuit, quaſi ob imbibitam aquam tale foret. Et refert colorem hunc quod ſemel atque iterum cum carnibus decoctum eſt, & jam minus acre ſentitur. Alioqui quoddam quod rubrica obducitur, non ad fraudem aliquam., ſed ut à teredinibus ſit ſecurum, longe alîus eſt ſubſtantiæ. Hanc tincturam ſæpè abraſam volui ante pulveriſationem: ſed avaritia non permittit.

VI. Conditur & viridis in India, & ſicca. Materia eſt vel ſaccharum, vel mel ſiliquarum non ita pridem dictarum. Vide Matthiolum *in Dioſcoridem Condito Zingiberi* ſubſtituunt in ventriculo frigido, *Diazingiber Nicolai*, quod neſcio. Non enim propterea melius eſt, quia compoſitius. Zingibere purgante nunquam ſum uſus, nec facile credo.

II. *ZEDOARIA.*

VII. HÆc ſequitur, quia folia Iridis dicitur habere. Hanc Græci recentiores, Aëtius & Actuarius, *Zadar*, Ζέδαρ, *&* *Zädera* appellant. Quid eſt apud Veteres? *Coſtum Arabicum* ſeu præſtantiſſ. Anguillara cenſuit: *Syriacum* ſeu deteriorem Guillandinus voluit. Hoc negat illi Matthiolus. Apud Paulum *Arnabo*, ſeu *Zarnabo*, eſſe dicunt quidam. Apud Arabas idem eſſe creditur cum *Zerumbet* vel *zurumbet.* Dubitat Cluſius *in Garz.* 1. *Arom.* 41. *&* 42.

VIII. Sapor amariſſimus & diu linguam vellicans oſtendit partes heterogeneas efficaciſſimas ob quam *Condita Zingiberi præfertur. Zedoariæ ſem.* in Officinis eſt *abſinthii Santonici.*

III. *MECHINUM.*

IX. PRæter *Zingiberem fuſcum* jam dictum, oſtendunt Officinæ quandam radicem aliam, cujus varietatem exhibet Pena, *Adv. fol.* 33. *& Icon. fol.* 71. Pingit etiam Pena *in Baldo*, *f.* 242. pro *Doronico Arabum* habet.

Ἰδὼν τὸ τέρμα δὸς Θεῷ δόξαν καλήν.

Finis Libri ſecundi.

INDEX

INDEX RERUM.

In quo primus Numerus Librum: alter Caput: tertius Paragraphum ſignificat.

A.

ABELLÆ & Abellanæ. *Vide* Avellæ.

Abies duplex. 2. 125. 42. 44.

Abiegna. *Vide* Reſina.

Abrotonum, non Abrotanum. 2. 1. 1. Species ib. quæ in Off. ibid. 3. Facultates, ibid. 4

Ἀψίνθιον, Abſinthium, ſpecies, 2. 2. 1. 2. Pont. & Rom. ib. 5. Facc. ib. 8. 9. In uſu cautelæ ib. 13. eſt καρηβαρηκὸν. ib. 6. vermibus inimicum, & quibus, ib. 20. purgat, & qua doſi? ibid. 15. 18. Succus ejus. ib. 10. 11.

Acetoſa, ejusque facc. 2. 121. 10.

Acetoſella ſeu Lanceolata, ibid. 11.

Acetum ut fiat. 2. 238. 9. aceti boni conditiones, ibid. ὑποθερμαίνει. rub. Idæor. 2. 152. 26.

Acacia Dioſcor. eſt Acanthus Theophr. 2. 3. 1. 2. 4. 2. Acac. Ægyptiæ ſuccus, 2. 3. 5. ejus ſucced. Germanica ex pruno ſylv. 1. 27. 3. 2. 3. 5. & 8.

Acanthus Off. & Dioſc. 2. 40. 1. eſt ſativus & ſylv. ibid. 3. ſativi facc. ibid. 4. ejus ſucced. illegitimum Sphondylium, ibid. 5.

Acinus, planta, 2. 31. 3.

Aconitum unde dictum, 2. 4. 1. Lycoctonum & Pardalianches. ibid. 2

Acorus Off. Pſeud-Acorus, Iris lutea, 1. 20. 2. 2. 5. 1. ejus facc. ibid. 2

Acorus verus ſeu Dioſc. ib. 4. Conditus duplex, ib. 7. & 8. ejus facc. ib. 6

Acus Moſchata, 2. 103. 7. 15.

Acutella, 2. 18. 2

ACTUARII correctio, 1. 6. 9

Adiantum Theophr. duplex, 2. 46. 4. Off. ibid. 1

Αδρὸς eſt παχῦς, 2. 221. 2. 2. 125. 6

Admirabilis Peruana, Jasmini ſpecies, 2. 115. 3

Αείζωον, ἀειθαλὲς, ἀώνιον; *Vide* Sempervivum.

Æthiopia Heſperia eſt America hodie dicta, 2. 128. 2

Æquum Gazæ monſtrum, 2. 199. 4

AETII locus explicatur, 2. 49. 2. corrigitur 2. 3. 2

Agallochum ſeu lignum aloës, 2. 25. 1. notæ, ib. 7. & 8

Agaricus eſt duplex, arboreus & foſſilis, 1. 2. 1. arboreus & mas & femina, ibid. 3. cui arbori innaſcitur, & ubi? ibid. 1. electio, ibid. 4. eſt alexipharmacus, ibid. 13. cur Theriacæ miſceatur? ibid. facc. ejus, ibid. 8. inter cætera purgat, ibid. 9. qua doſi? ibid. 10. quod corrigens ipſius? ib. præp. & troch. ib. 6

Agaſyllis, planta, 2. 10. 2

Ἄγλιθες, σκέλλεις, γέλγεις, ὄνυχεις. *Vide* Allium.

Ageratum cum facc. 2. 88. 6

Αγιόξυλον. 2. 128. 21

Αγριέλαια eſt ἔλαια αἰθιοπικὴ. 2. 164. 2

Agnus caſtus Off. 1. 4. 2. 2. 6. 1

Agrimonia noſtra cum facc. 2. 88. 3. ejus ſubſtituta, ibid.

Αγκιςίζειν. 2. 13. 2

Αγρωςις 2. 106. 1

τὸ Αἰδοιῶδες in fabis & congeneribus ἀρχὴ δρασικὴ. 2. 90. 5

Αἱμόδωρον. 2. 120. 11. 14

Ajuga ſeu Abiga. *Vide* Chamæpit,

Ακαλος, ἀκαλήφη. 2. 240. 1

Ακανθος, carduus in gen. 2. 31. 4. ib. 50. 2

Ακανάζεα quæ? ib.

Ακανθος & ἀκάνθα, ib. 3

Ακτὴ καὶ χαμαιακτὴ. 1. 32. 1. & 2

Alaria arbor, unde nuces Alaréæ, quæ ſunt Avellanæ, 2. 162. 58

Albateca, 2. 26. 24.

Alhanne, Alhenne.

Alchanne, Alkanne Æg. eſt Cyprus. Dioſc. 2. 129. 1. & iterum, 13. 4. 24. 2

Alchimilla. *Vide* Sanicula.

Αλικγγία, Saliunca, 2. 157. 12

Αλὸη quid ſignificet, 1. 25. 10. duplex, vegetalis & foſſilis, 1. 3. 3. vegetalis triplex ibid. 6. alia cruda, alia lota, alia nutrita, ibid. 15. Aloë notæ, ibid. 7. an noſtra ſit legitima? ibid. 5. facc. ibid. 12. purgat, ibid.

ibid. 13. quem humorem, ibid. 14. doſis, ibid. 24. Uſus diſtinctus, ibid. 26. Cautiones, ibid. 22. an & quomodo hæmorrhoidas aperiat? ibid. 19. non danda ante vel poſt mediam noctem, ibid. 18. Aloë roſ. noſtra, ibid. 28. Aquap. ibid. 16. doſis, ibid.
Alcæa. 2. 139. 7.
Althæa, ibid. 4. 5
Aliſma Matth. 1. 18. 4
Alkekengi, 2. 217. 4
Alliaria pro ſcordio, 2. 208. 2
Alleluja & Lujula, 2. 229. 6
Allium ſativum & ſylv. 2. 7. 2. Ulpicum, ibid. 1. foris eſt cauſticum, intus non, ibid. 3. 11. uſus peſte, ibid. 14. ſiticuloſum & flatuoſum, ibid. 7. an purget? ibid. 16. an ſemen augeat, ibid. 17. ſuperat noxas aquarum, ibid. 15. ſativo an ſubſtitui poſſit ſylveſtre? ibid. 18
Allii & arſenici differentia, ibid. 4
Alnus conifera, 1. 15. 1
Alus ſive Halus, vox Gallica, an noſtrum *Ixie*? 2. 99. 4
Alſine ἀπὸ τȣ̃ ἅλος, 2. 24. 6
Ἄλσινδικὸς ἢ ἀραβικὸς, ibid. 6
Althit ſive Halthit, 2. 28. 2
Amarantus Gal. & Matth. 2. 219. 6
Amarella, Amaregiola, Marella, 2. 142. 5
Amellus flos, 2. 63. 10
America olim etiam cognita, 2. 128. 2
Amaracus, μάρον, σάμψυχος, ut differat? 2. 137
Ἀμυγδαλέα, λῆ, non Ἀμυγδάλη, arbor ſed ἀμύγδαλον fructus, 2. 162. 9. arboris deſcriptio, ibid. 11. ſterilis quomodo fœcundanda? ibid. 14. amara quomodo ad dulcedinem reducenda? ibib. 13. amygdalorum bonitas & malitia, ibid. 15. facc. ibid. 16. 24. an locum habeant in victu att. ibid. 30. Italica, Hiſp. Aſia, Cypria, ibid. 12. ſunt vel amara vel dulcia, ibid. 10. 13. amara an vulpes necent, ibid. 42. in dulcibus alimenti ratio, ibid. 27. ſemper præmaceranda, delibranda, etiam torrenda, quæ ſunt καπυρὰ ibid. 22. 34. 36. molluſca, ibid. 12. condita, ſaccharo obducta, ibid. 44. rancida, 18. 20. 24
Amygdalatum, ibid. 45
Ἀμυγδαλοκατάκτης, ibid. 9
Ammi habemus legitimum, 2. 9. 2. quid ſubſtituendum? ibid. 4. facc. ibid. Confunditur cum cumino, 2. 77. 3. cum Amomo, 2. 9. 1. uſus in corrigendis cantharidibus, ibid. 5
Ἄμμιον cur minium? 2. 9. 1
Ἄμωμον eſt πολύσημον, 2. 49. 1. non eſt Græcum, ibid. pro amomo habitæ plantæ, 2. 11. 7. ſemina, ibid. 8. notæ obſcuræ, ibid. 2. facc. ibid. 9. ſuccedaneum, ibid. 8
Ἀμπελολεύκη. 1. 5. 1
Amylum Off. 2. 230. 8
Anacardia, eorumque venenum, 2. 162. 50. qua parte ſit venenum, ibid. 52. facc. ibid. 53. ejiciuntur Off. ibid.
Ἀνακαμψίρως, vox magica, 2. 72. 2
Ἀναδενδρομαλάχη, 2. 139. 4
Anagallis apud veteres incognita, 2. 12. 4. facc. ibid. arvenſis, cærulea, & phœnicea. ibid. 2. 13. 5. 2. 8. 1
Anagyris, laburnum, 2. 128. 7
Ἀνδρόσαιμον Dioſcor. 2. 173. 8
Anchuſa, 2. 13. 1. & Echium. ibid. 2. facc. ibid.
Ἀνδράχνη καὶ ἀδράχνη, 2. 183. 1
Anethum fœniculo congener. 2. 14. 2. ſylv. Off. quod? ibid. viride & ſiccum, 2. 14. 34. uſtum, ibid. 4. & 7 eſt ὑπωτικὸν. ibid. 5
Anthera, 1. 30. 6
Ἀνθερικὸς Aſphodeli, 2. 27. 2
Ἄνθεμον, ἀνθέμιον, ἀνθεμίσιον, δυάνθεμον, 2. 62. 11
Ἄνθος τῶν ῥόδων, 1. 30. 6. ἄνθος Off. quid? 2. 194. 3
Ἀνθρωπόμορφος Pyth. 2. 140. 2
Angelica differt ab Imperatoria, 2. 15. 1. montanæ facc. ab aquatica diverſæ, ib. 4. ſylv. ſeu podagraria, ibid. 9. eſt Laſerp. ſpecies, ibid. 13. *Vide* Archang.
Anguillaræ error, 2. 3. 4
Anguria, languria, tetranguria. 2. 76. 24. an nota olim? ib. 26. 1. 9. 3
Anime, Aniime, gummi, 2. 16. 1. facult. ibid. 2
Aniſi nomina, 2. 17. 8. facult. ibid. 3
Anonis vel ononis, 2. 18. 1. facult. ibid. 3
Antophylli, 2. 53. 2
Anthriſcus Plinii, 2. 58. 2
Antidotus διὰ ἀρκευθίδων, 2. 118. 24. Saxonica, 2. 162. 151. Moibani, 2. 217. 8. prognoſt. Damocratis, 2. 118. 24
de Antid. libri non ſunt Galeni, 2. 229. 3
Ἀντίμηλον, ut ἀντίθεος, 2. 140. 3
Antiſpodia, 2. 129. 12

Apia,

Apiâ, Pelop. urbs, 2.181.9

Apios tith. tub. 2.64.6

Ἄπιος, pyrus cum Apio, herba, nihil habet commune. 2.189.9. Apii ſpecies quæ, & quibus partibus in Offic. veniant. 2.19.2. facult. ibid. 5. & 8. Apium an Epil. inducat? ibid. 9

Ἀπομηλὶς, ἀμαμηλὶς, 2.148.1

Apoplexia non fit ab humore melancholico, ſed à ſanguine, 2.190.14

Apoſtemkrautt. 2.206.2

Ἀποχύμα, 2.125.76

Aqua aurea Matth. 2. 132. 3. Avell. deſt. 2. 162. 75. Ceraſ. Sylv. nigr. 2. 57. 5. Chæref. 2. 58. 5. Cinnam. 2. 68. 18. Citri, Nanfa vel Lanfa dicta, 2. 132. 6. 2. 118. 28. bacc. junip. ibid. 23. dict. albi, 2. 82. 9. frag. & herbæ, 2. 95. 14. frax. 2. 96. 19. graminis, 2. 106. 8. guiiocæ jugland. 2. 162. 90. mororum Idæorum, 2. 152. 26. hyoſc. 1. 111. 7. liguſtri, 2. 129. 4. 7. lilii conuval. duplex, 2. 132. 3. 10. 130. 8. Aq. Philoſoph. contra luem vener. 2. 128. 38. ſcordii comp. 2. 208. 4. plantag. 2. 176. 4. ſenec. 2. 64. 38. tiliæ, 2. 227. 1. Veron. deſtill. 2. 235. 4. Apoplecticæ, 2. 132. 12

Aqua decocti cich. 2.66.16

Aquileja, 2. 20. 1. quid ſit apud vett. ibid. facc. ibid. 2

Arborum vita qua parte? 2. 168. 5. ἐπιφύσεις, 1. 2. 1. *Vide* Muſcus arb.

Arbores ſaccharif. 2.24.5

Arcadum primus cibus, 2. 54. 2. 2. 190. 7

Areca, arequa, 2.162.81

Archangelica, 2. 14. 3. eſt Laſerp. ſpecies. 2. 90. 7. 8. 2. 14. 3

Argentina. *Vide* Potentilla.

Ἄρκτιον, ἄρκτειον, non ἄρκιον Dioſcor. 2. 122. 1. facc. ibid. 9

ARISTOTELES explicatur, 2. 146. 11. corrigitur, 2. 50. 20. 2. 23. 7. 2. 108. 1

Ἀριςαλθαία, 2.139.4

Ariſtolochus, aut Ariſtolochia, 2. 21. tam rotunda, quam longa eſt duplex, ibid. 4. facult. ibid. 5. an purgent, ibid. 10. Pſeud. Ariſt. ſeu Rad. cava an poſſit ſubſtitui veræ? ib. 11. quæ Ther. debeatur? ibid. 3

Ἄρκευθος, ἀρκευτὶς, 2. 118. 3. ἄρκευθος κέδρος Nicand. ibid.

Aromata mari vecta facile vitiantur, 1. 29. 6

Arnabo ſeu Zarnabo Pauli, 2.241

Artanita Arabum. 1.11.1

Artemiſia unde dicta? 2. 22. 1. Officin. qualis eſſe debeat? ibid. 2. tenuifolia cum majore nihil habet commune, 2.37.1

Ari in Offic. nomina, 2. 23. 1. non ubique eſt acre, ibid. 5. non purgat, ibid. 7

Arundo ſacc. 2. 24. 4. non eſt una ejus ſpecies, ibid.

Arundinis cinis non poteſt eſſe loco ſpodii, ut neque raſura eboris, &c. 2.129.14

Ἀρχὴ θρεπτικὴ in ſeminibus plantarum, 2. 90. 5

Aſa dulcis ſeu Benzoin Offic. 2. 28. 1. Aſæ fœtidæ, *Teufelsdrect*, planta, ibid. 2. facult. ibid. 6

Aſara baccara Offic. 1. 4. 2. Aſarum unde ſit dictum? ibid. 1. aſari colligendi tempus, ibid. 3. nota, ibid. coctio & tritura, ibid. 7. facult. ibid. 4. purgat. vehementiſſimè, ibid. 6. doſis, ibid. 9

Aſarina, ibid. 2

Ἀσπάραγος ἢ ἀσφάραγος Atticè, eſt multarum plant. ſed utrius in ſpecie, 2. 26. 1. hujus differentiæ, ibid. 3. facult. ibid. 4. an purget? ibid. 8. quale alimentum det, ibid. 7

Aſpalathus, 2. 25. 1. facult. ibid. 4

Ἀσπλήνον, non ἀσπλήνιον, 2. 207. 2. eſt idem cum ſcolop. phyllit. & hemionit. ibid. 3 facult. 4

Ἀσφόδελος ἢ ἀσφοδελὸς, 2. 27. 1. erat quondam edulis. ibid. rad. exſulare debet ex Offic. ibid. 3

Aſclepias Dioſcor. 2. 27. 2. 2. 52. 2

in Ahſtmate inuſtiones Æg. 1.14.9

ATHENÆUS corrigitur, 2. 66. 54. 2. 51. 2. 2. 162. 57

Athenienſium inſtitutum in Theſmophoriis, 2. 6. 2. in cituta paranda, 2. 67. 14

Atriplex eſt è Græco, 2. 29. 1. quale alimentem det? ibid. quali ſit utendum in Offic. ibid. 4. ſemen an purget? ibid. 8. quatenus frigida, ibid.

Avellæ, ſeu Abellæ, Apuliæ oppidum, 2. 162. 56. hinc Avellanæ nuces, quæ & Præneſtinæ & Alareæ, ibid. quarum aliæ corticem interiorem habent album: aliæ rubrum, & vocantur peculiariter Lombardicæ, an Lamberdicæ? Francis *Zellernüſz*, aliis *Cuhernijz*, ibid. 61. illarum flos quæ? ibid. 60. facult. diſtinctæ. ibid. 64. cortex durus ſeu ext. pro ſecreto in Col-

Colicis ibid. 62. mollis & int. in fluxibus alvinis, ibid. 63
Avena, 2. 230. 15. facult. ibid. 16
AVERROES explicatur, 2. 41. 13. corrigitur, 2. 124. 7
Aves Cypriæ. 2. 153. 5
Avicenna explicatur, 2. 31. 12. ibid. 7. 2. 144. 13. corrigitur. 2. 158. 5
Auricula muris Offic. 2. 8. 1
Ἀχερὰς, ἡ pyrus ſylv. 2. 181. 9
Azaroli, 2. 184. 2

B.

BACCARIS Cratevæ, 1. 4. 1
Bacillæ conditæ, 2. 73. 23
Balador, 2. 162. 50
Βάλανος quod plantis tribuitur, 2. 23. 1. quæ ſimpliciter 124. 1. μυρεψικὴ, ibid. Ægyptia ibid.
Bateca, *Vide* Al bateca.
Belauſtium cum ſucco expreſſo, 2. 181. 22
Ballote, ſeu Marrubium nigrum, 2. 141. 2
Balſamum unde dictum, 2. 30. 1. ejus natalis Arabia, ibid. 2. in dijudicando genuino quæ præcipua difficultas. ibid. 4. Indico an poſſint ſubſtitui artificialia? ibid. 6
Balſamine mas, quæ Momordica, 2. 30. 7. & femina, quæ Charanza. ibid.
Bangue Indorum. 2. 169. 21
Barbaria quæ regio propriè, 1. 29. 2. 2. 14. 2
Bardana Offic. 2. 122. 4
Βαρυκόκκαλον, 2. 162. 149
Βαρύοσμα, 2. 137. 2
Barba Jovis Plin. 1. 15. 2
Barbotina, 2. 2. 7
Baſilici ſemen-quale det alimentum? 2. 31. 9. albi ſolvat an ſtringat alvum? ibid. 12. facult. ibid. 6
Batis vel Battis, 2. 73. 2
Battiſecula, 2. 66. 18
Βάτος aut genericum, aut ſpecificum eſt, 2. 152. 1. 16. ὀρθοφυὴς, ibid. 17
Βάτινα, ſub. mora ibid. 16
Bauciæ ſemen, 2. 81. 4
BAUHINUS accuſatur, 1. 5. 2. 9. 18. 1. 6. 1. 1. 7. 1. 4. 1. 9. 3 1. 10. 1. 1. 11. 1. 1. 17. 1. 1. 20. 4 1. 31. 1. 2. 1. 18 4. 1. 25. 1. 2. 6. 4. 2. 90. 8. 2. 93. 3. 2. 21. 2. 41 2. 2. 146. 7. 2. 112. 2. 2. 102. 80. 2. 212. 10. 2. 76. 9. 2. 4. 3. 2. 61. 27. 2. 157. 10. 2. 162. 113. laus. 1. 30 2. 50. 2
Βδέλλος, Βδέλλα, Βδέλλιον, Βδέλλα ὄνυξ, 2. 32. 1. 4
Βδελλίου arbor & fructus ibid. 2. 3. notæ ibid. 6. facult. ibid. 8. an purget? ibid. 9. noſtrum an legitimum ſit? ibid 7
Bibankraut, 2. 229. 4
Bilſzkrant, 2 43. 1
Bislingua, 2. 39. 1
Bismalva, 2. 139. 17
Biſtorta, 2. 38. 1. facult. ibid. 1
Bedarungi Avic. 2. 144. 8
Bedeguar Arabum, 1. 30. 3 & 18. 2. 50. 21
Ben Arabum eſt Βάλανος μυρεψικὴ, 2. 162. 110
Behen Arabum utrumque eſt Carotta utraque, quæ ex Offic. ejicitur, 2. 34. 5
Bel, ſive Belus rex Aſſyriorum, 2. 30. 1
Benzoin, ſeu Ben-ſui, 2. 28. 3. 4. notæ ibid. 5. facult. ibid. 6
Beſaſa vox Syra, eſt ruta ſylv. 2. 198. 1
Berberis, 2. 35. 4. ſuccus ibid. 5. acini ibid. 6. Cortex ibid. 7
Beta à Græco βῆτα, corruptè Bleta 2. 36. 1. Candida & nigra, quæ & Sicula, Sicla, Cicla. ibid. 2. facult. ibid. 7. & 9. quale alimentum det? ibid. 10. 12. purgat ibid. 11. ſuccus, ibid. 6
Betonica, potius Vettonica, 2. 36. 1. unde habeat laudes ſuas? ibid. an differat à Ceſtro? ib. 2. Betonica Pauli, ibid. altera Dodon. ibid. altera Dioſc. 2. 53. ibid. 15. rad. ſuſpecta 2. 37. 6. facult. 2. 37. 7
Betri de Malavar. 2. 138. 9
Betula & Betulla, 2. 36. 1
Bezed. Albezed. 2. 12. 3
Βλῆτος, Βλητὸν, Βλιτὸς, 2. 93. 1
Βλῆχρος, Βλήχρων, Βλῆχρον, 2. 93. 1
Bliti ſpecies, 2. 39. 3. facult. ibid. 5
Blitei & blitomammæ, ibid. 2
Bodins Arabum genus, 2. 154. 15
Bombax eſt à Bombyx, quamvis diverſa ſint, 2. 10. 3. bombacis ſem. ibid. 5. temperamentum, ibid. 6. laudatur in aff. pectoris ibid. eſt venerium ibid. 7. in uſu cautela ibid. 8 muccago. 2. 105. 9
Bonus Henricus, 2. 121. 1. facult. ibid. 6. 8
Βουφθαλμὸς & Βουφ. 2. 62. 1. facult. ibid. 13
Βόσπορος, Boſphorus Cimmerius & Thracius, 1. 29. 1
Βίρρος Dioſc. 2. 168 3

Bá-

Βύκερας, ἤρως, ἀγόκερως, 2.229.10
Borrago congener bugloſſo, 2.42.2
Boryſtenes, ſive Nepper fl. 1.29.1
Βορκὸς, picis genus, 2.125.73
Βοτάνη δολιχαδία, 2.153.3
Botanicè, *Vide* τρόπ& ἐπ.
Botor Marien, 1.5.1.11
Branca Urſina Ital. & Germ. 2.40.1
Braſſica, κράμβη, 2.41.17. ejus præſtantia & utilitas, ibid. laudes ruſticæ à Catone ruſtico ibid. 16. differentiæ pragmaticæ, ibid. 2. in Offic. & culinam receptæ, ibid. 4.5. cauliflora, caulirapa, γογγυλώδης, ibid. 4. Compoſita, *Compoſt-kraut*, ibid. 6. minutim inciſa, ibid. 5. δίεφθ& ibid. 12. cymæ, 2. facult. ibid. 9. eſt heterog. partium, & tumultum in ventriculo facit, ibid. differentiæ pro ratione culturæ, &c. ib. 9. 12. ſemen, ibid. 11.18
Braſſica marina ſeu ſoldanella, 1.37.1
Βρόμ& ἢ Βρῶμ&, 2.230.15
Brunella vox Germ. 2.69.10. quid ſit apud vett. ibid. 11. eſt heterog. partium ibid. 12
Βρυωνία, unde dicatur? 1.5.11. triplex in Offic. ibid. 2. cymæ, ibid. 3. fructuum & rad. facult. ibid. 6. habet locum Mechoacæ, & præparatio in id ipſum, ibid. 4
Buccellai caldi, 2.150.11
Bugloſſi facult. 2.42.3
Bugula, vox Gall. 2.69.14. quid ſit apud vett. ib. 15. facult. ibid. 16
Bulapaton, 2.121.1
Bulbo caſtanum, 2.139.5
Bunium, bunias, pſeudob. ibid.
Burlatoria Hiſp. 2.169.2
Burſa paſtoris, 2.43.1. eſt calida & ſicca ib. 2.3.
Butyrum in menſa præſtat oleum, 2.164.34. rubrum, 2.13.5
Buxus eſt à πύξ&, unde πύξις, πυξίδιον, 2. 44.1. facult. ibid. 3. lignum Guajaco ſubſtituitur, ibid 3

C.

CACA: vel calcatreppola, 2.50.21. facult. ib. 24
Cæciliana, Siciliana, 2.143.8
Cæpa & Cæpula, Cipolla zibre, zieibree, 2. 56 2 ſpecies, ibid. 4. variant pro ſolo natali. ibid. pœnicea, ibid. 2. alia capitata eſt, alia non. eſt. ibid. 1. viſu bona, eſu mala, ibid. 12. ſicca eſt acrior arida, ibid. 5. quæ cibo aptior? ibid. 6. varia præparatio, ibid. 9. eſt heterog. part. ibid. 8. quale alimentum, ibid. 10. facult. ibid. 7. ſemen, ibid. 12
CÆSALP. tangitur, 2.76.11. 2.65.11
Calamus aromat. alius eſt verus, alius Offic. 2.5.1. veri facult. 2.24.18. ejus ſuccedaneum, ibid. 19. *Vide* Acorus.
Calamintham vett. eſſe menthaſtrum noſtrum, 2.146.20. ejus facult. variant ſecundum loca, ib. 19
Calaminthæ uſualis facult. 2.146.20
Calida quædam ſunt ſomnifica, 1.20.9. 2.86.9
à Calido ſicco cur diffluat quid aut non, 1.23.5
in Calculi cura præceptum practicum, 2. 102.3. 2.162.37
Gallionymus Geſn. 2.232.1
Calohieri Cretici, 2.120.4
Calendula unde dicatur, 2.45.1
Caltha Virg. & Col. ibid. πολύανθ& Bauhin. ibid. 2. facult. ib. 3
Cambioboia Bontii, 1.8.2
Canna mellea Cæſ. 2.24.5
Canella vulgi, 2.68.1. Americana, ibid. 16
Caucamum Dioſc. 2.119.3
Canibales ἀνθρωποφάγοι, 2.128.12
Cantabrica Plinii, 2.37.3
Capillus ven. Offic. *Vide* herbæ capill.
Caprea, animal, quod Moſchum fert, 2. 162.108
Capparis duplex, 2.47.1. Cappares etiam duplices, ibid. 3. quæ condiendorum ratio? ibid. 4 quando fiat? ante uſum abluendi, & præcoquendi, ibid. 6. cortex rad. capp. ibid. 2. capp. facult. ibid. 9
Caprifolium, 2.143.6
Caranna, 2.48.1. notæ, ibid. 2. facult. ibid. 3
Carbones ad rad. Artemiſ. 2.22.4
Cardiaca non debet ſubſtitui Marrubio, 2. 141.4
Cardamomum lignum an ſemen ſit? 2.49.2. notæ, ibid. 4. quotuplex, ibid. 4. varia nomina, ibid. 7. habemus legitimum, ibid. 4. facult. ibid. 12. Comparatio cum Naſturtio iniqua, ibid. 1. emedullatum, ibid. 3
Cardopatium, *Vide* mox Carlina, pag. 165

 Car-

Carduncello, 2. 66. 36
Carduus videtur eſſe ἄκανθος, 2. 50. 1
Carduus benedictus & ſanctus, ib. 5. quid ſit apud vett. ibid. 6. facult. ibid. 8. Vinum card. bened. ib. 12
Carduus-Mariæ ſeu lacteus, 2. 50 14. quid apud vet. ib. 15. facult. ib. 16
Carnabadium, 2. 4. 6. 2. 51. 1
Caro ſuilla alimentum gladiatorum, 2. 19. 7
Carolus V. Imper. utitur decocto Chinæ, 2. 64. 7. alio tempore Chamædryos, 2. 60. 7
Carob, Carub, Carnub. 2. 2. 16. 2
Carotta eſt Germ. gannoth, 2. 34. 4. eſt duplex Behen Arabum, & Paſtinaca tenuifolia, ratione caloris varia. ib. 4. & 5
Cartamus Arabum eſt Cnicus Græcorum, ubi vide.
Carum ſeu Carui, 2. 51. 1. facult. ibid. 5. rad. veſca, ibid. 3. quò referatur? ib. 1. & cur abluendum ſit? ib.
Caryophylli aromatici, 2. 53. 2. duplices, ib. notæ meliorum, ibid. 3. nihil cum Carpeſio commune habent, 4. in Moluccis. creſcunt. ibid. 5. facult. ibid. 6. gummi, ibid. 11
Caryophylli flos, Tunice dictus, ibid. 12. quid ſit apud vett. 13 facult. 18
Caryophyllata radix, cur ita dicta? 2. 52. 1. quid ſit apud vett. 2. facult. 3
Caſſiæ vox eſt πολύσημος, 2. 68. 2. in Offic. duo præcipuè ſignificat.
Caſſia ſolut. quæ flos caſſia communiter dicitur, & Caſſia tracta vel extracta, 1. 7. 5. cujus uſus ad purgationes, leviores præcipuè, ibid. 9. facult. 12. Correctio commoda, ibid. & 14. quomodo danda, ibid. 15. doſis. 12. 13
Caſſia ſimpliciter dicta, quæ eſt Cinnamomum deterius, 2. 68. quamdiu illa duret, ibid. 7. facult. 8.
Caſſia Poëtica Monſp. 1. 7. 4. Gazæ, ibid.
Caſtanearum quatuor genera, 2. 162. 77. varia ipſarum nomina, 2. 54. 1. equinæ dictæ, ibid. 2. facult. 3. quale alimentum dent? ibid. 6. ſunt flatulentæ, ib. 4
Caſtoris ſeu fibri victus, 2. 229. 4
Cataputia major & minor, 1. 13. 2
Cato, braſſicæ encomiaſtes, ruſticus, 2. 41. 6
Cataracta Arabum, 2. 94. 18
Caules prototomi, 2. 41. 7
Cedrus baccifera, & conifera, 2. 118. 1. Libani 2. 18. 5. nigra ib. 5. confunditur cum junipero, ib.
Cedria, non Cedrea, Gal. eſt ol. Cedrinum ib. 25. facult. ibid. 26. 2. 84. 2. 2. 125. 28. & 74
Cedronella & Citrago eſt meliſſa, ubi vide.
Centaurium & Centauréum, 2. 55. 4
Cent. majus & minus non debent ſeparari, quantumvis diſſimiles ſint, ib. 13. poſſunt ſibi invicem ſubſtitui. ibid. 18
Cent majus Offic. ibid. 4. ejus notæ, ibid. 6. facult. 8. 9
Cent. minus Offic. ibid. 13. facult. ib. 14. an purget? ibid. 16. qua doſi? 17. comparatur cum Gratiola, ibid. 16
Cereviſia ex hordeo facta eſt præcipua, 1. 22. 4. 2. 230. 12. 13. quid faciat inſanam? 2. 110. 7. an contra lepram ſit? 2. 136. 2
Cera Thyrrhenica alba, 2. 125. 6
Ceraſa ceu Ceraſia unde dicta? 2. 57. 1. noſtra an ſint eadem cum vett. ib. 3. facult. 6. differentiæ, ibid. amara, ibid. 10. 13. condita 5. 12. paſſa, ibid. Ceraſ. nucleus, ib. gummi 6. 12
Cerotum de Elemi, 2. 84. 6. Sand. Meſue uſuale improbatur, 2 128. 55. de Beton. 2. 37. 8. diadict. ſacrum, 2. 82. 9
Ceſtrum Gallicum, 2. 53. 16
Ceterach Arabum, 2. 46. 1. 7
Chajar-Xambar. 1. 7. 5
Chamædrys, 2. 60. 12. pal. 2. 208. 2. Chamæd. & Teucrii ſimilitudo, 2. 60. 6. decoctum in podagra, ib. 9
Chamæleon albus, & niger. 2. 50. 18
Chamæcytinus Geſn. 2. 131. 1
Chamæcypariſſus Tragi, 2. 61. 2
Chamæceraſus, 2. 57. 4
Chamæmelum, quaſi malus pumila. 2. 62. 1. eſt πολύχρηστον, ibid. 11. quot plantæ ex hac claſſe in offic. ibid. 2. vulg. facult. ibid. 33. nobilis, ibid. tenuitas ipſius inſignis, ib. 5
Chamæpeuce Cordi, 2. 61. 2
Chamæpityos quot plantæ in Offic. 2. 61. 2. an purget? ibid. 6. facult. ibid. 4. vide Iva.
Chamelæa & Thymelæa, 1. 21. 1
Chærefolium, ſeu Chærophyllum, 2. 58. 3. facult. ib. 5

Chei-

Cheiri vel Keiri *Vide* Viola.
Chelapa pronunciare oportet Tſelapa, 15. 1. 17
Chelidonii vox pluribus tribuitur plantis in Offic. 2. 63. 3. Corrumpitur in Celidoniam, & Cæli donum, ibid. 5. vulgo eſt majus & minus, ibid. 5. & 7. quæ ſeparari non debent, ibid. 1. majoris facult. ibid. minoris, ibid. 11. minus non ubique eſt acre, ibid. 8. an acre poſſit ἀποπλεγματίζειν, ibid. 12. an ſit appropriatum hæmorrhoidibus, ibid. 13
Chelid. phrag. & capn. ibid. 3
Chermes & Chermeſimum, 2. 119. 190. 5
Cherva, 1. 8. 1. *Vide* Ricinus.
China vel Tſina, Indiæ regio, 1. 29. 3. 2. 64. 1. Eſt & planta cognominis, ibid. 2. an eadem ſit cum Sarſa ib. 3. ut vera à falſa diſtinguatur? ibid. 5. contenditur cum Guajaco, ibid. 8. uſus in lue venerea. ib. facult. 7. in paſſi eſt humida, ib 10
Chius inſula hodie Schio, 2. 125. 5. Chiorum olim crudelitas in ſenes, 2. 64. 4
Chiron Centaurus qualis fuerit? 2. 55. 1
Chondrilla unde dicta? 2. 66. 17. facult. ibid. ejus gummi, 2. 125. 5
Christi corona ex qua ſpina? 2. 35. 1
Chryſanthemum Dioſc. 2. 245. 1
Chryſobalanus Gal. 2. 262. 110. 168. 4. 8
Chryſocomum Dioſc. 2. 219. 7
Chryſogonum Dioſc. 2. 171. 1
Cicer arietinum, Orobiceum, vernaculum, Punicum, Venerium, Columbinum, 2. 65. 1. Cic. facult. ib. 7. alimentariæ, ib. 2. ſunt heterogenearum partium, ib. 7. & 9. ſunt flatuoſa & veneria, ib. 2. 3
Cicerbita, 2. 66. 24
Ciceronis error, 2. 125. 1
Cicuta eadem eſt cum vett. 2. 67. 6. variat pro loco natali, ibid. 8. quale venenum? ibid. 9. an quibusdam animalibus innoxia? ibid. 11. facit ἀγόνοις, ibid. 11. eſt nociva non radice tantum, ſed & herba & ſemine, ibid. 5. ſemen ἐπτισμόνον, ἐκπεπτισμένον, ibid. 3. 11. pro Chæref. uſurpatur, 2. 155. 3
Cicutaria, 2. 67. 1. facult. ibid. 10
Cinis Avellanarum, 2. 162 75. rad. fœn. & aneth. 2. 94. 21. juglandium, 2. 162. 101. ligni junip. 2. 118. 14. Cort. frax. 2. 96. 16
Cinnamomum & Caſſia cur jungantur? 2. 68. 1. 4. Cinnam. vox unde? ib. 2. Planta, ib. 3. an habeamus legitimum? ib. 5. quam diu duret? ib. 7. facc. ib. 8. 13. an adſtringat? ib. 11. ſuccedaneum, ib. 16
Ciſtus & Ciſtus-ledon an ſpecie differant, 2. 120 3
Citrus & Cedrus ſæpè confunduntur, 2. 181. 26. Citrus eſt vox recentior, & præferenda malo Medicæ ſeu Perſicæ, 2. 18. 25. fructus tres pertes, ib. 27. Cortex conditus, ib. 28
Citrullus Off. 1. 9. 3. non habet ſulcos. 2. 76. 4. *Vide* Anguria.
Clematis alt. Dioſc. 2. 236. 3
Clinopodium, 2. 31. 2
Clymenum Dioſc. Columnæ, 2. 45. 1
Cneorum Theoph. utrumque 1. 7. 4. & Intubacea.
Κνῖκος, κνῆκος, κνάκος, 1. 6. 1. color ſeminis & fig. ib. 2. an ſit amarum? ib. facc. ibid. 3. quale ſit purgans? ibid. 4. 5. correctio. ib. 6. doſis. ibid. 10. decórticatio, ib. 8. torrefactio, ib. 2
Coccognidium, 1. 21. 1
Coccos, Coccus, Cocca, 2. 192. 19. in Cocci laudem digreſſio, ibid. 86. Coccus de Maldiva, ib. 80. *Vide* Nux Indica.
Cocculi di levante, 2. 21. 20. 162. 148
Cochlearia, 2. 158. 13
Colicaria, *Grimkraut*, 2. 66. 38
Colocaſia, non eſt eadem cum faba Æg. ubi vide.
Coloc. ſpecies d. 9. 3. quæ inter illas in Off. ſit? ib. 5. ejus notæ, ibid. facc. ib. 7. quid purget, & quam violenter? ib. 8. 9 *Vide* Troch. de Alhandal.
Collyria διάσμυρνα, 2. 154. 26. Chelidonia, 2. 65. 5. διὰ γλαυκίου, 2. 145. 6
Color Galbinus, 2. 50 22. phœniceus ſeu ſpadiceus, 2. 168. 1. σιδιειδὴς ſeu lienaris, 2. 181. 19
Colutéa ſeu Colythéa Theoph. 1. 136. 1
Confectio de Alchermes Meſ. improbatur. 2. 190. 13. 14. Anacardina etiam, 2. 162. 54. de rad. Angel. 2. 15. 10. Liberantis ib. 10. aromat. Caryoph. 2. 53. 3. aromat. roſ. ib. dialthæas, 2. 139. 6. diacyminu duplex, 2. 77. 11. Diacaſſias, 1. 7. 13. diatrion. ſand. 2. 128. 52. pineata, ſeu pignocata, ſimplex & compoſita, 2. 126. 7. de Rhab. Crat. 29. 17. διὰ ξυλαλόης, 2. 25. 10. de hyſſopo, 2. 114. 8. dianthus, 2. 194 5. diacoloc. Hamech dicta, 1. 9. 14. Diatha-

thamaron, 2. 168. 12. de thure. 226. 13. diapraſiu, 2. 141. 10. *Vide* amplius in Δia.

Conſica vel Conſita, ladanum inutile, 2. 2. 120. 6

Conſerva Card. bened. 2. 50. 13. fl. cich. 2. 66. 72. pimpinellæ, 2. 174. 3. ſalviæ, 2. 207. 4 fl. tilia, 2. 227. 1. fumariæ, 1. 16. 17. euphragiæ, 2. 89. 5. abſinth. 2. 2. 22. roſ. quæ & roſ. ſaccar, 1. 30. 38. an purget, & quâ doſi, ib. 39. fl. ſpicæ, 2. 157. 17. fl. Perſici, quæ etiam purgat, 2. 181. 16. de tuſſil. 231. 3. galegæ, 2. 99. 9. meliſſæ, 2. 144. 15. anthus, 2. 194. 5. primulæ veris, 2. 185. 2. ſatureiæ, 2. 203. 2. lilii convall. 2. 132. 13. bugloſſ. & borrag. 2. 42. 5. nymphææ, 2. 163 17. fl. tunicæ, 2. 53. 20. beton. 2. 37. 8. Malvæ, 2. 139. 3

Conſolidarum in Off. ſex ſpecies, 1. 69. 1. regia quid apud vett. ibid. 18. facc. 19

Contrayerva Hiſp. 1. 83. 2

Convolvulus althææ folio. 1. 34. 8

Corallus eſt muſcus, φύκος. 2. 153. 24

Corallinæ facc. ib. 28. an purget, ib. 29

Corna & Cornaceraſa, 2. 57. 1. Condita. ib. 13

Coronæ ex Croco olim, 2. 74. 25

Coronæ imperialis facc. 2. 131. 3

Coriandrum unde dicatur? 2. 70. 1. ſylv. an detur? ibid. 3. ſemen præp. 2. 70. 15. eſt partium het. ibid. 9. facc. ib. 4. an venenum & quale, ib. 11

Corruda, 2. 26. 1

Corylus, ſeu colyrus, 2. 162. 57. & 59. ſativa & dom. an detur? ibid. 61

Coſtus noſter an ſit verus? 2. 71. 5. Arabicus & Syriacus, 2. 241. 7. Arabici notæ, 2. 71. 3. ſuccedaneum, ibid. 12. eſt partium heterogen. & μετασυγκριτικὸν, ibid. 7. 9

Cotula, *Rubedill.* 2. 62. 1. ex cotulis apud Bauh. quæ Off. egrediantur? ibid. 2. Cotula non fœtida eſt Chamæ melum in odorum, 2. 43. 2. fætida ut differat à non fœtidâ, 2. 62. 12

Craſſula major Off. 2. 71. 2. 2. 212. 1. quid ſit apud vett. 2. 71. 2. facc. ibid. 3

Craſſala minor Off. 2. 72. 7. unius plantæ ſpecies, ibid. 7. calida an frigida, ibid. 8

Crethmum, crithmum, crethamum, 2. 73. 1. facc. ib. 5

Criſpula Off. 2. 43. 1

Crocus vel Crocum, 2. 72. 1. Crocus Corycius, Siculus, centu rupinus, Calabrenſis, ib. 13. 11. 12. in Croco laudatur ſumma partium tenuitas, ib. 17. Croci adulterium, ib. 13. 12. 17. Croci boni notæ, ib. 4. & ſeq. quomodo ſervetur? 14. ſiccetur? 15. qualis ſit in primis qualitatibus, ib. 29. eſt magnus corrector narcoticorum, ib. 3. Cordialis quippe 17 interim & ipſe narcoticus, inter calida ſcil. ſomnifica, ibid. 18. 22. quantitate venenum intra certam doſin, ibid. 19. eſt herba veneria, ibid. 73. 24. ventriculo nocet, ibid. 27. partum promovet, ib. 20

Crocus ſativus ſeu urbanus eſt Cartamus Arabum, attractylis Dioſc. 1. 6. 1. Saracenicus, *Saffarol.* 2. 74. 16

Crocomagma, ib. 30

Cruciata aurea Tragi, 2. 100. 2

Cubebæ Off. ann. ſint Carpeſium Gal. & piper Æthiop. Hip. 2. 75. 1. 2. facc. ib. 3

Cuci Theoph. 2. 162. 80. *Vide* Coccus, 2. 32. 5

Cucumis, ſat. & Cucumer, vett. incognitus, 2. 76. 1. vel maturus vel immaturus, ib. 6. differentiæ, ib. 3. ſem. & caro, ib. 4. quale alimentum det? ib. 5

Cucumis aſininus ſeu ſylv. 1. 10. 1. 2. 76. 6. *Vide* Elaterium.

Cucurbita, κολόκυνθα, 2. 76. 91. condita, ib. 32

Cuminum Off. Alexand. Rom. acre & dulce, 2. 77. 4. & 5. Regium & Æth. Hipp. 2. 9. 1. Theb. & ruſt. 2. 77. 6. de Cum. Off. perplexitas. ibid. ejusdem explicatio, ibid. 7. maleficium, ibid. 9. 10. facc. ibid. 8

Cupreſſus planta, 2. 1. 3. arbor, 2. 1. 2. 8. 30

Curcuma. *Vide* Cyp. Indicus.

Cuſcuta naſcitur ſemine proprio, 2. 78. 2. & tamen differt ratione plantæ, cui innaſcitur, ibid. 415. facc. ib. 6. eſt partium heterog. ibid. in ventriculo quid faciat? 7

Cyanus, 2. 66. 18. facc. ibid. 20. eſt partium het. ib. 22

Cyclaminus unde ſit dictus, 1. 11. 1. ſpecies ejus non niſi una, ibid. 2. facc. ib. 4. quale ſit purgans? ib. 5

Cydonium ſeu Cotoneum ſub. Pomum. 2. 181. 11. quod melius, ib. Cal. an frig. ſit? ib. 12. 13. Conditum, ib. 14

Cynogloſſi vox polyſimos etiam in Off. 2. 79.

79. 1. 2. uſurpatur autem Dioſc. de cujus facc. ibid. 4
Cynosbatos, & caro fructus diuretica, 2. 152. 25
Cyperus Indicus ſeu Curcuma, 2. 80. 7. facc. notæ ibid. 3. facc. ibid. 7. eſculentus ſeu Thraſi, ibid. 2
Cyprus ſeu Liguſtrum Orient. 2. 129. 1. fol. facc. ibid. 5. *Vide* Tabaiſir.
Cyphi Ægypt. 2. 238. 11. *Vide* Troch. de Cyphi.

D.

Δαδοῦσθαι, ἐν δαδοῦσθαι, ἔνδαδον γίνεσθαι 2. 125. 70
Δάκτυλοι ἰδαῖοι, 2. 167. 3. χυδαῖοι, 2. 168. 8. Nicolai, 162. 80
Dalecampii error, 2. 54 8
Δάνον vox adjectitia, 2. 173. 1
Daphnoides, 2. 236. 13
Datura, Tatula, 2. 162. 147
Δαῦκος, δαύκιον, δαύκειον, 2. 81. 1. Daucus eſt paſtinaca ſylv. 2. 81. 1. Confunduntur, & cum illis Staphylinus, ibid. 2. Creticus, ibid. 5. ſem. facc. ibid. 6. ſaccharo incruſtatum, ibid. 9
Δαφνοειδὲς *Vide* Laureola.
Decoctum cic. rub. in urinâ ſtante, 2. 65. 12
Dentaria ἑπτάφυλλος, 2 69. 9
Dictamnus ſimpliciter dictus ſeu Creticus, 2. 82. 1. habet flores, ibid. facc. pulegio ſimiles, ſed efficaciores, ibid. 2
Dictamnus albus Off. eſt Fraxinella, 2. 82. 1. Facc. ibid. 7. eſt part. heter. nec quidquam commune habet cum Cretico, ibid. 7
Diana ἀειπαρθένος, 2. 22. 1
Διαίνω, 2. 46. 3
Diagridium, pie δακρύδιον, 1. 34. 2 *Vide* Scammonium.
Diaboli artes circa mandragoram, 2. 140. 2
Diacalaminthes geminum, 2. 146. 24. Diaprunon, aut Dia-Damaſcenon quotuplex, 1. 27. 8. doſis utriusque, ibid. 9. diatragacanthes cal. & frig. 2. 228. 3. dialacca. 2. 119. 7. 8. διαφυταλίδων, 2. 217. 5. διακορχορίου Pauli, 2. 12. 32. 152. 24. διακωδιῶν Gal. 2. 169. 18. Androm. Crit. & aliorum ibid. 19. diacodion Montani, 2. 216. 4. diacoſtu Meſ. 2. 71. 13. diaſarum Fern. 1. 4. 10. doſis ibi diacoru Meſ. 2. 5. 3. diacurcuma, 2. 119 9. diatrion pep duplex, 2. 175. 5. διακαρύον, diaſucum, quod & Rob. nucum, 2. 162. 89. diacnicum, 1. 6. 4. diolibanu, 2. 226. 13. διαγλυκοις, 2. 288. 8. diaſmyrnium, 2. 254. 26. dianiſu Meſ. 2. 17. 5. διὰ μόρων, 2. 152. 18. διὰ ἑρμοδακτύλων, 1. 19. 16. diaſcordiu Fracaſt. 2. 208 4. diacardamu, 1. 6. 10. doſis. ibid. dia-maraneſton 2. 57. 13. diaireos duplex, 120. 15. diacydonion quintuplex, 2. 18. 13. lucidum, ibid. Genuenſium, ibid.
Διὸς βάλανος Theoph. eſt Caſtanea, non juglans, 2. 162 76
Diapenſia. *Vide* Sanicula.
Διάφορος, 2. 162. 80
Dioscorides corrigitur, 1. 4. 1. 4. 9. 1. 1. 5, 1. 1. 6. 6. 1. 34 21. 2. 25. 12. 2. 224. 15. & 19. 2. 3. 3. 2. 162. 133. 2. 62. 9. 2. 69. 2. 2. 119. 3. 2. 33. 2. 125. 72. 1. 9. 2. 2. 153. 20. 23. 2. 154. 14. 2. 73. 3. 2. 67. 7. 2. 232. 1. 2. 22. 2. 2. 120. 14. 2. 17. 1. 2. 44. 4. 2. 154. 17. 26. 2. 94. 19. 2. 101. 5. 1. 37. 2. 2. 102. 5. 2. 98. 20. 2. 123. 6. 2. 2. 2. 34. 2. 46. 4. 2. 66. 2. 82. 3.
Accuſatur, 2. 113. 1. 2. 140. 5. 2. 112. 1. 4. 1. 5. 3. 1. 14. 1. 2. 212. 2. 2. 229. 1. 2. 157. 11.
Defenditur, 2. 5. 5. 2. 162. 17
Explicatur, 1. 6. 2. 1. 10. 9. bis. 1. 14. 1. 18. 1. 2. 11. 2. 2. 39. 3. 2. 98. 17. 2. 3. 6. 7. 2. 130. 12. 112. 1.
Dodonæus accuſatur, 2. 24. 5. 2. 195. 2. 13. 2. 156. 30. 2. 4. 8. 2. 92. 6. 1. 129. 21. 2. 76. 29
Defenditur, 2. 74. 26. 2. 153. 21
Δόναξ καὶ κάλαμος à Botanicis non diſtinguuntur, 2. 24. 1
Doronicum, Doronigi, Durungi, 2. 4. 5. 2. 241. 9. ſit ne venenum? 2. 46
Draco Cluſii eſt palmæ genus, 2. 121. 13. 2. 168. 6.
Drakena radix, 2. 8. 2. 9
Δρακόντιος δρακοντίας, ſerpentis inſtar variegatus, 2. 23. 2
Δρῦς pro omni arbore, 2. 190. 1. pro quercu, ibid.
Δρυπετὴς, ſc. ἔλαια, 2. 164. 5. hinc Drupa, vel Druppa Lat. ibid.
Dryopteris Dioſ. 2. 93. 3. 2. 46. 5. El.
Dulcichinum, 2. 80. 2
Dulciſida Gazæ, 2. 167. 2
Dudaim, 2. 140. 3
Dulhaha Serap. 2. 76. 29

E.

E & η in pronuntiatione ut differant? 1. 29 20
Ebenus duplex vegetabilis & mineralis, 2. 128.6
Ebiſcus apud Gal. quod hybiſcus apud Virg. 1.139.4
Ebulus, ſeu Ebulum, 1.32.2. *Vide* Sambucus.
Eclegma de Pino, 2.126.10. *Vide* Looch.
Edel fluvius, 1.29.1
Εκατονταμίγματος, Centena, 2.67.3
Εκκοπρωτικὰ, 1.3.13
Ελάτη multa ſignificat, 2.125.43. in palmà quid ſit? 2.168.3
Ελατίνη Dioſc. 2.259.2
Ἔλαια, ἐλαῖα, ἐλάα ſunt dialecti, 2.164.1. ἔλαιαι πιτυρίδες κολύμβαδες, νυκτερίδες, γευσταὶ θλασταὶ, τεθλιμμέναι, τεθρυμμέναι, ibid. 3. *Vide* Olea.
Elæagnus Cordi, 3.156.7
Ελαιομόλι, 2.164.39
Ελατήριον μικρὸν καὶ ἀσθενὲς, 1.10.4. Elaterium propriè dictum ex Cuc. aſinino. triplex aut duplex, ibid. 5. & 7. ex ſem. Cuc. aſin. ibid. 8. collectio, ibid. 6. notæ, ibid. 9. facc. ibid. 11.12. eſt vehementiſſ. purgans, ibid. 13.15. Correctio, ibid. doſis. ibid. 16. diacrocu ſeu de ovo, ſuſpectum, 1.274.30. diaphœnicon duplex, 2.168.12. roſ. differt ab altero de ſucco roſ. 1.30.28. diagalanga, 2.97.8. de ſebeſten Montag. 135.3. uſus, ibid. 4. doſis, ibid. 5. de Rhab. 1.29.19. lætificans Rhaſ. & Gal. 1.24.21. diacubebes facit, quod diatrionſand. 2.75.4. dahyſſ. 2.114.8. de mannâ 1.23. diapœonias, 2.167.6. diaſatyriu, 2.204.3. diacinnam. 2.68.17. dia Caſſia purg. 1.7.13. de ſold. 1.37.7. de paſſulis, 2.238.11. de gemmis, 2.4.4. de citro, 2.181.28. de pſyllio, quod improbatur, 1.28.9. de baccis lauri, 2.123.7. dia ſene, 1.36.10. de Guajaco, 2.128.34
Elemi eſt reſina, 2.84.1. cujus arboris, ibid. 2. notæ, ibid. 3. facc. ibid. 5
Ελένιον, ſpiritu denſo, 2.108.1
Elephantiaſis cur frequens adeo in Germ. 2. 126.3
Ελιξ, 2.74.6
Εκλεβορίζειν, 1.18.11
Elchenlimbath, 2.125.27
Elixir Meſ. 2.74.30
Ελκὴ περιμαδαρὰ, 2.141.8
Ελμινθοβοτάνη, 2.1.14
Emplaſtrum ex allio, 2.7.19. de baccis lauri, 2.123.7. διὰ βοτάνων, 2.111.18. de meliloto Meſ. 2.229.15. Oxycroceum, 2.74.30. de ſinapi Meſ. 2.86.8. de viſco Scrib. 2.53.14. διὰ φοινίκων, 2.168.12
τὸ Εν intendit aliquando ſignificationem, 1. 29.25
Ενθουσικὸν Theoph. 2.58.2
Εγκέφαλος καὶ καρδία in palma ſunt idem, 2. 168.5
Enhæmum Plinii, 2.84.2
Εſχλωρος, 2.162.134
Epitymum, Epidictam, epithymbra, 2.78.4
Epithymum eſt Cuſcuta thymi, 1.12.1. facc. ibid. 2. eſt purgans & quale? ibid. correctio, ibid. 3.4. doſis, ibid. 5
Επτάνδρον καὶ πεντάνδρον, ſub. ἀρνόγλ. 2.176.1
Equi rotati qui? 2.128.14
Equiſetum, Equiſetis equina cauda, 2.85.1. ſpecies ibid. 2. facc. ibid. 4. eſt part. heterog. ibid. aſparagorum uſus pro alimento, ibid. 3
Ερβαὶ ῥούσια, 2.195.1
Ερέβινθος, Cicer. 2.65.1
Ερειθάκη, 2.150.8
Ερειόξυλον, 2.150.2
Ερινεὸς, καὶ ἐχῖνος ſunt confuſa apud vett. 2. 31.4. 2.50.3
Εχῖνος in Caſt. & fagis, 2.162.5
Ερινεὸς, ἐρίνεος, τράγος eſt Caprificus, 2.91.1
Eruca, planta, eſt, εὔζωμος: inſectum, κάμπη eſt: eruca ſeu erugo, ἰὸς, 2.86.2. planta erat vett. condimentum, ibid. 4. apud nos ut edatur, ibid. 6. facc. ibid. 5.10. eſt Veneria propter humiditatem excrementitiam, ibid, 6
Eruum, ὄροβος plures ſub ſe plantas habet in Off. 2.87.3. quod alimentum, ibid. 5. Comparatur cum braſſica, ibid. 6. prohibetur in calculo, ibid. 9
Ερυθρὸς, adject. ἔρευθος ſubſt. faciunt ex ſe ἐρυθρόδανον, καὶ ἐρευθέδανον, 2.195.1. quæ Rubia tinctorum eſt Off. ibid. Calida an frig. ſit? ibid. 2.3
Eryngium, Iringus Off. 2.50.20. pro eo, quot plantæ capiantur? ibid. 21.22. facc. Montani, ibid. 23 26. Vegetii, ibid. 21
Eryſimum verum quod? 2.86.16. alt. Theoph. 2.230.17

Eſu-

Eſula vel Ezula, 1. 13. 1. major Meſ. quid ſit apud Græcos? ibid. 3. quid minor, ibid. quale purgans? ibid. 4. præp. Off. duplex, ibid. doſis, ibid. 5
Eſeorzos, ſerpens Hiſp. 2. 66. 63
Eupatoria tria in Off. 2. 88. 2. Græcorum eſt Agrimonia noſtra, ibid. 1. 3. Meſ. & ejus facc, ibid. 5. Avicennæ & ejus facc. ibid. 4. vicinæ omnibus facc. ibid.
Euphraſia unde dicta, 2. 89. 1. ſpecies, ibid. 2. temperamentum, ibid. 4
Euphorbii planta apud vett. 1. 14. 14. 1. apud. Dod. ibid. apud Scal. ibid. notæ, ibid. facc. ibid. 14. 4. uſus quomodo tentandus? ibid. 6. doſis ad purgandum, ibid. ſuccedaneum, ibid. noſtrum eſt adulterinum, & quid ſit? ibid. cautelæ. ibid. 8
Εὐῶδες quod naturalem odorem habet, 2. 146. 4. 6
Extractum opiatum, 2. 169. 14. Rhab. 1. 29. 19. myrrhæ, 2. 154. 37. lilii convall. 2. 132. 12. meliſſæ. 2. 144. 15. Croci, 2. 74. 21
Εχῖνος. Vide ἐχῖνος Caſtan. 2. 54. 1
Εχιὰς Hipp. duplex, 2. 13. 3
Ηλιόχρυσον non ἐλειόχρυσον ap. Dioſc. 2. 219. 2. 5
Ημερεκαλλὲς, 2. 30. 1
Ημιόνιον, ἡμιονῖτις, φυλλῖτις ſunt idem, 2. 207. 2
Η῾παρ ſpiritu denſo ſcrib. eſt, 2. 88. 1
Ηρύγγιον ϗ ἠρύγγιον. *Vide* Eringium.

Θ.

Θερμοκύαμος, 2. 135. 2
Θηλυπτερὶς, 2. 93. 2
Θρυαλλὶς, 2. 185. 2
Θρίδαξ, ϗ θριδακίνη differunt, ſed Galen. non obſervat. 2. 66. 39
Θῦα, θῦον & apud Hom. θύον, 2. 25. 10

F.

FABA, olim Haba, 2. 90. 1. aut Græca eſt, aut Ægypt. ibid. an Græca ſit idem cum noſtrâ bonâ? ibid. 2. faba freſa, ibid. 19. præparatio ad menſam, ibid. 10. quale alimentum det? ibid. 16. à fabis abſtinendum Pythagoras voluit. ibid. 18. fac. fabacea, ibid. 19 23. 26. fabæ vulg. facc. ibid, 11. flatulenta eſt, ibid. & 15
Facultates medicamentorum quæ primæ, 2. & 3. 1. 1. 2. quæ & quot manſiones, ibid. 3
Fauſel, 2. 32. 3. 2. 162. 80
Febrifuga, 2. 142. 5
Ficus, vel maturæ vel immaturæ ſunt, 2. 91. 80. immaturarum ſuccus acerrimus, 2. 91. 5. ficuum ſpecies, ibid. 1. ficuum & caricarum differentia, ibid. 16. facc. ibid. 3. 4, in Therap. quæ locum habeant? ibid. 22. in eſu, quid obſervandum? 8. 10. 11. 13. 15. Cur καυσώδεις? ibid. 16. cur diureticæ, ibid. 17. cur flatulentæ? ibid. quod alimentum dent? ibid. 20
Ficaria, herba, 2. 63. 7
Ficedularum ſtercus, cur menſis inferatur, 2. 156. 20
Figo del inferno, 2. 169. 3
Filipendula, 2. 92. 1. quid ſit apud Dioſc. ibid. facc. ibid. 4
Filix duplex. 2. 93. 2. rad. facc. ibid. 5
Filicula querna Bauh. 2. 46. 5
Finochiella, 2. 154. 4
Florum quis maximè exprimat vitam hum. 2. 130. 1
Flatulenta ſuſpendunt alvi excrementa, 2. 90. 29
Fœniculum unde dicatur? 2. 94. 1. plures ſub hoc nomine plantæ in Off. ibid. 2. quæ partes uſurpentur? ibid. 4. quibus utiles? ibid. 5. dulce, ibid. 13. facc. ibid. 9. oportet diſtinguere viride à ſicco, ibid. 8 & 13. ſativum à ſylv. ibid. 11. ſuccus triplex, ibid. 13
Fœniculum marinum, 2. 73. 3. porcinum, ibid.
Fœnu-græcum eſt genere Trifolium, 2. 229. 16. facc. ibid. 18. decoctum ejus, ibid. 18. farina ſem. 2. ibid.
Folium ſimpliciter dictum eſt idem cum Malabatro, quod etiam folium malabatri dicitur, 2. 138. 1. dicitur & Barbaricum & Indicum, ibid. eſt triplex ἁδρόσφαιρον, μικρόσφαιρον, μεσόσφαιρον, ibid. 3 *Vide* Malabatrum.
Fraga quomodo Græcis dicenda? 2. 95. 1. mora, an rubi? ibid 2. fragorum, fragariæ facc. ibid. 3. inebriant, ibid. 8. Comedi debent eodem die, ibid. à quibus? ibid. 10. quale alimentum dent? ibid. 12.
Frangula, 1. 15. 1. cort. interior deſideratur, ibid. 3. purgat Rhab. more, ibid. in quo differat à Rhab. ibid. 4. correctio ejus, ibid.
Fraxinus & Ornus quei differant? 2. 96. 1.

quæ ſcobs perniciosa? ibid. 11. uſus in lienis affectibus, ibid. confunditur cum Sorbo ſylv. ibid. 4. Guajaco ſubſtituitur, 2. 44. 3. cortex, 2. 99. 9
Fraxinella in Off. dicitur Dict. albus, 2. 82. 5
Frumentum quid? 2. 230. 1. Saracenicum, ibid. 17
FUCHSII error, 2. 154. 39
Fucus, animal. 2. 153. 18
Fumaria bulboſa & non bulboſa, off. 1. 16. 1
Fumariæ facc. ibid. 2. laudes apud Aëtium, ibid. 3. eſt diuretica & ſudorifera, ibid. 4. 5. purgat, ibid. 6. quid? ibid. 7
Fuſti, ſeu Fuſtichi, 2. 53. 2
Fuſterna, pars abietis ſup. 2. 125. 44

G.

ΓΑλακτώδης eſt χλιαρὸν, tepidum, 2. 66. 41. & 45.
Galanga Arabibus eſt Chalengia, 2. 97. 1. quid ſit apud vett. ibid. 2. major & minor, ibid. 3. planta habet folia iridis, ibid. & 4. quæ opt. ibid. 5. facc. ibid. 8. ſubſtitutum, ibid. 11
Galatia Alpibus vicina. 2. 125. 36
Galbea Galbula, Galbina, avis, 2. 98. 3
Galbea, galbina, galbana, calvea veſtis, ibid. 7. cujus coloris, ibid. 4
Galbanum, Sagapenum & Aſa fœtida ſunt gummi cognatarum plantarum, 1. 31. 7
Galbani notæ, 2 98. 5. facc. ibid. 15. ſubſtitutum, ibid. 17
Galega, ſeu Ruta Capraria quid ſit apud vett. 2. 99. 8. in Off. alia atque alia eſt, ibid. 1. vera, ibid. 2. facc. ibid. 4. uſus in morbis occultis, ibid. doſis, ibid. 6. 7
GALENI loca corriguntur, 2. 3. 2. 2. 24. 18. 2. 32. 4. 6. 2. 40. 5. 2. 49. 5. 2. 67. 8. 2. 122. 7. 2. 124. 6. 138. 11. 2. 157. 7. 2. 181. 17. 2. 150. 8. 2. 197. 1. 2. 228. 22. 94. 10. 2. 90. 11.
Explicantur 13. 14. 1. 27. 7. 1. 30. 10. 1. 31. 7. 2. 2. 16. 2. 6. 9. 2. 7. 8. 2. 17. 2. 66. 46. & 45. 2. 69. 10. 2. 146. 3. 125. 2. 192. 9. & 140. 2. 111. 12. 2. 150. 2. & 7. 2. 153. 5. 2. 167. 1. 2. 201. 3. 2. 207. 3. 2. 228. 2. Gal. accuſatur, 1. 4. 5. 1. 10. 12. 1. 12. 2. 2. 19. 9. 2. 144. 5. 2. 148. 3. 2. 125. 14. 2. 175. 312. 190. 2. 2. 230. 8. 2. 5. 18. 2. 112. 3. 2. 72. 5.
Gal. conciliatur ſibi ipſi, 2. 54. 6. 2. 65 3. 10. 2. 66 14. Gal. codices accuſantur, 1. 4. 5. 2. 20. 1. 2. 196. 7. In Indiâ longè alii ſunt quam noſtri, 2. 126. 112. 2. 229. 2. Gal. φιλόσυκος καὶ φιλόβοτρυς, 2. 91. 21.
Galium, γάλιον ἀπὸ τοῦ γάλα, 2. 101. facc. ib. 3
Gallæ maturæ & immaturæ, 190. 9. in immaturis vermiculus, ibid. 2
Gallitrichum ſeu Criſta galli Offi. contemnitur. 2. 110. 2
Garipot. Off. quid? 2. 125. 67
GARZIAS arguitur, 2. 138. 8
GAZA reprehenditur, 1. 29. 24. 2. 230. 7. 2. 2. 76. 6. 2. 146. 3.
Gazella, animal. 2. 153
Geleniabim, vel Jelenialin, 1. 30. 37
Gemſenwurtzel, 2. 4. 5
Gengibil, vox Perſica, quæ idem eſt cum Zingiber, 2. 241. 1
Geniſta & ſpartium an ſit unum & idem? 2. 101. 1. Geniſta-ſpartium, ibid. 2. Geniſtæ flos aceto conditus, ibid. 7. 2. 147. 7. rad. uſus, ibid. ſem. facc. ibid. 3. lixivium, ibid. 7. ſucci facc. ibid. 6
Gentiana, & Gentianella, 2. 103. 1. rad. notæ, ibid. 3. facc. ibid. 4
Geranium, ejusque ſpecies, 2. 104. quæ in Off. ſint, ibid. Robert. ejusque facc. ibid. 17. hæmatodes, ibid. 4. Reliquas vide ſuis locis.
Gerſa ſerp. 2. 23. 6
Geum Plinii, 2 52. 2
GESNERI mors, 2. 4. 8
Γήθυον, γηθυλλὶς, 2. 56. 2
Gith, Githago, Gilda. 2. 59. 1
Gitta chemou quid purget? 1. 81. 3
Gladiatores, & milites hordearii qui? 2. 230. 11. glad. quibus virgis cæderentur? 2. 6. 3. fabis veſcebantur, & carne ſuillâ, 2. 90. 16.
Glandes quernæ, quod alimentum dent? 2. 190. 7.
Glans unguentaria, *Ben* Arabum, 2. 53. 2. facc. 3. notæ, ibid. 2
Glaucium quid apud nos? 2. 245. 1. 8. notæ, ibid. 3. facc. ibid. *Vide* Memitſe.
τὰ Γλυκέα, 2. 135. 2
Γλυκύῤῥιζα ἢ γλυκύῤῥιζον, 2. 104. 1. duplex, ibid, 1. 3. noſtra non differt à vett. ibid. notæ, ibid. 5. ſapor cur pleriſque abominabilis, ibid. 10. in uſu cautela, ibid. 12. Correctio, ibid. 13. ſuccus eſt radice calidior, ibid 16. radix eſt temperata, ibid. 7. imò eſt calidior. ibid. 15. eſt ςομαχικὸν juxta & ςομαχικὸν, ἢ ἡπατικὸν καὶ νεφριτικὸν, ibid. 13. ἄδιψον, ibid 14

Γλυ-

Γλυκυσίδη eſt Pœonia, ubi. *Vide* Pleiſte Germ. eſt cicutæ ſpecies. 2. 155. 5
Γλήχων ἢ βλήχον, 2. 186. 1
Γογ[ſ]υλὶς, quaſi ϛρογ[ſ]υλὶς, 2. 193. 1
Goſſipium videtur eſſe à Gauſape, 2. 105. 1. *Vide* Bombax.
Graminis ſpecies quot? 2. 106. 2. quæ in Off. ibid. facc. ibid. 4. 5. contra vermes, & febres. ibid. 7
Granum viride Arabibus quid? 2. 125
Gratia Dei, Geranii ſpecies. 2. 103. 7. facc. ibid.
Gratiole Cent. minori affinis. 1. 17. 1. uſus, ibid. 3. facc. ibid. 4. eſt purgans validum, ibid. 6. doſis, ibid. 7
Groſſus, Groſſulus, 2. 91. 1
Guajacum, lignum ſimpliciter dictum aut eſt lignum ſanctum, ut & palus ſanctus; unde allatum? 2. 128. 10. planta ibid. 9. deturne Orient. quoque? ibid. & 13. notarum aliæ utiles, aliæ inutiles, ibid. 13. & 14. lignum præfertur cortici, ibid. 15. facc. ibid. 16. & ſeqq.
Gummi Alzadach. 2. 107. 9
Gummi Ammoniacum vel Hammoniacum, 2. 10. 1. duplex eſt, ibid. 2. notæ, ibid. 3. facc. ibid. 6. An habeamus legitimum? ibid. 3
Gummi, ſimpliciter dictum, vel Theb. Æg. vel Album, eſt Acaciæ Dioſc. 3. 3. 9. facc. ibid. 11
Gum. Amygdalæ, 2. 162. 49. Chamæleontis albi, 2. 125. 5. hederæ, 2. 107. 8. juniperi vernix ſolida d. 2 118. 8
Guta & Gutta Am v. heic.
Γυμνόλοπος, Çaſtan. ſecies, 2. 162. 77

H.

HADHAD, 2. 442
Halicacabum, 2. 217 4. facc. ibid. 4.
Handal & Alhandel. *Vide* Troch. Alhandal.
Harmala eſt vox Syra de ruta ſylv. 2. 198. 1
Hedera an Edera? 2. 107. 1. 2. 128. 5. eſt duplex, 2. 107. 3. fol. uſus Chirurg. ibid. 5. in univerſum uſus periculoſus, ibid. 6. 7. hedera helix, ibid. 4.
Hedera terreſtris, ſeu chamæciſſus, 2. 58. 1. facc. ibid. 4.
Helenium aſpiratè ſcrib. 2. 108. 1. facc. 3. rad. conditæ, ibid. 8
HELIDÆI ſecretum ex cicutâ, 2. 67. 8
Helioſelinum, 2. 19 6
Heliotropium, 2. 109. 1
Helleborus aſpiratè ſcrib. 1. 18. 1. albus & niger, uter ſimpliciter ab Hipp. dictus? ibid. 7. uter mitior? ibid. radicularum utriusque affinitas, ibid. 3. facc. ibid. 10. quibus differant invicem? idid. purgant furioſè, ibid. 11. Cautelæ, ibid. 12. albus quo modo daretur olim, ibid. 13. quo modo hodiè, ibid. 14. niger. quo modo? ibid. 15. quo modo pulveriſandi? ibid. 17. ſi ſuperpurgationem faciant, aut non purgent quid? ibid. 20. nigri præp. in Off. quid. 18. utriusque doſis, ibid. 19. extracta, ibid. 19
Helxine Dioſc. 2. 170. 2
Hemero callidis facc. 2. 131. 3
Hepatica Off. 2. 153. 15. cujus affectus reſpectu ita dicta, ibid. 29. quædam ſtellaris dicta, 2. 143. 3. quædam nobilis, quæ variat fl. 2. 229. 8. facc. 2. 153. 20
Hepatici propriè dicti, 153. 19
Herbæ capillares in Off. dictæ. cap. Ven. Adiantum, Polytrichum, de quibus ſingulis ſuo loco, 2. 46. 1. inquibus conveniant? ibid. 8. facc. ibid. 9. an purgent? ibid. 13
Herba del cancro, 2. 109. 5. Coſta Cam. 2. 69 27. bella donna, 2. 140. 6. dioro ſive doria, 2. 96. 21. S. Mariæ, ibid. 27. S. Petri, 2. 73. 4. lumbricorum, 2. 1. 4. Trinitatis, 1. 41. & tunicæ, ceuflos tunicæ, 1. 73. 3. turca, 2. 179. 1. vitæ, 2. 143. 3
Herbæ Veneriæ, 2 74. 25
Hermodactyli noſtri an purgent? 2. 19. 1 quid? ibid. 4. an ſint venenum? ibid. laudabiles? ibid. 2. correctio, ibid. facc. primæ, ibid. 3. doſis, ibid. 6. ſunt inter cathæretica, ibid. hermodactylata, ibid. 6
HERMOLAI error. 2 51. 2. 2 145. 5. 2. 179. 1
Hetechen Afrorum, 2. 118, 14. 29
Hiera picra, medic. compoſitum, 1. 3. 17. & 75. hieræ diacolocynthidos, 1. 3. 18. & 28. 19. 14.
Hieracium, 2. 66. 32
Hilum in faba eſt principium activum, 2. 90, 4. *Vide* αἰδοιῶδες.
HIPPOCRATES explicatur, 2 7 6. 1. 10. 4. 2. 39. 2. 2. 41. 15. 2. 24. 5. 2. 147. 8. 2. 146. 12. 2. 150. 3. 2. 162 29.

Corrigitur, 2. 7. 10. 2. 39. 4. 2 225. 1.
Hippolapatum Dioſc. 1, 121. 12. 2. 29. 5
Hippoſelinum, 2. 19. 2. ejus lacryma, 2. 154. 36.
Hirundinaria, 2, 237. 1. de hirundinum oculis fabula, 2. 63. 3
Holleriana, 2. 197. 1
HORATII jocus de allio, 2. 7. 9
Hordeum, κριθὴ duplex, 230. 10. facc. 12
HOMERUS explicatur, 2. 25. 10
Horminum unde dictum, 2. 110. 1. duplex, ibid. Cereale, ibid. 4. uſuale, quid apud vett ibid, 3. facc. ibid. 6. mucago ſem. ibid. 10.
Hyacum, Huyacum, Guajac. 2. 128. 8
Hyacinthus Poët. 2. 156
Hybiſcus viridis Virg. 2. 139. 4
Hydragogum duplez Fern. 8. 2. 11
Hydrops a cauſa calida, 2. 95. 7
Hydrolap. Dioſc. 2. 121. 1
Hydroroſ. Aëtii, 1. 30. 37
Hioſcyami tria nomina à tribus diverſis ſimpl. 2. 111. 1. 2. 3. facc. obſcuræ, ib. 9. ob partium diverſitatem, ibid. 4. eſt venenum, ibid. 15. ſuccus, ibid. 5. Peruvianus, ib. 22
Hypericum Off. 2. 112. 3. & Androſæmum & aſcyrum habent facc. easdem, licet in partibus ſit diverſitas, ib. 5
Hypociſtis. 2. 120. 2. notæ ſucci, ibid. 15. ſucced. ejus falſum, ibid. 26. verum ib. 19. facc. ib. 18. ſal. hyperici, ib. 10
Hyſſopus Græc. & Arabum, 2. 166. 2. 2. 114. 1. 2. Hebræorum, ib. 1. facc. noſtri, ibid. 3 an purget, ib. 5
Hypogloſſum Off. 2. 113. 2. facc. ib. 3

I.

JACOBUS VI. magnæ Britaniæ Rex, diſputat contra uſum Tabaci, 2. 111. 80
Jacobæa, ſeu flos Jacobæus, 2. 66. 36
Jalapium, ſeu Gialapium, idem cum Gelapa ſuprà.
Jaſminum, Jeſeminum, Geſſem, 2. 115. 2. ſpecies, ibid. 3. vox Perſica, 2. 115. 1
Jauſiband, 2. 162. 111
Ida mons & Cretæ & Troadis eſt, 2. 156. 29
Ἱερὰ βοτάνη, quæ & περιστερεὼν, 234. 2
Ἱερὰς, conſecatrix Gazæ, 1. 20. 1
Illecebra, 2. 72 7. major & minor, 2. 212. 5
Ilex, πρῖνος, 2. 100. 5
Imperatoriæ appellatio tribuitur pluribus plantis, 2. 116. 1. quid ſit apud vett. ibid. differentia rad. ibid. 6. facc. ibid. 7. ſuccus, ibid.
Inula, vel Enula. *Vide* Helenium.
Ἱππομάραθον, 2. 140. 6
Inſubria pars olim Galliæ, 2. 157. 12
Intubus ſeu Intubum, unde Intubacea, 2. 663. 4
Ἰξὸς, viſcum, 2. 153. 9
Ἰξίνη, ἰξίας venenum, ib. 9. 14. An Chamæleon ἰξίας?
Ἴον πορφυροῦν, 1. 41. 2
Iris unde dicta? 1. 20. 1. Flor. & Illyr. an differant? ibid. 4. Germ. ut differat? ibid. utra ſit calidior? ibid. ſicca eſt calidior multò recenti, ibid. 7. notæ rad. ibid. 5. quamdiu duret? ib. 6. purgat, 10. coctio & pulveriſatio, ib. 14. correctio, ib. 12. doſis, ib. 13. Condîta, ibid. 16. facc. ibid. 8. eſt ſomnifica, ib. 9
Iris pal. lutea, 2. 5. 1
Juglans unde derivetur? 2. 162. 86. 2. 2. 54. 1. juglandium differentiæ, 2. 162. 89. Molluſcæ & Tarentinæ, ibid. 88. ſurdæ, ibid. juli, ibid. 107. gulioca (an ἀπὸ τοῦ κωλεὸς?) ib. 89. loco piperis, ib. 107. facc. diſtinctè, ib. 9. 1. tenera & rubentia folia, ib. 107. Cortex rad. medius purgat, ibid. nux tota viridis condita, ibid. quale alimentum det. 99
Juniperi & Cedri affinitas, 2. 118. 1. & Jun. quæ partes in Off. ibid. 6. baccæ Jun. & earum facc. ibid. 8 & 17. alimentum ex illis, ibid. 18. plantæ facc. ibid. 13. vernix ſolidâ, ibid. 24. notæ, ibid. facc. ib. 25
Ἰσχυρῶς, eſt ἱκανῶς, 2. 94. 8. ἰσχὰς, ἡ καρικὴ, ficus paſſa, 2. 91. 1
Iſchæmon Plinii, 2. 150. 14
Jujubæ duplices, 2. 117. 1. 2. notæ, ibid. 3. facc. ibid. 4. uſus in affectibus pectoris quibus ib. 5. alimenti loco, ib. 6
Julepus violatus, 1. 41. 9
Jul. Cæſ. Scal. mors, 2. 76. 24
Jupiter inter homines quis fuerit, 1. 301. Ammon. 2. 10. 1
Iva Artritica ſeu artetica, quæ eſt moſchata 2. 61. 1. facc. ibid. 4. *Vide* Chamepitys.

K.

ΚΑΔΥΤΑΣ, καδδύζας, κατύδας, 2.78.1
Καλὸς vocabulum medium, 2.146.5
Καλλείελον, 2.30.1
ἡ Κάλυξ pro pudendo muliebri, 2.13.1
Καπυρὸς, 2.125.6
Κάρδαμος ϗ καρδαμὶς, 2.158.1
Κάρδαμον ἔσθιε, prov. ibid.2
Κάρυον ſimpliciter quæ ſit nux? 2.162.9. quæ & καρύστιον, & λεπτοκάρυον, ib. 56. 57. μυρεψικὸν, ἢ μυρεψικὸν, ἀρωματικὸν ϗ μοσχοκάρυον ibid. 109. πλάτυ ϗ στρογγύλον, ibid. 58. βασιλικὸν ϗ περονκὸν, ibid. 87
Καρυόφυλλον, 2.126.9
Καρυκατάκτης, ibid.
Καθαίρειν ϗ καθαρτικὰ, 1.1.1
Καυλὸς, caulis, *Kohl.* 2.41.2
Κέδρος, κεδρὶς, ὀξυκέδρος; 2.118.13. σύκεάθος, Horm.
Keiſim Arabum, 2.127.5
Κεράτιον, ſiliqua noſtra dulcis, 1.7.1.2.116.1.
Κερωνία ϗ κερατωνία, Theoph. ibid.
τὸ Κεγχνῶδες, ἢ κεγχρῶδες in nucibus quibusdam, 1.126 19
Κεγχραμίδες in ficubus, 2.91.9
Κέστρον, 2.37.2
Κήρινθος, 2.118.8
Κίκι Ægyptiorum, 18.1
Κίσσος confunditur cum τῷ κιστὸς, 2.107.2. ἱεροκισσος, χαμαίκισσος, δενδρόκισσος, &c. 3
Κίτραμ, ἀλκίτραμ, 2.128.78
Κιτρόμηλα, non κεδρόμηλα, 2.181.26
Κίχωρ, κιχώρη, κιχώριον voces Ægyptiæ, 2.262.1
Κλῆθρα Theoph. 1.15.1
Κλῆμα, κληματίον, κληματίτες, ϗ τίτις, 2.236.2
Κόκκος βαφιλὴ, 2.190.12
Κοκκύμηλος, ἔα, ον, 1.27.1
Κολόκυνθα, ἢ κολόκυνθα, ϗ κολοκυνθὶς, 1.9.1. 2.76.30. differt à σίκυς, 1.10.1
Κολοιτία, κολυτέα, Theoph. 1.51.2
Κομαρὸ, fraga, 2.95.1
Κόραλλος, κοράλλιον, 2.153.24
Κόρις, κόριον, κοριάνηθον. (an hinc eſt Coriandrum? 2.70.1
Koſt, κόστος, κοστάριον, quibus plantis tributum? 2.71.1
Κότινος, 2.164.2
Κράμβη eſt recentiorum Græc. 2.41.1
Κρήθμον, ἢ κρῆθμον, 2.73.1
Κριοὶ, cicer arietinum, 2.74.1
Κρότων, 1.8.1
Κυνίῤῥοδον, κρινόῤῥοδον, 2.130.1
Κυνόσβατος, χαμαίβατος, ib 3.2.152.16
Κύμινον, Cuminum, 2.78.1. duplex, ibid. 2. regium & Æthiop. Hipp. ibid.
Κυβήρια, ἢ κυρήβια, 2.150.5
Κύπειρος, κύπερος, κυπερὶς, duplex in Off. 2.80.1.2
Κύτινος, balauſtium, 2.181.20. 2.120.13
Κώδη, κώδιον, non κωδία vel κωδυὰ, 2.169.19
Κῶνως, κωνάριον, κόκκαλος ϗ στρόβιλος, 2.125.56. 2.162.5
Κώνον, cicuta, 2.67.1

L.

LAbyzus, ung. Perſicum, 2.115.1
Lac, loc, luc idem eſt Loch ſeu Lohoch, 2.119.1
Lacca, lacha, ibid. eſt duplex. ib. 2. notæ, ibid. 4. præparatio, ablutio, nutritio, ib. an noſtra ſit legitima? ibid. ſuccedaneum, ib. 5. facc. ib. 6
Lac amygd. 2.162. 31. & 41. Avellanarum, ibid. 72. Cnici, 1.6 6
Lacryma Jobi, 2.134 2
Lactuca, lactucula, lactuncella, 1.66.24. σύνουχος ϗ ἄστυτὶς, ib. 54. μικωνὶς, ib. 44. in facc. quot diſtinguenda? ib. 41. 53. cur ſit caput cœnæ apud nos? ibid. 55. quale alimentum det? ibid. 46. an alvum moveat, & diuretica ſit, ibid. 51. ſuccus purgat, & qua doſi, ibid. 59. caules conditi, ib. 72. Hiſp. ib. 60
Ladanon, Ciſtus-Ledon, ſeu Ladanifer, 2.120.1. collectio, ibid. 4. notæ, ibid. 5. comparatur cum chamæmelo, ibid. 7. an ſit narcoticum; ibid. 9. ſucced. ib. 6. facc. ibid. 7
Lampſana ſeu Lapſana vilis cibus, 2.66.31. militum Cæſ. Dyrrach. ibid.
LANGII error, 2.67.14
Λαπω, λάπτω, λαπάτ]ω, ἀλαπάτ]ω, 2.121.1
Lapatum, non Lapathum aut Lapatium, Offi. ibid. 1. ſpecies, ib. eſt beta ſylv. ibid. diff. in facult. ibid. 3. ex lapato alimentum, ib. 4. ſem. lap. facult. ib. 5
Lappa major & minor, 2.222.1. minor cum per-

perſonata, ib. 2. facult. ib. ſ. 6. 7
Lærch, ſive *Larich* eſt Lat. Larix, 2. 12ſ. 36. Græciæ incognita, 1. 2. 1. 2. 12ſ. 36. Larici folia decidunt, ib. 36
Laſerpitium Alpini, 2. 1ſ. 3
Lathyris major & minor, 1. 13. 2
Lathyrus Cicercula eſt, 2. 87. 1
Laurus, 2. 123. 1. partes differunt facc. ibid.
Laureola mas & femina, 1. 121. 1. quid ſit apud Dioſcoridem, ib. Germ. ib. 1. comparatur cum Euphorbio, 1. 21. 2. uſus in hydrope, ibid.
Lavandula duplex, Ital. & Germ. 2. 1ſ7. 14. facult. ibid. 16
Laudanum opiatum Paracelſi, 2. 167. 14
Legumina quædam ἀτέῤῥμνα, 2. 90 13
Λείριον, λίριον, lilium, 2 130. 10. non differt ἀπὸ τ̃ κρίνον, κρίνεον, κρίνειον, ibid. 2
Lens duplex, 2. 124. 2. facult. ibid. 3. eſt partium heterog. ibid. 3. ideo tumultum facit in ventriculo, ibid. ſ. alimentum ibid. 3. 4. decocti varietas, ibid. 4. in variolis, ib. 14
Lentiſci à Terebintho diſcrimen, 1. 12ſ. 2. facult. ibid. 9. ſuccus, ibid. 3. gummi quod Maſtix, ibid. 4. dentiſcalpia ex Lentiſco, ib. 40
Leonis Afric. verba de Euphorbio. 1. 14. 1
Leviſticum, Libiſticum, Liguſticum ſunt idem, 2. 127. 1. habent hoc nomen plures plantæ, ibid. 2. uſuale quo referendum ſit? ibid. 3. ſemen etiam in controverſia eſt ibid. 4. facult. ſ
Λεύκη κ̀ αἴγειρ☉ an differant? 2. 182. 2
Λευκοῖον, 1. 41 213
Λεύκωμα, 2. 254 26
Λειχὼ, ἡ λέιχυς, ἡ, 2. 21. 1
Λίβαν☉, λιβάνιον, λιβανωτὸς, Olibanum Offic. 2. 226. 1. τὸ λιβανοειδὴς apud Dioſcoridem explicatum, 2. 98. ſ
Lichen, muſcus ſax. 2. 1ſ3. 1ſ. ejus flos non obſervatus à Botan. ibid.
Liguſtrum, 2. 129. 1. & Cyprus quibus differant? ibid. 2. Ægyptium inficit colore flavo, ibid. ſ. eſt odoratum ibid. 6. *Vide* Tabaſir.
Lignum ſimpliciter dicitur, quod Guajacum fuit ſupra, 2. 128. 8. decoctum ex eo fit duplex, 19. vel primum, & ſecundum, vel ſimplex & compoſitum, ibid. 22. liquor ex quo fit, ibid. 24. proportio ligni ad liquorem, ibid. 27. ſpuma decocti, ibid 29. quamdiu durare debeat coctio? ibid. 30. hoc decoctum ſolum perfectè curat præ omnibus aliis formis, ibid. 39. alterum eſt pro potu ordinario, ibid. 31. compoſito an ſit opus? ib. 32
Lignum fraxini loco Guajac. 2. 96. 9. juniperi loco ejusdem, ibid. 16. defenditur à maleficio, 1. 118. 7
Lignum Braſil. duplex, 2. 128. 3. oleæ, 2. 164. 40
Lignum Paradiſi, 2. 2ſ. 9. Cedri, 2. 118 29. Rhodium, 2. 2ſ. ſ
Lilium album, & quot ejus partes in uſum veniant, 2. 130. 4. flos ejus quid dicatur? ibid. eſt partium het. ibid. facult. ibid. & 30
Lilium purp. ſeu ſylv. 2. 131. 2. 163. 2. facult. ibid. 2
Lilium convallium. 2. 132. 1. quid poſſit eſſe apud vett. ibid. facult. ibid. 6. 7. 8. 9. eſt πταρμικὸν & flore & rad. ibid. 12. ſuccus duplex, 2. 132. ſ. 11
Lilium inter ſpinas Salom. ibid. 1
Lilii Perſici facult. 2. 131. 3
Λιμόδωρον, ἡ λοιμόδωρον, 2. 120 11. 14
Limones ſunt Citri immaturi, 2. 181. 29 conditi quale alimentum? ibid.
Lingua avis ſeu anſerina eſt ſem. frax. 2. 2. 96. ſ. ſiccatur in furno, ibid 2. quia flatulenta, ibid. 8. facult. ib. 6
Lingua cervina, 2. 207. 1
Linguæ tremor ſucco lactucæ curatus, 2. 66. 60
Lingulaca, piſcis, Tonge Belg. 2. 42. 1
Linum, λινόσπερμον, 2. 133. 1. ſeminis facc. ibid. 2. quatenus cum fœnugr. componi poſſit? ibid. flatus ciet comeſtum, ibid. ſ
Linaria ad Antirrhina pertinet, 2. 134. 1. ſuccus, ejusque facultates, ibid. ſ
Λιπᾶν, λιπὸς, quid ſit in arbor. 2 12ſ. 70. V. plethora.
Lithoſpermum, 2 134. 1. ſem. facult. ibid. 4. pro diuretico quæ doſis? ibid.
Lixivium ex cinere ficus aut groſſi, 1. 91. 6. 7. geniſtæ, 10. 17
Lobelium ſequitur Bauh in ordine plantario, 2. 106. 1
Lobelius notatur, 2. 69. 4
Looch, ad catarrhum ſalſum, 2. 183. ſ. de caulibus, 2. 4. 1. 19. de pap. Meſ. 2. 69. 17. de paſſulis, 2 238. 11. de pino, 2. 126. 10. de

de portul. 2. 183. 5. de ſcilla duplex, 2. 209. 6. de tuſſil. 2. 231. 3
Lomentum fabæ, ſeu faba freſa, 2. 90. 19
Λόπιμος, ſubintelligitur πώγων, 2. 54. 1. 2. 162. 76
Lotus arbor & herba, 2. 229. 10. herba Ægyptia, pro Nymphæa habita, 2. 90. 9
Lotus Theoph. 2. 163. 2. Sylv. *Siebengezeit*, 2. 229. 10. facult. ibid. 11
Λόχεια, τὰ, λοχευτρια, ἡ, 2. 21. 1
Lues Venerea quando apparuerit in Europa, 2. 128. 10. qualis intemperies, ib. 44. quæ ejus ſigna, ibid. 13
Lupinus unde dictus, 2. 135. 1. maceratus fit dulcis, ib. 7. facult. ibid. 8
Lupuli aſparagi quale alimentum dent? 1. 22. 1. facult. ibid. 6. an purgent? ibid. 8. ſuccus, 2. 126. 1. ſucced. in Cereviſia, ibid. 3
Lunaria racemoſa, 2. 165. 2
Luparia Tragi, 1. 4. 4
Luph planum & criſpum Meſ. 2. 23. 12
Lycii notæ apud veteres, 2. 44. 4. Lycium Rauwolfi, ibid. 2. facult. ibid. 6. & 7. adulterium, ibid. 5
Lycoperſicum Gal. 2. 145. 2
Αυπηνάριον, 2. 135. 1.

M.

MACIS. *Vide* Nux moſchata.
Majorana eſt Germanæ originis, 2. 137. 1. duplex eſt, vulg. & nobilis, ibid. 2. facult. utriusque, ibid. 4. 5
Maiz, frum. Turc. 2. 150. 1
Malum vel pomum ſimpl. dictum, 2. 62. 1. Mali Punicæ triplex fructus, ratione saporis, 2. 188. 22. Malum cotoneum. *Vide* Cydonia. Citria. V. Citrus. Aurantius. V. Malus, &c.
Malus Henricus, 2. 121. 7
Malobatrum eſt idem quod Folium, ubi vide. Ponitur etiam pro ung. Malobatrino, 2. 138. notæ, ibid. 7. noſtrum an ſit legitimum, ibid. 9 ſuccedaneum, ibid. 10.
Malacociſſus Democriti, 2. 59 3
Malinarhalla Theophr. 2. 80 3
Malva equina ut differat à vulg. 2. 139. 1 quod alimentum det? ibid. 3. facult. ibid. 2
Malu hybiſcus, ibid. 4. arb. ſeu roſ. ibid. 9
Μανδράγορα, ἡ, μανδραγόρας, ὁ, 2. 140. 1. Dioſc. & Theophr. an ſit eadem? ibid. 4. mas & fœmina, ibid. 5. 6. tertia ſpecies ibid. Cretica, ibid. 15. diverſas facult. ratione partium, ibid. 2. 9. habet partes heterog. ibid. 10. purgat, ibid. 14. comparatur cum opio ibid. 15. fructus an ſit edulis? ibid. 19. eſt inter narcotica, ibid. 21. Mandragoram bibit, prov. ibid. radix, cortex, rad. ſuccus, ibid. 8
Manna (purg) vel Orient. eſt vel Europêa, quæ & Calabr. 1. 23. 1. Off. duple, ibid. 2. Orient. iterum duplex, ibid. Concreta iterum duplex, ibid. inter Orient. & Cal. quod ſit diſcrimen, ibid. 13. inter mannam & mel roridum, ibid. 9. Orient. an ſit Iſreelitica illa? ibid. 6. an Græcis cognita? ibid. 7. Cal. eſt exfraxino, 2. 96. 17. coacta ſeu ſforxata, ibid. 18. notæ & differentiæ diſtinctivæ, 1. 23. 1. 1. 12. Cal. quotuplex ibid. 3. an poſſit ſubſtitui Orientali? ibid. 18. in uſu ejus cautelæ, ibid. 19. doſis ibid. facult. primæ, ſecundæ, & tertiæ, ibid. & ſeq. quid purget, ibid. 17
Μάννα, ἡ μάννιον Græcis. V. Thus.
Marabillas del Perù, 2. 115. 3
Marci-panes ex Amygd. 2. 162. 36
MARC. VIRG adjutus, 2. 138. 7
Mariſca, tumor, p. n. 91. 1
Marmacor Avic. 2. 44. 8
Marbo Serap. 2. 140. 6
Μάραθρον, καὶ ἱππεῖον μάρ. 2. 94. 1
Μαραθὼν, campus fæniculaceus, ibid.
Μάρον. V. Amaracus.
Maroni, genus Caſt. 2. 54. 2
Marrubium vox Lat. 2. 141. 1. duplex. ibid. 2. facult. ibid. 4. comparatur cum meliſſa, ibid. 4
Martagon Matth. 2. 27. 3. 2. 131. 1
Maslach Turcarum, 2. 169
Maſtix, μαστίχη, Lentiſci reſina eſt, omnium præſtantiſſima, & ex ſola Chio, 2. 125. 1. 4. notæ, ibid. 6. facult. ibid. 15.
Μαστίχη ἀκανθικὴ Theophr. ibid. 5. an eſt ἰξίς, unde Chamel. ἰξίας.
Matriſylviæ, ſeu Matriſalviæ in Offic. 2. 110 2. 2. 142 1
Mater herbarum, 2. 22. 1
in MATTHIOLUM animadverſiones, 2. 24. 14. 17. defenſio ejusdem in faba Ægypt. 2. 90. 9. ejusdem dilutum contra quartanam, 1. 18. 16

Mecha Arabiæ, erat olim Petra, 2.30.5
Mechinum Offic. 2.141.9. Penæ, 2.4.9
Mechoaca ſeu Mechoacanna unde dicta, 1.5.1. nigra vel mas, ibid. 17. differentiæ, ibid. 14. facult. ib. 11. purgat & quid? 12. 14. an infuſum aliquid poſſit? ibid. doſis, ib. 16. correctio, ibid. 7
Meconium, V. Opium.
Medicum ſcire vocabula, liberale eſt, 2.91.1. quatenus ad illum pertineat Coſmetica? 2.23.6
Μεγαλόσαχυς Samph. 2.157.2
Mel Anacardinum, 2.162.54. Emblicatum 1.24.2. Mercuriale, 2.147.11. Myrrinum, 2.156.22. Paſſulat, 2.238.11. Roſ. vel ſol. eſt, vel non eſt, 1.30.35. doſis ſol. ibid. 36. roſ. anthoſatum, 1.30.36. ex ſiliquis dulc. 2.216.4. viol. ſol. 1.41.8
Melazzo, 2.24.8
Μελάνθη, μελάνθιον μελάνθεμον, μελάνσπερμον, 2.160.1. Melanthium Hipp. 2.160.11. pſeudo-Melanthii ſeu Gith. maleficium, ib. 5. facult. 4. *Vide* Nigella.
Μέλαν-ἴον, 1.41.2
Melanzana, Melangena, 2.140.7
Μέλι καλάμινον, 2.24.6
Meliloti quot in Offic. 2.219.12. Germ. & Ital. ib. facult. ib. 17
Μέλισσα, μελίτταινα, μελισσόφυλλον, μελίσφυλλον, μελισσόβοτον, 2.146.4. & 44.1. ſylv. non datur, 2.144.2. hort. quando colligenda, ibid. in facult. cum marrubio confertur, ibid. 5. Fuchſii damnatur, ibid. 4. omnis meliſſa multum habet excrementitii, ib. 1
Mella, fl. ubi apud Virg. 2.63.10
Μελία καὶ βουμελία, 2.96.2
Melonum, & peponum uſus ſollicitus, 2.76.14. poſt eſum quid bibere quis debeat? ibid. 15. quale alimentum dent? ib. 16. quid ventriculo accidat? 17. curant Elephantiaſin, ibid. 18. ſiccati, ibid. 13. diverſitas ſubſtantiæ in carne, ibid. 29. facult. ſeminum, ibid. 20. ſunt. alicubi narcotica, ibid. arefacta, ibid. 21. an Venerem cieant, ib. 22. quale alimentum dent? ib. 23
Memithe Arabum eſt Glaucium Dioſc. 2.63.3. 2.145.1.6. ſuccedaneum ejus, ibid. 10
Mentharum & congenerum confuſio, 2.146.1. in Off. quot ſint? ibid. 7. facc. ſunt propinquæ, ibid. & 9. omnes excrementitiæ, ib. criſpa & rubra, 2.69.27. ſicca diſtinguenda à viridi, 2.146.10. in uſu alimentario, ibid. 18. in bello cur non ferenda? ibid. 11
Menthaſtrum eſt vox Latina, & eſt Calamintha Græc. ibid. 2
Mentha Græca ſeu Saracenica, 2.69.26. buid ſit apud veteres, ibid. 28. facult. ibid. 29
Meretrices decocto aſari utuntur, l. 1. c. 4. §. 6
Mercurialis mas & femina, 2.147.1. ἀρρενογόνον καὶ θηλυγόνον, ibid. 2. ſylv. & hort uſus eſt promiſcuus, ibid. 12. an jure ſit inter emollientia? ibid. 4. purgat mirificè, ibid. 5. quid? ibid. 9. qualis ſit in primis, ibid. 10
Meſpili variæ & intricatæ appellationes, 148.1. meſpila matura & immatura ib. 4.10. inſititia, ibid. 5. condîta, ibid. 2. quale alimentum dent? ibid. 10. qualitates primæ, ibid. 11. femina ſeu oſſa, eorumque facc. ibid. 2.3. ſuccus expreſſus, ib. 14
Mesue corrigitur, 2.2.18. 2.55.17. 1.10.16. ejus Cod. accuſatur, 1.29.17. 2.74.20. vixit poſt Avicen. 2.144.8
Μετασυγκρίνειν, Medici quid vocarint? 2.86.14
Mezereón Arab. 1.21.1. Germanicum, ib. V. Laureola.
Μῆον, Méum, Meu, Mu, 2.149.1. pro Meo habitæ plantæ, quæ non ſunt: quæ ſunt, & non habentur, ibid. 2.3. Méi rad. notæ, ib. 4. habemus Meum, ibid. 5. facc. ib. 6. humore abundat excrementitio, ib. 7. ſuccedaneum, ib.
Μῆλον ſimpliciter, pomum quod dicatur? 2.181.11
Μηλέα, Μῆλη, ibid. 3
Μῆλων, πέπων, μηλοπέπων, 2.76.6
Μήλωθρον, 1.5.1
Milium, κέγχρος, κηγχραμὶς, 2.150.1. cum panico confertur, ibid. 10. uſus cibarius, ibid. 7. eſt legumen durabile, ibid. 3. ſylv. ibid. 14. in antidota recipitur, ibid.
Milium ſolis, vel ſoler, 2.134.1. V. lithoſpermon.
Milzatella, lamii ſpecies, 2.240.7
Millefolii ſpecies, 2.151.2. facc. non ſunt eædem omnibus locis, ibid. 4
Mille grana, 2.179.1

Mir-

Μίνθη, mentha, ἡδύοσμος, 2. 146. 1
Miva Cyd. differt a Syr. 2. 181. 10 duplex eſt, ſimplex & aromatica, ib. 14
Moliugo latif. & anguſtif. Offic. 2. 143. 20
Morbos magnos cur hodie non curamus, 1. 9. 9
Μόρος καὶ μόρον, illud de arbore, hoc de fructu, 2. 152. 1. μῶρος καὶ μῶρον, ſunt poëtica, ibid. μορέα eſt alia dialectus, ibid. 3
Mora ſunt, vel alba, vel nigra, ibid. iterum, Celſi & Baſſi, ibid. rurſus, vel matura, vel immatura, ibid. 5. damnantur à quibusdam in cibo, ibid. 6. facc. ſunt diverſæ pro ratione maturitatis, ibid. 5. 7. 14. quale alimentum dent ib. 12
Morſus gallinæ Offic. 2. 8. 1. diaboli, 2. 206. 2. fac ib. 2
Μοσχεύειν, μόσχευμα. 2. 162. 108
Μόσχος, ὁ, inter alia ſignificat animal, quod fert moſchum odoramentum, 2. 16. 2. 107. 153. 3. V. paralip.
Moly Homericum, 2. 169
Moſtarda, 2. 86. 4
Muccarus. V. Syrupus.
Muſcus, βρύον, 2. 153. 1. Theop. ib. 16. arboreus, & qui inter illos excellat, ibid. 4. facc. ibid. 5. lactucinus Plinii, ibid. 17. pulmonarius, ibid. 6. facult. ibid. 3
Muſtum, 2. 238. 8
Μυάκανθα, 2. 26. 3. 2. 197. 1
Μύξαι, μυξάριο, 1. 35. 2
Μυριόφυλλον καὶ χιλιόφυλλον, 2. 151. 1. de planta difficultates. ib.
Μυροβάλανος Græcorum eſt Ben Arabum, de quo ſupra.
Myrobalani Arabum ſunt 5. generum, 1. 24. 2. purgant, ibid. 11. earum pulveriſatio, decoctio, toſtio, uſtio, ibid. 14. cautelæ in uſu, ib. 10. doſis, ib. 18. conditæ, ib. 16 infuſæ, ib.
Myrrha & gummi ſignificat, & gemmam, 2. 154. 13. prima ſignificatione deducitur ἀπὸ τοῦ μύρω, quod eſt ςάζω, ſtillo, unde etiam eſt Myrra ſtacte. Duplex, vel liquida, vel ſolida. Habet diverſa nomina, ibid. 12. & ſeq. naſcitur remotiſſimis Arabiæ locis, & arborem nemo-dum vidit, ibid. 1. 3. opt. notæ, 2. 154. noſtra habeatne? ibid. 19. facc. ibid. 20. habet vim ſomnificam, ibid. 31. adſtringatne? ibid. 21. ſuccedaneum, ib. 35
Myrrhis & Smyrnium Offic. & myrrhis cicutaria, 2. 155. 1
Myrrhina, æ, eſt vinum fact. non ex Myrrha, ſed ex myrto, quæ μυρρίνη eſt, ibid. 1
Myrrhina ſeu murrhina vaſa ex gemma, dicta onyche, ibid. 2
Myrtus lat. apud Græcos eſt μυρρίνη, ἡ πυρσίνη, μύρρινον, ἡ μύρσινον. Interim & μύρτος & μύρτις invenitur pro planta, ut & μύρτα pro baccis, 2. 156. 4. plantæ deſcriptio, ibid. 6. eſt major & minor, latif. & tenuif. hort. & ſylv. ibid. 7. 8. candida & nigra, ib. myrti hujus baccæ diſtinguendæ à myrtillis noſtris, ibid. 9. notæ verarum, ibid. 11. facc. diverſarum partium, ibid. quod alimentum ex baccis, ibid. 20. ficedularum edulium. *Vide* ſupra.
Μυρτίδανον tria ſignificat, ib. 6
Myrtilli noſtri an poſſint ſubſtitui veris myrtis! ibid. 10. 16. vel nigri vel rubri ſunt, ib. 27
Μύς. ωτὶς, 2. 66. 33
Μυτ]ωτὰ, 2. 7. 1
Μωλύζα Hippocr. ibid. 2

N.

NABATHÆA eſt Arabia Petræa, 2. 30. 5
Napus ſitne idem cum bunio? 2. 193. 5. 6
Ναπυβλέπειν, prov. 2. 86. 13
Νάρδος, καὶ ἡ νάρδον, νάρδε ςάχυς καὶ ναρδοςάχυς, 2. 157. 1. Nardus ſimpliciter eſt Indica, ſeu Gang. licet omnis ſit inde, ibid. ab hac alia eſt Gallica, Celtica, Liguſtica, ib. 12. Syriaca unde nomen habeat? ib. πιςικὸς, 2. 157. 3. notæ Indicæ, ib. 4. noſtra habet, ib. 5. facc. ibid. 7. eſt partium heterog. ibid.
Narcaptum, ſive Naſcaphtum, 2. 162. 112
Narciſſi facc. in obſcuro ſunt, 2. 157. 1. Naſturtium, quaſi naſitortium, 2, 154. 1. cum Naſturt. confuſæ plantæ, ibid. 2. ſpecies intricatæ, ibid. 3. Sylv. ſeu aquat. facc. ib. 11. prat. ſeu Iberidis facc. ibid. ſuave, 2. 49. 2. ſem. facc. 2. 158. 5. folia ſicca à viridibus diſtinguere oportet, ibid.
Natura nihil in cuſtoditum relinquit, 2. 162. 1. quot modis in plantis id faciat? ibid. 2.

in pomis & pyris, 3. in nucibus, ibid. 4. coquendo ad albedinem tendit, 2. 175. 2
Nefrim, ſeu Mesrim Ser. 2. 155. 5
Nenuphar. *Vide* Nymphæa.
Nepenthes Selymi, Imp. Turc. 2. 169. 22
Nepeta vox Rom. eſt, 2. 145. 5. facc. ib. ſubſtituitur Calaminthæ ib. 6.
Neregil, Nergil, Nergel, Nargel, 2. 162. 7. 9
NICANDER corrigitur, 2. 93. 1. 2. 162. 132
Nicotiana, 2. 111 23
Nigellæ ſpecies in Offic. 2. 159. 2. Damaſcena, Romana, Citrina, ibid. 3. Romanæ facc. 2. 160. 4. cirrinæ, ibid. nigellæ præp. ibid. 6. nig. ſem. pro Cardamomo venditum, ibid. 3. nig. ſylv. facult. 2. 160. 11
Numularia, ejusque varia nomina, 2. 160. 1. quid ſit apud vett. ibid. 2. facc. ibidem, 3
Nux Indica, Coccos ſupra, 2. 162. & 110. facult. ibid. 82
Nux Græca & Thaſia amara Archig. ib. 6. & 9. Euboica, 2 54. 1. 57. & 76. Regia & Perſica Gal. ibid. 80. & 87. larvata, calvæ,| (non Galbæ) pontica, Heracleotica, ibid. 57. Minima & Numæ, ib. 58
Nux moſchata unde dicta? ib. 109. arbor, ib. 110. mas & femina, ib. 114. quamdiu duret? ib. 115. notæ bonitatis, ib. 114. partes, ib. 112. differentiæ, ib. 118. facult. ib. 119. 120. hujus ſubſtantia interior cur tam varia? ib. 117. cortex, qui inter tres medius eſt, macis dicitur, non macer, ib. 129. & ſeq. cur torreatur? ibid. 116. ſuccedaneum, ib. 123. integra condita in India, ib. 124
Nux vomica & Metel Offic. ibid. 149. facult. ibid. 3
Nymphæa duplex, flava & alba, 2. 163. 2. facult. ib. 5. 10. quædam eſt calida, ib. 8. radices Conditæ, ib. 17

Ξ.

ΞΑΝΘΙΟΝ Dioſcoridis, 2. 122. 1
Ξυλ ἀλόη, 2. 25. 9
Ξύλον & liena ξύλινα, 2. 105. 1. *Vide* Goſipium.
Ξυλομαςύχη, 2. 125. 12
Ξυλόςεον Dod. 2. 143. 6
Ξυλοβάλσαμον. 2. 30. 4

O.

OCIMI ſignificata, 2. 3. 2. in Off. ſpecies 2. 31. 4. facc. ib. 6
Οὴ, ἢ ὄει, ὄον ἢ ὂον ſorbus, 2. 148. 11
Οἰνόχρως, οἴνωπος, qui color? 1. 29. 25
Οἶνος κωνίας, 2. 125
Οἴνωψ βακχὸς Hom. 1. 29. 25
Olea & oleum videtur eſſe à Græco ἔλαια, & ἔλαιον, 2. 164. 1. Oleaſter, & Oleaſtrum, ib. 2. Rhodius Ruell. 2. 25. 5. Oleæ Æth. lacryma, 2. 84. 2. oleæ fol. ſuccus, 2. 164. 40. Olivarum aliæ ſunt ſylv. aliæ domeſticæ, hæ jam ſunt, vel albæ, vel nigræ, quarum hæ maturæ ſunt, illæ immaturæ, ibid. 4. & 5. aliæ aquaticæ ſunt, aliæ ἁλμάδες, aliæ, &c. *Vide* ſupra in ὄλαια, facult. ibid. 7. conditaneæ, ib. 2. 3. olivæ in uſu alimentario quid præſtent, ibid. 9. nucleus, ib. 13
Oleum quod Commune dicitur, aliud eſt in Off. completum, aliud omphacinum, ibid. 36. viride, ibid. 17. 30. album eſt æſtivum, ib. 16. erant tres olivitates, ib. 17. oleum ut ſervandum, ib. 32. dulciſſ. damnatur, ibid. 35. rancidum abeſſe debet à menſa, ib. 31. lotum duplex, ib. 17. 38. ex ol. ſylv. ib. 37. an nutriat? ib. 30. facult. diſtinctè ſunt tradendæ, ibid. 15. 19
Oleum Abſ. 2. 2. 24. duplex, 2. 162. 48. de aniſo, 2. 17. 5. avellanarum, 2. 162. 75. Balaninum, ſeu de Ben. 2. 33. 3. 5. benedictum ſeu ſanctum, 2. 62. 17. Nardinum, Chamæm. varietas, 2. 62. 15. Caryoph. arom. 2. 53. 11. non poteſt ſubſtitui ol. nucis Moſch. 2 162. 123. cedri. maj. quod cedri peculiariter dicitur, idem de Cade ſeu Mera, Cadinum, Talkinum, 2. 118. 27. 2. 125. 78. nuclei Ceraſ. 2. 57. 5. 12. Cinnamomi, 2. 68. 18. de cetri ſem. chymicum, 2. 181. 28. Coſtinum, 2. 71, 13. craſſulæ maj. 2. 72. 5. Croci ſeu ſomniferum cal. 2. 74. 30. Cumini deſtill. 2. 77. 11. de Euphorb. 11. 4. 6. Fraxinellæ, 2. 82 8. de Fraxini ligno, 2. 96. 1. Guaja deſtil. 2. 128. 39. fl. geniſtæ, 2. 101. 7. hederæ, 2. 107. 10. hyoſc. albi & nigri, 2. 111. 21. hyperici duplex, 2. 112. 13. hyſſ. 2. 114. 8 Jasminum, 2. 115 5. irinum duplex, 1. 20. 7. juglandium, quod & nucum Meſ. 2. 162. 90. 106. de Guliocajuniperi, 2. 118. 26. de inu.

Inula, 2. 108. 12. Keirinum, 1. 41. 13. lactucæ ſem. 2. 66. 72. de ladano, 2. 120. 10. laurinum, 2. 123. 4. 7. lentiſci, 2. 125. 3. ex fl. liguſtri. 2. 129. 4. 8. ex ſem. lini, 2. 133. 8. lil. alborum duplex, 2. 130. 9. macis, 2. 137. 5. ex mandragora multiplex, 2. 140. 23. maſtich. Meſ. 2. 125. 21. cum vicinis comparatio, ibid. 5. Melanthii per expreſſionem, 2. 160 11. meliſſæ, 2. 144. 15. melinum ſeu cydon. 2. 181. 11. 13. Moſchelin. ſeu μοσχέλαιον, 2. 162. 123. de myrrha diſtinctum à ſtacte, 2. 154 36. myrrhidis, 2. 155. 5. myrtorum & myrtillorum, 2. 156. 25. Narciſſ. 2. 159. 1. nardi duplex, 2. 157. 9. nucis Ind. duplex, 2. 162. 85. fl. Nymphææ, 2. 163. 18. Picinum, 2. 125. 74. de pip. 2. 125. 6. piſtac. 2. 162. 146. populneum duplex, 2. 182. 5. Raphaninum, 2. 192. 6. ricini ſeu Ciki, 1. 8. 1. rutæ ſimplex, 2. 198. 3. Sambacinum, non Sambuc. 2. 115. 2. 41. 32. 13. ſem. ſeſel. 2. 214. 5. ſinapi, 2. 86. 7. ſpicæ. 2. 157. 17. Terebinthinæ deſtill. 2. 125. & 41. viol. 1. 41. 11. de Uſnea comp. 2. 153. 5. xylinum. 2. 105. 9
Olibanum, 2. 225. 1
Olivella, 2. 129. 2
Ολυνθος differt ab ἐρινῷ, 2. 91. 1
Olus ſimpliciter, 2. 41. 2. atrum, 2. 19. 2. Cordum ſeu Chordum, 2. 73. 2
Ὄμφακος, 2. 124. 6
Ὄμφαξ, ſub σαφυλὴ, unde agreſta, 2. 238. 1
Ὄμφαλος ἢ πυθμὴν in ficub. 2. 91. 10
Ὀνυχείλη, 2. 13. 3
Ὄπος, ὄπιον, χυμὸς καὶ χυλὸς, 2. 169. 6
Ὀπὸς propriè apud Medicos eſt Laſerpitii ſuccus, ibid. 7
Ὄπιον apud eosdem eſt ille papaver. ſuccus qui inciſis capp. exſtillat, ad differentiam illius, qui ex tota planta exprimitur & μηκώνιον vocatur, ibid. alioquin ὀπὸς μήκωνος indifferenter eſt vel ὄπιον, vel μηκώνιον, ibid. Opii acceptio propria apud Gal. ibid. Opium ut differat à Meconio, ibid. 5. 9. Opium ex utro pap. fiat? 2. 169. 10. colligendi ratio apud Turcas, ibid. 11. uſus apud eosdem, ibid. 13. quomodo appellent? ibid. 8. notæ legitimi, ibid. 12. habemus tale, ibid. 11. facc. ibid. & incidenter 1. 30. 13. Thebaicum, ibid. 11. correctum Zwingeri, ibid. 15
Opocalpaſum, Opocarpaſum, Opocarpathum, 2. 154. 18
Ophioglosſum, 2. 165. 1
Opopanax cujus plantæ ibid. 5. depuratio, ibid. 6. in facc. comparatur cum galbano, ibid. 7. 8. purgat, & quid? ibid. 9. doſis, ibid.
Orchis palmata Offic. 2. 204. 3
Oreoſelinum Dioſcor. 2. 58. 2
Origanum unde dicatur, 2. 166. 1. duplex in Offic. ibid. Origani & congenerum facc. ibid. 3
Ορνόγλωσσον, 2. 96. 6
Ορόβος, ὀρόβιων, ὀροβίαιον, 2. 65. 2
Οροβάγχη, eruangina, 2. 110. 11
Ὀῤῥόπισσα, πίσσης ὀῤῥὸς, 2. 125. 74
Or vala Gallorum, 2. 110. 6
Oryx, animal, 2. 153. 3
Oryza hordeo ſimilis facc. 2. 230. 13
Oſmundæ filicis genus, 2. 93. 2
Oſteritium, Oſtruthium, Aſteritium, detorta forte à Laſerpitio, niſi ſi à ſtruthio, 2. 116. 2. *Vide* Imperat.
Oſſa dactylorum, 2. 168. 12
Oſyris Dioſcor. 2. 134. 1. Plinii. 1. 7. 4
Othonna Diſcor. 2. 63. 3
Oxyacantha Galeni diſtingui debet ab oxya Dioſcor. ut & oxylapathum Gal. ab Olyx. Dioſcor. 2. 35. 2. 2. 12. 1. 1. 9. ita
Oxys diſtinguenda venit ab Oxalide, 2. 229. 6
Oxys variat flore, ibid. 7. 2. 121. 11. 2. 229. 7
Oxymel helleboratum Jul. 1. 18. 16. marrubiatum, 2. 141. 10. ſcil. duplex.
Οξυμυρσίνη, χαμαιδάφνη, ὀξυακάνθα fortaſſis confunduntur apud Dioſcor. 2. 179. 1
Οξυμυρσίνη non eſt Myrtus ſylv. ſed ruſcus, 2. 156 3
Oxyſaccharum, 2. 24 12
Οχνη, pyraſter, 2. 181. 9

P.

PÆON (non poæon) Medicus, unde Pæonia, herba, 2. 167. 1. ab eodem Pæonia & Pannonia regio, ib.
Pæonia, herba, facc. eſt heterogenearum, ibid. 4 harum alia mas, alia fœmina, ib. 3
Palma inter alia eſt arbor: palmulæ, δάκτυλοι, fructus, 2. 168. 46. arbor eſt re vera diſtincta in marem & fœminam, ibid. 2.

palmularum quædam καρυώτ]αι ἢ καρυωτίδες, quædam ἄδιψαι, pleræque rubicundæ qui φοινικοβάλανοι, ibid. 9. facc. alimentariæ, ib. 10
Παλίμπισσα, 2.25.73
Πανάκεια, Æſculapii filia, 2. 25. 1. Panacéa pro medicamento πολυχρήστῳ, 2. 116.7. πάνακος, quaſi πάντ' ἄκος, 1. 25. 1
Pancratium, herba ſcillæ affinis.
Panis, quo purior, eò obſtructioni obnoxior, furfuraceus abſtergit, 2. 230. 4. 5. miliaceus, 2. 150. 11. ex frumento Sarac. ib. 17. ex Sorgi, ibid. 18
Panis cuculi herba, 2. 229. 6
Panicum, ἔλυμος, ἢ μελίνη, 2. 150. 1. damnatur in cibo, ibid. 16
Papaver album & nigrum, 2. 169. 1. corniculatum, ſpinoſum, cornutum, ibid. 2. ſpumeum, rhœas, ibid. 3. in genere de facc. 7. ῥοιάς, ibid.
Parietaria ſive herba muralis, 2. 8. 1. 270. 1. facc. ibid. 3
Parætonius liquor, 2. 3. 5
Parthenium à Matricaria quatenus ſit diſtinctum, 2. 21. 1. 2. 142. 1. cum Majorana nihil habet commune, 2. 37. 1. παρθένιον σμικρόφυλλον Hipp. 3. 142. 3. 2. 223. 1.
Paſſulæ purgantes, 2. 238. 11
Paſtilli ex hyoſcyamo, 2. 111. 7. *Vide* Trochiſci.
Paſtinaca & animal, & planta eſt, 2. 81. 1. ibid. 4. Hæc ſupra fuit Carotta, & Behen Arabum rad. utriusque facc. alimentariæ, ibid. 8. rad. condîtæ, ibid. 10.
PAULI Æg. locus corrigitur, 2. 3. 2. 2. 33. 5. accuſatur, 2. 22
Pedicularis, pedunçularia, 2. 218. 1
Pelloponneſus, Morea, 2. 238. 10
PENA falſam habet icona. 2. 24. 5
Pentaphyllum, heptaph. 2. 171. 1. facc. ibid. 2.
τὸ πέπερι Græcum non eſt, 2. 175. 1
Peponum & Mel. differentia, 2. 76. 8. 12. 28. Mel. à Melop. ibid. 9. 11. Pep. & Sicyopepo idem, ibid. 6
Perdicium Dioſcor. 2. 170. 2
Perfoliata, 2. 172. 1. facc. ibid. quid ſit apud vett. ibid.
Pericles χενοκέφαλος, 2. 125. 1
Periclymenum perfol. & non perf. 2. 143. 6. 7. facc. ſuſpectæ ibid. 7. ſuccus, 144. 8.
Περκάζειν, 2. 164. 30
Perſa gentile Italorum, 2. 137. 3
Περσαία, περσίον, περσεῖον forte eadem planta, 2. 162. 88. 2. 181. 15.
Perſarum obſonium, naſturtium, 2. 158
Perſona, perſola, perſolata, perſolacia, 2. 122. 2.
Pes anſerinus, an ſit venenum ſuum? 2. 29. 6.
Pes columb. cum malva comparatur, 2. 103. 5.
Petaſites, 2 231. 4. facc. ibid. 5
Petra, urbs, unde nomen Arabiæ Petrææ, 2. 30. 2.
Petroſ. Maced. 2. 19. 7
Petum vel Pætum Braſſ. 2. 111. 24
Peucedanum, 2. 173. 1. habemus verum, ibid. 3.
Πήγανον ἢ πηγάνιον, 2. 198. 1
Phalacras apud Theoph. pars Idæ Troadis, 2. 156. 29.
Phalaridos ſemen, 2. 134. 2. 8
Phu, à Græco φοῦ, 2. 232. 1
Picea & Pinus, utra ſit vel πίτυς vel πεύκη, 2. 125. 50.
Πίεσμα ἢ ἐκ πίεσμα τῆς βαλάνου, puta μυρεψικῆς, 2. 33. 3. caro ejuſdem, ibid. 4
Pilulæ de Agar. 1. 2. 12. de aloë, 1. 3. 16. 24 Angelicæ, ibid. 1. 3. 16. arthrit. ibid. 29. 16. aureæ, 1. 3. 29. de Bellio, 2. 32. 9. Cochiæ earumque extract. 1. 3. 28. ex Coloc. 1. 9. 14. de Cynogloſſa, 2. 7. 93. de Elaterio, 1. 10. 14. de Euphorb. 1. 14. 7. Francofurt 1. 3. 16. de Guai. 2. 128. 35. 1. de fumaria, 1. 16. 12. doſis, ibid. 13. de Hermod. dupl. 1. 19. 6. doſis, 8. quæ illis ſubſtituendæ, ibid. ex Iva, 2. 61. 6. Maſtich. Coc. 2. 125. 21. de Mezereo, 1. 21. 3. doſis, ibid. 4. de 5. gen. myrobal. 1. 24. 20. de nitro Trall. 1. 19. 7. ibid. 8. de Opop. 1. 25. 1. 9. doſis, ibid. de Rhab. & Ravedſeni 1. 29. ibid. de ſagapeno triplices, 1. 31. 10. doſis, ibid. 11. de tribus Ruffi ſeu peſt. 1. 3. 12. 21.
Piloſella Offic. 2. 8. 1. 2. 66. facc. 34
Pimpinella ſaxifraga & ſorbaſtrella, 2. 174. 1. 2. 19. 3. 7. facc. utriusque, ibid. 2. rad. vel condîtæ vel. facc. obductæ, 2. 174. 2. 3.
Pinea, πεύκη, differat ne à Strob. ibid. 56. notæ 60. 59. pinea in fictilibus: ibid. 64. συγκομιστὴ, φρυκτὴ, ἢ πεφρυγμένη, ibid. & 78. duplex 51. facc. 53. an poſſit ſubſtitui Tereb. 60. lota 55. Tereb. Chia, Africana ſeu Libyca, ibid. 25. liquida, fricta, uſta, gru-

grumoſa, ibid. facc. 29. 30. duplex fraus in illa 26.
Pinearum bonarum notæ, 2.126. 2. facc. ibid. 3. 4. mares & fœminæ, ibid. crudæ & maceratæ, ibid. & 11. quale alimentum dent, ibid. 4. 5. 6. Cautio, ibid. 8.
Pineolatum, ſeu Pignocatum, 2. 126. 9
Piperis tres ſpecies, quomodo ad invicem ſe habeant? 2. 175. 2. rot. integrum an faciat aliquid in ventriculo? ibid. 4. facc. ibid. 3. album an nigro ſit acrius? ibid. 2. longi facc. & notæ, ibid. 5. piper electum, ibid. 2. βαρύσαθμον, ibid. 3. Theoph. ibid. 2. Americanum, ibid. 6. candidum Cluſii, ibid. 2. conditum in racemis, ibid. 4
Piper Monach. 2. 6. 2. Piperella, ib.
Πίσσανθος ϗ πισσέλαιον, 2. 125. 74. 75
Piſtacia, βιστάκη, βιστάκια, 2. 162. quale alimentum dent? quas obſtructiones expediant? ib. 139. 140. fac. 136
Piſtolochia Plinii, 2. 21. 2
Piſum venenum in nardo repertum, 2. 157. 6
Pituitaria, 2. 218. 1
Πίτυς ϗ πεύκη, 2. 125
Πιτυὶς, κάρυον πιτυϊνὸν, κῶνος πιτυϊνὸς, ibid. 58. 2. 126. 1
Πίττα ὠμὴ ϗ ἑψηθεῖσα, ibid. 73. πίττωσις, ib. 79
Pix vulg. ut fiat? 2. 125. 71. Brutia, ibid. 73. Burg. 2. 84. 2. Picis facc. ib. 79
Placentæ ex milio, 2. 150. 13. ſem. pap. ſparſæ, 2. 169. 4
Plantago, ἀρνόγλωσσον, 2. 176. 1. duplex, ib. facc. ibid.
Plantarum ſumma diviſio, 2. 106. 1. 2. 120. 11. doctrina traditur ὡς τύπῳ, 2. 137. 2. *Vide* τρόπος ἐπιστήμης,
Plantarum humiditas excrementia non dat illis facc. 2. 146. 9. plantæ, quæ cuſcutam alunt, 2. 78. 3. 4
PLAUTUS explicatur, 2. 138. 7. 2. 148. 7
PLATO cur φιλόσυκος, 2. 91. 21
Plethora arborum, 2. 125. 60
Plinius corrigitur, 1. 7. 2. 2. 7. 13. 2. 24. 15. 2. 58. 6. 2. 60. 3. 2. 65. 1. 2. 67. 7. 2. 85. 1. 2. 130. 3. 2. 149. 4. 192. 77. 2. 163. 12. 2. 18. 2. 3. 2. 104. 1
explicatur, 2. 23. 6. 2. 44. 4. 2. 55. 9, 2, 66. 26. & 27. 2. 47. 9. 2. 104. 1. 2. 125. 27. 2. 146. 13.
defenditur, 2. 5. 5. accuſatur, 2. 11. 3. 2. 76. 6. 7. 2 96. 12. 13. 2. 23. 3. 2. 112. 1. 2. 121. 12. 2. 125. 1. 70. 2. 154. 17. 2. 144. 1. 2. 138. 3. 2. 136. 1.
laricem non vidit, quamvis Atheſis incola, 2. 125. 3
Pollucis lapſus, 2. 162. 58
Πολιὸς, canus, πόλιον, herba incana, 2. 177. 2. facc. ib. 3
Polygala, 2. 178. 1. quid ſit apud vett. ibid.
Polygonum, 2. 179. 1
Polygonatum, 2. 180. 1
Polypodium unde ſit dictum? 26. 1. planta, ibid. 2. quibus è locis peti debeat? ibid. 3. quale ſit purgans? ibid. 5. quid purget? ibid. 6. Correctio, ibid. 7. doſis, ibid.
Polytrichum, 2. 46. 6
Pomum, μῆλον, unde malum, prima longa, 2. 181. 1
Pomus & Pomum quid heic dicatur, ibid. pomorum differentiæ, ibid. 5. Poma & Pyra ſunt medicamenta potius, quàm alimenta, ibid. 6. cocta in cibo præſtant, ibid. 7. poſt alios cibos alvum ſtringunt, vertiginem faciunt, ibid.
Pomum Adami ſeu Aſſyrium, 2. 181. 32. Armeniacum, ibid. 17. Conditum, ibid. Aurantium, non Arantium, Anarantium, Nerantium, 2. 181. 31. Citrium dici debet, quod olim Perſicum & Medicum, ib. 25. *Vide* Citrus.
Perſicum nobis dictum, ibid. Cond. ibid. 15. 16
Punicum ſeu granatum, ibid. 19. an alat? 24
Pneumonanthe, 2. 102
Πομφόλυξ ϗ σπόδιον, 2. 129. 10. *Vide* Paralip.
Populus arbor, λεύκη, ϗ αἴγειρος, 2. 182. 1. ſpecies apud vett. ibid. flores, oculi dicuntur, ibid.
Portulaca herba eſt & arbor, 2. 183. 4. & portulaca à Gaza ficta, ibid. portulacæ uſus cibarius, ibid. 5. ſuccus, ibid.
Potentilla, argentina, anſerina, 2. 184. 1. facc. 2
Πραικόκκια, præconia, 2. 181. 17
Πράσον & Πράσιον confuſum, 2. 141. 1
Primula veris Offic. eſt verbaſculi ſpecies, 2. 185 fac. 2. 122. 2
Πρόσωπις ϗ προσώπιον, 2. 122. 2
Προῦνος, προῦνη, προῦνον, προῦμον, προύμιον, 1. 27. 1

Pruna

Pruna Damaſcena, ibid. 2. βράβυλα, ibid. Ungarica, ibid. alia domeſt. alia ſylv. ibid. 3. condîta, ibid. 7. & alimentum & medicamentum ſunt, ibid. 4. differentiæ, ibid. facc. ibid. purgant, ibid. ſ. cautelæ, ibid. 6

Πτελέα, ὀρειπτελέα, 2. 299. 1

Πτέρις, ſubintellige, ςρȣθιοκαμήλȣ, 2. 93. 1

Pulegium regium, montanum ſeu ſerpyllum, 2. 186. 1. cervinum, ibid. facc.

Pulmonaria Gallorum, 2. 187. 1

Pulvis Cyprius, 2. 153. ſ. fructus. 1. 36. 11

Puls ex milio, 2. 150. 1ſ

Pulv. Sax. contra peſtem, 2. 217. 8

Pun, & herba Puntiana, 2. 111. 24

Punica arbor quotuplex, 2. 181. 20. *Vide* pomum punicum.

Purgantia quotuplicia, 1. 1. 1. cum cibo data, 1. 6. 4. in podagra an trahant ex ipſis articulis? 1. 19. 8. ſuperpurgationibus quomodo ſuccurrendum? 2. 118. 20

Πυξάκανθα, Lycium ſeu buxus ſpinoſus, 2. 44. 1

Pyrethrum, 2. 168. 1

Pyrum vel Pirum, 2. 281. 1. Pyra ſunt medicamentum potius quàm alimentum, ibid. 10. moſchatella condîta, ibid.

Pyrola, 2. 189. 1. facc. ib. 2

Q.

QUERCUS non rectè dicitur πλειςοφόρος, 2. 190. 3. omnia ex quercu adſtringunt, ibid. ſ. Galla major ὀνοντηκὶς, minor ὀμφακῖτις, aut ſimpliciter κηκὶς 2. 190. 3. 4

Quercula & humilis quercus, 2. 60. 1

R.

RADICES borraginis, & bugloſſi conditæ, 2. 42. ſ. Cich. 2. 66. 72. Eryngii, 2. ſ0. 28. Helenii, &c.

Radix Scythica, 2. 104. 3. Rhodia, 2. 100. 1. facc. ibid. 2

Ῥάφανος, ἡ olim erat κράμβη: at raphanus ῥαφανὶς ϗ ῥίζα ἢ ῥίζιον, raphanus, 2. 47. 1. 2. 192. 1. quotuplex, ibid. 2. facc. ibid. 3. non juvat coctionem, ibid. 3. ſemen raphani, ibid. ſ

Rapum eſt à Græco ῥάπυς, 2. 193. 1. Rapi uſus alimentarius, ibid. 3. Rapiſtrum arvorum, ibid. 2

Ranunculi ſunt cauſticæ naturæ, 2. 19. 1

Raved-ſeni, 1. 29. 3

Ῥέον, ῥῆον, rhecoma, rhacoma, 1. 29. 20. *Vide* Rha.

Reſina quæ ſimpliciter? 2. 12ſ. ſ9. Abiegna duplex, ibid. 2ſ. in quibus differat à larigna, ibid. 46. facult. 47. lota, 48. an poſſit ſubſtitui Tereb. 49. Colophonia vett. ibid. 63. ſicca & liquida, ib. uſualis quid? ibid. 67. Larigna dicitur Tereb. Veneta, ibid. 37. notæ, 38. lotio, 39. quodammodo duplex, 40. facult. proxima tereb. 3ſ

Ricinus, 1. 8. 1

Rha fluvii nomen, unde & Rhabarbarum & Rhaponticum, 1. 29. 1. 2. quæ communia habeant, quæ propria? ibid. 21. an utriusque una ſit planta? 12

Rhab. ubi verè creſcat? ibid. 4. ejus planta, ſ. quatenus vett. cognitum, 21. non adulteratur, 8. quamdiu duret, ibid. notæ legitimi, 6. nocumenta, 13. laudes, 11. doſis, 14. modus 1ſ. toſtio, 16. quid purget? 12. aliæ ejus facult. 10. quid illi ſubſtituendum? 19

Rhab. album ſeu Indicum, 1. ſ. 1. *Vide* Mechoacam.

Rhab. monach. 2. 121. 12. habet facult. Rhab. ſed qua doſi? 1. 29. 1ſ

Rhap. eſt duplex, 2. ſſ. 3. veri notæ, ibid. 2ſ. facc. 26. Thracicum Alpini, ib. 22. fac. 26. uſuale eſt Cent. majus, 23

Rhamnus catarticus, 1. 38. 1. facc. 2. *Vide* Spina inf.

Rhodopharmacum, 1. 30. 31

Ribes ſeu Groſſularia, 2. 199. 1. Rauwolfii, ib. 4. ſuccus ribes, ib. 2

Ῥίζα μέλαινα Hipp. 2. 2ſ. 1

Rob de agreſta, 2. 238. 1. berberis duplex, 2. 3ſ. 8. ceraſorum & cornorum, 2. ſ7. 13. de moris triplex, 2. 1ſ2. 27. uſus, ibid. 20. ribes, 2. 199. 2

Robur pro arbore, 2. 190. 1

Ῥοιὰ ἢ ῥόα, malus Punica, 2. 81. 19

Roſarum ſumma diviſio, 1. 30. 2. roſa Mileſia, Trachinia, moſchata, ſaccharina, ſina, ibid. Zebedena, Perſica & Alex. ib. 6. partes uſuales, ibid. 7. Roſa ipſa Offic. & quomodo ab aliis diſtinguenda? ibid. ſ. facult. diſtinctè, 9. 16. 17. aq. ſtill. an purget? 21. folia calida an frig. ſint? ibid. 9

Ros-

Ros-marinus eſt Libanotis Dioſc. 21. 94. 2. facult. 4
Rubia tinctorum, 2. 198. 1. facult. ibid. cal. an frig. ſit? ib. 3
Rubi quæ partes uſurpentur, 2. 152. 18. folia aliud agunt viridia, aliud ſicca, ibid. 24. fructus vel maturi ſunt, vel immaturi, 20. rubus Idæus, 18. rubi utriusque facult. 19
Rumini qui vocentur ab Orient. 2. 158. 12
Rus non eſt Græcum, ſed Syrum, quibus ἐρυθρὸς eſt, 2. 194. 2. coriaria & culinaria eſt eadem planta, 2. 196. 2. Rus eſt ſumach. Offic. ubi vide.
Ruſci rad. facult. 2. 192. 2
Rutæ vox eſt Græca, 2. 198. 1. Capraria eſt Galega, ubi vide. Sylv. eſt Harmala, ſeu Beſaſa. Aliud poteſt viridis, aliud ſicca, ibid. 3

S.

Sabina (potius Savina) eſt βράθυς, 2. 200. 1. an unquam crevit in his ſaltibus? 2. 153. 2
Σάκχαρ, σάκχαρι, ſaccharum, 2. 24. 6. an vett. fuerit cognitum? ibid. & 7 facult. ſunt dubiæ, ib. 8. Thomæum, Candi, penidium, Syr. ſacchar. ib. 12
Sacchari cum melle comparatio, ib. 10. ſacc. roſ. purgans.
Sagapenum, ſacopenum, ſerapinum, 1. 31. 1. duplex eſt, ib. 4. notæ, ibid. 6. noſtrum & legitimum, ib. 4. facult. ib. 8. quale ſit purgans ib. 9. doſis, 10
Sal fraxini, 2. 96. 15
Saliunca, 2. 157. 12
Salix Americina, 2 6. 3
Salvia duplex, 2. 201. 1. minor ſeu nobilis, ibid. agreſtis, ibid. & 110. 2. facc. ibid. 3
Sambucus, & Ebulus, 1. 32. 1. facult. ibid. 4. purgant, 8. Correctio, 11. doſis, 12. ſambuci fungus, ib. 4
Sandali nomen Arabicum, 2 128. 49. triplices, ib. 50. notæ, 51. noſtri an ſint Arabum? ib. 52. facult. ib. 54
Sandaracha, vel eſt gummi juniperi, de quo ibid. vel eſt metallicum quid, 2. 118. 8. quod & Sandaros & Sandarox, ibid.
Sanguinaria, planta, 2. 43. 2. 103. 6
Sanguis draconis Offic. triplex, 2. 121. 3
Sanguis taurinus eſt venenum, 2. 91. 7
Sanicula major & minor, quarum hæc Diapenſia: illa Alchymilla, 2. 202. 1. facult. ibid. 4
Sanicula Alpina, ibid. 3
Santolina, 2. 1. 3
Σαξίφραγον Lat. non σαξίφραγον Græc. 2. 37. 3
Saxifraga alba rotundif. 2. 205. 1
Sapinus pars abietis ima, 2. 125. 44
Saponéa, 2. 162. 45
Sarcocollæ notæ, 1. 33. 2. 3. ibid. 4. damnatur, ibid.
Sarcotica qualia ſint in 1. qual. 2. 20. 6
Sarmatia duplex, 1. 2. 1
Sarſa ſeu Zarza pariglia, vox Hiſpana, 2. 128. 40. quid ſit apud veteres? ib. 41. ejus notæ, ib. 41. comparatur cum China, ibid. facult. ibid. 44
Saſſafras vox Gall. 2. 128. 46. folium plantæ, ibid. odorem habet fœnic. ibid. 47. facult. 48
Satureia, Thymbra, Thymus ut facie non diſſimiles, ita facult. vicinæ ſunt, 2. 203. 1. 2
Σῆτες, ἢ σῆτες, unde σητάνιον, annuum, 2. 148. 1
Satyri non fuerunt homines, 2. 204 1
Satyria & iis affines, 2. 204. 2. facult. ibid. 4
Satyrium baſilicatum, ibid. rad. cond. ibid. 5
Scabioſa Offic. eſt Stœbe, 2. 206. 1. facult. ibid.
Scammonia ſeu um. 1. 34. 1. tres ſpecies ib. 2. notæ, ib. 5. quatenus veram habeamus? ib. 6. Antioch. & Monſpel. ibid. 8. doſis ibid. 7. Antioch. quam diu duret, ib. 10. facult. 11. 12. vis purg. 15. quid purget? ib. quibus corrigatur? 17. modi dandi, 18. doſis, 20. cautelæ, 23. & 24
Scarléa Offic. 2. 110. 2. odor ejus graviſſ. facit vinum valde halituoſum, 6. 7
Scariola, quaſi Seriola, 2. 66. 10. ſylv. ibid. 19
Scilla & Scylla differunt, 2. 209. 1. facc. ib. 4. Scilla aſta & elixa, ib. ſit ne hyacinthis accenſenda, vel narciſſis? ibid. 5. quædam eſculenta, Epimenidia dicta, ibid. facult. ib. 1
Schœnanthus, male ſquinanthos, 2. 211. 1. noſter eſt leg. ibid. 2

Σκόρδιον, σκόρδιον Poët. qu. σκορόδιον, 2. 208. 1. ſcordium duplex, vulg. & Cret. ibid. 2. facult. 3
Σκόροδον allium, ἀφροσκόροδον, &c. 2. 7. 1
Scorpii generatio ex baſilico, 2. 31. 9
Scolopendra, ion, millepeda, 2. 207. 1
Σκωληκοβοτάνη, 2. 153. 29
Scorbutus quando in Norico cœperit graſſari? 2. 63. 9. ſignatura in Chelid. min. ibid.
Scribonii locus, 2. 49. 3
Scrophularia minor, 2. 63. 7
Scorzonera unde dicta, 2. 66. 63. noſtra differt ab Hiſp. ib. 65. fac. 64
Σεβένιον Archig. 2. 168. 3
Sebeſten an prunorum ſpecies? 1. 35. 1. an purget? ibid. 3
Secacul. 2. 5. 3. 2. 50. 26. *Vide* Siſarum.
Secale, Rogga, 2. 230. 14
Secretum ad movendos menſes, 1. 3. 23
Selago Plinii, 2. 153. 2
Σέλινον apium cum compoſitis, 2. 19. 1
Semen ſimpliciter quod vett. 2. 230. 7. Alexand. 2. 19. 4. Saxifragæ alb. non rad. ipſius 2. 205. 2. ſeſel. Pelop. loco quale ſit? 2. 2. 15. 2. Leviſtici, ib. ſem. parvum, Semenza, Semenzina (non ſemen Cinæ) lumbricorum, 2. 2. 7. ſiſonis, 2. 215. 2.
Semi-homo Col. 2. 140. 2
Sempervivum majus & minus, 2. 212. 3. & 4. facult. 4
Sena vel ſenne vocab. Perſicum, 1. 36. an Græcis cognita? ibid. duplex, ibid. 2. quæ partes in uſum veniant? ibid. 3. facult. 4. quid purget? 6. correctio, 7. modus dandi, 8. doſis, ibid.
Senecio, vel Senatio, qu. ſeniculus, 2. 66. 35. duplex, quorum major Jacobæa dicitur, ibid. 37. habent partes heterogeneas, ibid. 38
Serapio corrigitur, 1. 39. 6. 2. 60. 12. 2. 174. 29. 2. 138. 7. 2. 146. 18. 2. 241. 1
Seris intubi ſpecies, 2. 66. 3. hort. & triticaria, ibid, 19
Serpentes deponunt exuvias juxta fœniculum, 2. 94. 16
Serpentaria, Dragonéa, 2. 23. 1
Serpillum, ἕρπυλλον, 2. 186. 1. 3. 2. 213. 3
Servius accuſatur, 2. 57. 2
Seſamoides utrumque eſt Hell. uterque, 1. 18. 2
Σεῦτλον, ἢ τεῦτλον, τευτλὶς, 2. 36. 1. σευτλοσταφυλῖνος Geſn. ibid. 4. σευτολάπατον, σευτλομαλάχη, 2. 121. 1
Σῆδον, σᾶδον, ſedum, 2. 212. 1
Σηρικὰ Galeni, 1. 53. 3. 2. 117. 4
Σήσαμον, σησαμὶς, σησάλιον, ſeſamum, 2. 214. 1. facult. ibid. Semen in cibo, 2. 214. 2
Σίδα, σίδη, σίδιον, 2. 181. 19
Sief de thure, 2. 226. 13
Sigillum Mariæ, 1. 5. 1. quatenus duplex, ib. purgat & qua doſi? ibid. 8. 10. Salomonis, 2. 180. 1
Σίκυος, σικυὸς, σίκυος, σίκυα, σικυώνη, σικυωνία, Cucumis, 1. 91. 2. 76. 1
Sil, Sile Plinii, 1. 8. 2
Siler ejusdem, 1. 15. 2. montanum, 2. 215. 1
Siliqua Ægyptia eſt Caſſia ſol. ubi vide. Dulcis, Græca, magna eſt Carobe, 2. 216. 3. facult. ibid.
Singui, Tartariæ urbs, 1. 29. 4
Sinapi uſus ad menſam, 2. 86. 11. quæ obſervanda ibid. 12. facult. ib. & ſeqq.
Siræum, ſapa, defrutum, propriè eſt muſtum decoctum, 2. 238. 6. ſed & ficuum eſt, 2. 91. 24
Siſarum, 2. 210. 1. incentivum Tib. Imp. ib. 2
Siſymbrium Gal. 2. 158. 14
Σῖτος, frumentaceum omne, 2. 230. 1
Siſon Dioſcor. 2. 19
Sium Gal. 2. 158. 14
Σμίλακος ὄζειν, prov. 2. 115. 3
Smyrnium Dioſcoridis & Theophr. 2. 19. 2
Soccotora, inſula maris rubri, 1. 3. 6
Soldanella, 1. 37. 1. debet eſſe ſpecies braſſicæ, ibid. quæ partes uſurpentur, ibid. 3. facult. ibid. quale ſit purgans? ibid. modus 5. doſis, 6
Solani ſpecies in Officinis quot? 2. 217. 2. hortenſis facult. ibid. Halicacabi, ib. 5. herbæ paridis dictæ, ibid. 7
Solea, piſcis, 2. 42. 1
Solidago. *Vide* Conſolida.
Sonchi ſpecies quot? 2. 66. 24
Sorbus duplex, 2. 148. 11. torminalis, ibid. ſorba duplicia, ibid. Condîta, ibid. cum meſpilis confuſa, ibid. 3
Sorgi, 2. 150. panis ex illo retorridus, 2. 230. 18
Sophia Chirurg. 2. 22. 7

So-

Sophera & Sesban, 2.99.3
Σπάθη καὶ ἐλάθη palmarum, 2.168.3
Spartium. *Vide* Geniſta.
Σπόνδυλος & Atticè σφόνδυλος; σπονδύλιον, σφονδύλιον vertebra, vertebrillium. At σπονδύλη eſt inſectum fætidum. Ab alterutro eſt Spondylium Dioſc. 2.40.1
Spica Ind. Offic. 2.157.14. Celtica ſive Rom. ib. 12. ubi hæc creſcat? ib. facult. quidem illius, 7. hujus autem, 13
Spica-nardi Offic. h. t. Lavandula utraque, ib. 14. facult. ib. 16
Spina ſimpliciter d. Botanicis, 2. 3. 1. alba Dioſc. 2. 50. 29. Candida Plin. 2. 25. 1. Cervina infectoria, merula, 1. 138. 1. quale ſit purgans? ib. 3. ſancta, cruciata, Chriſti, 2.35.1
Spinachia, 2. 121. 1. cur betæ ſubjiciatur? 2. 36. 15. facult. ib. 16. pro cibo quomodo paranda, ibid. 17. quale alimentum det? ib. 19
Spodium Græcorum & Arabum ut differant, 2. 24. 2. 2. 29. 9. *Vide* Paralipom.
Stacte eſt πολύσημον, 2.154.8
Στάφις ἀγρία, cur ita dicta. 2. 218. 1. facult. 2.3
Σταφυλῖνος pro planta, 2.81.1
Στελὶς viſci nomen Eub. 2.153.11
Stellaria Augenii, 2.50.22
Στέμφυλα, ϛεμφυλίδες, 2.146.3
Στοιχάδες inſulæ ubi? 2.219.1. ſtœchas Arabica, ibid. facult. ibid. citrina ejusque facult. 7
Stramonium Fuchſii ſeu Datura Turc. 2. 162. 147
Στρόβιλος ſitne arbos peculiaris, 2. 125. 56. *Vide* κῶνος.
Στρύχνος ἢ τρύχνος, 2. 217. 1. *Vide* Solanum.
Storax barbarè pro ϛύραξ, 2. 220. 1. ϛύραξ, καὶ ϛυράκιον in haſta quid ſit, ib. an ſit unius arboris, ib. 3. non eſt myrrha-ſtacte, ibid. notæ, ib. 4. eſt quantitate venenum, ib. de facc. 5
Succinum Scyticum, 2.32.5
Succiſa Offic. eſt Stœbe, 2.206.1
Succus ſemper-vivi majoris, 2. 212. 4. Ceraſ. 2.57.5
Succuir Tart. regio, 1.29.4
Sura, potus Indicus ex Cocco, 2 162.86
Σφαιρία Malobatri, 2.138.3
Σφάκος σφάκελος, ἐλελίσφακος, 2.201.1
Σφηκίον fabæ Ægypt. 2.90.8
Σχῖνος, ἡ, & χοῖνος, ὁ ut differant, 2.125.1
Σχῖνος quam Scillæ ſpeciem ſignificet? ibid.
Sylvius taxatur, 2.118.12. & 26
Συκέα, ἡ pro arbore, σῦκον pro fructu, quemadmodum βυσικὸν pro mariſca, 2.91.1
Συκάμινος, έα, συκομόρος, 2.152.2
Symphytum magnum & petræum, 2. 69. 3. facult. variat, ibid. 7
Syrupus, Julepus, Miva, Muccarus aliquando idem ſignificant: aliquando diverſa, 1. 20. 30. 30. Syr. ex Abſ. Pont. 2. 2. 21. adjantinus Fern. 2. 46. 14. de agreſta, 2. 238. 1. de agrim. 2. 88. 9. ex acido Aurant. 2. 181. 32. de Betonica, 2. 37. 8. de ſucco borraginis & bugloſſi, 2. 42. 5. Byſant. 2. 19. 8. de Calamintha Meſ. 2. 146. 23. de Cap. Veneris, ibid. 2. 46. 14. de quinque capill. ibid. ex ſucco Card. bened. 2. 50. 1. de Cardamomo And. 1. 6. 10. Caryoph. comp. 2. 53. 20. è ſucco Cent. maj. 2. 55. 11. an purget? ibid. 12. de ſucco Chamæmeli duplex, 2. 62. 10. 19. Cich. Plac. 2. 66. 21. è ſucco Cich. cum Rhab. ibid. 68. an purget? ibid. 71. de Cinnam. 2. 68. 18. de cort. Citri duplex, 2. 181. 29. de cucurb. 2. 76. 32. domeſticus ſine ex ſpina, infectoria, 1. 38. 4. ex Endivia comp. 2. 66. 68. de Epithymo, 1. 12. 6. doſis, ibid. de Eupat. Meſ. 2. 88. 8. de Felice, 2. 93. 6. de fragis, 2. 95. 17. de Fumaria duplex, 1. 16. 9. cautela in uſu majoris, ibid. 10. doſis ibid. 11. de Guajaco, 2. 128. 36. de ſucco Glyc. 2. 104. 17. ex hed. terr. duplex, 2. 59. 5. de Hepatica Pedem. 2. 153. 23. de Hyſſ. duplex, 2. 114. 6. de Iride, 1. 20 16. de Jubebis duplex, 2. 117. 7. de Limonibus, 2. 181. 30. de Lupulo, 1. 22. 7. de ſucco aſparag. lup. 2. 136. 2. isque duplex de Malva, 2. 139. 3. de Mentha Meſ. duplex, 2. 146. 22. de ſucco Mercur. 2. 147. 11. de Millio, 2. 150. 15. ex ſucco millef. 2. 151. 7. Meliſſ. duplex, 2. 144 15. Myrtinus duplex, 2. 156. 21. ſimplici an compoſitus ſubſtitui poſſit? ibid. 24. de Nymphæa, 2. 163. 15. de fl. pap. rhœadis, 2. 196. 15. de Praſio, ſive Marrubio 2. 141. 9. de ſucco Pariet. 2. 170. 3. de ſucco fl. Pæoniæ, 2. 167. 6. Piloſellæ ad phthoen, 2. 66. 34. è ſucco Plantag. 2. 176. 4. de Polyp. Aug. Niphi, 1. 26. 10. de ſucco Portul. 2. 183. 5. de Pomis ſimplex

& compoſ. 2. 181. 6. de pomis Regis Saporis, 2 181. 9. ex flor. prun. ſylv. 1. 27 10. de Pyris moſchat. 2. 181. 10. διὰ τελῶν ῥοιῶν, 2. 181. 24. de Rhaphano Fern. 2. 102. 7. ex ſucco Rhap. 1. 29. 23. roſ. ſol. & non ſol. Et hic ſimplex vel comp. 1. 30. 31. doſis, ib. cum helleb. 1. 18. 16. de ſucco Scab. 2. 206. 2. de ſucco Scordii, 2. 208. 3. diaſereos And. an purget? 2. 66. 71. de Stœch. duplex, 2. 219. 4. de ſucco rubi Idæi, 2. 152. 29. de Symph. Fern. 2. 69. 9. de Tuſſ. minore, 2. 231. 3. de Veronica, 2. 235. 4. de vino, 2. 238. viol. fol. 1. 41. 8

T.

TABACUM, 2. 111. 22. varia ejus nomina, ibid. 23. ejus hiſtoriam qui ſcripſerint, ibid. 24. fumus, ibid. 24. uſus exploſus, ibid. 30. uſum quomodo quis abdicarit? 2. 169. 20. facc. 2. 111. 25

Tabaiſir eſt Cyprus & ſpodium Arab. 2. 129. 12. & ſeq. facc. utriusque ib. 17

Tacamahaca ejusque notæ & facc. 2. 221. 1. 2

Tædæ vel teda quid ſit propriè, 2. 125. 70

Talla Feſti, 2. 56. 3

Tamalabatra, 2. 138

Tamar Indi, 1. 39. 1. cum Caſſia fol. ratione arboris, ſociandi, ibid. fructus qualis eſſe debeat? ibid. 2. qualitates 3. purgant 4. doſis. 5

Tamarix, Tamariſcus, Myrica media ambigua, 2. 222. 1 facc. ibid. 2. Cortex & ſcobs ligni, ib. procula ex ligno pro lienoſis, ib. galla, ibid. 3

Tamus, uva taminia, bryonia ſylv. 1. 5. 1. *Vide* ſig. Mariæ.

Tanacetum unde dictum, 2. 223. 1. eſt duplex, ib. 2. qualis planta, ib. prima ejus folia 3. ſemina, ib. cum Majorana nihil commune habet, ibid.

Tanais, Tana, Ton, ff. 1. 29. 1

Tangut, Tartariæ regio, ibid. 4

Tarachicon eſt à Græco τεάχιμος, 2. 66. 5

Tataria herba Ung. 1. 25. 2

Tatula, 2. 162. 162. 2. 169. 21

TAVRM. in Plaut. arguitur, 2. 148. 7

Tepida caliditas Gal. 2. 29 4. 2. 62. 38. 2. 60. 43. 21. 104. 8. 2. 120. 18. 2. 129. 5. 1. 30. 13. 15. 2. 133 2

Temperata cur in laude, 2. 37. 1

Τερέβινθος, τέρμινθος, τρέμινθος, poët. 2. 125. 22. ſpecies, ibid. 23. Terebinthus Indica Theoph. eſt Piſtacium, ibid. 25. 2. 162. 133. Syriaca Quintiliorum, ibid. Tereb. baccæ, 2. 125. 24. facc. ibid. 29. 30. Terebinthina, *Vide* in Reſinis.

Tereniabin, 1. 23. 2

Terentum, Terenum eſt molle, 2. 162. 11

Teucrium, 2. 60. 1

Thapſus, inſula, 2. 224. 1. barbatus Off. ib. 2. facc. 3

Thapſia unde dicta, ibid. 3 quomodo præparanda, ib. eſt venenum cauſticum tota ſubſtantia, ib. ſucced. ib. 4

Thaumantis, & Thaumantias, 1. 20. 1

THEOPHRASTUS ut Dioſc. quoque, non ſcribit, methodo, 2. 157. 10. *Vide* τρόπος ἐπιστήμης.

THEOPH. corrigitur, 2. 3. 1. 4. 2. 4. 1. 2. 2. 66. 61. 2. 67. 4. 2. 33. 5. 2. 153. 17. 1. 29. 25. 2. 104 3. 2. 106. 1
explicatur, 1. 26. 4. 2. 125. 27
accuſatur, 1. 10. 10. & 12. 1. 7. 3

Theriaca diateſſaron, 2. 102. 6. ruſt. 2. 7. 7

Thlaſpi, thlaſpidium, 2. 121. 1. quod Ther. And. imponendum? ib. 2

Thraſi an floreat? 2. 80. 2. facc. ib. 2

Thraſiæ ars infamis, de venenis ad tempus dandis, 2. 67. 13

Thus unde dictum? 2. 226. 8. thuris arbor & folium, ibid. 6. ſpecies commentitiæ, ibid. 2. σταγονίας, ἄτομον, ἢ ἄτμητον maſculum, ib. 3. 4
Confectum, uſtum, & toſtum ib. 9. thuris notæ, ib. 8. facc. diſtinctæ, ib 9. eſt ſoporiferum, & interficit. ib. 10. Cort. & ſemen thuris, ib. 1

Thymus & Thymbra. *Vide* Satureia.

TIBERIUS. Imper. cur ſiſer ex Germ. petierit? 2. 211. 2

Tigname, Thymiama Offic. 2. 226. 1. 2. 162. 112

Tilia mas & fœmina, 2. 227. 1

Tithymalus humi pinus, 1. 13. 2. Myrſ. Dioſcor. 2. 162. 14

Tormentilla, 2. 171. 1

Tornabona. 2. 111. 23

Torneſole Hiſpan. culpatur, 2. 109. 2 5

Tota bona, 2. 121. 1. 6

Tortæ amygdalatæ, 2. 162. 36

Tragacantha, hirci ſpina, 2. 228. 1. gum. trag. ib. facc. ibid. 2

Tra-

Tragopogon, hirci-barba, 2. 66. 60. facc. ibid. 62.
Triſſago, 2. 60. 1. paluſtris, 2. 208. 2
Trif. quotuplex in Offic. 2. 229. 1. bituminoſum, ibid. 2. ab initio rutam olet, ibid. 5. creſcit etiam in Germ. ibid. 4. facc. ibid. 2. 5. fœtidum, 2. 18. 2. μινιανθὲς, 2. 229. 9. ſimpliciter dictum, ibid. 2. acetoſum. ibid. 6. hepaticum, ibid. 8. aureum etiam dictum, ibid.
Triticum, πυρός, conſideratur vel ut alimentum, vel ut med. 2. 230. ibid. in aqua coctum non eſt cibus hum. ibid. 6. farina triticea, ibid. 3.
Troch. ex abſ. 2. 2. 23. alhandal, 1. 9. 10. correctio, ibid. 11. Cautelæ, 1. 1. de Alkekengi, 2. 217. 4. de Aniſo, 2. 17. 4. de Berb. 2. 34. 9. de Capp. 2. 47. 11. de Eupat. Meſ. 2. 88. 8. de Eup. & Roſ. ibid. 9. de Lacca, 2. 119. 9. de Myrrha, 2. 154. 38. de Rhabarbaro, 1. 29. 19. de Sand. Meſ. 2. 128. 35. Scillitici, 2. 219. de Spodio duplices, 2. 219. 18. de Vitice Rhaſ. 2. 6. 1. 1. de violis, διαίων, 1. 41. 12. διαφυτακλίδων, 2. 6. 2. Cypheos, 2. 238. 11.
Τρόπος ἐπιστήμης in Botanicis non eſt ἀκριβής, ſed ſæpe ſuperficialis, 2. 31. 4. 1. 18. 3. 2. 41. 3. 2. 12. 1. 2. 66. 6. 2. 81. 6. 2. 118. 2. 2. 138. 3. 2. 142. 2. 2. 157. 10. 2. 55. 13.
Turbith, vox Arabica, tribuitur multis plantis, 1. 40. 1. uſuale ejicitur ex Offi. ibid. 2.
Turderi Meſ. 2. 110. 5
Tuſculum Plauti, 2. 126. 1
Tuſſilago duplex in Offi. 2. 231. 1
Tutia Arabum, 2. 129. 11
Tygris quale animal, 2. 28. 3

V.

Vacinium, & Poët. vaccinium eſt è Græco ὑάκινθος, 2. 156. 30. 2. 129. 3
Valeriana ſeu phu eſt partium het. 2. 232. 4. eſt diuretica, ibid.
Varn quid Germ. 2. 93. 7
Vaſa myrrhina ſeu murrhina, 2. 154. 1 *Vide* Myrrha.
Venenum in corpore hum. an gigni poſſit? 2. 152. 6.
Veratrum unde dicatur, 1. 17. 1
Verbaſcum album & nigrum, mas & fœmina, 2. 233. 2
Verbena mas & fœmina, 2. 234. 1. ſuccus in peſte damnatur, ibid. 3
Verbenaca, ibid.
Vernix ſolida, quæ eſt gum. junip. liquida, quæ eſt ſcobs ſuccini, cum oleo lini cocta, 2. 118. 10. 12
Veronica φερονίκη, 2. 235. 1. quid ſit apud vett. ibid. 2
Verrucaria, ſive vert. ſcorpioides, 2. 209. 6
Vettones, ſeu Vectones, pop. Hiſp. 2. 37. 1. & hinc Vettonica nobis Betonica.
Victorialis mas & fœmina, 2. 7. 20
Vinca pervinca, 2. 236. 4. eſt part. heterog. ibid. non purgat, ibid. 6
Vincetoxicum, 2. 37. 3. facc. ibid. 3
Vinum videtur eſſe ἀπὸ τοῦ εἶναι, 2. 238. 2. Vinorum cur tot ſint genera? ibid. quale ſit in primis qualitatibus? ſive an omne calefaciat? ibid. 3. 4
Vinacea, ibid. 12
Vinum abſ. reprobatur, 2. 2. 13. Card. bened. 2. 50. 12. enulatum, 2. 108. 6. Euphraſ. 2. 89. 3. Guajacinum Hippocras, 2. 128. 37. lil. conval. 2. 132. 4. Malvat. noſtrum eſt picatum, 2. 125. 69. Mandragorite, 2. 140. 21. Muſcat fact. 2. 110. 7.
Violæ in Offi. uſitatæ, 1. 41. 1. viola ſimpliciter dicta, eademque Martia, ibid. 2. cujus planta Violaria, ſeu Mater viol. ibid. eſt diuretica & ſoporifera, ibid. 4. purgat, ibid. 6. qua doſi? 7. ſuccus viol. ibid. 11
Violæ calathianæ, 2. 102. 1
Virga aurea, 2. 69. 1. quid ſit. apud. vett. ibid. 23. quæ facc. ibid. 24
Virgilii locus exponitur, 2. 81. 31
Viſcum ſuper quibus arboribus? 2. 153. 10. quernum cur tantæ dignationis? ibid. 13. Dod. id impugnat, ibid. 14
Vitex duplex, 2. 6. 3. quæ in Offi. partes, ibid. 5. aſparagi ejus, ibid. 6. cal. an frigid. ſit? ibid. 7. caput petit, ibid. dolorem capitis & facit, & tollit, ibid. 10. 11. eſt ἄγονος, ibid. 2. 11. an ſemen ſubſtitui poſſit aſpalatho? 2. 25. 7
Vitis vinifera, 2. 238. 1. ſylv. οἰνάνθη, labruſca dicitur, ibid. alia eſt Theoph. 1. 5. 1. Idæa Theoph. 2. 156. 28. alba & nigra Dioſcor. eſt Bryonia.
Vitriolaris, ſeu Urceolaris, 2. 170. 1
Ulmi cortex, 2. 238. 1
Ung de Artanita, duplex epomphalicum, 1. 11. 6. ex cort. Caſtan. 2. 54. 12. Citrinum, 2. 23. 6. Comitiſſæ, 2. 54. 12. Crocinum, 2. 74.

2. 74. 12. dialthæas, 2. 139. 6. epuloticum ex Ladano & Chamæleonte, 2. 120. 7. Enulatum 2. 108. 12. Hederæ, 2. 107. 10. Malobatrinum, ſeu Fol. 2. 138. 2. Martiatum magnum, 2. 73. 4. Maſtich. 2. 125. 21. de Matriſylvia, 2. 43. 7. ex panno lineo, ex charta veteri ſeu noſtra, 2. 133. 10. populneum, cal. an frig. ſit? 2. 182. 4. de Reſ. mag. 2. 125. 62. rub. puerorum, 2. 13. 5. de Tabaco, 2. 111. 21
Unctuoſa herba, 2. 67. 7
Ungula cab. aquat. 2. 163. 16
Vocabula uti deſita non uſurpanda, 2. 1. 92. 1. quæ poſita ſunt certis ſpeciebus, illa ſinere oportet, 2. 181. 2. 2. 41. 2
Vogelneſt, dauci ſpecies, 2. 81. 4
Volha ſeu Volga, fl. 1. 29. 1
Urtica in Offic. duplex eſt, 2. 240. 2. habet partium tenuitatem inſignem, ibid. quousque ſit calida? ibid. 5. ſemen eſt flatuoſum, ibid.
Uſnea ſeu muſcus arb. 2. 153. 3
Vulnerariæ potiones quid faciant? 2. 69. 25.
Vulneraria herba, 2. 43. 3
Uva criſpa. *Vide* Ribes.
Uva quercina, 2. 190. 1
Uvæ paſſæ ſeu Corinthiæ, 2. 238. Condîtæ, ibid. uvas ſervandi apud Turcas ratio, 2. 86. 15.
Uvularia, 2. 113. 1

Y.

ΥΔΑΤΑ κρίωαῖα, 2. 66. 42
Υπέρωρ@, 2. 154. 10
Υ῞φεαρ, viſci nomen Arcadicum, 2. 153. 10. Reliqua vide in Hippocr.

Φ.

Φακο: σευτλο: βολβοπ]ιοσάνη, 2. 124. 10
Φάρμακον λαπάτ]ον ϗ ἀλαπάτ]ον, 2. 121. 1
Φηγόπυρον, 2. 234. 17
Φιλύρη, ϗ φιλυρέα, 2. 227. 1
Φλόμ@, Φλομὶς, ἢ πλόμ@, πλομὶς, 2. 233. 1
Φόβαι, lobæ non lobi, 2. 230. 1
Φόρβιον Gal. & Pauli obreptitium, 2. 110. 1
Φῦκ@, φοίνιϲον, 2. 193. 18. ab hoc eſt Phucus, differens à Fuco, ibid.
Φύραμα, 2. 10. 3
Φύλλον ἀῤῥενογόνον, ϗ θηλυγόνον, 2. 147. 2
Φύσημαι ἐλάτενον, πιτυινὸν, ϛροβίλινον, 2. 125. 45. 51. & 57.

X.

XAΛBANH apud Lat. ſit Galbanum, 2. 98. 1.
Χελιδονία & χελιδόνιον, ut differant? 2. 63. 1
Χλοερὸς, unde χλωρὸς, 2. 98. 4. Hinc χλωρεὶς ἢ ϗ χλωρείων avicula, ἴκτερ@, ibid.
Χοιροπελεθὸς, non χοιροπέλεθρον. *Vide* Lex. in πέλεθ@, 2. 13. 3
Χροιὰ σιδιοειδὴς, 2. 181. 19
Χρυσόμηλα, 2. 181. 31
Χρυσοβάλαν@, 2. 168. 4
Χρυσάνθεμον, ἐρυάνθεμον, κυνάνθεμον, λευκάνθεμον, μελανθεμον, 2. 62. 1

Ψ.

ΨΩΡΑ, Aëtii, 2. 280. 1

Z.

ZAFFARAN, Zahafferan, 2. 74. 2
Zambach vel Sambach. 2. 115. 2
Zéa ſive ſpelra, 2. 230. 9. Zéa duplex, ibid. 8. Zeopyrum, ibid. 9
Zedoaria, Zedera, Zadur, 2. 241. 7. eſt Coſti ſpecies ibid. 7. 2. 71. 12. condita 2. 141. 7. Semen Zed. Offi. ibid.
Zetumber, Zurumbet, ibid.
Zibebæ, 2. 238. 10
Zingiber vox barbara, 2. 241. 1. eſt radix, ſed non piperis, ibid. tota planta, ibid. 2. furſcum, ibid. 5, aſſatum, ibid. conditum, purgans, ibid. 5. 6. facc. ibid. 4
Ziziphа Plinii & Col. 2. 117. 2
Zythus & Curmi vett. 1. 22. 4
Ζώπισσα, 2. 125. 76
Zz. hæc nota ζμύρναν, ſeu Myrrham ſignificat, non Zinziber, 2. 154. 6

FINIS.

CASPA-

CASPARI HOFMANNI,

DOCTORIS MEDICI,

PARALEIPOMENA OFFICINALIA.

CASPARI HOFMANNI, DOCTORIS MEDICI, PARALEIPOMENA OFFICINALIA.

DIVISIO OPERIS.

QUÆ Officinas ingrediuntur, ſunt ex triplici rerum genere, *Animalium*, *Plantarum*, & *Metallorum*. *Plantarum* quia latiſſimè patet, ideo primo loco exſecuti ſumus duobus libris: Reſtant duo alii, alter quidem de ſuperiori genere: alter autem de inferiori, in quibus ero parcior: Quod ergo attinet ad animalia, dividam negotium in tres partes, prout vel tota animalia quæruntur: vel particulæ illorum: vel excrementa.

SECTIO PRIMA.

I. DE TOTIS ANIMALIBUS.

CAPUT I.

DE VIPERIS.

A. His do locum principem, quia Trochiſci Viperini locum habent in principe alexipharmaco, *Theriaca* Andromachi nobis dicta. De his ſcripſit erudite, ſed ſtylo monſtroſo, Baldus Ang. Abbatius, Eugubinus, quod opus excudi curavit Noribergæ 1603. Collega olim meus, DD. Ernestus Sonerus, &c. Ex hoc tria potiſſimum mihi ſumam. I. *Viperam* dici quaſi *Viviparam*, & eſſe coitum illarum, ut ipſe pingit & deſcribit, mare & femina arctiſſimè in ſe complicatis, quod ſe vidiſſe ajebat nobis in Italia, cùm per montana Sileſiæ, *ubers Rieſen Geburg*, D. Joan. Rantzenbach, Goltbergenſis, iter faceret. Habet hæc Matthiolus quoque in Dioſcoridem, *lib.* 1. *cap.* 16. quæ ſibi arrogat Imper. 28. *Nat. hiſt.* *f.* 777. & qui mox *f.* 790. pingit viperam parientem.

B. II. Venenatiſſimam eſſe beſtiam: ſed venenum habere in ore circa dentes in veſiculis, quod mordendo ſubito infundit in vulneratam partem. Habet autem, quod ſæpè vidimus in Italia, cùm ad Trochiſcos parandos occiderentur viperæ amputato capite, & cauda, mas quidem unum habet dentem, tenuem, hamatumque, inſtar ſpinæ piſcis, quem veſicula ambit pellucido humore plena: femina autem utrinque duos, pariter veſicis indutos, è quibus ſubitò emittit humorem dictum, ſi poſtquam caput amputatum eſt, cultrum vel ſecurim ori admoveas.

C. III. Hoc quidem in loco venenum tantum eſſe, reliquum autem corpus non innoxium tantum eſſe, ſed & alexiterium, quod & proprium venenum, ut aliorum ἰοβόλων, ex interioribus ad exteriora pellat, & hac ratione longævos faciat. Et abjicitur quidem caput propter venenum: cauda autem, non propter ullum maleficium, ſed quia excarnis. His ego IV. jungo, nec ab Abbatio, nec ab ullo alio (quòd ego ſciam) tactum quomodo Galenus principio II. *Simpl.* & *cap.* 12. ἀποτυπώσεως ἐμπειρικῆς (jam enim ita ſino) dicere póſſit, ſe curam

curam Elephanthiaſeos occepiſſe per imitationem, cum tres tantum hiſtoriæ priores effectum adſcribant veneno vipereo: duæ poſteriores, vel de carne viperina comeſa, vel de Theriaca loquantur?

D. De Carne afferam hiſtoriam ex Porphyrio Tyrio, *lib. de abſtinentia à carnibus*, quam olim etiam *App. Poſt. cur. cap.* 181. dedi de ſervo Crateri philoſophi, qui Elephanticus deſperatus curatus eſt eſu ſerpentis (ſic ille) ἰχθύος τρόπῳ σκευασθέντος, deſcribente Galeno σκευασίαν *in illo de Simpl.* Ambigit inter venenum & carnem Solenander 1. *Conſ. ult.* cum viperas vivas concidit, in aqua hordei coquit, quo hordeo enutritas gallinas, & jam pennis novis amictas, Elephanticis proponit comedendas. Carnem ipſam expreſſè etiam vult Aëtius, *lib.* 13. *cap.* 123. Oribaſius 3. *Morb. cur.* 62. præcipuè Galenus 2. *ad Glauc. pen.* Et his ratio adſtipulatur. Per vices enim ſumpta caro cocta ſenſim etiam expellit virulentum humorem.

E. Interim & alterum eſt ſcriptum, vide dictum Abbatium, *cap.* 27. Quo loco illud non eſt omittendum, Viperas legitimas fuiſſe notas omnibus ſeculis, præterquam patrum noſtrorum memoria, qua Avicenniſtæ regnabant. Cùm enim Græcæ linguæ ignari eſſent, τὸ θηρίον, quod diminutivum eſt ἀπὸ τοῦ θήρ, & in genere ſignificat omnem beſtiam atrocem in ſpecie inter alia viperam, accommodarunt vocem neſcio cui ſerpentum generi, & detorta è Græca voce, Thyrum vocarunt. Hunc errorem primus detexit Leonicenus, monitus ab Ill. Lucretia Farrarienſi duce, phyſicarum rerum ſtudioſa, *ſcripta* ad illum *epiſtola*, quæ aliis ejuſdem Leoniceni opuſculis annexa eſt, Baſil. anno 1529. in qua oſtendit, *Maraſſos* Italis dictos eſſe veras ἐχίδνας, à priſcis olim uſurpatas.

F. Aſſertio ipſius eſt *f.* 266. *dictæ edit.* & mox *in alt. ep. f.* 309. In fine prioris ait, ſe de eodem negotio ſcripſiſſe ad Alexand. Farneſium Cardinalem.

C A P U T II.

TROCHISCI VIPERINI, SEU THERIACI.

A. DISPUTATIO longa eſt, & tædioſa, quando venandæ ſunt viperæ? Provoco ad morem, in Italia obſervatum ubique locorum, ADULTO JAM VERE. Tum enim videris in foro venales, quo modo captæ ſunt. Ratio capturæ Patavii eſt. Montes Euganei caſtaneis abundant fruticeſcentibus, quæ in arborem (inquam) non aſſurgunt. Horum baculos, ſemi ulnam aut paulò amplius longos, craſſos ita, ut manum impleant, cum corticibus tamdiu tundunt, ut lignum poſſit eximi, relicta inferius parte aliqua, qua poſſit tubus comprehendi. Hos tubos collocant ſub noctem inter fruteta dicta, & altero mane veniunt tentatum, quid ceperint. Si graves ſint tubi, certi ſunt de

præda, ideoque operculum, quod paratum habent, imponunt foramini, & ad urbem properant, venduntque parmacopœis, qui in vitris infra capacibus, ſed collo oblongo præditis, ſervant ſine cibo tamdiu, uſque dum tot conquiſiverint, quot opus habent.

B. Tum verò oritur altera diſputatio, quando necandæ ſint? Galenus vult τὰς ἀρτιθήροις, *recentes à captura* cultro ſubjiciendas eſſe. Quod cum fieri non poſſit propter cauſam dictam, reſervant ferè in alterum menſem. Quæ cauſa eſt cur Paulinus *in tract. de Vip. Venet.* 1604. illud ἀρτι extendat ad diem uſque 30. Dicis, annon emacientur interea & fiunt trochiſci parum efficaces, ſiquidem ſine cibo ſervantur? Non. Eſt animal, calore quidem influente debili: inſito autem forti. Ideo propter illum quidem parum appetunt, propter hunc vero etiam parum digerunt, quia in vitris quietæ jacent, & in orbes convolutæ. Ubi igitur commodum patrifamilias, accedit ad opus, & effuſis ſingulis, primum quidem vel cultro forti, vel bipenni aufert caput, non quatuor digitorum latitudine (quorſum enim jactura tanta carnis!) infra, ſed immediatè: deinde autem caudæ tantum, quantum ferè excarne eſt.

C. Tum vero miniſter accipit intrepidè corpus, pellem detrahit, interanea ejicit, corpus in catinum, aqua frigida plenum, deponit, in quo ſurſum deorſum volvitur, ac ſi viveret, mox deſidet in fundo. Jam deinceps traduntur matrifamilias, quæ & coquit in aqua, addito anetho, & ſpinas eximit, & tundit carnes in mortario, &, addito pane bis cocto, albiſſimo, pulveriſato, ſed cum aq. decoct. ſubacto format paſtillos rotundos, qui plani fiunt, dum ſignum viperæ imprimitur.

D. Hi poſtquam ſiccati in umbra fuerint, illinuntur oleo denique caryoph. Ind. aut aliquo alio, loco Balſami Arabici. Hoc loco non poſſum non meminiſſe quæſtionis. Noribergæ inter Medicos & Pharmacopœos olim ortæ. Cum enim Trochiſci dicti, in exhibitione materialium ad Theriacam componendam ſelectorum, apparerent mucidi, reprehenſi ſunt Pharmacopœi, quaſi minus diligentes. Illi vero cum excuſaſſent ſe debito modo, quæſtionem inſtituerunt, annon liceret ſibi, allatis Venetiis viperis vivis, parare hos Trochiſcos, ut omnis ſuſpicio abeſſet? Reſponſum fuit, non. *Die* viperæ *kamen dadurch von ihrer Weide*, & daturas propterea trochiſcos parum efficaces. Qua in re ſi licet mihi dicere, quod res eſt, profecto erratum fuit.

E. Si enim legiſſent Leoniceni *in Epiſt. præſcripta* judicium, quod ſecutus fuit Oddus *in lib. de Ther. & Mithrid.* cum. toto collegio Patavino, cognoviſſent, ex Ægypto etiam allatas viperas aptas fuiſſe judicatas trochiſcis his faciendis. Nolo ego plura, ne invidiam mihi conciliem. Tu vide Paulinum *cap.* 13. *dictæ opellæ.* An licet exinde petere mihi duo ſigna, quibus dignoſcant refractarii viperas adhuc vegetas? Horum alterum eſt, τὸ ἔναιμον διασώζειν, *cum caput*

put illis præſcinditur, *abundè ſanguinare.* Alterum, in frigida diu, & fortiter moveri.

CAPUT III.

THERIACA ANDROMACHI.

A. AUDEBO heic facinus inſignitum, conabor elevare auctoritatem Principis alexipharmaci, uti vocabam. I. Natura quidem ipſa componit, ut in Rhabarbaro videmus, & aliis, quæ ſunt heterogenearum partium, & ars poteſt & debet illam imitari: ſed non fruſtra cumulare oportet plura, quam par eſt. Hoc factum eſſe in hac compoſitione, probo II. loco ex Sylvatico, qui I. *Ther.* 7. *& ſeq.* ſex quidem conſtituit ordines: ſed ſingulorum rationem addere ſuperfluum eſſe putat. Superfluum verò, ô Sylvatice? Ita ſcilicet excuſas impotentiam tuam. Ego vero jubeo te cauſam dicere, cur tot calidis remiſta ſint tot frigida? Imò cur Opium? an ut habeat varium ratione ætatis temperamentum? *lib.* 2. *cap.* 4.

B. Hoc fit ſine exemplo, nec caret res periculo. Periculum oſtendit dudum Averroës, cui nondum ſatisfeciſti *ejuſdem lib.* 2. *cap.* 2. Sed nec Jul. Alexandrino *ibid. cap.* 29. Vult is, *in tr. pec. Notis in Gal. addito*, nec in peſte locum habere, nec in febribus peſtilentibus, ob ſiccitatem, Mitridatio majorem, & hecticam minitantem. Tibi vero ſatis facere animus non eſt, quod quivis alius id poſſit, quem præconcepta opinio non fallat. Hoc tantum dicam propter eos, qui ſudoriferam eſſe volunt propter Opium. Tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum, etſi de fermentata dicant ſe loqui. Eſt ſudorifera propter ingentem calidorum ſylvam, de qua cum ratione dicam, numeraſſe authorem, non penſitaſſe.

C. III. Privatim de viperis dicam, medicinam eſſe Elephantiacis propriam, quæque totum corporis habitum immutat, & cum ſimpliciter alterantibus nullum commercium habet, cum inſtar ignis purgatorii agat, deſtruendo potius, quam ædificando quidquam. IV. Iis, qui experientiam crepant, oſtendo illud Maſſariæ, *l. de peſte*, *Videant, an ſatis tuta ſit experientia.* Equidem video, tantæ eſſe famæ, ut non credatur fallere poſſe. Quod ipſum in cauſa eſt, *cur exitus quidem felices diligenter colligamus*: ἀποτυχίας *autem & mortes nec animadvertamus.* Hoc apud nos tanto frequentius fit, quo ſecuriores ſumus in uſu ipſius ante juſtam ætatem. Sed nec temperamenta diſcernimus. Validum eſt medicamentum: ideo validum requirit ſubjectum.

D. At quis decempedam nobis præbebit, qua vires dimetiamur? præcipuè jam decumbentium? Hæc pauca ego ex multis afferre volui, UT MONEAM,

 etiam

etiam ſenes, qui ſæpè confidentiores ſunt quàm prudentiores. Vide Diſputationem Maſſariæ *de abuſu Theriacæ in febribus Peſtilentibus*, *Patavii in* 4. 1591.

CAPUT IV.

THERIACA SINE VIPERIS.

A. NOTUM eſſe poteſt, multas olim fuiſſe antidotos contra venena, quibus cum θηρίοις, ut viperas appellabant veteres, nihil commune, quarum heic quaſi in tranſitu meminero. I. eſt *Theriaca Diateſſaron* dicta, quod ex quatuor ſimplicibus calidis Gentiana, baccis lauri, myrrha, & ariſtolochia rot. melle exceptis, fiat. Habet inſignem vim calefaciendi & ſiccandi, qua etiam, loco magnæ illius, utimur in pauperibus, in peſte pecorum. Curavi ſenem paralyticum ex apoplexia, cui præcipuè lingua erat impeditior, qui ſub nomine *Spraachlattwerg* petebat ex Officina noſtra, poſtquam effectum ſenſit. Hæc aliquando eſt compoſitior, (ut nunquam quieſcimus) cum additur Bolus, Dictamnus alba, Scordium, Tormentilla, Zedoaria, &c. & dicitur *Theriaca pauperum*, cum adduntur illa ipſa, quæ dixi. II. eſt *Theriaca Villanovani*, quæ & Guidonis ſeu papæ, quæ tamen recipit. *Theriacam Andromachi*. Vide *in Diſpenſ.*

B. III. Eſt *Mitridatium Damocratis*, ex 2. *Antid.* 2. magna compoſitio, de qua notandum venit, longiuſculè (infra ſc. Ther. Andr.) abeſſe tam in calore quam in ſiccitate præcipuè propter Trochiſcos viperinos. IV. Eſt *Mitridatium Cleophanti*, ut Galenus appellat, ſeu *Cleopatri*, ut Aët. utrobique vitiatum, ſed correctum *in Diſpenſario noſtro* à Camerario, ut puto, cui libenter relinquo. V. Eſt *Mitridatium Andromachi*. VI. Eſt *Elect. Angelbergii*. VII. Eſt *Antidotus Matthioli præſervativa*, cui ſubjicitur *Curativa*. VIII. Eſt *Alexiter.* contra peſtem, cui proxima eſt *alia contra peſtem* pro pauperibus, itemque *alia Marſtalleri*, quas præcedit *Elect. camph. Kegleri.*

C. IX. Eſt *Eſdræ Antid.* duplex ex Aëtio. X. Eſt *Aurea Alex. Nic. Alex.* magna confuſio. Summa, ſumus divites promiſſis: Imo verò habemus etiam *Confectionem Liberantis*, neſcio cujus, de qua videntur ſibi quidam certi, quod præſervet: ſed falluntur, ut jam alibi dixi. Habemus & *Confectionem cordialem Al. Benedicti*, quæ cum priore de loco certat. Certat & alia *Liberantis*, *Auſtriaca* cognominata, vel *de bolo*. Non minoris vult eſſe *Conf. de Rad. Angelicæ*, de qua ſupra. Nec non *Conf. duæ Imperatoris* dictæ. Tandem ſunt tres pulveres, *Rubeus Cæſaris*, *Bezoardicus* & *Saxonicus*. Sunt infiniti alii *in aliis Diſp.* & præcipuè *libris de peſte*, quibus omnibus devoratis, hæc tandem fabula reſtat, MORTUUS EST PESTE.

CA-

CAPUT V.

DE RANIS.

AB animali calidiſſimo venio ad frigidiſſimum, ſiquidem non reſpuis hanc diſtinctionem. Apud Græcos dudum ſunt vocabula, βάτραχος, φρῦνος, καὶ γύρινος ἢ γυρῖνος. βάτραχος καὶ βατράχιον proculdubio eſt rana paluſtris, de qua heic agamus φρῦνος eſt terreſtris, illa, quæ Latinis *Rubeta* vocatur, quod ſub rubis degat, de qua non agimus, ob ſuſpicionem veneni ſeptici, quod à Bufonibus in coitu creditur accipere. γύρινος eſt animalculum illud caudatum, quod dicitur *fœtura ranarum*. Hæc apud authores confundi non dubito. Vide *Notas in Gal.* 7. κ. γέν. 12. Noſtræ Ranæ an olim fuerint edules, neſcio. Noſtrûm certè multi laſciviunt in illis. Cum Argentinæ eſſem anno 1592. σύγχρονοι mei valde delectabantur poſteriori illarum parte, quam in oleo frigebant.

B. Ego verò nunquam adduci potui, ut guſtarem. Deteſtor verò etiamnum ob metum, de quo dixi. Apud Dioſcoridem, Galenum, alios, inveneris & *ſanguinem* illarum, & *cinerem* uſtarum: in Officinis habemus *oleum Ranarum* Meſue, quod fit decoctis illis in oleo ſeſamino. Uſus eſt pro Narcotico in ferventiſſimis inflammationibus externarum partium, præcipuè in podagra. Noſtri Chirurgi tutius incedentes verno tempore, cum plurimum coaxant, ſeminum illarum extendunt ſuper panno lineo, & ſiccant ſub Sole, cujus particulam tantam, quanta opus eſt, abſcindunt, & loco affecto imponunt. Verumtamen ne ſic quidem præſtare poſſunt, quo minus valde debilitetur pars.

CAPUT VI.

DE ERICIO.

A. ITA in Officinis ſcribitur. Apud alios *Hericius*. Apud alios *Erinaceus* vel *Herinaceus*. Apud alios Græcum Hyſtrix eſt, ὕστριξ ἢ ὑστριχίς. Apud alios τὸ πολυσημότατον, ἐχῖνος, ὁ. Quod ad profeſſionem meam, in re plantaria jam animadverſum eſt ab aliis, apud Galenum quidem rectè ſcribi ἐχῖνος: apud Dioſcoridem autem falſo ἔχινος. Et rurſus τὸ ἄκανος apud Theophraſtum, aut plantam peculiarem ſignatuit, quam Bauhinus *in Pin.* dat *fol.* 380. aut plantæ partem, quæ alias ἐχῖνος, & eſt, ἡ ἀκανθώδης κεφαλή Belli apud *Cluſium fol.* 310. In re animali duo ſunt Echini, alter πελάγιος, ἢ θαλάσσιος, de quo multa Ariſt. καὶ χερσαῖος, apud Dioſcoridem *lib.* 2. *cap.* 2. qui uno verbo ἀκανθόχοιρος, καὶ χοιρόγρυλλος dicitur.

B. De

B. De marinis, præter ea, quæ Dioſcorides habet, Galenus ſcribit 3. *Alim.* 38. quod ſint edules. Genera & picturas vide apud Rond. *lib. de P. ſ. ult. cap.* 19. *& ſeq.* Ariſt. 5. *Gen.* 3. contra ſtrangurias laudat. De terreſtri temerè Matth. quod ſit animal frigidi temperamenti. Ego vidi heic, ex Aſia delatum, iracundum, & malignum, quippe quod crebra jacula vibrat contra ſpectatores, etiam non irritatum, grunnitui ſimilem vocem habens. Hæc omnia caloris ſunt indicia. Accedit, quod Dioſcorides inter alia habet, Elephantiacis, & Cachecticis convenire τὴν σάρκα σκελετευθεῖσαν πινομένην. Hinc colligo uſum quidem fuiſſe olim, qualis hodie Mumiæ eſt: Carnem autem ipſam, quoad Calidum σύμφυτον, ſeu materiale, quatenus diſtinctum eſt ab ἐμφύτῳ, ſeu formali, habere non minus elementi ignei, quam viperina nuper dicta, quo poſſit mutare morboſum corporis temperamentum, & in ſtatum naturalem reponere.

C. Intelligo uſum cineris Ericii noſtri eſſe πρὸς τοὺς ἐνουροῦντας, quos juvare non poteſt, niſi uſus ſit continuus. Cum enim vitium pendeat à corrupto temperamento ſphincteris veſicæ, niſi exſicccatio eousque procedat, ut fiat ex flaccido & inſenſili rigidus, & bene habitus, nihil effectum fuerit.

CAPUT VII.

DE MUMIA.

A. ΣΚΕΛΕΤΕΥΣΙΣ prædicta duo mihi mandat. Alterum, ut explicem ex *cap.* 27. *ſeq.* Alterum, ut exponam diſcrimen inter hanc, & humanam Ægyptiorum. In loco illo, è quo explicatio peti debet, & tranſpoſitio eſt, & obſcuritas in verſionibus Ita ordino, γαλῆ κατοικίδιος, δίχα τῶν ἐντὸς σκελετευθεῖσα δι' ἁλὸς, καὶ περιφλεχθεῖσα, καὶ ξηρανθεῖσα ἐν σκιᾷ. Ita verto, *Muſtela domeſtica, abjectis interaneis, ſalita & infumata, & poſtea in umbra ſiccata.* Quis non videt, primam actionem deberi heic ſalituræ? Et ita fit hodiè que in Saxonia & Thuringia. Ejus dem enim originis incolas eſſe oſtendit eadem victûs ratio.

B. Hanc ſequi infumationem & ratio & conſuetudo jubet. Hanc latere ἐν τῷ περιφληηθεῖσα mihi perſuadeo, partim, quod infumatio fit ſuſpenſis ſupra ignem quidem carnibus, ſed ita ne flamma contingere poſſit. Tandem ſiccatio fit, cum ſervatur in loco ſicco, *in der Rauchkammer*, ut Saxones vocant, & ita de σκελετεύσει carnium edulium: σκελέτευσιν Ægyptiam corporum humanorum deſcripſêre Diodorus Sic. *lib.* 1. & Herodotus *lib.* 2. Hujus tota actio ad me non pertinet: pertinet autem materia: Conſentiunt duo dicti in unguentum ſeu oleum Cerinum, quod eſt *Cedria* (non Cedrea) Gal. hodie, *oleum de Cade*, ut Cluſius, Scal. alii nobis dicunt: at Strabo *lib.* 16. *Piſſaphaltum* nobis dat. Diſtin-

tinguunt plerique, inter hos Scal. *Exerc.* 104. *numero 9.* Chioccus *in Muſeo Calceol. ſect. 6. fol. 696.*

C. Alia divitum erat conditura, quæ fiebat non ſimplici aliquo ſed compoſito, ex aloë, myrrha, croco, cedria, &c. alia pauperum, & fiebat piſſaſphalto ſola. Cum igitur de Mumia Arabum quæritur, quid ſit? Non poteſt reſponderi ſimpliciter: ſed eſt id, quo condiebantur olim corpora Ægypt. Syrorum, Judæorum, aliorum populorum, non autem carnes ipſæ. Hinc intelligitur infelicitas majorum noſtrorum, quibus vendebantur carnes arefactæ furum ſuſpenſorum, cum elogio, eſſe corpora itinerantium in Arabiæ deſertis, obrutorum arenarum procella, & ſub arena exſiccatorum. Sed neque nos extra fraudem ſumus, qui corpora conditorum Ægyptiorum ingurgitamus, ſi quando contingat ruptura aliqua interior, vel ut Bauhinus *in Matthiolum*, ſanguis grumoſus alicubi lateat.

D. Sed & abſque caſu fortuito non ſunt, qui pro delitiis habent iſtas ſpurcitias. De Franciſco I. Galliæ Rege ſapientiſſimo, ſcribit Bellonius 2. *Obſervat.* 47. nuſquam profectum eſſe, quin ſecum haberet mumiam & Rhabarbarum. A Saxonibus audivi, nullum apud ipſos convivium tranſigi poſſe ſine *Mummei* uti appellant. Ita olim ſine laſere, & hodie Indi ſine aſa fœtida nihil comedunt. Hinc qui in Ægyptum eunt, afferre ſecum ſolent talia cadavera. Vidi Patavii femineum pene integrum apud Franciſcum Macop. Gandavenſem. Vidi alicubi pictum, & coronatum, tectum adhuc linteo ſuperiori.

E. Radzevillius *in ſuo Hodœp.* ſcribit, ſe voluiſſe ſecum in patriam duo talia corpora ferre, ſed in mari ſingulis noctibus vexatum à duobus atris diabolis, abjeciſſe in profundum, & liberatum à moleſtia. An fuerunt πεπλεσμένα? Qua de voce ego alibi. Aliis enim non accidit. Recordor D. Jac. Fetzerum JC. mihi & aliis heic Altdorfii narrare, cum non procul Cairo in crypta quadam quæreret tale corpus, ſuperveniſſe equitem Turcam cum magno clamore, *Quid rerum heic ageret?* Reſpondiſſe ſe, quendam ex majoribus ſuis, in Ægypto mortuum, mandaſſe literis ſuis, abirent ad Rumæos (ſic illi appellant omnes Occidentales, ut Bellonius alicubi ſcribit) & ſe quoque per occaſionem illuc ferrent. Hunc ſe quærere. Unde hoc ſcis? inquit alter.

F. Ex hoc libro cum reſpondiſſet, porrecto ſimul German. lib. Evangeliorum: ibi tum abiiſſe quidem illum, ſe autem inveniſſe duos pueros, quos ſecum Noribergam tulerit.

CAPUT VIII.

DE GALLINIS, CAPONIBUS ET GALLIS.

A. HABENT Florentini *in Diſp. ſuo Aquam deſtill. pullorum gall.* pro inſigni reſumptivo. Hinc habent noſtri. Eodem ſcopo habemus inde *aquam cap. deſtill.* In ſpecie contra anguſtiam pectoris aliam cum herbis appropriatis. Utuntur illi & *Polo peſto* dicto, Colon. deſcribunt & *jus galli veteris* purgatorium, cujus Maſſaria meminit *in Aſthmate.*

CAPUT IX.

DE HIRUNDINIBUS CUM NIDO SUO.

A. ΧΕΛΙΔΩΝ, *hirundo*, avis nota eſt, ſolita per hyemem ſe abſcondere inſtar animalium φωλεύοντων, & ſub veris initium redire, qua de re Ariſt. 8. *Hiſt.* 16. Eſt hujus nominis piſcis quoque, quem vide apud Rondeletium, alios. Tota quidem avis comburitur, & vel pulvis ipſe per cannulam in fauces inſpiratur, vel potius, addito melle fit linimentum pro affectibus ſynanchicis, ut Galenus habet 11. *Simpl. cap. proprio*, 6. κ. τόπ. 1. Privatim autem nidus ipſarum in iiſdem affectibus expetitur pro emplaſtro, quia validè diſcutit, eodem 6. κ. τόπ. 3. Cerebri etiam uſus eſt in ſuffuſionibus, *de Ther. ad Piſ.* 9. ſi modo liber ille locum apud te habet. Uſus eſt in *Diabeſaſa* 6. κ. τόπ. 6.

CAPUT X.

DE HIRUNDINIBUS.

A. DICITUR *ſanguiſuga* quoque, βδέλλα Græcis, cujus uſus in hæmorrhoidibus ciendis pro melancholicis, de quo opere practico habet Galenus (ſi modo non Oribaſii eſt) peculiarem librum. Memini ADAMUM BRUXIUM, Sprottau. inſignem melancholicum, contemnere remedium, poſtquam vidit trahere nonniſi tenuem ſanguinem. Sed oportet repetere, ut vel ratione vacui juvent. Crediderim contuſas, & podagricis applicitas, eſſe narcotici loco. Eadem ratione & cochleæ domiportæ, & limaces prodeſſe poſſunt. Narcotica enim ſunt omnia illa animalia.

CA-

CAPUT XI.

DE CANCRIS MARINIS.

A. ITA loquor, ut ſeparem *Cancros fluviatiles noſtros caudatos*, quos inconſulto admittunt quidam, cum Gammari ſint. Sunt autem marini illi, qui caudam corpori appreſſam habent, & ſimpliciter καρκινοι ἢ καρκῖνοι vocantur. Horum uſtorum cinerem ex Italia petitum, velim in Officinis proſtare, propter encomium Galeni, qui 11. *Simpl.* ait, ſe neminem eorum qui à cane rabido demorſi eſſent, periclitantem vidiſſe, ſi modo demorſi rectè uſi eſſent hoc pulvere. Refert autem ad authorem Æſchrionem, qui certo cœli poſitu urebat. Galenus ait, agere proprietate ſubſtantiæ, de quibus velit peculiariter ſcribere. Sed factum non eſt, fortaſſis reverentia Pelopis præceptoris, qui negabat occultas proprietates, ut hodie vocantur.

CAPUT XII.

DE LUMBRICIS TERRESTIBUS.

A. MEDIAM eſſe producendam, ſi non credis Q. Sereno, corripias licet per me. Quæritur, cur natura tot fecerit in illis interſtitia, perinde ut in plantis culmiferis, & quibuſdam ferulaceis? An interſtitia illa ſunt loco medullæ, adeoque cordis? Cæterum lumbricos eſſe inter animalia frigida & narcotica ut facile credo; ita non credo, ab ℥ij. vini corrigi frigus illud ita, ut nervoſo generi roborando, hoc eſt, calefaciendo ſatis ſit *oleum.* Hinc mecum eſt Maſſaria, 1. *pract.* 16. quod eſt *de Paralyſi.* Quin in emolliendis duritiebus, puto vinum vehiculum præbere humiditati beſtiolarum illarum. Eum in finem alicubi abluuntur vino, antequam bulliant. Hæc ego dico de oleo ſimplici: *Compoſitum* Montagnanæ cum oleo vulpino propius accedit ad nervorum affectus, Ipſis Lumbricis ſæpè feliciter ſum uſus in lumbricoſis.

CAPUT XIII.

DE VULPE.

A. NOTUM eſt animal vafritie ſua, ideo calidum eſſe facilè credo. Hinc *oleum Vulpinum* conſit, proculdubio calidum, cum partium tenuitate, quam habet à tenui animalis ſui ſanguine. Ideo inaffectibus nervorum frigidis præ aliis egregiè facit, adeoque mirabile eſt, ut quidam loquuntur. Et

Galenus ſcribit 11. *Simpl.* tam potens eſſe digeſtivum, ut arthriticos quoſdam perfectè curarit. Addit, paratos fuiſſe pro talibus ingentes πυέλυς, ut deſcenderint in illos ægri, & diu ibi ſederint. Et quia oleum, in quo hyæna cocta fuerat, potentius eſſe ait, jure inquirimus in illud animal. Certe *civetta* noſtra non eſt, ut Bellonius vult. Ex varietate pellis colligo *pantheræ* ſpeciem eſſe, & quidem illam, quæ odoris ſuavitate allicit ad ſe animalia minora. Hinc intelligitur, cur hyænæ oleum ſit præſtantius. Jam addo, lege, quæ Busbequius ſcribit, *Epiſt.* 1.*fol.* 63. & dices vatem me fuiſſe. Nihil enim deeſt, præter nomen Pantheræ.

CAPUT XIV.

DE FORMICIS.

A. USus olei formicarum, quem tradit Diſp. noſtrum, quia infamis eſt, ſubſtituo ego, alium. Certum eſt, ſuccum emittere valdè acrem, ſi contrectes. Si ejicias in acervum illarum florem, aut Cervicariæ aut Alcææ, aut alium talem, quæ prima ſuper creditur, dimittet ſuccum, & ſubitò decolorabitur flos. Hinc, credo, argumentati ſunt illi, qui pro infecundis pararunt balneum formicarium, ad recalfaciendum, non uterum tantum, ſed & totum habitum. Ex his ego elicio, *oleum formicinum* eſſe inſigne μετασυγκριτικὸν, quod de *Vulpino* etiam Galenus prædicat. Quo verbo intellecto, quia negotium facultatum ſit expeditum, nihil dico amplius.

CAPUT XV.

DE SCORPIONIBUS.

A. DE terreſtribus loquor. Hi uſti dantur in extremis calculi tormentis. In Officinis duplex eſt *oleum*, ſimplex & compoſitum, utrumque Meſue, utrumque ex vivis ſcorpionibus. Præter hæc eſt aliud *Compoſitum* Gregorii Caravitæ, Chirurgi Bononienſis, quod Matthiolus deſcribit, *præf. lib.* 6. *in Dioſcor.* & miris laudibus effert. Quamobrem me quoque inter alia illo armavi, cum anno 1606. peſtilentialis heic eſſem. Cæterum quale ſcorpii venenum ſit, video dubitari. Eos ego miror, qui pro frigido declarant! Longè aliter Dioſcorides, cujus *dicto lib.* 6. hæc ſunt verba, τοῖς δειχθεῖσιν ὁ τόπος, εὐθέως ἄρχεται φλεγμαίνειν. Longè aliter Nicander *in Theriacis*, cum de ſecundo genere ait,

— Τοῖον ἐπεσιμάξατο καῦσον,
— *Velox admovit incendium* (puta febrile)

ut ego verto.

B. Ni-

B. Nimirum hoc eſt ſciendum, non omnem ſcorpionem eſſe ἰοβόλον. Præterquam enim, quod Nicander id ſcribit de primo ſuo genere, Matthiolus de Tridentinis diſertè ait, innocuos eſſe. An Patavii quoque ſunt? In vallo enim Patavino videri poſſunt albentes nive montes iſti. Ideo obſtupeſcere amplius nolim, ſi intuear aliquem pungi, nec tamen ullum ſymptoma accedere. Accidit enim tale quid, cum ibi eſſem. Sed qui ictus erat, referebat cauſam in pulverem ſerpentinum, *Schlangenpulver*, qui tum incipiebat clareſcere. Quidquid ſit, calidum eſt venenum, cum partium tenuitate inſigni. Ideo in calculo lumbis inunctum, lapidem non diſſipat, ut Diſpenſator noſter loquitur, ſed inſenſibilem transſpirationem promovet, ut digerantur humores, quos dolor attrahit.

CAPUT XVI.

DE SCINCO MARINO, QUI ET CROCODILUS TERRESTRIS.

A. PRÆFERUNT quidem tabulæ noſtræ integrum animal: ſed *Electuarium diaſatyrion* vult caudas, & lumbos. *Mitrid. Damocr.* 2. *Antid.* 2. ventrem tantum. Unde colligas diverſas partes diverſa poſſe. Imo cum Dioſcorides carnes circa renes, Gal. 11. *Simpl.* renes ipſos Veneri ciendæ commendet; at verò cum Plin. *lib.* 28. *cap.* 8. roſtrum & pedes: videor mihi tale quid inde colligere, quale mox in Cantharidibus, διαφωνίαν eſſe falſitatis notam. Ergo parum abeſt, quo minus cum imperio faceſſere jubeam Scincum ex omnibus Officinis. & alioquin Venereum illud Medico Chriſtiano indignum eſt. Vide Matthiolum *in Dioſcor. lib.* 21. 60. Rondeletium *lib. de Amphib. cap.* 4. Imperatum *Hiſt. nat. lib.* 28. *f.* 739.

CAPUT XVII.

DE CANTHARIDIBUS.

A. REGULA, *Primitiva & diminutiva apud Græcos idem ſignificare*, patitur hanc ἔκςασιν, κάνθαρος, eſt *Scarabæus*: κανθαρὶς eſt muſcæ venenatæ genus, quod *Hiſpanicum* vocamus. Invenitur tamen apud nos quoque, præſertim in liguſtro, & *Lilac Matthioli*, quod *liguſtrum Orientale* vocant. Memini me in horto BASILII BESLERI, pharmacopœi Noribergenſ. (illius, qui *Syntagma Botanicum Eyſtetenſe* conſarcinavit) videre in dicto Lilac. copioſè. Et fatebantur amici, eſſe quidem hujus generis, ſed ſylveſtre, forte, quia non erat varium. Eſt venenum ſepticum graviſſimum, præcipuè partibus urinariis inimicum, quod tamen Medici uſibus ſuis accommodarunt, tum videlicet cum urinæ alia ratione moveri non poſſunt.

B. Verum graviſſima eſt controverſia, *Totæne ſint dandæ? an corpora ſola, abjectis alis, pedibus & capite?* Galenus 11. *Simpl.* totas dat. Sed objicitur authoritas Hippocratis 4. *Acut.* 112. qui hydropicis dat ſola corpora. Ubi cum Galenus recitet duas hydropicorum hiſtorias, quibus id malè ceſſerit, addatque Medicum illum, non intellexiſſe mentem Hippocratis, in quæſtione eſt, quæ fuerit illa mens? Certa verba ſunt expreſſa, quæ alium ſenſum non admittunt. Maxima medicorum pars dicit, *Non debere abjici partes illas*, quod contineant antidotum veneni Cantharidum. Hoc non eſt ſolvere difficultatem, ſed in immenſum amplificare, vel ideo, quia natum videri poteſt hoc ex ipſo Galeno, qui 2. *Antid.* 7. inter remedia Cantharidum ex Aſclepiade habet, *Vel denique, Cantharidum alas & pedes ex melle linguere.*

C. Hoc Aëtius etiam habet, quamvis in paſſo det. Hoc verum eſſe an experientia didicerint Arabes, non poſſum dicere: certe Hippocratem hac in parte ſequuntur. Si enim aliquis reſtitare velit & dicere, illa finalia 4. *Acut.* νοθεύειν: oſtendunt *lib. de Aff. int. num.* 39. *apud Marinell.* ubi pariter abjiciuntur illæ partes. Si objectare volet *lib. de morbis mul. ac de ſterilibus* in quibus nihil tale: reſponde bunt fortaſſis illud Galeni, Hippocrates non omnibus locis omnia dicit, ſed quod ſemel, vult alibi ſubintelligi. Quid igitur? Elabor cum Matthiolo, per poſticum, *Non noſtrum inter vos*, ô Medici. Experientia eſt opus. Quam qui attulit, is vicerit. Præparatio illarum, per aceti ferventis vaporem, vix tutos nos præſtabit. Sed & in uſu opus eſt alio corrigente, quod varium apud varios eſt. Memini Joannem Thomam Minadoum, doctorem meum, & ſua, & aliorum experientia dicere, Ammi eſſe appropriatum. Alii Coſtum volunt. Hoc inveni poſtea apud Fumanellum, *de Morbis in viis urinæ f.* 566. Utuntur quidam ad Venerem quoque. Novi ego cui malè ceſſit.

CAPUT XVIII.

DE ASELLIS AQUARIIS.

A. UTUNTUR quidam in Ictero. Quo ſcopo? cum ſint narcotici. Ita pediculos humanos ſubmittunt. Quo ſcopo?

SEC-

SECTIO SECUNDA:

CAPUT XIX.

I. DE PARTIBUS ANIMALIUM, ET PRIMUM DE CRANIO HOMINIS.

A. QUI omnem operam perdiderant in indagando remedio Epilepſiæ univerſali, tandem venerunt ad cranium humanum calcinatum. Verum cum & ipſum deſtitueret illos, invenerunt latibulum, non totum id facit, ſed os triquetrum, quod in quibuſdam calvariis eſt in laxa illa Capitis ſutura, quæ λαμβδοειδὴς dicitur. Eum in finem multa Turcarum capita aperta fuêre à Doctoribus & Chirurgis caſtrenſibus, quo anno Strigonium eſſe captum dixi ſupra in Maslach referente Rantzenbachio, de quo ibi. Sed & pauciora inventa ſunt, & nullius peculiaris effectus. Profecto, ſi quidem ad occultam proprietatem fugimus, fruſtra ſumus.

B. Quicquid facit ſiccando facit, & quidem diſcuſſo vapore, qui proxima convulſionis cauſa eſt. Sed quid fit de intemperie, quæ vaporem elevat? Sententiam probo ex Galeno *eodem* 11. *Simpl. cap. de Oſſibus.* Vide *Animadv. noſtras in Comitem Montanum.*

CAPUT XX.

DE PULMONE VULPIS.

A. HABEMUS præparatum hunc pulmonem, & inde confectum *Lohoch.* Cuineſcio quas prærogativas tribuunt præ aliis pectoralibus. Ego quærere ſoleo ab iſtis πολυφαρμάκοις, quid inſigne habeat præ agnino & porcino, cum quibus Galenus jungit 11. *Simpl.* Si vulgare illud crepent, *Simile ad ſimile tendit*: dico, quot paſſibus diſtat hoc ab occulta proprietate? Ne uno quidem. Addo etiam apud pervicaciores, *Annon eſt eadem ſimilitudo in agno & porco*? Propterea libenter abſtineo à remedio abominabili, & putreſcibili, quod etiam Lohoch facit parum gratum. Subſtituo in affectibus gravioribus vel Syrupum de Praſio, vel Oxymel ſcilliticum helleboratum.

Caput XXI.

DE HEPATE ET INTESTINO LUPI.

A. De his idem judicium eſt. De *hepate* imprimis ſe ſuſtentat Galenus cenſura in illo 11. *Simpl.* Medicamentum hepaticum ex eupatorio οὐδὲν ἀξιόλογον præſtare præ illo, quod non habet hepar illud. Habuiſſe veterem deſcriptionem, ex his verbis patet: non habet noſtra, quæ ad Meſuem refertur. Vetus illa deſcriptio videtur eſſe 8. κ. τόπ. 8. in Eclegmate hepatico Paulini, ubi Gal. ait, *ſe hepatis Lupi experientiam abundè habere.* Hæc repugnantia tollitur diſtinctione temporum, quibus ſcripta ſunt, *& illa de Simpl. & hæc de Comp. loc.* Vide Julium Alexandrinum *Enantiomate* 20. & Maſſariam 3. *Pract.* 11. Mihi viſum fuit aliud loco illo in κ. τόπ. An ita explicanda oratio ipſius? Habeo experientiam, quam dixi in *de Simpl.* Alioquin idem objici poteſt, quod ſupra, cur non idem facit jecur caprinum & hircinum, de quibus Galenus in veſtigio?

B. De hepate canino audivi à commilitonibus, Ungarum quendam Dreſdæ commorſum in via à cane, quem rabidum exiſtimabat, educto acinace Turcico, medium canem diviſiſſe, & ereptum jecur ſubito crudum devoraſſe. Inteſtino Lupi utantur, qui præparant in Officinis.

Caput XXII.

DE OSSE CORDIS CERVINI.

A. Qui totum hoc negant veteribus cognitum fuiſſe, nec Ariſtotelem, nec Galenum legerunt. Ariſtoteles enim vidit in boum quodam genere, 2. *Hiſt.* 15. qui 3. *part.* 4. equum addit. Galenus in Elephanto, 7. *De Anat.* 10. qui uſum etiam ejus indicat 6. *Vſ. p.* 19. Qui mirificam ei in roborando Corde vim tribuunt, ut loquitur Cronenburgius *in Aurea Alexandrina*, veriſſimè falluntur. Inter Græcos recentiores Actuarium producit Sylvius, 1. *Nat. Simpl. f.* 103. qui Cor roborare dicit totius ſubſtantiæ ſimilitudine. Huic conſentiunt Arabes. Addit Sylvius, An Cartilago hæc ſubſtantiâ magis præſtare id queat, quàm Cordis, & arteriarum corpus, ipſi viderint.

B. Contrà Matthiolus ſolenniter commendat, cui ſuccinit, vel Cerutus, vel Chioccus *in Muſ. Calceol. lib. 6. f.* 697. Ego paucis me abſolvo, Eſt os, neque facultatem ab aliis oſſibus peculiarem habet. Quam autem dignitatem habet. conciliavit illi locus in animali princeps.

Ca-

CAPUT XXIII.

DE CORNIBUS CERVINIS.

A. COMITATUR hæc, fabula (ita nunc appellem) Plin. *lib.* 8. *cap.* 21. extr. eſſe Cervis inimicitias cum ſerpentibus, quos extrahant caveis & devorent, unde magna illis ſitis. Hinc & carnes & cornua creduntur alexiteria eſſe. De cornibus tam certi ſunt Medici, ut principibus perſuadeant uſum primorum rudimentorum, cum jam erumpere volunt, in menſa. De adultis vulgus etiam præconceptam habet hanc opinionem, mederi febribus malignis & peſtilentibus. Quapropter potui ægrorum vel imponunt, vel incoquunt aquam hordei, quam diureticam eſſe volunt. Ego ante omnia definitum volo, *Crudumne cornu ſit accipiendum*, *an uſtum*?

B. Omnes provolant ad uſtum: at SAXONIA, præceptor meus, crudum volebat, niſus hac ratione, Crudum habet id proprium, quod caro etiam habet: in uſto periit id totum. Sed cur urimus? Placet diſtinctio, Quædam urimus, ut mitiora evadant, ut Scorpiones, æs, cadmiam: quædam, ut acriora, inter quæ cornu Cervinum. Acre id eſſe propter ἐμπύρευμα, quod accipit, qui credere nolunt, aſpergant vulneri, & ſentient. Ut igitur aqua hordei acquirat vim ſiccatoriam, uſtum accipiunt. Credo autem ego, urinas eſſe copioſiores, non propter hoc, ſed propter aquam ipſam qua renes delectantur, præſertim ſi copioſa ſit.

CAPUT XXIV.

DE DENTIBUS ELEPHANTI, SEU EBORE.

A. ITA loquor, vulgi potius conſuetudinem ſecutus, quàm rei naturam, quæ cornua eſſe jubet. Riſu digni ſunt, qui omnia Elephanti oſſa ita dici putant. Cachinno etiam, qui oſſa boum nobis obtrudunt. Neſcio, an alio honore digni ſint, qui raſuram eboris pro cordiali habent. Digniores ſunt illi, qui ex ebore antiſpodia parant. Vegetabile enim qua fronte minerali ſubſtituitur? Vide ſupra *in Liguſtro*, ubi etiam *de Troch. de ſpodio Meſue.* Niſi fallor, ſcobe eboris minutiſſimo uti poſſumus eo modo, quo *Unicornu* Officinali aut *ungula Alces*, de quibus mox, utimur, in aquis appropriatis.

Caput XXV.

DE UNICORNU.

A. Latissimæ heic ſunt ambages, quas in libello Italico *dell Alicorno* decurrit Andreas Baccius, Florentinæ 1582. quò remitto lectorem. Lego apud Bellonium 1. *Obſ.* 14. dentem piſcis *Rohar&#1;t.* ſeu *Morſſ.* vocati, eſſe in tanto æſtimio, ut unus 300. ducatis væneat. Habeo integrum talem, & optem mihi vel hodie emptorem. Verum ego perſuaſus ſum à Cl. D. Felice Platero, uſuale noſtrum Unicornu nihil aliud eſſe quam *Ebur foſſile*, cujus magnas glebas ex Burgundia allatas oſtendebat *in ſuo Gazophylacio.* Eſt in hac vicinia, prope Veldam oppidum, crypta profunda & ampla, dicta *daſz Geiſſeloch*, è qua oſſa lapidea, magna & parva, variarum figurarum, femoris, dentium, &c. quæ eandem ſubſtantiam habent eundemque effectum, quorum non exiguus mihi apparatus. Vide Imp. 25. *Nat. hiſt. f.* 690. quæ laudat Chioccus in *Muſeo Calceolariano.*

Caput XXVI.

DE RHINOCEROTE.

A. Hujus animalis vera effigies ſuperioribus ſeculis ignota fuit: exhibuit autem, imo & Baccius deſcribit *l. d. f.* 82. anno demum 1642. Jac. Bontius, *Lugdun. Bat. lib.* 1. *Med. Ind. in lib.* 1. *cap.* 14. *Garziæ.* Quod ad rem, cum multa habeat communia cum porcis, habet etiam roſtrum porcinum validiſſimum quod ſervit illi effodiendis radicibus è terra. Deſcribit hoc roſtrum Chioccus *in Muſeo Calceol. fol.* 687. & ait contra venena & epilepſiam efficaciſſimum eſſe, ſed magno vendi. Vide etiam *Scal. Exerc.* 205.

Caput XXVII.

DE ALCES CORNIBUS ET UNGUIBUS.

A. Alce *Boruſſ.* nihil commune habet cum Græco ἀλκὴ, *robur*, nec audeo deducere à Germano *Elendt.* Videtur eſſe *Onager*, aſinus Sylv. Plinii, de quo Menabenus, & Dodonæus, Colon. 81. *num.* 8. Gobelius Venet. in 4 Wigandus in 8. Hoc animal epilepticum creditur eſſe, & depellere paroxyſmum ſcalptu poſterioris ungulæ poſt aures, unde remedium eſt factum apud nos tam famigeratum, ut nullus infans ſit, qui non geſtet in collo (amuleti

leti loco) particulam ungulæ. Subvenit etiam hyſtericis affectibus. Cæterum, cum mas cornutum ſit, femina non ſit, etiam Cornua hanc facultatem habent, ut eſt apud Chioccum *in Muſ. Calceol. fol.* 691.

CAPUT XXVIII.

DE CASTORIO.

A. KAΣTOPION, ſubintelligo φάρμακον· An autem Κάςωρ ſit quaſi γάςωρ, quod Rondeletius vult, neſcio. Neſcio etiam quæ ſint *Fibræ* illæ, à quibus *Fiber* dicatur, vel ſimpliciter, vel *Ponticus*, ut & *canis Ponticus.* Heic duæ ſunt fabulæ, eximendæ hominum animis. *Altera*, quod Caſtorium ſint teſtes animalis dicti. Sunt vomicæ duæ ſeu tumores, ſeu folliculi, ut diligentiſſimus Rondeletius appellat *lib. de Amphib. cap.* 1. ex eo Matthiolus *in Dioſcoridem*, in quibus humor quidam pinguis & ceroſus, oleo non diſſimilis, quem Caſtor ſæpè lambendo exhaurit, & eo ungit partes, quas contingere poteſt.

B. Tales in leporibus quoque eſſe obſervat. Rondeletius *lib. dict.* Tales ait idem eſſe in avibus, quæ ad aucupium aluntur. Tale quid eſt in gallis noſtris domeſticis, quos ſæpe videre eſt, cum pluvia imminet, roſtro dorſo admoto, qua parte ſcil. teſtes illorum ſunt, exſugere humorem illum, eoque pennas inungere. Atque hoc eſt, quod ſæpè miratus ſum ad menſam, cum vidi prope teſtes gilvum quid. An tale in homine etiam quæſivit Galenus 14. *uſ. part.* 11. quem locum vide & conſidera, an operæ pretium ſit addidiſſe *Com. noſtris in eum locum*? *Altera*, quod Caſtor, à venatoribus petitus, ſibi ipſi amputet teſtes, & fugiat, quaſi ſciat, cur capiatur. Refutavit hanc dudum Dioſcorides *lib.* 2. *cap.* 23. & Sextius apud Plinium *lib.* 32. *cap.* 3.

C. Fecerunt idem noſtri homines, de quibus nihil amplius dico, niſi hoc, errare Matthiolum, cum Caſtori affingit ejuſdem generis pedes. Imo vero poſteriores ſunt anſerini, ad natandum quippe facti. In facultatibus ſi ad Galenum iveris. 11. *Simpl.* duo imprimis abjice. Primum, quod teſticulis Caſtoris tribuit, quod eſt oleaginoſi illius humoris, qui teſtibus circumfunditur. Subſtantia enim teſtium denſior eſt, quam ut penetrantiam illam inſignem præſtare poſſit. Deinde, quod, introducta repletione & inanitione Hippocratis in convulſionibus, in illa quidem laudat, in hac autem vituperat: Ego vero, *Animad. in Com. Montanum*, demonſtravi (ſic audacter loquor) omnem convulſionem eſſe à craſſo vapore, atque ita à repletione, ſiquidem hoc verbi amas.

D. Hunc vaporem, quia diſcutit Caſtoreum, & reſolvit calore & ſiccitate ſua mediocri, non certe ultra 2. gr. curat etiam omnem convulſionem. Tribuit illi etiam hanc laudem, quod licet fœteat, nulli tamen parti principi ad-

verſum ſit. Imo, quæ hyſtericis affectibus obnoxiæ ſunt, tam eſt amicum odore illo gravi, quam inimica utero ſunt Ambra, Moſchus, Zibettum. Qui torrent, animam illi adimunt, 3. κ. τόπ. 1. Agit citra ullam adſtrictionem, 4. κ. τόπ. 2. In uſu *olei* oportet diſtinguere inter ſimplex & compoſitum. Simplex quidem agit, quæ dicta ſunt: compoſitum autem (quod Jac. Manlii eſt) longe efficacius omnia. De particularibus quibuſdam effectis vide Dioſcoridem, Plinium & Rondeletium.

CAPUT XXIX.

DE MANDIBULIS LUCII, OCULIS CANCRI, ET LAP. PERC. PISCIS CYPRINI, ETC.

A. OMNIUM pulvis ſervit inſultibus nephriticis, data ʒ. j. in aqua approp. ut petroſ. frax. lim. ſaxifr. &c.

CAPUT XXX.

DE INTERIORE TUNICA VENTRIC. GAL. ETC.

A. INSIGNIS heic Medicorum lapſus eſt, cum vim ventriculi concoctricem in gallinis, anſeribus, anatibus, imo etiam minoribus aviculis, quæ ſemina, Cerealia & alia conficiunt, tribuunt tunicæ huic tenui! Imo vero ſapientiſſimæ Naturæ fuit hoc conſilium, ut animalia, quibus dicta ſemina pro cibo pararat, haberent ventriculum carnoſum, ideoque ſanguinem, quo elaborant, ad quæ membraneus noſter, & cæterorum ſanguineorum pervenire non poteſt.

CAPUT XXXI.

DE LEPORIS PILIS ET TALO.

A. LEPORIS partibus pluribus utebantur veteres: nos pilis tantum, & Talo. Illis, *ex* ſ. *Meth.* 4. in ſiſtendis hæmorrhagiis: hoc, in calculo, & difficili partu.

CA-

CAPUT XXXII.
DE SANGUINE HIRCINO.

A. AD hunc capiendum magno opus eſt apparatu, qui videri poteſt *in Diſpenſatoriis.* Uſus eſt præcipuus in diſſolvendis grumis ſanguineis, ſicubi in corpore hæreant. Sed & in calculo.

CAPUT XXXIII.
DE OSSE SEPIÆ.

A. SEPIUM (non ſepéum, niſi poëticè) vacatur uno nomine. Servit dentifriciis.

SECTIO TERTIA.

CAPUT XXXIV.
DE EXCREMENTIS ANIMALIUM.

A. HUc cùm appuliſſem, magna mihi orta diſputatio, & maximè de Ovis, quatenus Therapeuticæ ſerviunt. Sedata fuit tandem hac ratione, ſi ſemen in viviparis rectè fuit relatum ab Ariſt. ad excrementa utilia, utique & ova in oviparis rectè referentur in hunc ordinem. Et hoc ſufficit huic loco. In rei veritate, & ſemen & ovum eſt tertium genus viventium apud Galenum *lib. de Maraſ.* 1. inſtituta à natura, non ut ſint, ſed ut properent aliò ad generis ſui conſervationem. Serviunt ova quidem tota Clyſteribus, cum opus eſt mitigatione acrium humorum: albumine vero in ſtupa in oculorum inflammationibus, in quibus vitelli coquuntur, friguntur, exprimuntur, profaciendo oleo Ovorum, quod curat, non tantum levia cutis vitia: ſed & ulcera fiſtuloſa, cujus exempla novi.

CAPUT XXXV.
DE SERICO CRUDO.

A. SIc illi quidem inſcribunt: revera autem eſt duplex operatio, de qua antequam dicam, excutiam illud, Quo jure huc collocetur? Sericum eſt

opus bombycum, quod neque pars eſt animalis, neque ejus excrementum. Verumtamen, quatenus bombyx exſpuit ore, ut ſic dicam, quaſi inutile ſuo corpori: quamvis in eo ſit perfectio animalis, quatenus homo eſt Deus quidam terreſtris: eatenus eſt excrementum. Succeſſivam generationem erucæ bombycis, & χρυσαλίδος late deſcripſi ex Ariſt. 5. *Hiſt.* 19. & Recc. *in Poſtcuris meis*, & jam dico, *Primus* actus eſt χρυσαλίδος, cum tecta illa ſarta inciditur, animal eximitur, infornace tepida exſiccatur, & pulveriſatur. *Secundus* eſt in eadem operoſior, cum additis granis *Chermes*, de quo ſupra, colorem illum imbibunt. Prius illud ingreditur medicamenta cordialia, & creditur ſanguinem purgare, ſpiritus corroborare, & neſcio quæ alia miracula facere: poſterius uſurpatur in colorandis medicamentis, eodem ſcopo. Cordus tamen, aut ſi forte Camerarius, in medicamentis internis non admittit. Mihi hoc ſubit mirari, quo modo ſericum in hoc ſtatu μετάξα (non μέταξα) poſſit appellari? μέταξα enim eſt *glomus*, *wanns abgehaſpelt iſt.* Hinc *metaxarii* apud JC. ſunt illi, qui vendunt glomos illos, ut alibi oſtendi.

Caput XXXVI.

DE LAPIDE BEZOAR.

A. REm dubiam & intricatam explicabo per hæc capita. I. *Bezoar* vel *Bezaar*, vel ut Scaliger ſcribit, *Bezahart*, dicitur eſſe nomen generale de omni Alexipharmaco, ſeu vitam conſervante; Male igitur fictum eſt τὸ *Bezoardicum.* II. Duplex eſt, *Orientalis* & *Occidentalis.* Hic poſterior apud me fictus eſt, & notæ illius pertinent ad diſcernendum verum à falſo. III. Dici capi ex animali ruminante, quod alii cervo comparant, alii capræ, alii conjungentes, *Cervicapram* vocant, Perſiæ & vicinis regionibus proprium. IV. Ex ventriculo altero, in quo folliculo peculiari incluſus ſit lapis. V. Aliquando unicus, aliquando plures, inſtar ovorum ſerpentum cohærentes. VI. Ipſe ex plurimis membranis contextus, non ſecus ac cæpa. VII. Habens in medio ſuo cavitatem, in qua ut plurimum palea. VIII. Colore ex viridi cæruleus, cum inſigni lævore. IX. Quantitate inſtar avellanæ, imo usque ad ovum anſerinum, qui maximi habentur. In uſu tam diverſi à ſe invicem Medici abeunt, ut Illuſtr. Bauhinus *in tract. de Bezoar* duo conficiat capita, hinc quidem probantium, illinc autem negligentium. Inter illos autem eſt Cæſalpinus, qui 2. *Metall.* 46. prolixus eſt hac in re, ut & Cerutus, *in Muſ. Calceol. ſect.* 3. *fol.* 336. Alex. Maſſarias 5. *Pract.* 24. negat hactenus ſe vidiſſe miracula illa, quæ Bezoar adſcribuntur Franc. Valeſius, Hiſpanus, Philoſophus graviſſimus, & Medicus exercitatiſſimus, Bezoar dico iſti lapidi omnem vim alexiteriam denegat, *lib.* 4. *Meth. med. cap.* 2. Eſt enim illi adulterationis ſuſpectiſſimus, timetque jure merito, ne nullus non ſit factitius. Et ego magno Viro aſſentior, ſuntque mihi ſuſpecta quæcumque de iſto lapide, ſtentorea voce prædicantur

cantur à Pharmacopœis. Media via incedit Dan. Sennertus, qui 4. *Febr.* 8. cauſas affert tres, cur non ſemper bene faciat. I. Defectum genuini, cum non raro equinus ſubſtituatur. II. Quod non ſemper juſta doſis obſervetur, ſed vel major vel minor. III. Quod cum aliis detur, effectum impedientibus. Cur velim eſſe cum iis, qui non utuntur, cauſam dico hanc: D. Saxonia præceptor meus, aliquando publicè dicebat, ſe initio quidem praxeos ſuæ uſurpaſſe: verum didiciſſe poſtea, Bezoar extra omnem adulterii ſuſpicionem, quippe, quem nobiles Veneti ipſi manibus ſuis exemerint è ventriculo animalis ſui, nihil feciſſe. Hæc ratio fuit hactenus mihi, cur numquam uſurparim, nec poſtea uti velle animus ſit. Sunt etiam nonnulli quidam impoſtores, qui perfricta fronte audent mira polliceri de ejus facultatibus ad promovendam variolarum expulſionem, & ut Arabicè loquuntur, *ad roborandum Cor*, adverſus tantam malignitatem: ſed quæcumque maleferiati iſti effutiunt, mera ſunt ægrorum ſomnia, & plura puta mendacia: neque enim plus poteſt iſte lapis in talium morborum curatione, quam calx aut cinis. De Bezoar Germ. in oculis cervorum, vide Encel. 3. *Metall.* 49.

Caput XXXVII.

DE LAPIDE FELLIS BOVINI.

A. Turcas & Judæos in Oriente diligenter inquirere propter Icterum, ſcribit Bellonius 3. *Obſ.* 46. De Lyncurio dicto miror tot verba perdere Cæſalpinum 2. *Metall.* 15.

Caput XXXVIII.

DE MOSCHO ODORAMENTO.

A. Supra, *de nucibus Moſchatis*, quaſi in anteceſſum, diximus quæ fuerit ratio nominis, quod item animal ferat *Moſchum*: nunc hoc addemus, Illuſtri etiam Scaligero *contra Card. Exerc.* 21. notum fuiſſe hoc animal. Vide autem amplius Catelanum *lib. de Conf. Ach. cap.* 11. Porro ex Chiocco ibi laudato, oportet jam notas addere legitimi Moſchi. *Color*, inquit, in electione optimi Moſchi, *ad obſcurum ſeu nigrum vergere debet*, *guſtu amarus*, *citæ penetrationis*, *inter maſticandum arenularum expers.* Idem de facultatibus agens, inquit, *Cor frigidum & tremulum roborat*, *exhilaratque. & omnibus ipſius affectibus confert. Cerebrum pariter recreat*, *& ſpiritus omnes reficit.* Hæc ex Catelano, *lib. de Conf. dicta*, quem Strobelbergerus noſter Latinum nobis dedit. Jenæ 1620. in 4. deſumpta eſſe jam video. Vide Golon.

B. Ubi

B. Ubi obiter moneo, quæ eſt Bell. 2. *Obſerv.* 14. *&* 15. de animali Moſchifero ſcribit, non eſſe ibi, ut neque Chioccus *fol.* 665. invenire potuit. Habemus à Moſcho, baſi ſua, dicta duo celebria compoſita *Diamoſchu dulce & amarum* Meſ. quorum hoc validius illo in affectibus Melanchol. Habemus præterea alia duo cujus *alterius*, *Aromatici Moſch.* apud Rondeletium *in Off. Pharm.* interior eſt uſus: alterius, *Ol. Moſchellini* Nicol. *in Diſp. noſtro* exterior, in affectionibus frigidis omnibus inſigne. Habemus & *Troch. Galliæ & Aliptæ. Moſch.* ad corroborationem omnium viſcerum, præcipuè Capitis, ob odoris ſuavitatem. Ubi moneo eſſe alicubi *Pilulas Moſchi*, κατ' ἀντίφρασιν, cum hircum oleant, uteri affectibus deſtinatas, quia Caſtoreum habent.

CAPUT XXXIX.

DE ZIBETTO.

A. UT *Moſchum*, animal, pulcrè nobis delineat Chioccus: ita *Cibettum* Bell. *lib.* 2. *c.* 26. qui *fine lib.* 1. etiam *Genettam*, ut in promptu ſit diſcrimen. Nec multum eſt opus, cum in Italia non infrequens ſit. Vidi ego & Florentiæ & Romæ, ſimulque oſtenſus ſacculus infra podicem peculiaris, è quo cochleari eximunt Zibettum. Hujus facultates tam ſunt vicinæ Moſcho, ut non ſit opus aliis.

CAPUT XL.

DE PINGUEDINIBUS ET MEDULLIS OSSIUM.

A. PUGNATUR à Medicis, ſolidis an liquidis ſimilaribus apud Ariſtotelem ſint annumerandæ? Depugnavi ego *tract. de Humoribus*, concludendo, apud Philoſophos quidem inter partes eſſe: apud Medicos autem inter humores, & quidem *Excrementa*, ſed *utilia individuo ſuo.* Non diſtinguo heic inter πιμελὴν καὶ στέαρ, quorum hoc actu & potentia ſiccius eſt: illa humidior. Diſtinguo vero ἀπὸ τοῦ μυελοῦ, quod calidius & humidius eſt, cum partium tenuitate. Miror valde tantam eſſe ſtruem in Officinis! Non nego diſtinctionem eſſe adhibendam à Medico: hoc dico, poſſe nos paucioribus defungi. Cum enim omnes ſint calidæ & humidæ, omnes emolliant magis, minus: petendus fuerit gradus caliditatis & humiditatis ex animalis ſui temperamento.

B. Homo igitur, quia temperatus eſt, erit utique & pinguedo ipſius. At Lupus, Vulpes, Catus Sylv. hircus, vipera, &c. quia calida, erunt etiam pinguedines in ſup. gradu. Contra, quia frigidior Cervus, lepus, taxus, urſus, porcus, &c. tales etiam fuerint minus in inf. ſcilicet. Ita inter aves ſunt frigidæ

dæ aquaticæ: frigidæ igitur (ne tu arguteris) minus calidæ & pinguedines. At capo & gallina domeſtica proximè accedunt ad hominem, ideo tam multi uſus. Lucius, Thymallus, longiſſimè abſcedunt. Præparatæ pinguedines dicuntur Galeno εἰργασμέναι, κατειργασμέναι, θεραπευόμεναι, ἐξινωμέναι, & aliter.

CAPUT XLI.

DE STERCORE CANINO, CAPRILLO, COLUMBINO, ETC.

A. SUbrisi ſæpè, cum frontem medicorum & pharmacopœorum fucatam vidi, *Album Græcum* dicentes, cum ſtercus Caninum cum Galeno deberent! Reprehendit ille quidem ſordida talia: interim nominibus utitur vulgaribus. Quaſi vero non mundiora alia haberemus in ictero, angina, dyſenteria, ulceribus, & aliis, 10. *Simpl. cap. prop.* Idem dico de *pilulis caprarum* vocatis (σπυράθοις nominant Græci) in exſiccando hydrope abdominis, digerendis tumoribus inveteratis *ibid. cap. prop.* 7. κ. γέ. 6. De ſtercore columbino ſcribit *eodem* 10. *Simpl.* tam calidum eſſe, ut phœnigmi uſum præſtet, quia valde attrahit, 5. *Simpl.* 17. ideo comparatur cum Euphorbio, 3. κ. γέ. 6.

B. Hiſtoria eſt 5. *Meth.* 13. feminæ ſanguinis ſputo laborantis ex catarrho, cujus capiti Galenus impoſuit medicamentum ex palumbium ſtercore. Hæc lites excitavit, calidus an frigidus catarrhus fuerit? qua de re nos *Notis in Gal. loc. cit.* Habemus in Officinis emplaſtrum cognomine neſcio cujus, quo uſus ſum in febre catarrhali, ut ſuſpenderem catharrum, ceu loquuntur Practici, ſed fruſtra.

CAPUT XLII.

DE LANA SUCCIDA ET OESYPO.

A. SUperiori ſeculo barbaro cum non poſſent diſtinguere ὕσσωπον, καὶ οἴσυπον, vocarunt herbam quidem ſuo nomine: Sordes autem lanæ ovillæ Hyſopum, media brevi, aut, ſi bene res ceſſiſſet, Oeſypum humidam, quæ inſcitia etiamnum regnat in Officinis noſtris. Vide Notas in Gal. 13. *Meth.* 15. Res eſt, Galeni verbis *fin.* 10. *Simpl.* οἴσυπον (ita corrigere oportet) eſſe τὸν ῥύπον τὸν τοῖς προβάτων ἐρίοις ἐπιτρεφόμενον, *ſordes illas, quæ inſunt lanis ovium recens tonſarum ſeu nondum lotarum*, & addit πεπτικῆς eſſe καὶ διαφορητικῆς δυνάμεως. Hujus per decoctionem ſeparandæ rationem docent paſſim Diſpenſaria, & exhibent *Ceratum Philagrii*, quod triplex eſt *apud Apollinem* Fr. Alexandri, ad durities præcipuè Hiſpanicas. Tu vide Foëſium *in Pharmacop. f.* 628.

SECTIO PRIMA.

DE METALLIS ET METALLICIS.

QUÆ EST DE TERRIS.

Caput XLIII.

A. GAlenus *initio lib. 9. Simpl.* ſtatim diſtinguit homonymiam, γῆν, *terram* eſſe dicens, aliam ſimpliciter dictam, & à Philoſophis extremè frigidam & ſiccam, quæ & *terra elementaris*: aliam cum adjectione, qua vulgus aliis atque aliis utilem eſſe novit, verbi gratia, agricolis, figulis, plaſtis pictoribus, medicis, ut Cæſalpinus graviſſimus Philoſophus 1. *Metall.* 9. Hujus terræ ſpecies eſt ἄργιλος, ἡ, *argilla* Latinis, non ἀπὸ τοῦ ἀργὸς cum *album* ſignificat, ut γῆ λευκὴ dici poſſit: ſed eſt primitivum. Eſt enim ſpecies ipſius λευκάργιλος, ut Cæſalpinus habet *loc. cit.* & eſt prima in ordine apud Encel. 2. *Metall.* 17. Hæ omnes pinguedine carent, & friabiles ſunt, ſi Galeno credimus *loc. cit.* Inter omnes viliſſima eſt, quæ ad opus lateritium ſumitur, inquit Caſalpinus.

B. Quo magis miror, Meſuem ab hoc genere oleum petere, & quidem Philoſophicum? quod (inquam) petroleo ex adverſo reſpondeat? Nimirum, duplex eſt in Officinis *Oleum Philoſophicum naturale*, de quo poſtea, & *factitium*, de quo jam. De hoc mirum mihi accidit, non fuiſſe petitum è pumice! Quid enim lateres, ſive novi ſint, ſive recentes (de hoc enim ambigui ſunt) remittant boni? nedum tot, tantarumque facultatum, quot illi promittunt!

Caput XLIV.

DE TERRA LEMNIA.

A. JAm video, Cæſalpinum *cap.* 17. *ex tribus Dioſcor. cap. lib.* 5. *cap.* 61. 62. & 63. facere tres, ut ita dicam, differentias *Terræ Lemniæ*; Conſentit Imperatus, *v. Hiſt.* 31. & Chioc. *Muſ Calc. ſ.* 2. *f.* 116. quarum una ſit ultima Dioſcoridis terra videlicet illa ſacra & pinguis, quam Galenus vocat, quæ in perpurgatione Lemniæ, à ſacerdote Dianæ facta, ſupernatat: altera, quæ ſubſidet calculoſa, ſit μίλτος τεκτονική, quæ tacta manus inficit, & eſt media apud

apud Dioſcoridem quoque: Tertia & Prima, qua fullones utuntur, ut ego intelligo Galenum quæque ſit *Sinopica* (non Synopica) dicta à *Sinope*, urbe Cappadociæ, ſpeciali nomine, vel Ponti, ut Strabo, generali. Hæc explicatio parum mihi plauſibilis eſt, qui puto, quantum vis Lemnia ſit appellata μίλτος, ob ſimilitudinem coloris, ut expreſſè Galenus ait.

B. Non eſſe tamen μίλτον, *rubricam*, ſed γῆν, *terram*. Competit enim illi definitio Galeni γῆ πηλὸς ἐστιν, ὀχρῷ φυραθεῖσα. Quicquid ſit, quod non magni momenti eſt, *Lemnus* eſt inſula maris Ægei, hodie Stalimene, in quam cœlo deturbatus ὁ ἥφαιστος, condidit ibi urbem, quam ἡφαιστιάδα appellavit. Cecidit autem in collem, quem Galenus *ſacrum* vocat, & eſt quaſi combuſtus, prope quem eſt fodina Lemnia. Sed quamdiu fuit in itinere? ita ipſe inquit apud Homerum *Iliad. a.*

Πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδῦντι
Κάππεσον ἐν λήμνῳ, ὀλίγος δὲ τιθυμὸς ἐνῆεν.

Ferebar autem toto die, ſimul autem atque Sol occidit,
Decidi in Lemnum, parum mente ſanus.

C. Hanc quibus ceremoniis foderint olim pagani, & ſigillo capræ munierint, (hinc σφραγὶς αἰγὸς) diligenter explicat Galenus *loc. cit.* Capra autem imprimebatur à ſacerdote (ἱερεία) Dianæ, ut diſertè Galenus. Quod non vidiſſe Bellonium 1. *Obſ.* 31. permirum accidit mihi. Et hæc fuit ſigni cauſa, non autem quod ſanguis vel caprinus, vel hircinus ammiſceretur, ut Dioſcoridi perſuaſerant improbi mercatores. Quamobrem etiam Galenus, cum in Lemnum profectus eſſet eo tempore, quo ſolenniter effodiebatur, & in proximam Hephæſtiada devehebatur, irriſus fuit ab incolis. Fiebat hoc antiquitùs non niſi ſolenniter, & 6. Auguſti die.

D. Hodie fit eodem die, ut nuper laudatus Busbequius ſcribit *Epiſt.* 3. *f.* 170. Sunt enim Turcæ antiquarum conſuetudinum retinentiſſimi, ut idem nos docet. Cæterum, ut neque de Lemno, neque de loco in Lemno, particulari dubium eſt, teſtibus, tum Stephano Albacario, Medico quem à Busbequio in id miſſum eſſe refert Matthiolus *in Dioſcor. loc. cit.* tum Bellonio, 1. *Obſ.* 30. ita de legalitate (ut ſic dicam) noſtræ Lemniæ (quam Turcicam vocamus) magnæ ſunt dubitationes, præſertim, quia facultates non reſpondent. Habeo globulum, ovi columbini figura & magnitudine, Maſſiliæ, celebri Narbonenſis provinciæ emporio, emptum, cum magnis de ingenuitate atteſtationibus, ab uxoris olim fratre. Joan. Christophoro Busereut, de quo dubito, partim propter colorem nimis remiſſum, partim propter literas ineptas, & diſtortas, & nequaquam comparandas cum illis, quas Bellonius pingit 1. *Obſ.* 22. quæque proculdubio exprimere debent illa, *Tinimachton*, hoc eſt, *Terra ſigillata*,

ta, quo modo etiam Arabes noſtri appellant. An ergo apud Averroem. 5. *Coll.* 42. id reponendum?

E. Reprobat etiam Cæſalpinus 1. *Metall.* 13. Res in experientia conſiſtit, præſertim in venenis, & febribus peſtilentibus cum ſola utimur. Interim alia res eſt de *Trochiſcis de Terraſigillata Meſue*, qui proculdubio ſignabat hanc Lemniam. Eſt magna compoſitio, quæque multa habet adſtringentia, ob quæ frequens ipſius uſus eſt in ſputo & mictu ſanguinis, in immodicis menſibus. Duo autem heic obſervanda ſunt. *Alterum* in univerſum, proportio ingredientium, quæ mirifice variat. *Alterum* in ſpecie, ſitne cum vel ſine opio?

CAPUT XLV.

DE TERRA SIG. SIL.

A. QUONIAM ferè conſenſus eſt noſtrorum, Germaniam hanc noſtram, facultatibus parem Græcæ illi eſſe, fas eſt ſequi. Hæc eruitur in Sileſia prope Strigam, è monte *Spitzberg*, cujus ſignum habet, *aſpectu non diſſimilis ſaponis duri, ad tactum lubrica; colore ex albo & fuſco. Solvitur facilè in humore, prorſus ut Lemnia, quæ hodie nobis exhibetur, cui etiam viribus par eſt.* Verba ſunt famigeratiſſimi Imperati 5. *Hiſt. nat.* 39. à quibus longè diſcedit Chioccus, *Muſ. Calceol. ſ.* 110. Nimirum ſimilis eſt aliis hujus generis terris, contra venena uſurpatis, quod frigida ſit & ſicca vehementer, ſed ſine morſu nullamque aſperitatem arenoſam habeat, ſed facillimè in tenuem ſuccum ſolvatur, latè diffundatur, & ſolidas partes adhærendo tueatur, & pravas humiditates abſorbeat, &c.

B. Sic loquitur Cæſalpinus 1. *Metall.* 14. Tu vero obſerva, latam illam diffuſionem fieri à vehiculo aquæ, non ʒij. ſed ℥ij. Hujus ſententiæ erat etiam Cl. SONERUS. Atqui tu ſuffocas ita vires medicamenti tui? Calumnia irrationalis, plura non dicam, niſi hoc, in crypta illa, cujus memini in Unicornu, ſimilem eſſe terram, quam civis quidam Herſpruccenſis conquirere ſolet, mundare, & in placentulas orbiculares cum ſigno montium, & inſcriptione *Terra ſigillata*, conformare. Hæc fraus non eſt. Conſtat enim multiplici meo experimento, ut & aliorum in pauperibus præcipuè, idem agere cum Sileſiaca in febribus mali moris.

CA-

CAPUT XLVI.

DE BOLO ARMENIACA.

A. Ἡ Βῶλος, Græcis eſt, quod *Gleba* Latinis. Hoc poſtulat Armeniacam, non Armeniam. Hanc olim quoque *Lapidem* vocabant quidam, & manet error in Officinis noſtris, quæ duo diverſa ponunt ſimplicia. Duplex eſt, *Vulgaris*, & *Orientalis*, ſeu *Armeniaca*. Differunt, quod Orientalis tota eſt flava, Ochræ inſtar, & uſum præſtat in febribus malignis. Debet hoc etiam habere, quod manus non tingit, inſtar rubricæ, ſed ſolida eſt adeo, ut poliri poſſit. Imper. 5. *Nat. hiſt.* 28. Abſtergit, 4. κ. τόπ. 4. ſiccat, non adſtringit. Ideo in dyſenteria Epidemia anni 1607. præſcribente SCHERBIO plurimum ſum uſus. Eandem facultatem Galenus commendat 9. *Simpl.* in peſte ſui temporis.

CAPUT XLVII.

DE CRETA.

A. HAC fullones utuntur potius. Tamen & in Officinis *Creta lota* utimur Aliquando eſt *Cimolia* Galeni & hoc debet habere, ne ſit arenoſa. Cæſalpinus 1. *Metall.* 12.

CAPUT XLVIII.

DE MARGA ET MEDULLA SAXORUM.

A. VIDE catalogum apud Kentmanum *in Foſſ. f.* 5. *&* 6.

SECTIO ALTERA.

DE SALE, NITRO, ALUMINE, ET CONGENERIBUS.

CAPUT XLIX.

DE SALE

A. SAL apud Dioſcoridem *lib. 5. cap.* 85. triplex, *foſſilis*, *marinus* & *lacuſtris*. Sed Galenus 9. & 11. *Simpl.* lacuſtrem refert ad marinum. Nos in locis mediterraneis, ſalem habemus factitium, qui fit ex fontibus ſalſis per decoctionem, cujus facultas eſt calefacere & ſiccare foris quidem prohibendi putredinem, intus autem, & quidem condimenti loco, juvandi coctionem, rarefaciendo corpora ciborum ſolida, ut calori acceſſus pateat. Vide Dioſcoridem *loc. cit.* Imp. 13. *Nat. hiſt.* 5. & 7. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſect.* 2. *f.* 145.

CAPUT L.

DE SALE HAMMONIACO.

A. VULGO in Officinis corrumpitur in *Armoniacum*, peſſimè in *Armeniacum*. Dicitur ἀπὸ τῆς ἄμμος *arena*, quod vetuſtiſſimis temporibus ex Cyreniaca Africæ regione afferretur, dictus inde quaſi *Arenarius*. Dioſcorides laudat candidum, minimè calculoſum, perſpicuum, denſum, æquali compage. Hodie in Germania pluribus locis foditur, Cæſalpinus 1. *Metall.* 16. Imperatus 13. *Nat. Hiſt.* 8. ſcribit, ſi ad ignem habeatur, paulo momento adſtantes fieri totos exalbidos, ſapore eſſe quàm ſal communis multo acutiore, &c. Chioccus, *Muſ. Calceol. ſ.* 2. *f.* 149. ſcribit, guſtanti offerre levem acrimoniam cum pauca adſtrictione, necnon abſtergendi vi. Quod ipſum Galenus etiam habet 9. *Simpl. cap. prop.* Indicata vera ſcriptura facile fuerit diſtinguere hunc ſalem à *lap. Armenio*, ſeu *Armeniaco*, Dioſcoridis quem Galenus non habet. Vide autem *lap. Lazuli.*

CA-

CAPUT LI.

DE SALE-GEMMA.

A. DE hoc ſufficiat attuliſſe Cæſalpini verba 1. *Metall.* 16. In Calabria ſalis fodinæ ſunt, cryſtallum imitantis, & ob id *Sal gemma* vulgo appellatur, cujus apud Medicos uſus eſt pro Ammoniaco adeo, ut, eo invento, non quæratur Ammoniacus. Hæc ille. Nam & *Ammon.* alicubi pellunt, ut ſcribit Agricola. Sed & *Vngaricus foſſilis*, cujus magnam glebam SCHERBIUS habebat, talis eſt.

CAPUT LII.

DE SALE THERIACALI.

A. FIT ex combuſtis viperis, 14. *Meth.* 15. quo modo fiat? 11. *Simpl. cap. proprio.* Hoc tantum eam ob cauſam inſerere volui, ut præveniam quæſtionem, cur non mentio ſalium fiat particularis in ſuperioribus? Quia ex omnibus fieri poſſunt, infiniti laboris fuerit ſingulatim ſcripſiſſe. Qui vult, habet indiculum *in Diſp. noſtro.*

CAPUT LIII.

DE NITRO, NITRI-SPUMA, ET APHRONITRO.

A. NITPON ϗ Νίτϱον dialecto differunt: Latinorum *Nitri-ſpuma* differt à Græco ἀφρόνιτϱον ſeu ἀφρόλιτϱον. Α'φόνιτϱον eſt vitium ſcriptoris. Quanta ſit latitudo temperaturæ in corporibus his imperfectis, quæ in Meteorol. conſiderantur, vel ex Nitro apparet. Quoddam enim eſt eſſentiæ duræ, nec facile liquabilis in aqua: quoddam mollis, raræ & ſpumoſæ, 4. *Simpl.* 21. Quoddam eſt album, 7. κ. γέν. 16. quoddam nigrum, 4. κ. τόπ. 7. quoddam rubrum, 4. κ. τόπ. 7. & alibi ſæpè, quod eſt roſeum apud Dioſcoridem: Quoddam eſt naturale: quoddam factitium: Quoddam crudum: quoddam uſtum.

B. Factitiorum aliud ex quercu fit, aliud ex calce, aliud ex terra, quæ multum urinæ veterinorum imbibit, in domibus ruſticorum ſcil. Calx illa fit, vel ex lapide calcario, vel ex buccinis marinis, vel ex tartaro vini, &c. Eſt & nitrum ex urina hominis, equorum, camelorum. Fit ex herbis, quarum quidam Kali, Soda, Solda, Kella, Kalli, Uſnem, forte aliter dicitur, & ſervit vitrariis Venetis à quibus *Sal vitri* dicitur. Fit ex aquis nitroſis, qualis Nilus: ex

ex terra ipſa, qualis quibuſdam Saxoniæ & Thuringiæ locis. Et quid plura? Si non potes acquieſcere, viſe ad Agricolam 3. *Foſſ.* 212. Imp. *lib.* 3. *cap.* 9. *&* *ſeq.* Cæſalp. *lib.* 1. *cap.* 19. *&* 20. Chiocc. *Muſ. Calceol. ſ.* 2. *f.* 159. Encel. *lib.* 2. *cap.* 27. Ex his tam variis materiebus, non fiant varia nitra?

C. Imprimis hoc conſiderandum, an factitium illud, quod *Sal-nitrum* vel *Sal-petræ* dicitur, ſal ex nitro coctus Kentmanni f. 12. & concurrit ad pulverem pyrium dictum hodie, fuerit olim etiam cognitum? Miror ego eſſe, qui negant. His ſi quis Matthiol. accenſere velit, dicam, de ſolo illo loqui illum, non etiam de naturali. Majoris momenti eſt, calidum an frigidum ſit? Galenus quidem 9. *Simpl.* ſiccitatis ſolius meminit: ſed quia & digeſtionem & abſterſionem illi tribuit, inſinuat ſimul caliditatem. Hoc ex aliis locis manifeſtum fit, 1 κ. γϑ. 2. *aphronitum* facit calidum, cum partium tenuitate. Atqui *nitrum* eſt infra aphronitrum, adeoque ſali proximum, 9. *&* 11. *Simpl.* Huc tendit etiam amaror, qui inſignis eſt 4. *Simpl.* 20. Contra ingenioſiſſimus Imperatus tribuit *nitro Calabro* multam frigiditatem.

D. Et mox, frigidam & inſipidam naturam. Habemus in Officinis *Nitrum præp.* quod linguæ admotum manifeſtum frigidum ſenſum offert. Imo imponitur aquæ hordei febricitantium, quæ ad ſenſum frigida fit Sine ambagibus, Nitri temperamentum non minorem latitudinem habet, quam vinum, & eſt quoddam calidum, quoddam frigidum. An autem quod frigidum, æquè ventriculo inimicum ſit, ac id, quod Galenus habuit 9. *Simpl.* non auſim determinare. Habemus in Officinis *Pil. de Nitro* Trall. *l* 1. *c. de Hemicrania*, non autem *de Epil. in qua Meſue habet.* Quas quia Trallianus ipſemet *Diacolocynthidos* vocat, non eſt amplius dubitandum eſſe *Hieram Comp.* Uſus eſt in purgandis humorbus è longinquo. Trallianus ideo in tam magna doſi dat, ad ℈ v.

CAPUT LVI.

DE TARTARO VINI.

A. AGnosco pro ſpecie *Nitri* ex ſapore. Hujus cremor à Chymiſtis dictus eſt ſpecificum in Melancholia hypochondriaca. Nugæ! Eſt purgans abſterſione ſola, qualia vult hic morbus, qui exacerbatur ab omnibus proprie dictis purgantibus. Crematus, inquit Cæſalpinus facillimè ſolvitur in aëre humido in liquorem acerrimum, quod vocant *ol. Tartari.* Vide Euonymum *parte alt. Theſ. fol.* 431.

Ca-

CAPUT LV.

DE BORACE.

A. ET hunc cum eodem Cæſalpino, habeo pro ſpecie *Nitri.* Vocatur autem quaſi *Baurach*, quod Nitrum eſt apud Arabes. Conficitur Venetiis, excremato quodam lapide candido & fiſſili, quem *Boracem crudum* vocant, *Nitrum nativum ſciſſile* Kentmannus *Foſſ. fol.* 12. Aurifices pro *Chryſocolla* utuntur. Serapioni eſt *Tincar.* Pulvis quidam ex borace habitus fuit olim in ſecretiſſimorum ſecretis pro ægrè parturientibus, ut eſt apud Diomedem Cornarium *in Conſ.* Is compertus eſt Helidæi Paduani eſſe, & locum invenit *in Diſp. noſtro.* Ego nullum bonum eventum vidi.

CAPUT LVI.

DE ALUMINE SCISSILI, RUPEO ET PLUMOSO.

A. Ἀπὸ τοῦ ςύφειν eſt ςυπτηρία, quod adſtrictionem habeat validiſſimam. Hiſtoriam cum intueor, non minorem offendo latitudinem temperamenti, quam in Nitro. Eſt autem heic non minus quam ibi *Nativum* & *Factitium.* Non minor eſt ſubſtantiæ varietas, & quidem uno eodemque loco: eſt etiam figuræ externæ, unde nominum eſt varietas. Vide Kentmannum *fol.* 12. Ego relictis omnibus, de facultibus tantum ago: Galenus ut nuper, ita heic quoque, mancus eſt. Nam 9. *Simpl.* nec caliditatis, nec ſiccitatis meminit, in ſola adſtrictione ſe firmans, ut & aliis locis. At 4. κ. γϐ. 6. 4. κ. τόπ. 1. quodvis alumen ſiccare ait, & quidem evidenter. Ex quo deducunt quidam, frigidum eſſe. Nam 4. *Simpl.* 7. diſertè ait. Omnia adſtringentia, ſubſtantia quidem terreſtri ſunt & craſſa: qualitate autem frigida. Contra alii urgent τὸ πυρῶδες Dioſcoridis. Et Matthiolus ibi *lib.* 5. *cap.* 28. in omni alumine, præſertim rupeo, agnoſcit καυςικόν τι, καὶ καθαιρετικόν. Ego iterum provoco ad experientiam, & aliò me confero.

CAPUT LVII.

DE CHALCANTHO SEU VITRIOLO.

A. TAM affine eſt *Alumini*, ut Imperatus *uno cap.* tractet. Primùm ſciendum eſt, apud Græcos differre χαλκοῦ ἄνθος, καὶ χάλκανθος. Illud eſt, quod vox ſonat, *Aeris flos*: Hoc apud Latinos eſt triplex atramentum, ut Agricola loquitur, quorum, quod χάλκανθος eſt, *Atramentum ſutorium* dicitur,

quod ſutores tingerent olim eo ſua coria, nunc aliud habent ex ferro. Deinde tanta uti Græcos licentia, ut tribus terminationibus ſeu generibus utantur, ὁ χάλκανθος, ȣ, ἡ χαλκάνθη, τὸ χαλκάνθον, 4. κ. τόπ. 4. Imo etiam χαλκανθές dicunt. τὸ *Atramentum*, quia πολύσημον, libens deſero, & utor vocabulo barbaro, *Vitriolum*, ſimilitudine à *vitro* ſumpta. Hoc ut præcedentia duo, vel *nativum* eſt, vel *factitium.* Illud σαλακτικὸν, quod longis ſtiriis dependeat ex vetuſtis muris: hoc iterum duplex, vel πηκτὸν, *concretile*, vel ἑφθὸν, *coctile.*

B. Et hoc eſt noſtrum *Kupfferwaſſer*. Vide Chiocc. *f.* 4. *Muſ. Calceol. f.* 474. Kentmannum *loc. cit.* In facultatibus hoc tantum conſiderabo, quod Galenus 9. *Simpl. cap. prop.* miratur; Quo modo in Chalcantho, quod vehementiſſimæ adſtrictionis eſt, ſimul caliditas ſit non mediocris? Explico Opii exemplo. Quemadmodum Opium eſt heterogenearum partium, ut frigidum ſit in 4. gr. unde refrigerando interficit, calidum in 3. unde ſymptomata caloris: ita Chalcanthum. Hoc accommodo oleo vitrioli, quod ſuperbo vocabulo vocant *Spiritum Vitrioli.*

C. Hoc in habitum diditum, proculdubio & adſtringit & ſiccat excellenter, ideoque febribus putridis convenit: at vero, quemadmodum foris per transfuſionem dividi poteſt in minimas partes, ut tres quatuorve guttæ (prout bene præparatum eſt) faciant totum ſextarium acidum, ſed depoſitum per unam alteramve horam, ſubſidet in fundo, ut ne ſentias quidem acorem: ſic in ventriculo fit. Quo tempore non exſerere vim ſuam corroſivam, audebitne ſpondere quis? Imò verò in ventriculis valde ſenſilibus, qualis meus, non quieſcere, uſque dum per vomitum ejiciatur, experientia me docuit. Idem dico de ſpiritibus herbarum calidarum, meliſſæ, abſinthii, aniſi, fœniculi & ſimilium, veriſimili conjectura, quæ ſumitur (ut alibi ſcripſi) à vinis generoſis Græcis, Hiſp. &c. Abeunt enim in quibuſdam, vel per vomitum, vel per alvum. De olei *vitrioli* varietatibus vide Euonymum, *parte alt. fol.* 378., & diſpice, an credibile ſit, contra omne genus morbi valere?

AUCTARIUM DE VITRIO ALBO.

D. NOta eſſe poteſt controverſia de Chalcitide vel tota uſta, vel ſemiuſta, An locum habere poſſit in Theriaca Andromachi? Semper ſteti cum Cordo, & Cronenburgio, ſiquidem propter colorem ſolum nigrum addatur, ut Galenus vult, non habere. Quorſum enim Cauſticum in pharmaco tam nobili? Nec proficiunt hilum, qui corrigi dicunt. Multo minus, qui *vitriolum humanum* ſemitorrent. Multo minimè, qui *vitriolum* præſcriptum. Licet enim nec Agricola, nec Imperatus, nec Cæſalpinus, nec quiſquam eorum, quos legi meminerint ejus: ſatis tamen eſt confeſſio propria, non minus cauſticum eſſe, quam vel chalcitis, vel vitriolum Rom. Vocant *weiſſen Augenſtein*, quod in ſuffuſionibus incipientibus egregiam operam præſtet, quod non ſemel

ex-

expertus ſum. Conſiſtentia & colore eſt affine Agarico minerali, de quo ſupra.

C A P U T LVIII.

DE CHALCITIDE, MISY, SORY ET MELANTERIA.

A. INDICE Agricola nec diſſentientibus aliis, pendent hæc quatuor à *Vitriolo*, hoc eſt, habent eundem generationis modum, hoc eſt, ſunt naturæ cauſticæ, & in ſe invicem tranſeunt, ut Galenus habet, 9. *Simpl.* qui ut exactè illa dignoſceret, in Cyprum, propterea navigavit. Habemus in Officinis *Ceratum Diachalciteos*, ex Galeno 1. κ. γέν. 4. quod *de Vitriolo* quoque appellatur, quia vitriolum, quod Arabibus *Colcothar* vocatur, etiam ingreditur. Meſue *de Palma* vocat, unde vulgò in Italia *Diapalma* dicitur, magni uſus in mundificandis ulceribus & vulneribus quibuscunque.

SECTIO TERTIA.

C A P U T LIX.

DE PINGUEDINIBUS METALLICIS, ET PRIMUM DE SULPHURE ET MINIO.

A. CREDO facile, θεῖον, *divinum* eſſe dictum, quod odorem habeat fulguris. Duplex eſt, ut hactenus dicta, ἄπυρον ſeu *vinum*, quod ipſum nativum eſt: & πεπυρωμένον, *quod ignis opera* à terra ſeparatum eſt. Varietates vide apud Kentmannum, *fol.* 18. De facultatibus nimis indiſtinctè Galenus 9. *Simpl. cap. prop.* ut & ʒ. κ. γέν. 2. Calidum eſſe cum partium tenuitate. Imo eſt calidum & ſiccum in 4. gradu cum abſterſione tam calida, ut Cauſticum ſit, præcipuè oleum, de quo vide iterum Euonymum, *pag.* 2. *fol.* 375. De floribus ipſos conſules Chymiſtas. Appendo Sulphuri *Minium*, quia non eſt *Minium Dioſcoridis*, ſed res factitia ex ſulphure, & argento vivo, & dicitur *Sulphur ſublimatum* Cæſalpino, 1. *Metall.* 28. & rurſus *lib.* 2. *cap.* 61.

B. Hoc etiam *Cinabari* vocant Medici, & utuntur in unctionibus luis Hiſpanicæ pro Argento vivo. Iidem in eodem morbo, in ulceribus virgæ, cum cathæretico opus eſt, utuntur unguento rubro, quod *de Minio Camphoratum* appellant.

CAPUT LX.

DE BITUMINE.

A. BItumen Græcis ἄσφαλτος eſt, ὁ καὶ ἡ, & ἄσφαλτον, τό. Propter affinitatem cum ſulphure, de qua authores noſtri, meritò ſequitur. Propter latitudinem temperamenti, de quo ſupra, multa eſſe nomina, unde confuſiones, queritur Agricola, *initio lib.* 4. Hac de re Cæſalpinus quoque *lib.* 1. *cap.* 31. ibi, *Bituminum genera complura*, &c. Genericum heic eſt, cum accipitur pro limo quodam tenaci, aquis quibuſdam innanitante, qui ductilis eſt, quamdiu in aqua eſt, poſtea indureſcit. Galenus 11. *Simpl. fine.* Tamen tale etiam effoditur alicubi. Ut merito duplex eſſe dicas, *Aquaticum* & *Foſſile.* Præſtantiſſimum in hoc genere eſt *Judaicum*, quod eximitur è *Mari mortuo* dicto, quod mare *lacus Aſphaltites* inde dicitur, Galenus *ibi.*

B. Ex eodem 4. *Simpl.* 20. deduci poteſt, non naſci in lacu, ſed defluere ex vicinis montibus Sodomenis. Ita apud Dioſcoridem in Apollonia Epiri, unde, authore Cæſalpino, hodie Venetias affertur, devolvitur è montibus Cerauniis (Epiri, non Aſiæ) impetu fluminis in mare. Bitumen apud Galenum 11. *Simpl.* eſt calidum & ſiccum in 2. gr. Idem ſ. κ. γ̃ν. 2. abunde ait ſiccare, cum calore non vehementi. Apud eundem 2. κ. γ̃ν. 22. ſunt *Emplaſtra barbara* duo, quorum baſis bitumen eſt, ad glutinanda recentia vulnera, unde ἄναιμα, καὶ τραυματικά, καὶ ἐπουλωτικά dicuntur. Vide apud Melichium & alios.

CAPUT LXII.

DE PISS. ASPHALTO.

A. VOx vult *Pix bitumen*, quod licet Bitumen ſit: præſtat tamen cum Dioſcoride & aliis diſtinctè agere propter diſtinctas facultates quas odor prodit. Non enim ſimpliciter *Bitumen* redolet, ſed & *picem.* Plinius ait *lib.* 24. *cap.* 7. *Naturaliter* fieri miſtionem hoc eſt *nulla arte.* Ideo Galenus non meminit. Videtur eſſe eadem cum *Pice navali*, quæ ἀπόχυμα eſt, licet alii *Ceram* addi Bitumini tradant.

CAPUT LXII.

DE PETR-OLEO.

A. NIhil aliud eſt, quam *Bitumen liquidum* Agricolæ, *princ. lib.* 4. quod ex ſaxis deſtillat. Eſt duplex, *Nigrum* & *Candidum*, quorum hoc eſt *Na-*

Naphta Dioſcoridis, quam jungit Aſphalto, & Piſſ-aſphalto. Vide Imperatum 14. *Nat. hiſt.* 6. & 7. ubi monſtrat Italicum, & præfert Mutinenſe *dal monte Cibitto.* Cæſalpinus 1. *Metall.* 31. Petrolei caliditatem vehementiorem eſſe ait, & cum partium tenuitate utroque jam dicto: Bellonius quem Bauhinus *in Matthiolum* ſequitur, addit *Flavum.*

CAPUT LXIII.

DE CAMPHORA.

A. Cafur, vel *Capur* Arabicum eſſe vocabulum, credamus Garziæ, 1. *Arom.* 9. ſinamus autem *Camphoram* receptam. De hac graviſſima eſt controverſia, vegetabile an minerale ſit? Agricola, vir ſummus, 4. *Foſſ.* bitumen eſſe vult, quod accenſum tamdiu flagret, quam diu aliquid ſupereſt. Hoc cum docuiſſet Fuchſius 1. *Comp. med.* hoſtem invenit Matthiolum *in Dioſcoridem lib.* 1. *cap.* 75. dicentem, arboris gummi eſſe. Et Bauhinus *eo quidem loci* tacet: at *in Pinace* adhæret Cæſalpino, qui 1. *Metall.* 33. ex genere bituminis eſſe dixerit. Ille verò dupliciter errat. *Uno* modo, quod non diſtinguit Burneenſem dictam à Chinenſi. *Altero*, quod non meminerit, quid 3. *Hiſt. plant.* 45. ſcriptum ſit. A quo maxime exſpectes litis deciſionem, Garſia, is tantum non dicit, Nescio, accuſans negligentiam Luſitanorum in India Orientali negotiantium.

B. Hoc ſolum dicit, duplicem eſſe, alteram ex Burneo inſula, præſtantiſſimam, & magni æſtimii: alteram ex Sina, quam nos Chinam dicimus, viliorem: Interea quaſi ex ſomno excitus ait, gummi eſſe arboris, *quod ex ipſo meditullio ligni ſit extrahendum.* Quo ipſo nihil aliud ſignificat, quam quod vulgo de ligno juniperino, & aliis fit, cum oleum ex illis per deſcenſum extrahitur. Hujus auctoritate ſuſtentare ſe crediderim Imperatum, cum 14. *Nat. hiſt.* 8. citat illos, *Chi han paſſato nell' Indie, che han viſto la ſubſtanza* (*di lacryma*, *è licor*) *d' albero riſudæta delli legni.* Verum illi peccat in eo. quod requirit argumenta neceſſaria, quæ Apodictica appellamus. Unde vero illa petuntur? Proculdubio ex duobus criteriis, ſenſu & ratione. *Senſu* (qui etiam experientia dicitur) quia deſtituimur, contenti forte debebimus eſſe *Rationibus.*

C. Vult autem refutare duo illius argumenta, quorum *alterum* eſt, ex foſſilibus, verbi gr. hydrargyro, & cadmia foſſili partes tenuiſſimas per ſublimationem extrahimus: *alterum*, ex iisdem, bituminis genera perpetuo ardent, ut & *Camphora.* Reſpondet his per geminam inſtantiam, primo quidem ſtœchadem opponens, & hormini ſpeciem illam, quam *Camphoratam* vocamus: ſecundo autem *picem.* Quivis videt, quid deſit. Vidiſſe credo & Chioccum, *in Muſ. Calceol.* Qui enim aliàs hominis obſervantiſſimi eſt, nec injuria, ne

tangit quidem Camphoram. De Cæſalpino neſcio quid dicam. Qui enim *in Hiſt. plant.* pro vegetabili agnoverat, reſilit *in Metall.* Quod verò mireris, eſt, *Camphoram Borneenſem*, quæ ad nos non affertur, ait eſſe ſuccum arboreum: *Chinenſem*, quæ ſola affertur, eſſe bitumen. Illam ſi non videt, quei poteſt de illa judicare? Quî etiam ejusdem generis eſſe poſſunt, ſi ita differunt, ut vegetabile & minerale? Et hæc quidem his tricis implicita ſunt: multo graviores ſunt de facultatibus, cum quidam frigidam eſſe dicant, quidam calidam & ſiccam in 2. gr. Cæſalpinus *in de Plant.* determinat litem, *Nihil prohibere* dicens *ſub exhalatione tenuiſſ. quæ calida & ſicca eſt, latere frigidam ſubſtantiam, quæ exſtincta exhalationis flamma, ob tenuitatem minimé urentem, agat, & penitius, quo profundius; ob tenuitatem exhalationis genetraverit.* Hoc ſibi minus arridet, vide an malis cum Cronenburgio eſſe *Notis in Trochiſc. de Camph. Meſue*, quos nos etiam habemus, & utimur in febribus aliisque calidis viſcerum dyſcraſiis.

D. *Oleum Camphoræ*, niſi aquam malis appellare (Geſuerus non diſtinguit) vulgus etiam laudat in affectibus calidis. Ita *Unguenum Camphoratum* tam album, quam rubrum. ἀλλ᾽ ἐγὼ μὲν ἐπέχω.

ADDITAMENTUM AD CAPUT LXIII.

QUOD EST DE CAMPHORA.

QUibus in fluctibus agitemur omnes, in propatulo eſt. Mihi portum è longinquo jam oſtendit Schikardus *in Hiſt. reg. Perſ. ex Geographo quodam Arabe.* Scribit *is fine tract. fol.* 183. *& ſeqq. Tubingæ* 4. 1631. qua de fuga Iaſdigerdis, ultimi Regis Perſarum perſequentibus illum Saracenis. I. Non in India, ſed in Perſia, qua Indiam contingit, quærendam eſſe. 2. Inſulam Burneo à Luſitanis jam vocari Kalah, & ibi eſſe arbores caphuriferas. 3. Concedit in ſententiam Averrois, qui non frigidam, ſed calidam eſſe ait, ſiccamque, ſed non ultra 2. grad. 4. Memorabile eſt. quod ait, inventum ibi eſſe horreum, camphora plenum. Miratur, cur Rex tantum conquiſierit? Et quei ſervare potuerit? De hoc poſteriori nihil dicit: depriori ait, Muhamedem in Alcurano promittere Muſulmannis ſuis in cœlo potionem Camphoratam, eo gummi dilutam vel condîtam, uti loquitur.

CAPUT LXIV.

DE AMBARO, SEU AMBRA GRISEA.

A. AMbar eſt Arabicum, inde *Ambarum*, Latina terminatione & *Ambra*, & cum adjectione *Ambracane.* Conſentio bituminis ſpeciem eſſe,

eſſe, aut ſi ita vis, ſuccini odorati, Orientalisve. Habemus in Officinis *Conf. Diambræ* Meſue, magnæ commendationis in virium collectione, maximè in ſenibus.

C A P U T LXV.

DE SUCCINO, SEU AMBRA CITRINA.

A. SUBSTANTIVUM eſſe videntur omnes velle: ſed relamat *ſuccina gutta* Martialis. Quid igitur adintelligitur? An bitumen, ut ſit verè ſuccinum, tum, cum in ſucco ſeu liquore profluit ex fronte ſuo, is vero ut plurimum eſt mons aliquis, ut Ceraunius, quæ apud Dioſcoridem *cap. de Bitumine*, Græcis eſt ἤλεκτρον, aut τὰ ἤλεκτρα apud Galenum 1. *Fac. nat.* 14. 7 κ. τόπ. 4. & alios authores, quos vide apud Lexicographos, Hoc ἀπὸ τοῦ ἕλκεσθαι eſſe, non credo, eſſe autem ἀπὸ τοῦ ἠλέκτρος, cum *Solem* ſignificat. Noſtris hominibus olim à pelluciditate *Glaſz* vocabatur, unde *Inſulæ Glaſſariæ*: Hos imitati Græci ὕαλον, ἢ ὕελον vocarunt, quin & Latini inter quos Virgilius *Hyalon*. A Perſis, non Arabibus, *carabe* dicitur, quod interpretatur ἅρπαξ, *raptor*, à quo effectu etiam πτερυγόφορος dicitur.

B. Ambræ vocem πολύσημον, ut Agricola docet, huc quoque Officinæ traxerunt, & *Caraben*, & *Ambram citrinam*, ad differentiam *Griſeæ* vocantes. Incolis Gentarus dicitur, olim *Schwalternich*, voce Germanica. Nam Scythæ illi Europæi ſunt Germani, etiam apud Hippocratem. Ad quæſtionem, quid ſit, jam reſpondeo, Eſt *bitumen*. Qua voce ſubito repellitur vetus fabula, quam ex Tacito, Plinio, & Poëtis hauſit magnus Cæſalpinus, *in opere Botanico*, quamque cum pudore deſerit *in Metallicis*. Quid enim? Non audebat ille legere Agricolam, qui ſolidè ſolidis fundamentis adſtruit 4. *Foſſ.* quod author à S. Romani Eccleſia exploſus ſit? Exploſus vero, qui verè Catholicus Romanus fuit, & ob id Chemitii in Miſnia ſepeliri non potuit, tranſlatus in Zizam? Vide Matthiolum *lib.* 3. *Epiſt.* Pet. Albinum *in Chron. Miſniæ*, Adamum, *in vitis Medic.* Adeo Tyrannis ubique regnat!

C. Dico igitur, certiſſimum eſt, ſuccinum eſſe bitumen. Unde ergo muſcæ & alia animalcula in ipſo ſuccino, jam ſolido! Vidi Patavii, monſtrante D. Cunrado Batto, Roſtoch. glebam, in qua culex volabat quatuor ſuis inſtrumentis. Vide Kentmannum *f.* 22. Jam dixi, profluit è fonte ſuo liquidum, & dum eſt liquidum, inviſcantur animalcula illa, & commoriuntur in ſolido. Hoc ita eſſe, ſignificarunt nobis multi αὐτόπται teſtes, & inter hos Seuver. Gebelius Medicus, *edito ſcripto Tiguri in* 8. 1565. *cum appendice Geſn. cujus* ῥῆσιν in Italicam tranſtulit Imperatus 17. *Nat. hiſt.* 5. Vide, ſi placet, *Animadv. noſtras*

in

in Theoph. 6. Hiſt. 4. num. 21. Habemus in Officinis *Troch. de Carabe.* valde conſtrictorios in omni hæmorrhagia, & quidem cum, vel ſine Opio.

D. Habemus & *Oleum*, quod triplex facit Imper. *dicto lib.* & facultates illi tribuit in omni obſtructione, in epilepſia, paralyſi, vertigine, calculo, &c. Cæſalpinus celebrat guttas ij. in aqua plantaginis, quas ait celerrimè ſiſtere ſputum ſanguinis. *Succinum* ipſum ultra 1. gr. in activis, ſiccum in 2. in paſſ. non eſt, *Oleum*, quò defæcatius, eò calidius & ſiccius, ut ad ℨ. utrobique perveniat.

Caput LXVI.

DE SPERMATE CETI.

A. Neſcio quid ſit, ſed advoco huc, quia quibuſdam *Ambra alba* dicitur. Noſtris tam familiare eſt medicamentum, ut Encel. dicat 2. *Metall.* 1. neſcire ſe ad quem non morbum utantur Germani! Hinc ſplendidum illud nomen *Baldraht*, (*Walrath* eſt corruptum) quod in morbis dubiis unicum perfugium eſſet. Non eſſe quod dicitur, oſtendit ſeminis (maſculi) natura. Eſt enim aquea. Unde *in ſacris literis* liberi dicuntur eſſe orti ex aqua hujus & illius. Neque veriſimile eſt, Cetaceorum aliam eſſe naturam, à nobis, & animalibus familiaribus. Quia enim conſtituit calidum nativum in corde, oportet eò uſque tenue ſit, ut coaguli inſtar ſit, quod ex Ariſtotele docui non uno loco. Non poteſt etiam ἁλὸς ἄνθος eſſe Dioſc. *lib. 5. cap.* 88. aut Plin. *lib.* 31. *cap. 7. Flos*, ſeu *favilla ſalis*, quod Encel. vult *loc. cit.* & Imper. 28. *Nat. hiſt. f.* 771.

B. Fruſtra vero Encel, ablegat lectorem ad Serapionem & Avicennam, *cap. de Ambra ſeu Hambra.* Ridiculus vero ſit tandem, cum duplex eſſe ait, *Florem ſalis*, & *ſperma Ceti.* His non obſtantibus Val. Cordus, *lib. à Geſn. edito* 1566. *ſperma Ceti noſtrum Halos* eſſe *anthos* veterum dicit. Huic ſe opponit Geſn. *in Coroll.* ſed nihil definit. Ego etiam repeto meum illud Neſcio.

Caput LXVII.

DE ARSENICO ET RISAGALLO, SEU REALGAR.

A. A Salutaribus pinguedinibus metallicis, venio ad lethales. Hujus generis eſſe *Arſenicum* propoſitum, argumento ſit, quod uſtum olet ſulphur. Et ita quidem dicitur vulgo: ſed Athenienſes ἀρσενικὸν appellant, Latini *auripigmentum* vocant, à colore aureo, quem habet naturaliter. Hinc eſt noſtrum *Opermint, color gilvus* pictorum. Hoc cum ſale aliquoties ſublimatum ſit

ſit candidum, & tum dicitur *Auripigmentum cryſtallinum.* Hujus tria ſunt genera apud Plinium, quorum quod medium eſt, *Riſagallum* vocatur, & Realgar diſtinctum à reliquis duobus, quæ ſquamoſa ſunt, quod *glebosum* eſt, & colore pallidiore, unde *Citrinum*, Galenus 9. *Simpl.* utitur ad depilandum, Patavii cum calce viva in promiſcuo uſu eſt, ſed videndum eſt, ne diutius ſinatur. Exulcerat enim. Eſt quippe (ait Galenus *loc. cit.*) venenum cauſticum, ſive uratur, ſive non uratur. Eſt venenum calidum craſſarum partium, 4. *Simpl.* 19.

B. Turcæ peſtem non timent, ſi appenſum arſenico plenum ſacculum geſtent. Contra quem morem multa egregiè diſputat Maſſarias *lib.* 2. *de peſte*, *f.* 51. 6. *& ſeq.*

CAPUT LXVIII.

DE SANDARACHA.

A. VIDETUR congener eſſe Arſenico. Dioſcorides enim *lib.* 5. *cap.* 80. conjungit. Hunc ſequuntur Agricola 3. *Foſſ. f.* 225. Imperatus 15. *Hiſt. nat.* 5. *&* 6. Cæſalpinus 1. *Metall.* 29. *&* 30.

SECTIO QUARTA.

CAPUT LXIX.

DE LAPIDIBUS ET GEMMIS, ET PRIMUM DE CALCE.

A. CALX, τίτανος, non eſt lapis, ſed cinis lapidis uſti. Imo vero non ſit ubique ex lapide, ſed in locis maritimis è buccinis, purpuris, teſtis cochlearum, aliiſque maris ejectamentis, quæ Dioſcorides *lib.* 5. *cap.* 133. κόγχλακας vocat. Poſſis tamen & *ſilices aquarum* interpretari. Duplex eſt, τίτανος ἄσβεστος (Dioſcorides ſimpliciter ἄσβεστον vocat) Latinis *Calx viva*, *ungeleſchter Kalck* noſtris dicitur: & ἀποσβεσμένη, *extincta*, & hæc rurſus *Lota* vel *Illota*. De illa Galenus 9. *Simpl.* Cum viva ſit cauſtica: extincta quidem facit idem ab initio, ac poſtea (diem unum atque alterum) ſit innoxia. Abluendi modus traditur *in Diſpenſ.* Materia cum ſit varia; πρωτεύει autem, ſive, ut loquitur Dioſcorides προκρίνεται, ἡ ἐκ τῆς χυδαίας μαρμάρου: quæritur, quod ſit illud *marmor*?

B. Ruellius ambages quæſivit: Sed rectè Saracenus *vulgare* vertit. Eſt au-

tem lapis duriſſimus & proximè ad marmor accedit. Qui *calcarium* dicunt, nihil dicunt. *Lota*, & præſertim ſæpius, deponit omnem mordicationem, & fit medicamentum ſiccans ſine morſu, 9. *Simpl. cap. de Cinere*, 4. *κ. γέν.* 4. Hinc *unguentum de Calce* eſt egregium in ambuſtis, ſtatim adhibitum. Non enim bullas ſinit excitari, & ſine cicatrice ſanat, Cæſalpino authore. Deſcriptio eſt apud Auguſtinum Melichium, alios. Utimur aliquando & *viva calce* pro cathæretico, in ulceribus cruſtoſis.

CAPUT LXX.

DE GYPSO.

A. ΟΓΥΨΠΣ tam affinis eſt calci, ut uno nomine gaudeant. Qui volunt, terram potius eſſe quam lapidem injurii ſunt. Sed & cinis potius eſt lapidis, ut Calx. Quo minus ſcio; quid Cæſalpinus ſibi velit, cum 2. *Metall.* 8. Gypſum proponit, uſtionem non expertum? niſi de foſſili loquitur? Uritur vel ex Alabaſtro, Alabaſtrove ſimili lapide: vel exſpeculari, *unſer Frawen Eyſz*, quem σεληνῖτιν, *Lunarem* eſſe volunt. Uſtio brevis & facilis eſt, quia materia minus dura, & marmoroſa eſt, Galenus 9. *Simpl.* parcus eſt in facultatibus. Præter enim facultatem exſiccatoriam, habere vim emplaſticam ſcribit quæ fit minor uſtione, contrà augetur partium tenuitas. Forinſecùs egregiè facit in ſiſtendis vulnerum hæmorrhagiis, cum pilis leporinis impoſitum: intrinſecus eſt venenum ſtrangulatorium. Statim enim lapideſcit. Remedia vide 2. *Antid.* 7.

CAPUT LXXI.

DE TALCO.

A. TERRAM quidam, lapidem alii hoc nomine oſtentant, inter quos Cæſalpinus 2. *Metall.* 59. qui putant *Argyradamanta* (ita enim ſcribo) Plinii eſſe. Avicen. 2. 2. *cap.* 695. Talk habet. Averroes 5. Coll. 43. Terram ſtellæ, id eſt, Talch. *Talch. autem ſtella eſt*, inquit Cæſalpinus, quem vide. Reliqui tacent. Dicam ego, quod vidi ſæpè, Schebergus mons eſt non procul GOTHA, è quo eruitur lapis, cum ad alia, tum ad calcem faciendam, in quo venæ quædam ſunt, quæ non uruntur in calcem, ſed in lapidem architectis inutilem, prorſus talem, qualem deſcribit Cæſalpinus. De hoc ego dubito, an non ſit *Talk Arabum*? *De olei Talci* uſu interiori non valde ſolicitus ſum (ſervit enim fucis muliebribus) vel propter periculum, quod ex Avicenna denunciat dictus Cæſalpinus.

CA-

CAPUT LXXII.

DE ALABASTRO.

A. ALabaster & fluvius eſt minoris Aſiæ, & oppidum Ægypti, à quorum alterutro dictus eſt *lapis Alabaſtrites*, unguentis jam olim dicatus. Agricola inter marmora habet, injuſtè ut puto. Eſt enim non minus fragilis, quam ulla teſta figulina. Ex hoc *unguentum* habemus *Alabaſtrinum*, neſcio cujus, & item aliud Benedicti Faventini, ad ſedandos dolores externos frigidos. De *Albaſtr. glaciali* vide Imperatum 24. *Nat. hiſt.* 13. & 14.

CAPUT LXXIII.

DE PUMICE.

A. PAucis me expediam è tricis, de quibus Galenus 9. *Simpl.* Eſt lapis ſui generis. Hic vel crudus venit in uſum, vel uſtus. Hic fit ſubſtantiæ tenuioris, ſed acquirit aliquid acrimoniæ, quam uſtione iterum amittit, & fit ſarcoticum, Galenus *loc cit.* Alioquin ut lapis abſtergit, quemadmodum teſta figulina, & locum habet in dentifriciis.

CAPUT LXXIV.

DE LAPIDE JUDAICO.

A. QUærit Cæſalpinus 2. *Metall.* 44. cur habeat certam, cum animatus non ſit? Dico ex Plinio, Natura à ſimilaribus ad diſſimilaria diſcedens, facit aliquid organicum, licet uſum non habeat. Vide Imperatum 24. *Nat. hiſt.* 22. Uſus eſt in calculo, tam renum quàm veſicæ. Galenus 9. *Simpl.* in renibus quidemefficacem reperit, in veſica non. An non diſtinxit marem à femina? *Ren. aff.* 8. an idem eſt cum *lapide Syriaco*? 10. *κ. τόπ.* 1.

CAPUT LXXV.

DE LAPIDE SPECULARI.

A. GRÆCI etiam σπεκλάριον vacant. Noſtri, *unſer Frawen Eiſz.* Volunt quidam eſſe eundem cum *Selenite*, ſeu *Aphroſelino*, quos non auſculto, Cæſalpinus 2. *Metall.* 8. author eſt, in Officinis mutare nomen, & vocari *Alumen Scaliolum*, quam obrem in eo genere ſilentio teximus. Qui cum *Gypſo* copulant, confundunt rerum naturam. Galenus 9. *Simpl.* non attingit. Sed 4. κ. γέ. 1. ſcribit ſiccare ſine morſu, & ſanara ulcera dyſepulota non autem maligna. Encel. 3. *Metall.* 17. magnum experimentum vocat in dyſenteria, lapidis ſpec. quantitatem nucis avellanæ.

CAPUT LXXVI.

DE LAPIDE LAZULI.

A. AZUR, & cum articulô *L'azur*, apud Arabas eſt *Cæruleum.* Quo nomine, κύανος ὁ vel ἡ, cum apud Dioſcoridem & Galenum ſit pigmentum, cauto opus eſſe Cæſalpinus monet 2. *Metall.* 40. ne confundamus cum Kentmanno, & aliis. Idem tacitè nobis inſinuat, diſtinguendum eſſe inter lapidem hunc & *Saphirum* Plinii *lib.* 37. *cap.* 9. qui aureis punctis collucet. Hac in re Chioccus quoque laborat *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *f.* 228. verum tamen labaſcit, cum *ſect.* 4. *f.* 467. iterum agit de *Lap. Lazuli.* Quò minus opus fuit diligentia Catelani, qui *cap.* 9. *tract. de conf. Alchermes*, de qua ſupra, quatuor proponit ſpecies lapidis Lazuli, quorum qui primus eſt, videbitur mihi eſſe *lap. Armenicus ſeu Armeniacus* Dioſcor., Secundus & tertius ille, quo fit *Lazur Ultramarino*, ſeu ſimpliciter *Ultramarino* pictorum, quod uno verbo *Verd-azurro* Itali vocant, Quartus denique qui aureas micas habet & ſolus huc pertinet.

B. Verumenim vero, quia nec ille ſuſtinet probam à Fallopio, *Foſſ. cap.* 33. ſcriptam: jure concludit Catelanus, nos non habere lapidem Lazuli, quem Meſue impoſitum voluit. Quò minus autem calcinatum illum acceptem à Catelano, facit ineptus loquendi modus, cum ait, *Quodammodo corrigi omnem ipſius noxam.* Si *omnem*, cur non omnibus modis? Quamobrem concludo cum Chiocco, *loco poſt. cit. ex* 3. *Simpl.* 20. *Lap. Lazuli nullum ex hactenus cognitis*, ob vim ſepticam, *locum habere in Offic.* multo minus in *Conf. Alchermes.* Hæc vis extendit ſe ad *Pil.* quoque *de Lap. Laz. Meſue*, niſi fallor, ad illa quoque, quæ de *lap. Armenio* ejusdem Meſue, ſiquidem eſt ſpecies *Lazuli*, ſi opus ſit melanagogo, monſtrabit tibi Trallianus *Helleborum album.*

CA-

CAPUT LXXVII.

DE MAGNETE, SEU MAGNETIDE.

A. AB inventore dictum eſſe, ſive is *Magnus* fuerit, ſive μάγνης, à patria Magneſia Macedoniæ parte, certa res eſt. Vulgatior appellatio fuit, λίθος ἡράκλεια vel ab *Hercule* ipſo, vel ab *una Heraclearum*. Fuerunt enim multæ hujus nominis urbes. Dictus etiam σιδηρίτης, ἡ, ſubintellige, λίθος, à mirabili effectu trahendi ad ſe ferrum, cujus rationem nemo hactenus, tot ſeculorum decurſu, invenire potuit. Puto autem (ſi licet mihi excurſum facere) mirabiliorem eſſe illum, quod ſemper verſus Septentrionem vergit. Hinc *pyxis nautica*, vulgo *Compaſz*, nautis *Leie*, de cujus antiquitate libet quærere obiter. Philander *in Vitruv. lib.* 10. *cap.* 14. primam ait fabricatam fuiſſe Amalfis, Campaniæ (Italiæ) oppido.

B. Apud Plautum *in Trin.* Scilicet Staſime, putant quidam *Verſoriam* eſſe. Ejus opinionis authorem facit Taubmannus Joannem Baptiſtam Pium, quem refutat Turneb. 20. *Adv.* 40. Ego cum Lemnio 3. *Occult.* 4. & Langio 1. *Epiſt.* 63. auguror, longè antiquiorem eſſe. Refert ille ad Carthaginenſes. Ego etiam Tyrios ſeu Phœnices avos ipſorum, qui in Americam navigarunt, unde ſuper eſt *Hannonis peregrinatio* pro fabuloſa habita. Quidquid ſit, Saxones ob id *Segelſtein* vocant, ut eſt apud Encelium. An æquè mirabile eſt, quod omnis magnes ſecum habet *Theamedem*, contrarii effectus authorem lapidem? *ein Bleſer oder Zwitter* Kentmannus vocat. Vide Cæſalpinum 3. *quæſt. Perip.* 5. Sed revoco me, Galenus Magnetis meminit, 1. *Fac. nat.* 14. 1. *Loc. affect.* 5. At 9. *Simpl.* hoc tantum ait habere vires Hæmatitis.

C. Hoc de cremato accepit Cæſalpinis 2. *Metall.* 55. forte, quia Dioſcorides *lib.* 5. *cap.* 105. ſcribit, crematum vendi pro hæmatite. Idem ait, doſi ob. iij in hydromelite craſſos humores purgare. Itali *Calamitam* vocant, de quo videris Imperatum 26. *Nat. hiſt.* 8. Chioccum *Muſ. Calceol. ſect.* 3. *f.* 259. Agric. *lib.* 5. *Metall. foſſ.* ubi tu cave, ne cum lapide. *Calaminari* confundas. Eſt enim *Cadmia*.

CAPUT LXXVIII.

DE HÆMATITE.

A. Ὁ Αἱματίτης λίθος, ἤ, ἡ αἱματῖτος λίθος, certam quidem habet originationem: ſed res ipſa varia eſt admodum, propter ſpecierum multitudinem, apud Encel. *lib.* 3. *cap.* 6. Cæſalp. 2. *Metall.* 56. Difficultatem auget affinitas ejus cum *Schiſto*, de qua Chiocc. *ſect.* 3. *f.* 673. Præſuppoſito igitur, habere

 bere

bere nos illum, quem Dioſcorides deſcribit *lib.* 5. *cap.* 101. exſurgit jam hæc altera, Calidus ne ſit cum vi adſtrictoria, quod Dioſcorides affirmat! an quod ait Galenus 9. *Simpl.* tantum habeat frigiditatis, quantum adſtrictionis? Ne longè abeam, Tralliani experimenta *lib.* 7. *cap.* 1. qua de hæmoptyſi, perſuadent mihi potius frigiditatem, quàm caliditatem. Hanc in rem in cote lævigat diligentiſſimè, & dat ℈iiij. in aqua adſtringente. Si nolit æger hoc modo, in pulverem tenuiſſimum redactum ligat in nodulum, ſuſpenditque per noctem in vino odorato, quod manè bibendum dedit, quantum voluit. De uſtione ejus apud Dioſcoridem, quid controvertat Cæſalpinus, & quomodo corrigat Dioſcorides vide apud ipſum. Res mihi ſuſpecta eſt, cum neque Galenus neque Trallianus meminerint. Vereor, ne ἐμπύρευμα acquirat.

Caput LXXIX.

DE AETITE.

A. AETOΣ triſyllabum, *Aquilam* ſignificat: ut prima fiat longa, poëtæ jῶta addunt, ut fiat αἰετὸς. Corrumpunt igitur vocem, qui Ætiten vocant. *Aquilinam* vocant Itali, & habet aliquot differentias Imper 24. *Nat. hiſt.* 18. *Foſſilis* eſt, ſed quod aquilæ nido ſuo inferant, hinc appellationem accepit. Omnibus hoc commune eſt, quod continent inventre aliquid lutoſi, concreti, unde concuſſi plerique ſonum edunt, crepitaculi inſtar. Agricola *Gemmæ* nomine dignatur, & *Callimum* vocat. Vetus eſt, ad alligatum brachio abortum prohibere: cum partus inſtat, transferendum ad femora. Habeo aliquot, ex Gargano Apuliæ allatos. Sed jam ad Gemmas.

Caput LXXX.

DE SMARAGDO, SAPHIRO, RUBINO, HYACINTHO, SARDA SEU CARNEOLO, JASPIDE, CARBUNCULO, CRYSTALLO, GRANATO.

A. SI de ſingulis ſeorſim mihi dicendum eſſet, opus Iliade grandius naſceretur mihi. Agitabo autem unam atque alteram quæſtionem tantum. I. An eadem ſit ratio gemmarum manibus geſtarum, & intra corpus acceptarum; Non ego nego actiones, *à tota ſubſtantia* Galeno dictas, quas hodie *ab occulta proprietate* proficiſci dicunt. Sed hoc quæro, an *Smaragdus*, verbi gratia, pulveriſatus, & in marmore lævigatus, poſſit idem quod integer? *Non credo.* Jam enim ſoluta eſt illa unio elementorum, qua interveniente, agebat. II. An *fragmenta* illa *pretioſa præp.* ut vocant, poſſint auctuari à calore humano?

no? Non magis, quam vel pumex vel ſilex. Imo, tu ipſe jam tribuiſti illis alibi vim ſiccandi, qua præcipuè putredini reſiſtant? Tribui ex vulgato omnium hominum ſenſu.

B. Jam huc cogito, *Exſiccatio fit vel diſcuſſis à calore humoribus morbificis: vel imbibitis, veluti à ſpongia. Quis vero calor ſit in corporibus illis frigidis & terreis? Quod ſpatium detur ingreſſuris in ſpongiam humoribus?* Ei, hæc nimis ſubtilia ſunt! Modo vera ſint. Quid enim ait experientia? Unicum nunc producam teſtem, Cratonem (at quem virum?) Hujus verba de præſervatione in peſte ſunt. *Da jemandt durch die (Gemeinen)* anditota *was erhalten wirdt, mag er wol Gott allein die Ehre geben*, a quo eſt ſalus. Ejusdem de curatione, *Es iſt tein* medicamentum *ſo gut, dem gemiklich zu trauwen. Wo aber Gottes Hulff alles.* Ex *lib. de peſte anni* 1585. *Norib.* Addo, in peſte proxima Noribergenſi, peſte mortui ſunt ſex Medici. Putas tu, prætermiſiſſe illos aliquid in tutela proprii corporis?

C. Quod de peſte verum eſt, de omnibus verum eſt, in quibus prædicantur Gemmæ. Hæc qui bene perpenderit, judicet de utroque *Elect. de Gemmis Meſue frig. & cal. de conf. cord. Alex. Bened. de Aq. Carbunculi mag.* de aliis aquarum virtutibus, quæ gemmas recipiunt.

CAPUT LXXXI.

DE MARGARITIS SEU PERLIS.

A. NON habent quidem peculiare quid præ aliis: volui tamen ſeorſim ponere propter ſaccharum perlatum, quod tanti facit vulgus, ut impie vocet *Manus Chriſti.* Idem dico de *Matre perlarum.*

SEC-

SECTIO QUINTA.

CAPUT LXXXII.

DE METALLIS PERFECTIS, ET PRIMUM DE AURO ET ARGENTO FOLIATO.

A. A Lapidibus perfectiſſimis pervenio ad mettalla perfectiſſima; *Aurum* Græcis χρυσὸς dicitur & χρυσίον. Fabric. *principio Obſ. med.* ab *aura* ſeu ſplendore deducit. Quin ſunt, qui Latinum à Græco αῦρον derivent, unde αὐροφύλαξ, gemmæ nomen apud Plutarchum *lib. de Flum.* ut quidem illi legunt pro ἀργυροφύλαξ. Ita ἄγυρος, ἀργύριον, καὶ ἀργυρίδιον, à quo an ſit Latine *Argentum* neſcio, certe Fabric. *loc. cit.* dicit de utroque, in laminas diducto, idem ſentio quod de gemmis. Si enim auro nihil demit ignis, quantumvis violentus, quid poſſit in illud calor noſter tantillus? Heic ego recordor joci, quem ſpargebar D. Sonerus in eos, qui auri folia addunt reſumptivis ſuis, *Sie wollen die Leuthe inwendig vergulden*, dicebat. De Gallina Sileſius quid ſparſum ſit ſuperioribus annis, notum eſſe poteſt. De auro potabili quid ſomnient Chymiſtæ, in ore eſt omni populo. Judicium meum jam dixi.

CAPUT LXXXIII.

DE ÆRE, ET ÆRIS FLORE.

A. VUlgatus eſt error, quem detegere oportet. Χαλκὸς, *æs*, creditur eſſe id metalli, quod *Aurichalcum*, ſeu *Orichalcum*, *Meſſing* dicitur. Imo vero, eſt id, quod *Cuprum*, quod *æs Cyprium*, *Kupffer* vocamus. Hinc intelligitur, cum arma veterum χάλκεα dicuntur, non eſſe id accipiendum de ferro, chalybéve: Sed de ſolo cupro. Fabricius iterum. Tum vero τὸν χαλκὸν ἐρυθρὸν dici eo modo, quo apud Poëtas *Nix alba*, *ſanguis purpureus*. χάλκος ἄνθος, duabus vocibus, quatenus diſtinguitur ἀπὸ τοῦ χαλκάνθου, una voce, de quo ſupra, eſt artificiale quid. Cum enim cupro fuſo affunditur aqua refrigerandi gratia, ſubſiliunt micæ quædam milii inſtar, quæ collectæ dicuntur *flos æris*.

B. Æris ipſius uſus non eſt niſi uſti. Idipſum aut lotum aut illotum, eſt acre & abſterſorium; lotum fit epuloticum optimum. Poteſt id ipſum &

& illotum, ſed in duriori corpore, 9. *Simpl. Flos* eſt partium tenuiorum, quam vel æs ipſum, vel ſquama (de qua in ſect. ſeq. ibid.) *Flos & ſquama* vehementer abſtergunt, 4. κ. τόπ. 4. quo modo lævigetur & cur? 1. κ. γέν. 10. docetur Officinæ & Chirurgi florem non habent, ſed ſubſtituunt ei *æruginem*, *Grünſpan*.

Caput LXXXIV.

DE FERRO ET CHALYBE.

A. ΣΙΔΗΡΟΣ, *ferrum* eſt: χάλυψ, *ferrum, depurgatum.* Ratio nominis eſt à Chalybibus, Ponti populis, qui in ferro, per fuſionem mundando, primi fuerunt occupati. Ut *Ferri* in Officinis uſus non eſt: ita *Chalybis*, præſertim limaturæ ejus, magnus eſt in obſtructionibus viſcerum, præcipuè lienis. Habemus in Officinis duo *Electuaria de lim. Chalybis*, quorum prius ſine authore eſt, poſterius Augenio tribuitur *in Epiſt.* in quibus ego hactenus non inveni. Apud Caleſtanum autem, quem ille laudat *tomi primi lib.* 7. *epiſt.* 8. ſolum reperio, 1. *Obſ. fol.* 133. *L'Elect. mag. per ippilati*, quod habet limaturam duram. Cum ego in Italiam venirem, in maxima fama erat *Electuarium Saxoniæ de Limatura dictum*, quod pharmacopœus *alle tre ſtelle* auri inſtar cuſtodiebat.

B. Id vero communicabat mihi poſtea D. Claudius Deodatus, Medicus nunc Epiſcopi Baſ. Brundunti, familiaris Sax. Hoc tale erat. ℞. *Lim. Chal. ſuper porph. cum aceto ſepties lævigatæ, & diligenter ſiccatæ*, ʒ vj. *Cinnam. Nucis Moſch. cond.* ana ʒ iij. *Rhab. el.* ʒ ij. *ſp. arom. roſ.* ʒ vj. *Mellis, ſacc. albiſſ.* ana ℔. j. ℥. j. *præmiſſa purgatione, detur ad dies* 30. *caſtaneæ magnitudine, vel* ℥ ß. Exerceatur. Hanc ego deſcriptionem publicare volui, ut conferri poſſit cum illa, quam Vailacus dedit 2. *Pract. lect. cap.* 28. *Francofurt. in fol.* 1610. Alia eſt Augenii *tomo primo epiſt. lib.* 7. *epiſt.* 7. Ego his omnibus præfero Ceratam D. Fabricii ab Aquapendente præceptoris, quod deſcribit *in operat. Chirurg. f.* 62. Non contemno etiam *ſpongiam aquæ Calcis vivæ* immerſam, & expreſſam, quam paulo poſt, immo in veſtigio laudat.

Caput LXXXV.

DE PLUMBO.

A. Plumbum ſimpliciter, & μόλιϐδος ἢ μόλυϐδος eſt illud, quod aliàs *nigrum* cognominatur, ad differentiam *plumbi albi*, quod iterum ſimpliciter eſt κασσίτερον, *ſtannum*. Vide Encel. *lib.* 1. *cap.* 29. & *ſeq.* Hinc formata μολύϐ-

δαινα ἢ μολύβδαινα eſt γαλῶν metallicorum, res longe alia, de qua alibi. Recipitur plumbum hoc inter medicamenta externa ad refrigerandum & adſtringendum. Siccat fluxiones, & cicatricem inducit. Ad quem uſum uritur, teritur, & lavatur in mortario plumbeo, cum piſtillo plumbeo, quo ſiccantius fiat, & aërius, ſi ſic loqui licet *Plumbi lamina* lumbis alligatur ad cohibendam Venerem. Ganglia etiam diſſipat impoſita. Galenus 9. *Simpl.* heterogenearum partium eſſe ait, quasdam ſcilicet aqueas habere, à frigore coactas, quasdam aërias & terreas.

Uſtum ſine morſu ſiccat, 4. κ. γέν. 1. Habet & adſtrictorium quid, etiam poſt uſtionem & lotionem 4. κ. τόπ. 1.

CAPUT LXXXVI.

DE HYDRARGYRO, SEU ARGENTOVIVO, QUOD CHYMICI MERCURIUM VOCANT.

A. POST multam exputationem, ſtatui, *Metallum* eſſe, cum adjectione, *ſui generis.* Diſcedit enim oppoſito modo à natura ſtanni & ferri, ait Cæſalpinus 3. *Metall.* 11. ubi vide, quomodo explicet. Aliud eſt *nativum*, aliud *factitium*, quorum hoc tantum Galenus novit, & ait venenum eſſe tota ſubſtantia, 5. *Simpl.* 15. Experimentum tamen ejus non habet, 9. *Simpl. cap. prop.* Quod nativum eſt, foditur, authore Matthiolo, in comitatu Goritienſi, ubi ſapis ejus *Cinnabarum nativum* vocatur. *Factitium* duplex, *Præcipitatum & Sublimatum*, cujus utriusque facturam habet Cæſalpinus *loco citato* : *Præcipitatum* eſt pulvis rubeus, quem vocant quidam *Turbith minerale*, & purgandi corporis gratia, dant à gr. iij. usque ad xij. cum Maſtichis ℈j. & ſacc. roſ. ʒ.ij. ut idem Cæſalpinus ſcribit.

B. Chirurgi utuntur in ulceribus ὑπερσαρκοῦσι. *Sublimatum* eſt corpus ſolidum ſacchari iſtar, & venenum acerrimum, quo tamen cum ceruſſa temperato utuntur mulieres ad faciem dealbandam, ut idem Cæſalpinus tradit. Tu vide an placere tibi poſſit conciliatio ejusdem in quæſtione, *Calidum, an frigidum ſit venenum?* Adde ſis, Fallopium *lib. de Metall.* 27. De uſu in morbo Hiſpanico in primis, pulchrè ſcripſit Sylvaticus, Mediol. *Controv.* 74.

SEC-

SECTIO SEXTA.

DE METALLORUM EXCREMENTIS, ET PRIMUM.

CAPUT LXXXVII.

DE PYRITE SEU MARCASITA.

A. QUEMADMODUM in regno animali in ſingulis ſpeciebus fiunt plures coctiones, quarum ſingulæ rurſus habent duo excrementa, hinc quidem craſſum, illinc autem tenue, quod late deduxi *in tract. de Humoribus*: ita in regno minerali, ſed hac differentia. Ibi omnia ſunt diſtincta, ob materiæ nobilitatem, & conſtat binarius: heic ſunt confuſiones, ob contrariam cauſam, & egrediuntur excrementa numerum binarium. Quod *Pyriten* attinet, concedunt omnes, eſſe eundem cum *Marcaſita*. Dicitur ἀπὸ τοῦ πυρ, & ſubintelligitur λίθος, quæ vox, prout maſculina vel feminina eſt, ita ſcribitur vel πυρίτης vel πυρῖτις. In hoc conſentio Agricolæ, *in Bermanno*, *fol.* 139. eſſe ſuum quoddam metalli genus, ſed, ſi accipiat à me hanc interpretationem, revera eſt excrementum quoddam terreum, quod habet in ſe principia omnium metallorum. In has me cogitationes conjecit noſtri ſeculi Plin. 16. *Hiſt. nat.* 11. cujus verba ſunt, *mi par*, *che la Marcheſita ſia redondanza è meſtruo nella concezzion de metalli.* Huic in ſubſidium veniat Cæſalpinus 2. *Metall.* 54. & Chioccus *ſect.* 3. *Muſ. Calc. fol.* 383. qui dicunt, *Colore uniuscujusque metalli reperiri.* Vide Encel. *lib.* 1. *cap.* 14. & *ſeq.* imo confer Kentm. *fol.* 25. Quin Agricola ipſe ſcribit. *Continere modo argentum*, *modo æs*, *modo utrumque*, *modo plumbum*, *modo plura metalla*, *modo ſterile omnino eſſe.*

B. Nec ſatis eſt. Matthiolus ſcribit *in Dioſc. Pyriten ſe habere*, *cryſtallo*, *beryllo*, *Armenio*, *Cæruleo*, *Chalcantho*. *Miſi*, &c. *adnatum adeo*, *ut cum foſſilibus omnibus cognationem habere videatur.* *Medici*, inquit Cæſalpinus, *tam crudo*, *quam uſto utuntur ad oculorum affectus*, *unde lapidem luminis vocant.* Excalfacit, abſtergit, affuſam oculis caliginem expurgat, duritias coquit, &c. Addit Chiocc. *vim ejus* διαφορητικὴν *valde celebrat* Galenus 9. *Simpl.*

Caput LXXXVIII.

DE SCORIA ÆRIS, ARGENTI FERRI ET PLUMBI.

A. EXcrementum craſſum univerſale, & quidem conſtitutivum, dictum eſt: ſequuntur particularia, eaque accidentaria Σκῶρ eſt. Hinc σκωρία. *Scoria* omnis deſiccat, præſertim ferri, inquit Galenus 9. *Simpl.* Hanc cum ærugine comparans Dioſcorides, inefficaciorem eſſe ait. Tu vero ſcito, omnem ſcoriam referre naturam matris ſuæ. Qua de re vide Cæſalpinum *lib.* 3. *cap.* 17. *& ſeq.*

AUCTARIUM DE VITRO.

AUctoritate Cæſalpini 3. *Metall.* 23. ſcoriis vitrum jungo, & ex Galeno 9. *Simpl. cap. de Lap.* hoc tantum dico, Ex vino albo tenui potum frangere calculum. Addo, *ex* 4. κ. γῶ. 1. uſtum ſiccare ſine morſu.

Caput LXXXIX.

DE LITHARGYRO, SEU SPUMA ARGENTI.

A. IDem mihi perſuadet *cap.* 21. *Lithargyrum* (*glette* nobis) nihil aliud eſſe, quam *Scoriam plumbi*: habere autem nomen ab argento, quia oritur dum argentum purgatur per plumbum in ſecundis fornacibus. Diſtat à Scoria, monente Plinio eo quo ſpuma à fæce. Alterum enim purgantis ſe materiæ vitium eſt, alterum purgatæ. Idem Plinius cum Dioſcoride triplex facit. In Officinis non niſi duplex eſt, auri & argenti. Galenus *eodem Simpl.* ait, in activis temperatum eſſe: in paſſivis ſiccare, ut inter metallica moderatiſſime. Idem docet 1. κ. γῶ. 5. Aliud facit crudus, aliud ex aceto, vinoque lotus, *ibid. cap.* 9. *&* 10. Cur exterius refrigeret, intus ſit venenum ſepticum, Cæſalpinus refert ad cauſam, in Argento vivo dictam. Apud nos Coſmeticum eſt *Lac virginis* dictum, duplici deſtillatione factum.

B. Ego vidi ſeniorem noſtrum Chirurgum, Petrum Colerum, diſcutere ejus litu ſolùm maximum ſcroti tumorem in hydropico, de quo ille affirmabat, fruſtra ferro aperiri, quod materia ibi eſſet flava, conſiſtens inſtar gelatinæ.

Caput XC.

DE STIBIO, SEU ANTIMONIO.

A. Liceat mihi huc trahere, propter ſimilitudinem, quæ in colore & nitore illi eſt cum *Spuma argenti*, ut Agricola loquitur, 10. *Foſſil.* videtur autem traxiſſe ex Plinio, qui vocat *lib.* 33. *cap.* 6. *lapidem ſpumæ candentis.* Cauſam fortaſſis reddiderit Imp. 14. *Nat. hiſt.* 13. *quod perfectum metallum non ſit*, ſed ſtet in imperfectione principiorum metallicorum, quod volunt verba ipſius materna. Hinc Cæſalpinus *lib.* 3. *cap.* 9. à metallis ſeparans, *lapidem* vocat *plumbo ſimilem*, eo videlicet modo, quo Dioſcorides à μολίϐδῳ ſeorſim ponit τὸν λίθον μολιϐδοειδῆ, quem *in præced. cap.* deſcribit Cæſalpinus. Idem meminit *lapillorum Hyacinthinorum*, qui nihil aliud ſunt, quam *Stibium Hyacinthinum Matthioli*, quod alii *Vitrum Antimonii* vocant, cujus gr. iij. cum ſaccharo roſato ſumpta *furioſe purgant.*

B. Scribit Cæſalpinus, quoſdam ad gr. xij. aſcendiſſe. Ego vero moneo virum graviſſimum, non eſſe hoc accipiendum de vulgari præparatione, ſed de alia, in qua Antimonium fit album, quam ex Dorne neſcio quo Imperatus habet *cap.* 17. *ſeq.* Tu vide hiſtorias Matthioli, quas exſcribit idem Imperatus, quibus comprobatur uſus Stibii internus. *An ſecuritatem nobis polliceri poſſumus, ſi infuſo ſolo utamur, cum quælibet præparatio qualiſcumque illa ſit, venenum in ſe ſemper habeat?* Erat ante hos 40. annos Noribergæ Chirurgus, qui habebat *poculum* tale *hyacinthinum*, in quo ſi per noctem ſtetiſſet vinum, purgabat mane egregie. Noſtri Pharmacopolæ *Flores Antimonii* cum ſaccharo conficiunt, quos obtrudunt ruſticis. Vide Freitag. 4. *Purg.* 19. *ext.*

C. Galeno vis hæc purgatoria erat ignota, & proinde cum ſory comparat in adſtrictione & ſiccatione, 9. *Simpl.* At 4. κ. γέν. 1. urit & lavat, lacte extinguit, ut ſine morſu ſiccet, 4. κ. τόπ. 6. & 7. 1. κ. γέν. 10. 4. κ. γέν. 1. Illotum, inquit 4. κ. τόπ. 4. fortiter adſtringit: lotum pene expers eſt mordacitatis.

ADDITAMENTUM AD CAPUT XC. PARALIMOMENΩN.

Cum in Galliam appuliſſent hæc *Officinalia* mea, par amicorum ſelectiſſimum, D. D. Guido Patinus, Medicus Pariſienſis, & Carolus Sponius, Medicus Lugdunenſis, cenſuere ὁμοθυμαδὸν, addendum hîc eſſe Decretum Collegii Medici Pariſienſis, (quod ultra centum viros graviſſimos ſe extendit) contra Stibii uſum, ante annos octoginta latum adverſus nonnullos medicaſtros, Chymicos & Empiricos; de iſtius veneni uſu imperitæ plebeculæ, ut ſolent in omnibus, mirabilia pollicentes: hoc ipſis verbis eſt tale.

COLLEGII MEDICORUM PARISIENSIUM DE ANTIMONIO SENTENTIA.

UNiverſi Collegii Medicinæ facultatis conventu habito ſuper Stibii ſeu Antimonii judicio & lege ferenda, ſancitum eſt omnium qui in Medicina claruerunt, authoritate atque rationibus, cùm alibi ſæpe, tum nuper apud Patronum Regium deductis, ipſum Stibium deleterium eſſe, & inter ea ſimplicia, quæ venenata qualitate pollent, annumerandum, nec poſſe quavis præparatione emendari, ut intro citra moleſtiſſimam noxam poſſit aſſumi. Datum in Scholis Medicinæ, 3. Calend. Auguſti, anno ſexto ſupra ſeſqui milleſimum ſexageſimum.

Simon Pietre, *Meldenſis*, *Decanus Facultatis Medicinæ.*

Quod quidem ſapientiſſimum antiquiſſimæ & omnium celeberrimæ Facultatis Medicæ *decretum*, utinam noſtris temporibus tam religiosè obſervatum haberetur, quàm prudenter fuit inſtitutum. Sed plura aliàs.

Caput XCI.

DE SQUAMA ÆRIS ET CHALYBIS.

A. SUpra dixi, chalybem eſſe ferrum purificatum: jam addo alterum modum, ferrum fieri melius etiam addita parte chalybis. Difficultas eſt, an ex his duobus metallis ſolis fiat λεπὶς? & an ferrum purum dicatur deinde ςόμομα? Utrumque videtur probari poſſe ex Dioſcoride *lib.* 5. *cap.* 96. & 50. At vero Galenus addit 9. *Simpl.* σίδηρον. Plinius *lib.* 34. *cap.* 11. ςόμωμα vocat, non chalybem ipſum, ſed ſquamam ipſius, quæ proculdubio eſt tenuior illa, quæ ex ferro. Sed iſta arbitraria ſunt, pro locorum & hominum varietate. Major difficultas eſt craſſum, an tenue ſit excrementum? Ratione ſcoriæ proculdubio eſt tenue: at ratione gravis ſubſtantiæ, qua in terram decidunt ſtricturæ illæ, ut Plinius vocat, eſt craſſum. Mihi pro creſſo erit, ne cogar mutare quid in Pompholyge. In univerſum ſquama omnis vehementer ſiccat.

B. Differunt ſecundum magis & minus, prout ſcilicet aut craſſioris, aut tenuioris ſubſtantiæ eſt, 9. *Simpl.* Eſt autem ſiccitas illa cum vehementi morſu: ideo lotione opus habent. Sed & hoc modo non deſinunt eſſe cathæreticæ. Habent & vim purgandi (non minus quàm flores) humorem melancholicum, pondere ob. iiij.

Ca-

CAPUT XCII.

DE ÆRUGINE, FERRUGINE ET RUBIGINE.

A. IOΣ, Græcum, extendit ſe non tantum ad dictas voces in metallicis, ſed & ad fruges, in quibus *Robigo* facit *Robigalia*, *Floralia* & *Vinalia*, tria Romanorum feſta, quibus ſupplicabatur diis, pro avertendis iſtis peſtibus. Cavendum vero eſt, ne huc trahatur τὸ χαλκοῦ ἄνθος, ſuo loco dictum. Monendum etiam, τὸν ἰὸν τοῦ χαλκοῦ, *æruginem* ſeu *ærucam* proinde dictam quæ Cupri eſt, dici Chirurgis *Viride æris*, *Grünſpan*; unde in doctrina de Humoribus eſt χολὴ ἰώδης, quæ oſtendit ſe in maximis caloribus. *Ferrugo* eſt proprie *crocus ferri*, quo infectores utuntur ad inducendum colorem obſcure croceum. *Rubigo* ſeu *Robigo* eſt proprie ſegetum, *der Brandt*. Ἰὸς triplex eſt, ξυστὸς, *raſilis*: σκωληκίας, *vermicularis* factitium quid aurifabrorum, quod Latinis ſcriptoribus *Santerna*, χρυσοκόλλα Græcis, *Borax* Arabibus, de quo ſupra. Omnes tres ſpecies habent facultates æris uſti, ſed efficaciores. Lîquant enim in ulceribus putridis & fiſtuloſis carnem non tantum teneram, ſed & duram. Vide Galenum 9. *Simpl.* Frequentius uſurpatur raſilis. Ex ærugine habemus *Empl. viride ad ſordida ulcera.*

CAPUT XCIII.

DE CERUSSA ET SANDYCE.

A. ΨΙΜΥΘΟΣ, ὁ, facit diminutivum, ψιμύθιον, poëtice ψιμμύθιον. *Ceruſſa*, peritiorum judicio, nihil aliud eſt quam rubigo plumbi, candida ideo. Hæc uſta fit *Sandix*, quæ à vulgo *minium* vocatur, facultate longe diverſum à *minio veterum* quod *Cinabrium* hodie dicitur. Ceruſſa facultatem habet refrigerandi & occludendi, ideo inter Emplaſtica Galeno, *Sandyx*, ex Ceruſſa facta, tenuioris quidem eſſentiæ eſt, ſed nondum excalfaciens. Habemus in Officinis *Emplaſtrum* ſeu potius *Ceratum* ex Ceruſſa, quod *Album coctum* vocamus. Habemus & *Unguentum album* ex eadem Ceruſſa, quod coctione tantum deffert. Utriuſque uſus ad intertrigines, & ſuperficiales cutis exulcerationes, *Hantpflaſter*. Habetur alicubi & *Ung. de Minio*, quod ex Sandyce fit, in vulneribus partium molliorum.

CA-

CAPUT XCIV.

DE CADMIA, QUÆ EST TUTIA ARABUM.

A. POST hæc omnia confuſe tradita, ad finem tendens Cæſalpinus *cap. pen. & ult.* ita loquitur, *Dum excoquuntur metalla, pars quidem terreſtrior, &c.* Quæ methodo mea applicita hunc habent ſenſum, *Explicatis metallorum excrementis craſſis, ſuperſunt tenuia, quæ triplicia ſunt.* Aut enim ſurſum evolant, & vel concreſcunt iterum in lapidem, & fit *Cadmia* vocata: vel pulvere manent, & fit modo πομφόλυξ, *bulla* modo σποδὸς ἢ σπόδιον *cinis* vel *cinerula. Pompholyx* eſt quidquid levius eſt, & ſuperius manet: *ſpodium* quidquid in terram cadit. De his ordine oportet agere. *Cadmiam* à Cadmo, divite metallario, nomen habere ἀρχαϊσμὸς eſt. Inquirere in varia ejus genera, πλακῖτιν, βοτρυῖτιν, ζωνῖτιν, ὀνυχῖτιν, ὀστρακίτιν, καπνῖτιν, ſupervacuum.

B. Hoc vero palmarium videri poſſit, quod in Officinis appellatur, vel *lapis calaminaris*, vel *Tutia*, noſtris *Galmei grau, nichts, und grauer Augſtein.* Hæc in activis temperata eſt, 9. *Simpl.* Peculiare hoc habet præ aliis metallicis, quod non ſolum ſiccat, ſed & abſtergit. Ibidem uritur & lavatur vino italico, aut etiam lacte, 4. κ. τόπ. 1. & 6. 4. κ. γέν. 1. & Sarcotica, ibid. 3. *Meth.* 3. Habemus in Officinis *Emplaſtrum* διακαδμίας, quod *Griſeum* (an χρύσειον?) aut de *lap. calam.* vocatur. Exſiccat, ulcera explet, & cicatricem inducit, ait Diſpenſator noſter.

CAPUT XCV.

DE POMPHOLYGE.

A. QUÆ licentia Medicorum eſt, hac in parte in utroque genere, maſculini & feminini dicitur, 4. κ. τόπ. 1. 3. κ. γέν. 8. Hanc duobus modis fieri docet Galenus 9. *Simpl.* Idem ait ibidem, lotam eſſe omnium prope metallicorum, quæ ſine morſu ſiccant, præſtantiſſimam ſimulque emplaſticam. 4. κ. τόπ. 1. eſſe partium tenuium citra manifeſtum calorem, 3. κ. γέν. 2. eſſe ſarcoticum, cum adſtrictione aliqua, 3. *Meth.* 3. 3. κ. γέν. 8. Proſtat in Officinis *Ung.* διαπομφόλυγος, cui magno cum errore præſcribitur, quod vocetur *de Tutia.* Quæ ut defenderent quidam ejecta pompholyge, ſubſtituunt *Tuciam.* Et eſt alioquin varietas in compoſitione quam notavit, ut puto, Cam. in Diſp. noſtro. Eſt Epuloticum, quod præſtat prædictum. διακαδμίας, præſertim leni refrigerio partium affectarum. Eſt præcipuè oculare medicamentum, vocaturque *nihil album.* Unde jocus eſt ortus, *nichts iſt in die Augen gut.*

CAPUT XCVI.

DE SPODIO.

A. Απο τοῦ σποδὸς eſt diminutivum σπόδιον. Hinc diſcere poterat Cæſalpinus cur in neutro genere dicatur. Ego monui ſupra, & facio denuo, ſolicite diſtinguendum eſſe *Spodium* hoc *Græcorum* à *ſpodio Arabum*, quod vegetale eſt. Multo ſolicitus procedendum eſſe in *antiſpodiis*.

CAPUT ULTIMUM.

EPIDORPIS DE AQUIS, TAM DULCIBUS, QUAM MEDICATIS.

A. PERREPSIMUS hactenus intimos terræ cuniculos eruimusque metalla, ſaluti humanæ uſui futura. Atque cum ex iiſdem, non autem ex mari ſcatuerant, omnes aquæ, non minus homini, quàm ipſe aër, quo fruimur, neceſſariæ, unde vetus ſapientia ὕδωρ ἄριστον vocavit, adeoque Hippocrates τὰ ὕδατα conjuxit μετὰ τῶν ἀέρων fuerit induſtriæ noſtræ, de his quoque aliquid commentari; verum, ut hactenus, ὡς τύπῳ. De aquis dulcibus, ſive potulentis, etiam apud alios, qui non ſunt ὑδροπόται, ambigere velle, caput eſſe ſanitatis, hominis fuerit parum ſani Certe & Hippocrates & Galenus *tot. locis* id inculcarunt, ut nemo neſciat, niſi qui ſeipſum non novit, hoc eſt, qui brutum pecus ſit. De thermalibus dictis ego parum quid molior, poſtquam res eò deducta eſt a noſtratibus, ut ſit in confeſſo, *Medici nomine indignum eſſe*, *qui neſciat diſtincte de illis loqui*.

B. Niſi equidem fallor, primus inter noſtros fuit, qui vulſit Medicis aurem, ut rectè diſtinguerent thermales aquas à ſimpliciter dictis, vir eximius, GEORGIUS AGRICOLA. Nimirum dulces ſunt hæ, aut certè inſipidæ cum frigiditate ſenſibili natura ſemper recta intuente ſcopum ſuum primarium: ſaporem certum habent illæ, cum caliditate, explicabitur hæc mox) vel actuali, vel potentiali, natura intenta in finem ſecundarium. In his obſcure latent duæ cauſæ thermarum, *Efficiens* ſeu *calor*, quo ſunt: *Materia*, qua tales. Præter has in Meteorolog. aliæ non conſiderantur. Thermæ dicuntur ἀπὸ τοῦ θέρμη, *calor*, qui intelligitur *naturalis*. Ubicumque enim ignis noſter accedit, *Thermæ* propriè non ſunt, ſed *Balneæ*. Hic calor ſubterraneus unde ſit, dubitatum fuit omnibus ſeculis. REINERUM SOLENANDRUM, virum graviſſimum, ea de re ſcripſiſſe, incerta fama eſt.

C. An aliquid ſit in farragine authorum, quos Junta dedit, *Venet.* 1553. *in*

Hhhh *f.* neſ-

ſ. neſcio. Nec Agricola hoc tetigit, quantum comperi. Langius 1. *Epiſt.* 77. ait, *à bitumine ſulſureo, in viſceribus terræ, ab undarum fluctu, calce & halitu accenſo, fervorem illum eſſe.* Sed revera hoc eſt τὰ πόῤῥωθεν διώκειν. Præterea, quæ eſt efficiens univerſalis? Ego aliam præter Solem non reperi. Hic enim in inquiſitione cauſarum ultimus eſt quippe activus eſt iis in locis, quibus materiam in venit. Quæ vero eſt illa? Conſentio dicto Agricolæ, *Fluores* eſſe, quos ille deducit ἐκ τῆς συῤῥοῆς Theophraſteæ, antequam *ſuccus lapideſcens* ſuperveniat. Hui vero? Hæc non ſunt ἐκ τῶν πὸῤῥωθεν? hæc relinquunt nos ſub cultro? Interim τῇ κηπαίᾳ ἀναχωροῦσ τὸς σου ad eos, qui liquido fatentur, ſe neſcire?

D. Sunt, fateor, etiam poſtquam abunde audivi accuſatores ſucci lapideſcentis, qui quia nihil probarunt, & non habita ratione pudoris ſui, ſcripta dicta tacent, reum ego non tantum abſolvo, ſed & patronum me illi conſtituo. Ita moris eſt in foro philoſophico, hoc ψήφισμα eſt Platonis, Ariſtotelis, Galeni, omnium ſapientium, ſi probabilia quis dixeris, SATIS eſt. Hac in re aſſumo mihi UNUM ſocium JACOBUM THEODORUM, *cap.* 1. *ſeines Waſſerſchatz*, cæteros contemno. Jam vero, ne in tenebris palpem, comparationem inſtituo inter ſuccum lapidum, qui in vegetabilibus eſt, & conſideratur *in lib. antr. Simpl.* & ſuccum lapidum, qui in mineralibus, & eſt *in lib. poſter. Simpl.* Uterque tam late patet, ut altera ipſius pars ſit frigida, altera ſit calida.

E. Utrobique tres ſunt ſapores, frigidi quidem *Auſterus*, *Acerbus & Acidus*: calidi autem *Dulcis*, *Amarus & Salſus*. Et rurſus, frigidi quidem non ſimpliciter tales, ſed comparate cum homine temperato, quem refrigerant eo modo, quo remiſſum remittit intenſum, & ſunt in *Acidulis*, *in den Saurbrunnen*: calidi autem ſimpliciter calefaciunt actu omnem hominem. & ſunt in *Thermis in den warmen Baden*, ſive ex ſe caleant, ſive opus habeant ante uſum calefactione. Ad frigiditatem ſeu acciditatem, *zu den Saverbrunnen*, majorem, minorem, authore Theodoro meo, concurrunt multa corpora metallica, inter quæ hunc conſtituit ordinem ille. 1. Ochra rubiginoſa *Eyſenerk*, *Eyſenſtein*. 2. *Lebererk*, id eſt, Ochra ferroſa. 3. Sal. 4. Alumen. 5. Nitrum. 6. Vitriolum. 7. Sulfur mont. nigrum. 8. Sulfur mont. griſeum. 9. Sulfur mont. luteum. 10. Sulfur mont. rubrum. 11. Sal cryſtallinus, &c. inter hæc, ut in ἀνακεφαλαιώσει repetit Theodorus, mirificæ ſunt miſcellæ, eum modo unum præpolleat, modo duo, modo tria, modo plura, modo pauciora.

F. Ad caliditatem, *zu den warmen Badern*, non minus multa concurrere & veriſimile eſt, & verum. Hoc vult caloris diverſitas, odoris, ſaporis: huc ducunt nos diſcordes ſæpè Medicorum ſententiæ: huc impellunt nos fruſtanei non rarò eventus. Nec minor ego cenſeri debeo, ſi non prævium habeo calculatorem, ut in acidulis. Res enim ad ſenſum pertinet, & vacillavit hactenus in hoc negotio Medicorum diligentia. Neſcio, an auſim dicere. Sed quid oberit dixiſſe?

G. Va-

G. Vacillat in hoc negotio laborioſſimus Andreas Baccius, *in opere de Thermis*, jam tertium edito Romæ, 1622. cum *lib.* 4. *cap.* 2. ſolum ſulphur dat pro cauſa materiali thermarum. Hinc adeo fit, quod, victus ab ipſa rerum evidentia, fateri cogitur, primum in genere, *Totam naturam rerum terreſtrium, ſingulasque earum ſpecies, confuſas, & indigeſtas reperiri in principiis ſuis.* Intelligit, ni fallor, *fluores Agricolæ.* Mox in ſpecie, *ſulphur non ubique ſervare formam ſuam, ſed differentias ſortiri innumeras, prout vel natura eſſentiave ſui miſcendum venit: vel ex accidenti, cum variis rebus, communiter, cum pallidum ſit, &c.*

H. Has varietates ſeu differentias explicaturus *lib.* 5. *ſeq.* tam late ab uſu medico diſcedit, ut Acidulas cum Thermis confundat. Prodit vero rem manifeſtè, cum *eodem lib.* 5. aquas agnoſcit, quæ gypſum habeant, chalcanthum, miſy, ſory. Manifeſtius, cum illas; quæ Auripigmentum, Sandaracham, Arſenicum, Antimonium, Argentum vivum, &c. Si enim ſeorſim dantur, quid impedit, quo minus cum ſulphure miſceantur? Et hæc de Baccio: Vacillat in hoc negotio etiam Theodorus, cum poſt abſoluta beneficia, quæ à numero duodenario habent acidulæ, fatetur quidem habere præter ſalutaria, Arſenicum, Sandarach. lap. Laz. Mercurium, Antim, & forte alia: ſed oblitus ſui non meminit maleficiorum, quæ potoribus obvenire poſſunt ab hujus modi furiis venenoſis.

I. Dicam amplius, cum venia bonorum, ſuſpectam mihi eſſe hiſtoriam quam de ſe ipſo narrat, *contigiſſe ſibi dolorem ventris gravem ab uſu vini noxii & venenati*, ut loquitur. Quid ſi fuit *acida aqua*, verbi gratia, *Arſenicalis*? Scio enim, quid audacibus iſtis experimentatoribus ſoleat accidere, & Geſnero accidiſſe *in Doronico*, ſupra memoravi. Cur ſuſpicer, cauſa eſt. Non potuit honeſte inurere hanc notam Acidulis, quas laudatum ibat. Et hoc eſt, quod ſæpe muſſabamus inter nos Germani συμφοιτηταὶ, Patavii, cum audiremus inconſultos diſcurſus de uſu Thermarum Euganearum, etiam poſtquam intellexiſſemus mala, quæ inde orta eſſent! Quæ cauſa nobis fuit excurrendi eò, & oculis uſurpandi.

K. Hæſere autem poſt omnia duo Fallopii effata. 1. Habent thermæ alicubi ſuccos virulentos. 2. Quæ ut plurimum ſalubres ſunt, certis annis inſalubres ſunt. Has cauſas facile exſculpam *ex tract. Joh. Lud. Moglini, Tub.* 1615. *de inconſiderato Acidularum uſu*, qui multa etiam alia cumulat laude digna. Contrà, tanquam inconſideratum accuſabo Horſtium olim noſtrum, qui, triennio poſt, in promotione doctorali, in duobus valde peccavit. 1. Cum eſſentias thermales omnes elaboratiſſimas vocavit: *Quaſi non multæ ſint crudæ*, ut diſerte Moglinus! Quaſi non multæ viroſæ virulentæ! Quaſi (adſcripſi ego per riſum) non multæ ſint Arſenicales, Antimoniales, Mercuriales! Quaſi! 2. cum agnoſcit incertum illarum eventum, quo fiat, ut cum jubeantur ſiſtere menſes,

cieant illæ Eſtne hoc Medici rationalis, in tantum periculum deducere ægros? Huc refero, cum non tranſeunt, ſed faciunt hydropicos, quod CL. DOLDIO contigiſſe memoravi alibi, & nuper uni & alteri ex ducibus militum Bavaricis, quod de amicis intelligo. Sed reprimo me, & concludo, Quicquid ſit, quàm de fide aliorum, CAVE, *ô quiſquis es*, & hoc tibi à me extremum habe, *Ne in dulcibus quidem aquis ſemper* δὐτυχοῦμεν. Puteus eſt Noribergæ *der Langkommer*, ad quem magnus eſt concurſus miſerorum opificum: at ille medicatus eſt. Arrodit enim manus & pedes lotricum, cum diutius perſeverant. Ut excurram aliquantulum, Cerevifia Gardelebienſis, *die Garlen*, Helmſtadii dicta, & curat & facit morbos in non aſſuetis. Eſt enim aqua thermalis, cujus rei indicium eſt ſapor ille alienus. E contrario, cur tam amabilis eſt Torgenſis? *Wie der Weinbrun zu ober Schwalbach*? Stagnum illud, è quo coquitur cereviſia illa, habet minerale quid, quod vectura facile perit, ut in aliis quoque fit. Ideo AUGUSTUS Elector Lipſiæ nihil aliud quàm *Raſtrum* coxit. Summa, *Nolim quemquam eſſe ſecurum in uſu tam Acidularum quàm Thermarum.*

> —— —— —— *non gloria nobis*
> *Cauſa, ſed utilitas, officiumque fuit.*

CAPUT EXTRAORDINARIUM

DE MELLE.

1. QUOD Galeno accidit *in lib.* περὶ ὑγιεινῶν, ut per incuriam omitteret Diacydonium dictum, celebre Illud in ventriculi debilitate medicamentum: id mihi heic accidiſſe video in Melle. Quemadmodum igitur ille, non turbato ordine ſuo, appendit extremo Operis ſui: ita ego quoque facio.

2. Conſentio iis, qui à Græco μέλι per apocopen derivant. Et ſignificat non rem unam, ſed prout aut componitur cum aliis vocibus, ut δροσόμελι, ἀερόμελι, de RORE MELLITO, de quo Galenus loquitur, 3. *Alim.* 39. aut additur alia vox, ut μέλι ἰνδικὸν, quod eſt SACCHARUM noſtrum. Huic addo ego μέλινδενδρικὸν, MEL. ARBOREUM, & dico eſſe χυλὸν μελιτηρὸν quercus apud Theophraſtum, 3. *Hiſt.* 8. & Virg.

> *Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.*

Quin ulterius eo, & (qua de re dubitavi diu) jam clare eloquor, MANNA NOSTRA CALABRINA, quam inter Purgantia leniora habemus, eſt μέλιδενδρικὸν, hoc eſt, gummi vel reſina fraxini, ornive. Tandem eſt μέλι ἄνθινον, MEL. FLORULENTUM, quod ex floribus colligunt apes, & in alvearia comportant *Crura thymo plena*, ut Maro canit. Tot igitur melligines cum ſint, ut ſic dicam,

cam, Mel venatum 10. *Simpl. proœ.* non neceſſario eſt florulentum noſtrum. Erat quidem apud veteres etiam tale quid, unde illud,

Sic tua Cyrnæas fugiant examina toxos.

Sed vereor ne moriantur in confectione beſtiolæ illæ! Quid igitur ſi mel Anacardinum fuit, de quo Cluſius *in Garziam*, 1. *Arom.* 30. Quid ſi noſtrum quidem, ſed veneno Pontico infectum? Scimus enim, quid idem Poëta,

Naſcuntur plurima Ponto.

3. Sed parco. Uſus vel alimentarius eſt, vel pharmaceuticus. Ille, quam late patuerit olim, inter alios Bruyerinus offenderit, *lib.* 10. *Rei cib.* 7. Cur deſierit apud nos, cauſam do *ex* 7. *Meth.* 7. quod, ut olim, ita hodie Medici non recte diſcernant ventriculos frigidos, in quibus convenit, à calidis, in quibus non convenit. Explico Quia calidum & ſiccum eſt in 2. gradu, cum magna partium tenuitate, & facile bileſcit; atra autem bilis ex flava omnium deterrima eſt: quivis videt, quid ſit metuendum, ſi erretur in cognitione temperamenti ventriculi?

4. Hic quam ſe diffundat, vel ex multitudine compoſitionum patet. Inter has primum ſit Hydromeli dicendum potius, quam Hydromel, vel ideo, quia cohæret cum alimentario. Eſt enim *Medo* veterum Germanorum, à quo ſpondebant ſibi longæ vitatem. Quod qui credunt, credant hoc quoque, ſi multa incoquantur & ſuſpendantur aromata, fieri vinum Hippocraticum Quotuplex ſit, pete *ex Indice Galeni.*

5. Alterum ſit Oxymeli, quod vel ſimplex eſt, vel compoſitum. De ſimplici remittit nos Diſputatum noſtrum *ad* 4. *San. tu.* & Mercurial. 3. *Comp. med.* 8. Ego etiam *ad Indicem Galeni.*

DE CERA ET PROPOLIDE APPENDICULA.

QUod κηρὸς, ὁ eſt Græcis, Cera eſt Latinis. πρόπολις, niſi fallor, eſt quaſi πρὸ τῆς πόλεως. Apum enim contubernium eſt πόλις quædam. De utraque vide iterum *Indicem.*

F I N I S.

INDEX RERUM.

Quæ ſunt in his Paraleipomenis.

A.

ACIDULARUM ſapores, 97. E. uſus, ibid. H. maleficia, ibid. G
Agaricus mineralis, 57. D. *Vide ſuprà*, Ind.
Ærugo ſeu ærugo triplex, 92. A. B
Αετὸς καὶ αἰετὸς, 79. A
Aetites lapis, ibid. quid peculiare habeat, ibid.
Æs ſeu Cuprum, 83. A
Æris ſquama, 91. A. flos. 83. B
Ægyptii quomodo condirent corpora, 7. C
Ἀκανθόχοιρος, 6. A
Ακανος in plantis, ibid.
Alabaſter, & Alabaſtrites, 72. A. glacialis, ibid.
Album Græcum Offic. 41. A
Alces cornua & ungulæ, 27. A
Alexiterium contra peſtem, 4. B
Alumen triplex, 56. A. ſcaliolum. 75. A. nativum & fact. 56. A. temperamentum, ibid.
Ambra ſeu Ambarum citrinum & griſeum, 65. A. Alba, 66. A
America Carthaginenſibus nota, 77. B
Animalia in Offic. 1. A
Ammoniacum. *Vide* Gummi.
Antidotus Matth. duplex, 4. B
Antimonium, 90. A
Ant. vitrium, ibid. B. album, 90. B
Antiſpodia, 96. A
Aphro ſelenus, lapis, 75. A
Aq. dulcium conſideratio, 96. A. thermalium, ibid. H
Aqua Carbunculi, 80 C
Aqua deſtillata pull. gall. S. A. Caponis, ibid.
Aquæ virtutum, ibid.
Aquilina lapis, 79 A
Argentum foliatum, 82. A
Αργίλος, 42. A
Αργυρος, Αργύρειον, ἀργυρείδιον, 82. A
Argyr-adamas, 78. A
Arſenicum, Realgar. Riſ. 67. A
Aſæ fœt. uſus apud Indos, 7. D
Ασφαλτος, ὁ, καὶ ἡ, ἄσφαλτον, τὸ, 60. A
Atramentum ſunt. *Vide* Vitriol.
Aves cur habeant ventriculum carnoſum? 30. A
Aurea Alex. Nic. 4. C
Aurum unde dicatur? 82. A. an acuetur? ibid. foliatum, ibid. potabile, ibid.
Auripigmentum Cryſt. 67. A. venenum cauſticum eſt, ibid.
Αὐροφύλαξ, gemma, 82. A

B.

BActius accuſatur, 98. G
Baltraht, 66 B
Βάτραχος, Βατράχιον, 8. A
Bezaar, Bezoar, Bezahart, 36. A. an ſit Alexiterium, ibid. Or. & Occ. ibid.
Bezoardica, ibid.
Bitumen duplex, 60. A. facult. ibid. B
Bolus Armeniaca, 46. A
Bombycum conſideratio, 35. A
Borax crudus, 55. A. Arabicus, 92. B

I N D E X

C.

CADAVERA Ægypt. condita, 7. A. ſuſpenſa Pomer. ibid. C. uſus. ibid.
Cadmia Gr. eſt Tutia Avic. 94. A. ſpecies ibid. factitia, ibid.
CÆSALP. error duplex, 63. A. C
Calidi nativi origo, 66. A
Callimus gemma, 79. A
Calor ſubterr unde? 96. C
Calz, τίτανος ἢ 53. A. 96. A. viva & extincta, lota & illota, ibid. A
Camphora ſeu Camphura, 63. A. è Burneo & China, ibid. cal. an frig. ſit? ibid.
Cancrimarini ſunt diverſi à Gammaris, 11. A
Cancri oculi, 29. A
Canis Ponticus. 28. A
Cantharides an totæ ſint exhibendæ? 17. A. Sylv. ibid. præp. ibid. D. quale venenum. ibid.
Carabe vox Perſica quid ſignificet? 64. A
Carneolus, ſeu Corn. 80. A
Catarrhi hiſtoria in mul. Rom. 41. B
Carthagienſes in Americam navigarunt, 77. B
Caſtor unde dicatur? 28. A. an amputet ſibiteſtes? ibid. B. Caſtorium, ibid.
Cedria ſeu ol. Cedri, 7. B
Ceratum ex Ceruſſa, 93. A. diachalciteos ſeu diapalma, 58. A. Cer Philagrii triplex, 42. A
Ceruicapra, 36. A
Ceruſſa, 93. A
Cereviſiæ ex aquis thermal. 96. H
Chalc *Vide* Vitriol.
Chalcitides generatio, 58. A. non habet locum in Ther. 57. D. Uſtio toſtio, ibid.
Chalybes, populi Ponti, 84. A. chalybis ſquama, 91. A. facult. ibid.
Chryſocolla aurif. 55. A
Cinabrium, 93. A. nativum, 86. A. Off. 59. B
Civetta animal, 13. B. *Vide* Zibettum.
Coctionis omnis duplex eſt excrementum, 87. A
Conf. Alhermes, 38. A. 76. B. Cord. Al. Bened. 4. (80. arom. moſch. 38. B. Imperatoris duplex 4) de rad. Angel. ibid. manus CHRISTI, 81. A. Lib. duplex, 4. C
Cochleæ & limaces habent νάρκωσιν, 10. C
Cornu Cervinum, 23. A. crudum an uſtum præſtet, ibid.
Cranium hum. 19. A
Creta, 47. A
Crocodilus terreſtris, ibid. A
Crocus ferri, 92. A
Cryſtallus gemma, 80. A
Cyprini piſcis lapis, 28. A

D.

DIAMOSCHU duplex, 38. B
Diapalma, 58. A
DIOSCOR. corrigitur, 6. A. 7. A
Diſſenſio falſitatis nota, 16. A

E.

EBUR, 24. A. Foſſile, 26. A
Echinus animal duplex, 6. A. terreſtris cujus temperamenti? ibid. B
Elect. Angelb. 4. B. Camph. Kegleri, ibid. de lim. chalybis Sax. & Augenii, 83. B Offic. ibid. de gemmis dupl. 80. C
Electrum, 64. A
Elephantis cornua, 24. A
Elephantiaſis curatio, 1. D
Eland, animal, 27. A
Empl. ex ceruſſa, 93. A. διὰ καδμίας, ſeu griſeum, ſeu de lapide calaminari, 94. B. viride, 92. B
Ἐρινός, & ἐχῖνος, plantæ confunduntur, 6. A
Ericius Hericius, Erinaceus, Herinaceus uſt. ibid.
Eſdræ antidotus, 4. C
Ἐχῖνος πολύσημον, 6. A
Excrementa animalium, 34. A

F.

FERRUM, 83. A
Ferrugo, 92. A
Fiber Ponticus, 28. A
Formicæ, animal calidum, 14. A
Formicarum balneum, ibid.
Floralia, feſtum Rom. 92. A
Fluo res Agricol, 97. G
FRANCISCI MACOP Mumia, 7. E

G.

G.

GAL. conciliatur ſibi ipſi, 74. A. excurſatur, 1. D. tangitur, 59. A. explicatur, 28. B.
Γαλώη, 85. A
Galli veteris jus purgans. 8. A
Gemmari, 11. A
Gemmæ, quid & quantum poſſint? 80. A
Gentarus, 64. B
GEORGIO AGRICOLÆ facta eſt injuriæ mortuo, 94. C
Glaſſ, vox Germ. ſuccino tributa, ibid. B
Glaſſariæ inſ. ibid.
Granatus, 80. A
apud Græcos primit. & dim. aliquando idem eſt, 17. A
Gutta ſuccina, 60. A
Gypſum & ejus materia, 70. A. uſtum ibid. intrinſecus eſt venenum, ibid.
Γύρινος ἢ γυρῖνος, 5. A

H.

HALOS ANTHOS, 66. A
Hannonis peregrinatio, 77. B
Hæmatites cal. an frig. 78. H. uſus in hæmoptyſi, ibid. uſtus, ibid.
Hepar lup. hirc. canin. 21. B
Hirundines cum nido ſuo, 9. A. hirundinum cerebrum, ibid.
Hirudines, 10. A
HIPP. mos, 17. C
in Hiſpanico morbo injunctiones ex hydrag. 59. B
Homo eſt Deus quidam. 35. A
Hyalos pro ſuccino. apud Virg. 64. A
Hyacinthus, 80. A
Hyæna quale animal, 13. A
Hydrargyrus, ſeu Arg. vivum, 86. A. nativus & factitius. *Vide* Mercurius.
Hyſtericarum remedium. 21. D

I.

JAC. THEOD. accuſatur, 97. H
Jaſpis, 80. A
Ἰὸς τοῦ χαλκοῦ, 92. A

K.

KANΘΑΡΟΣ καὶ κανθαρὶς, 17. A
Καρκινοι ἢ καρκῖνοι, 11. A
Κάστωρ quaſi γάστωρ, 28. A
Καστόρων, φάρμακον, ibid.
Κόχλακες, 69. A
Κύανος ὁ, καὶ, ἡ, 76. 4.

L.

LAc virginis, 89. B
Lana ſuccida, 42. A
Lapides Offic. 69. A
Lapis Armenus, 50. A. 76. A. calaminaris, 77. C. 94. A. Calamita, 77. C. Lunaris, 75. A. Lazuli, 76 A. ſpecies ejus, ibid. ejicitur ex Offic. 76. B. fellis bovini, 37. A. Judaicus & Syriacus, 74. B. ſpecularis, 75. A
Laſeris uſus apud veteres, 7. D
LEONIC. oſtendit viperas, 1. F. maroſſi Italorum, ibid.
Λιθος ὁ καὶ ἡ 78. A. ἡράκλεια, 77. A
Λιθάργυρος, ſpuma arg. *glatte*, 89. A
Lilac Matthioli, 17. A
Λευκάργυρος, 43. A
Lemnus, hodie Staliment. 44. B
Leporis pili, 31. A. talus, ibid.
Looch de pulmone vulpis, 20. A
Lucii mandibula, 24. A
Lumbrici terreſtres, 11. A
Lupi inteſt. præp. 21. A

M.

MAGNES & Magnetis, 77. A. unde dictus. ibid. trahit ferrum & vergit verſus Sept. ibid.
Mare mortuum dicitur etiam lacus Aſphaltites, 60. A
Marchaſita eſt Pyrites, ubi vide.
Margaritæ, perlæ, 81. A
Μάρμαρος χυδαῖα, 96. A
Mater perlarum, 81. M
Marga, 8. A
MATTHIOLI error in Caſtore, 28. C
Melanteria, 58. A
Mercurius Chymicorum, 86. A. ſublimatus & præcipitatus, ibid. *Vide* Hydrarg.

Metallica corpora, acidulis & thermis propria, 99. E. F.
Μίζα, Metaxarii, 35. B
Μίλτος τεκτονική, 44. A
Minium Offic. vett. 59. A. 93 A
Miſy, 51. A
Mithridatium Damocratis & Cleophanti, 4 B
Μόλιβδος, ἢ μόλυβδος, 85. A
Μολίβδαινα, ἢ μολύβδαινα, ibid.
Morſs, animal, 26. A
Moſchus, odoramentum quod fert animal, 38
Montes Sodomeni & Ceraunii, 60. B
Mumia Arabum, 7. A. C. uſus ejus apud Saxones, ibid. D. verus uſus, ibid.
Μυελὸς, 40. A

N.

NAPHTHA Dioſcor. 62. A
Nihili album, 95. A
Νίτρον καὶ λίτρον, 53. A.
Nitrum nat. ſciſſile, 55. A. differentiæ ratione materiæ, 53. A. Nitri ſpuma & Aphronitrum differunt, ibid. temperamentum, ibid. C. late patet, 53. C. cal. an frig. ibid. Nitrum præp. ibid. D

O.

OESYPUS hum. 42. A
Οἴσυπος καὶ ὕσσωπος, ibid.
Oleum de Cade, 7. C. ſeu aq. Camphoræ, 63. E. Caſtorii, 28. D. formicar. 14. A. hyenæ, 13. A. lumb. terreſtrium duplex, 12. A. moſchel. 38. B. ovorum, 34. A. Philoſophicum ſeu de lateribus, 43. B. vinarum, 5. B. ſcorp. duplex, 15. A. Cara. vitæ, ib. ſuccini duplex, 65. D. Talci, 71. A. Tartari, 55. A. vulpinum, 13. A
Onager, ſeu aſinus ſylv. 27. A
Operment. 67. A
Os de corde cervi, 22. A
Ova quò referenda, in ſumma rerum diviſione, 34. A
Ovorum uſus in Therap. ib.

P.

ΠΕΡΙΦΛΕΓΗΝΑΙ, 7. B. In peſtis, tam præſervatione, quam curatione nihil juvant medicamenta, 80. B. remedia infinita, omnia fallunt, 4. C
Petroleum, 62. A. Mutinenſe, ibid.
Pil. de lap Arm. 36. B. Lazuli, ibid Moſch. κατ' ἀντίφρασιν, 28. B. de nitro, ſeu Diacol. 53. D
Πιμελὴ καὶ στέαρ, 40. A
Pinguedo pars ſimilaris, 40. A. facult. variant ratione animalium, ibid. B
Pinguedo & med. oſſium, ib.
Pinguedines metallicæ, 59. A
Piſſ. aſphaltus, 7. B. 61. A
Plumbum album & nigrum, 85. A. uſtum, ibid. B. facult. ibid.
Poculum hvac. ex Antimonio, 90. B
Polo peſto Flor. 8. A
Πομφόλυξ, 94. A. fit duobus modis, 95. A. lota ibid facult. ib.
Probabilia dixiſſe in Philoſphia ſatis eſt, 96. D.
Pulvis ſerpentinus, 15. B. ex borace ad partum, 55. A
Pulveres contra peſtem, 4. C
Pumex, 73. A. uſtus, ibid.
Pytites & Marchaſita idem, 87. A. quale metallum, ibid. B. facult. ib.
Pyxis nautica ubi & quando inventa? 77. A

R.

RADZUILLII hiſtoria de duabus mumiis, 7. E
Rana edulis, 5. A
Ranarum feminium eſt narcoticum, ib. B
Raſtrum Lipſienſe, 96. H
Realgar & Riſagallum. *Vide* Arſenicum.
Rhinoceros, ejusque roſtrum, 26. A
Robigo, Robigalia, Rubigo, 92. A
Rohart, 25. A
Romæi, 7. E
RONDELETII obſervatio, 28. A
Rubeta, 5. A
Rubinus, 80. A
Rubrica Sinop. 49. A

S.

S.

SAL triplex, 49. A. gemmæ, 51. A. Hammoniacus, 50. A. nitrum & ſalpetræ, 53. C. Theriacalis, 52. A. Ungar. foſſ. 51. A
Sales factitii, 52. A
Sandaraca, 68. A
Sandyx, 93. A
Saphirus, 8. A. Plinii, 78. A
Sanguis hirc. præp. 32. A
Sarda, 80. A
Saxones & Thuringi eadem gens, ibid. B
Σάρξ σκεδετοῦθεῖσαπινομένη, 7. A
Schwalternich, 64. B
Scoria ferri, & aliorum metallorum, 88. A
Scorp. terreſtrium venenum, 15. A. non omnibus locis ſunt venenati, ibid. uſti, ibid.
Σκὼρ, σκωρία, 88. A
Seminis maſc. natura humida, 66. A. quatenus excrementum, 34. A
Sepium, vel Sepeum, 33. A
Sericum crudum, 35. A
Scythæ Europei ſunt Germani, 64. A
Σκελέτευσις cranium, 7. A
Smaragdus, 80. A
Sory, 58. A
Sperma ceti, 66. A
Σπόδος ἢ σπόδιον, 64. A
Spodium Gr. eſt metallicum, Arabum eſt vegetabile, 95. A
Spuma arg. *Vide* Lith.
Σπύραθοι, 41. A
Stannum, κασσίτερον, 85. A
Stercus caninum, caprillum, columb. 41. A
Stibi ſeu ſtibium. *Vide* Antimonium.
Στόμωμα, 91. A
Στυπτηρία, 56. A
Succinum, 64 A. eſt bitumen, ibid. B. C. primæ ejus facc. ibid. D
Succus lapideſcens Agricolæ, 69 C
Sulfur cur θεῖον? 59. A
Sulfur eſt duplex, ἄπυρον καὶ πεπυρωμένον, 59. A. ſublimatum, 59. B
Σφραγὶς αἰγὸς, 44. C

T.

TALCUS, Talch, Talk, 71. A
Tartarus vini, 54 A. ejus cremor ibid
Terra quid Philoſophis? 43. A
Terra Lemnia triplex apud Dioſcoridem, 44. A. quibus cremoniis olim foderetur ibid. cur capræ. ſignum habuerit? ibid. C. noſtra an ſit legitima? ibid. A
Terra ſig. Sileſ. 45. A. ei ſubſtituta Herſpruccenſis, ibid. B
Terra ſtellæ, 71. A
Theamedes qualis? 77. B
Theriaca Andromachi, 3. A. Villanovani, 4. B. dubitatur de præſtantia ipſius, 3. A. fermentata, & non fermentata, ibid. C. abuſus, ibid. D
Theriaca ſine viperis, 4. B. diateſſaron, ibid. A. ubi etiam catalogus cæterarum.
Thermarum cauſæ duæ, 97. B. ſapores tres, ibid. E. abuſus, ibid. G. H
Thermæ Euganeæ. ibid. H
Θὴρ, θηρίον, 1. B. 4 A
Tinnimachton, 44. E
Tincar Serap. 55. A
Τίτανος ἄσβεστος, καὶ ἀπεσβεσμένη, 69. A.
Troch. de Carabe. 64. C. galliæ & aliptæ moſch. 38. B. de ſpodio, 24. A. 25. A. de terra ſig. Meſue, 44. E. viperini ſeu Theriaci, 2. A. quomodo fiant? ibid. C. an Noribergæ poſſint confici? ibid. D
Turbith. minerale, 86. A
Turcæ peſtem non timent. 67. B. pro amuleto geſtant Arſenicum, ibid.
Tutia Arabum quid Gr. 94. A
Tyrus ſerpens, 1. E
Tyrii ſeu Phœnices, inſignes naucleri, 77. B

V.

VENTRICULI gall. tunica interior. 30. A
Verd azuro, 76 A
Verſoria Plauti, 77. B
Vipera, quaſi vivipara, 1. A. animal. venenatum, ibid. ubi habeat venenum, ibid. B. viperæ coitus verus, ibid. partus, ibid. caro eſt alexiteria, ibid. C ad Ther. quando capienda? 2. A. quamdiu ſerventur, ibid. B earum vigor ut cognoſcatur? ibid E
Vinalia, 92. A
Viride æris, ibid.
Vitriolum triplex, σαλακτικὸν, πηκτὸν, ἑφθὸν, 57. B n[illegible] & factit. ibid. A. Rom. ibid. D [illegible] ibid. Vitrioli facult. ibid. B. a[illegible], ibid. A. vitrioli ſpiritus ab

oleo non differt, ibid. C. in uſu ejus cautela, ibid.
Vitrum, 88. A. uſtum, ibid. Antimonii. *Vide* Antim.
Ultramarino, 76. A
Unicornu, 24. A
Ung. Alabaſtr. 72. A. album & Album coctum, 93. A. de Calce, 9. B. Camphor. 63. E. διαπομφόλυγος, 95. A. de Minio, 93. A. de Minio Camph. 59. B. rubrum, ibid.
Uſtio apud Medicos cur inſtituta, 23. B
Vulcanus è cœlo cadens, quamdiu fuerit in ïtinere? 44. C
Vulpes, animal calidum, 13. A
Ὕδωρ ἄριστον, 96. A
Ὕστριξ, ὑστριχὶς, 6. A

Φ.

ΦΡΥΝΟΣ, 5. A

X.

ΧΑΛΚΟΥ ἄνθος, 92. A. differt ἀπὸ τοῦ χαλκάνθου, 57. A
Χάλκανθος, χαλκάνθη, χάλκανθον, χάλκανθες, ibid.
Χοιρόχρυλλος, 6. A
Χρύσος, χρυσίον, 42. A

Ψ.

ΨΙΜΥΘΟΣ, ψιμύθιον, 93. A

Z.

ZIBETTUM & animal unde capitur, 39. A *Vide* Civetta.

FINIS.